




Aus C. E. Haefsler's Magazin wohlfeiler gebundener
Bücher. Hamburg. Neuenwall 142.



CONR. GESNERI TIGVRINI, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIAE PROFESSORIS in Schola Tigurina, Historiæ Animalium Liber II. qui est de Quadrupedibus Ouiparis.

NVNC DENVO RECOGNITVS AC PLVRIBVS IN locis ab ipso authore ante obitum emendatus & auctus, atq; aliquot nouis Iconibus & descriptionibus locupletatus, ac denique breuibus in margine Annotationibus illustratus.

ADIECTI SVNT INDICES ALPHABETICI VNDECIM super nominibus Ouiparorum quadrupedum in totidem linguis diuersis: & ante illos Enumeratio eo ordine quo in hoc volumine continentur.



FRANCOFVRDI


Ex officina Typographica Ioannis Wecheli,


Impensis Roberti Cambieri.


MDLXXXVI.

1586

Cum gratia & priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis ad decennium.


Ludwig K.
Schmarda


CANCELLED
132


SMITHSONIAN INSTITUTION
326592
AUG 23 1944
NATIONAL MUSEUM

CLARISSIMO VIRO D. VALENTINO GRAVIO DECIMARIO ET SENATORI FRIBERGENSI, Conradus Gesnerus S. P. D.



D CONDENDAM Animalium historiam, clarissime GRAVI, cùm animum appulissem, viderem q; minimam esse cognitionem in me eorum animalium quorum naturas scribere aggressus eram: neque veterum duntaxat scripta coaggerare liberet, sed mea quoque industria aliquid addendum statuissem, inops ab initio ferè consilij eram. Nam peregrinationem longius, res varias plenius explorandi gratia aut indagandi nouas, quod maximè cupiebã, propter sumptus quàm pro meis fortunis maiores, suscipere mihi non licebat. Reliquum erat, vt ab amicis & viris eruditis, quos vel de facie vel fama per diuersa Europæ loca noueram, varias animantium formas historiasq; ad me mitti peterẽ: sed hoc quoq; ne facerem, quoniam hæc sine sumptu curari non possunt, verecundia retrahebat. Interim dum ista meditor, & omnem ferè spem de peregrinis animalium figuris, marinis aliisq; acquirendis abiicio, & in veterũ huius argumẽti scriptis legẽdis inq; suos locos & ordines describẽdis pergo, paulatim factũ est vt egregij quidam viri & ad literas illustrãdas literatosq; iuuandos nati, alij spõte, alij à me pudore posito rogati, liberaliter multa cõmunicarint. Aliorum igitur beneficẽtiæ aliâs, si vixero, omnẽ grati (vt par est) animi significationem declarabo. In præsentia verò tuæ, vir ornatissime, hoc secũdo Historiæ nostræ libro in nomen tuum inscripto, eximiæ in me liberalitati gratias agere volui. Multas enim & raras animantium volucrium, nantium & terrestrium figuras, tuo beneficio, cum descriptionibus & historiis etiam plerorũq;, optimus & doctissimus ille in omni literarum genere GEORGIVS FABRICIVS, præclarum Germaniæ nostræ decus, iam aliquoties ad me misit. Porrò præter gratitudinis officiũ, quod omnino præstare debebam, hoc etiam obiter lucrari me video gaudeoq;, quòd inclyti nominis tui patrocinio & authoritate, splendoris & dignitatis non mediocre ornamentum Operi nostro sit accessurum. Id enim mihi certo polliceor, qui vt eruditum in optimis literis te virum esse, grauissimo Georg. Fabricij testimonio, ita & humanissimum ac studiosorum hominum Mæcenatem singularem, eodem & ipsa in me beneficentia tua adductus, facile & libenter agnoscam. Postremo hanc veluti coronidẽ & corollarium lucri mei mihi fore aliquando persuadeo, vt tua cura, industria & liberalitate, Oceani Germanici Balthiciq; aliquot piscium & belluarum, pręter illas quas iam prius misisti, icones ac corporis naturęq; ipsorum descriptiones accipiam. Hanc equidẽ spem quasi vigilans somnio (vt suos quisque amores solet) & opto hoc mihi somnium ratum aliquando & hypar, vt Græcè dicã, euenire. Nec dubito quin ad hoc conandum Georg. Fabricius noster tum excitare te, tum ad perficiendum viam ostendere & velit & possit. Verum tu mihi ignosces humanissime GRAVI, quòd plura etiã quàm hactenus contulisti in ignotum ac nihil de te bene meritum hominem, beneficia postulare videar. Siquidem illa non vni mihi, sed vniuersæ Reipub. literariæ, Philologiæ præcipuè & Physiologiæ peto: quibus ego excolẽdis hac præsertim in parte Naturæ, iãdudum me (vt vides) totum astrinxi. Partim verò etiam tibi & nomini tuo. Quid enim honestius inter omnia maximi illius Alexãdri facta legitur, legeturq; perpetuò quàm quòd Aristotelem vt omnem animaliũ naturã quàm plenissimè traderet, & omnia in hac pulcherrima naturę parte miracula, vel terris remota, vel in aquis & mari toto abdita, in apertum educeret, proponeretq; spectanda, liberalissimè iuuit? Cætera eius, vt ple-

rorunq; principũ virorum geſta, bellis, ſanguine, cædibus, iniuriis, ambitione, libidine, aliisq́; malis & vitiis referta, ita literis prodita ſunt, vt magna cum ignominia apud omnes bonos & cordatos homines hæc eorum fama perennet. Sed hæc ego fruſtra tibi, nec omnino commemoraſſem, niſi alios etiã hæc fortè lecturos ſperaſſem. Optârim enim quàmplurimos penitus intelligere, rem longè honeſtiſſimam eſſe, circa optima & pulcherrima mortalium ſtudia bene merendo, famam & gloriam ſibi immortalem comparare. Quippe hoc nobiliſſimum gloriæ præmium viros bonos & vtilitatem doctrinamq; publicam promouentes, etiam ſponte ſua, veluti vmbra corpus, conſequitur. Verum hæc omnia tanquam extra propoſitum à me dicta exiſtimare te velim. Vnum enim hoc huiuſce dedicationis inſtitutum mihi fuit, vt pro illis quorum hactenus mihi author fuiſti beneficiis, non eſſem planè ingratus. Quòd ſi in poſterum etiam (vt viri boni ſemper ſui ſimiles ſunt) eodem me meosq; lucubrandi in quibus conſeneſco labores animo fouere, ac promouere perrexeris, per abundantiam quidem bonitatis ac liberalitatis tuæ id fieri interpretabor. Vale & viue vir ampliſſime animo & corpore beatus in Domino noſtro Ieſu Chriſto, vt eius inprimis gloriam deinde bonas literas omnes ornare & colere, vt cœpiſti, pergas.

Tiguri anno Salutis M. D. LIIII.
tertio Idus Februarij.

ENVMERATIO QVADRVPEDVM OVIPARORVM EO ORDINE QVO IN HOC volumine deſcribuntur.

FINIS.

EORVN-

EORVNDEM ANIMALIVM INDEX
ALPHABETICVS, ET COPIOSIOR.

INDEX NOMINVM Hebraicorum, quibus etiam Arabica & Chaldaica adiunximus. Arabica quædam *al* articulum præfixum habent, quem (quod ad alphabeti ordinem) neglexi-mus. Sunt quæ *a* tantum pro *al* habent.

VOCES QVÆDAM Hebraicis literis scriptæ, quas Rabini aut recentiores Iudæi ex diuersis linguis, Hispanica præsertim & Gallica mutuati sunt.

VOCABVLA Persica.

GRÆCA.

F I N I S.

CONRA-



CONRADI GESNERI TIGVRINI HISTORIAE ANIMALIVM LIBER II, DE QVADRVPEDIBVS OVIPARIS.

DE CHALCIDE SEV CHALCIDICA LACERTA, QVAM ET SEPA NOMINANT.



A.



LACERTA quam hi sêpa, alii chalcidem vocant, in vino pota morsus suos sanat, Plinius. & similiter Dioscorides & Galenus, qui non chalcidem, sed chalcidicam lacertam (σαῦραν χαλκιδικὴν) vocant: Aristoteles, Nicandri Scholiastes, vt Dioscorides, χαλκίδα. Hermolaus Barbarus aliam chalcidem, aliam chalcidicam lacertam esse putat in Castigationibus Plinij lib. 32. cap. 3. & 4. non alio argumento impulsus, quàm quòd apud Plinium 32. 4. legitur, Salsamentorum (piscium salsorum) cibus prodest à serpente percussis, &c. peculiariter à chalcide, ceraste, aut quas sepas vocant, aut elope dipsadéve percussis. Ego sêpas hoc in loco non lacertorum, sed serpentium generis accipio, de quibus in serpentium historia plura dicam. Idem serpentis genus Nicander non sêpem, vt Aetius & Lucanus, sed *sepedóna* nominat. Apparet autem tum lacerto sepi, tum serpenti hoc nomen à vi venenosa factũ, quod vim habeant septicam, hoc est exedendi, & tabem atq; putredinem quandam corporibus morsu suo inferendi. Nam & Nicandri Scholiastes de sepe lacerto scribit, sic vocari παρὰ τὸ σήπειν τοὺς πληγέντας. Chalcidis vocabulum inde natum est, quòd virgis quibusdam ærei coloris distinguatur hæc lacerta: *vide* in *B*. Lacertam hanc vero & antiquo nomine chalcidem à colore dictam fuisse credimus, & ex eo deinde nomine, cuius rationem non nouissent omnes ad adiectiuum gentis & loci nomen translatam eius appellationem fuisse, dictamq; chalcidicam, quasi in Chalcide Eubœæ plurima inueniretur, quod falsum est: cum in Libya & Cypro nasci præcipuè dicatur. Factum ob id etiam est, vt in antiquis scriptoribus modò chalcis, modò chalcidica lacerta inueniatur, eorumq; authoritate diuersum (notat Hermolaus) non idem creditum hoc animal fuerit, Marcellus Vergilius in Dios. Chalcis, alij ζυγνίδα (Gaza *dygnidam* vertit) suo morsu aut interimit aut vehementẽ dolorem mouet, Aristot. Ζίγνις, (in vtraq; syllaba per iota,) ἡ χαλκῆ σαῦρα, Hesych. & Varinus: qui ζίγλας etiam κῶλα interpretantur, qua voce Græci artus, hoc est manus & pedes intelligunt, vnde stellio dictus κωλώτης: & forsan ζίγνις etiam παρὰ τὰς ζίγλας, & apud Latinos lacertus ab ijsdem partibus. Πιπαλίς, ἡ παρά ποι χαλκὶς, παρὰ δὲ ἐνίοις σαῦρα, Hesych. Varin. Sed quærendum an πιπαλὶς vox, forte à ζιγνὶς corrupta sit. Πίγγαλος, σαῦρος ὁ καλούμενος χαλκὶς, Iidem. ¶ Lacerti alij maiores sunt, qui virides cognominantur, minores alij qui & chalcides, Io. Rauisius & Fr. Alunnus. Atqui ego vulgarem lacertam minorem, quæ passim apud nos ruri inter fruteta & sæpes & per parietes repit, simpliciter lacertam vocandam affirmârim, non etiam chalcidem: quæ quidem peregrina & alte-

Nomina diuersa.

Cur seps dicta sit.

Cur chalcis dicta.

Cur ζιγνὶς dicta.

rius orbis videtur, nobis ignota. Georgius Agricola Græcam vocem chalcis ab ære factam imitando Germanicum nomen fingit kupfferadex, id est, ærea lacerta.

B.

Chalcis seu zygnis, similis paruis lacertis est: sed colore serpentis quam cæciliam nominant, Aristot. Σῆπά γε μὴν πεδανοῖσι δομὴν σαύροισιν ἀλύξεις, Nicander in Theriacis, hoc est, *Vitabis etiam sepem corpore similem humilibus lacertis.* Scholiastes δομὴν corpus interpretatur. λείπει δὲ τὸ ὁμοίαν. Seps ideo etiam chalcis appellatur, quod quibusdam lineis (virgis) æris speciem gerentibus, eius dorsum distinguatur. ad octo palmorum (παλαιστῶν) longitudinem accedit. nascitur in Syria, Libya & Cypro, Nicandri Scholiastes. ¶ Ge. Agricola lacertam chalcidicam à viridi non corporis figura differre scribit, sed colore tantum. Ego communi & paruæ lacertæ potius, vt Aristoteles, quàm viridi, quæ maior est eam comparârim.

Figura corporis.

C.

Saxa incolit, Nicandri Scholia.

G.

Medicamenta & remedia quæ ex lacerta chalcide confici possunt.

Suo morsu aut interimit, aut vehementem dolorem infert, Aristot. In vino pota morsus suos sanat, Dioscorid. & Plinius. Lacertam chalcidicam (dissectam) proprio morsui imponunt, & ex vino propinant, Galenus lib. 11. de simplic. Qui à lacerta chalcide appellata percussi sunt, eos tumor pellucidus consequitur, veluti nigrore in ambitu plagæ relucente. consequitur autem & putrefactio. Curatio verò eadem illis accommodata est, quæ ad muris aranei morsum referetur, Aetius 13. 13. Sunt & seruatis piscibus medicinæ, salsamentorumque cibus prodest à serpente percussis, & contra bestiarum ictus, mero subinde hausto, ita vt ad vesperam cibus vomitione reddatur. peculiariter à chalcide, ceraste, aut quas sepas vocant, percussis, Plin. Et alibi, Castorea aduersus phalangia & araneos ex mulso bibuntur, ita vt vomitione reddantur: aut vt retineantur, cum ruta: aduersus chalcidas (aliâs chalcidicas) cum myrtite (vino.)

Remedia aduersus eius morsus.

H.

Ὁμώνυμα.

a. Est & tuberculi maioris ac pestilentis nomen seps apud Hippocratem, ab erodendo impositum, Hermolaus. Meminit Hippocrates libro 3. Epidemiorum sectione 3. circa principium: Ἄνθρακες πολλοὶ κατὰ θέρος, καὶ ἄλλα ἃ σὴψ καλέεται, ἐκθύματα μεγάλα. Et rursus lib. 6. (secundum diuisionem Græci codicis) sect. 8. Lumbos dolenti (inquit) recursus ad latus, & pustulæ quæ seps vocantur. ¶ Κατὰ δὲ τὴν αὐτοῦ τοῦ σπέρματος φύσιν (locus obscurus, quod ex abrupto citetur) ὁ καλούμενος σὴψ, καὶ τὸ τοῦ σταφυλίνου σπέρμα, Phanias, vt citat Athenæus libro 9. vnde hoc saltem apparet quòd seps plantæ cuiusdam nomen sit. ¶ Chalcidicam Ælianus, si quis inquit habeat in tritico, fore vt incorruptum seruetur: de serpente (imò lacerto) intelligat, an de pisce chalcidico, qui & chalcis dicitur, non constat, Hermolaus. Atqui Varro lib. 1. de re rustica idem hoc scribens, terræ aut cretæ genus Chalcidicam intelligere videtur, vbi de tritico condendo agit, his verbis: Quidam ipsum triticum conspergunt quum addant in circiter mille modium quadrantal amurcæ: item alius aliud affriat aut aspergit, vt Chalcidicam, aut Caricam cretam, aut absinthium. Chalcidica herba & amygdala optimè faciunt ad mellificium. Plurimum enim fœtum (γόνον) ex eis fieri aiunt, Aristot. in Mirabilibus. Est & chalcis accipitrum generis. Millepedam siue scolopendram, insectum siue vermem oblongum, pilosis pedibus, pecori præcipue nociuum, millepedam Latini. Græci scolopendram & sêpa vocant, Plinio teste (duobus locis) nec immeritò, quoniam morsum, vt idem scribit, tumor insequitur & putrescit locus. quare non placet vetus lectio, quæ *ipa* pro *sêpa* habet. ips enim aliud genus vermis est.

Millepes vermis.

CIRCA Cairum Ægypti, vesperi apparere solet parui lacerti genus muros perreptans, & muscas deuorans, quod à Græcis vulgo *Samiamitos* appellatur, ab Italis TARENTOLA, vel *terrantula* potius à terra, à veteribus CHALCIDICA LACERTA. Bellonius.

DE CHAMÆLEONTE.

A.


Nomina diuersa.

CHAMÆLEONEM Latino an chamæleontem Græco more proferas, parum interest: (ego tamen Græcorum more, quoniam dictio Græca est, chamæleontem potius dixerim:) & in recto similiter chamæleo, vt Gaza dixit, vel chamæleon. Nomen à Græcis ei datum videtur, quod aliqua ex parte leonem, grandem & ferocem bestiam, suo corpore repræsentet: sonat enim chamæleon humilem & veluti per terram repentem leonem. Simili ratione plurimas herbas ab aliqua maiorum arborum similitudine dixerunt, vt chamæcerasum, chamæcyparissum, chamædryn, chamæpityn. Cauda sanè huius animantis, leonis alcæam quodammodo repræsentat. *Harbe* vel *alharbe*, animal est quadrupes, quod Plinius chamæleontem vocat, cuius meminit Auic. 2. can. cap. harbe, Andreas Bellunen. Idem *alarbian* animal aquaticum de genere scinci (id est, crocodili terrestris) declinans ad colorem citrinum, nonnullos interpretari scribit. Auicenna lib. 2. cap. 350. de re medica, harbe vel

Cur chamæleō sit dicta.

Harbe vel alharbe.

vel harba nominat hoc animal. In historia verò animalium, Aristotelis locum de chamæleonte transferens, Credo (inquit) quod sit *halarce* vel *harcon* (sic enim habent codices impressi.) Et paulò post, Sed reuera non est ardon, sed similis ei, Hæc ille. Docent autem peritiores Hebræi *hardon* vel *hardun*, speciem esse *alzab*, id est crocodili. Dioscoridis etiam lonchitis herba ab Auicenna harbe vocatur, lonchitides duas in vnam confundente. Vetus Auicennæ glossographus *harbe* bubonem interpretatur, *alharba* lanceam, quam Græci lonchen appellãt. Serapioni in libro de simplic. cap. 421. *harbe* αἴλουρον, id est, felem, aut σίλουρον, id est, silurum piscem significat: nam quæ adfert Galeni verba, apud illum de felium carne leguntur lib. 11. Simplicium: quæ verò Dioscoridis, de siluro, lib. 2. & sanè facilis erat error, præsertim in Græcis dictionibus: nam si pro α legas σ, aut contra, αἴλουρος & σίλουρος, in se cõmutabuntur: quin & hodie excusi quidam codices Dioscoridis Græci pro Σίλουρος inepte habent αἴλουρος. Ego apud Galenum etiam errorem esse conijcio lib. 11. Simplic. & σιλούρων non αἰλούρων legendum: (apparet enim hæc verba à Dioscoride eum mutuatũ,) & Serapionem apud vtrumq; malè ælurum legisse, & vna voce transtulisse harbe: quasi æluros & chamæleon vnũ esset animal, quales multi Arabum medicorum errores sunt. כוח, *koah*, vel *koach*, Leuitici 11. R. Kimhi docet genus esse *hazab*, id est crocodili. Rabi Iona dicit Arabice vocari חרדון, *hardun*. (Auicenna *hardun* facit speciem *aldab*: vide infra hoc in capite in verbis Alberti, & in Lacerto *A.* de voce *hardun*) R. Salomõ לרזירט, id est, lacertam interpretatur, Sanctes rubetam. Chaldæus reddit *koaha*. Arabs *hardun*, Persa אן סנגא *an sanga* (*an* articulus est, *sanga* vox ad scincum alludit, qui est crocodilus terrestris.) Septuaginta & Hieronymus, chamæleon. Eadem vox koah repetitur Numeri 14. Iudæus quidam testudinem mihi interpretabatur: ego planè scincum significari crediderim. Huic finitima vox est אוח *oah* vel *oach*: Hieronymus draconem vertit, Iudæi cercopithecum exponunt: R. Isaac *koph*, id est, simiam, vel *chuldah*, id est, mustelam. Kimhi Hispanicè vocat *furon*, id est, viuerram. Syluaticus vocem *oac* salamandram interpretatur. קאת, *kaath*, in sacris literis alij aliter transferunt, cuculum Iudæi: Hieronymus mergulum, pelicanum, onocrotalum, Septuaginta pelecâna, & catarrhacten alibi, & Sophoniæ 2. chamæleontes, nimirũ vocis affinitate decepti: nam *coach* quoq; Leuit. 11. chamæleontem interpretantur. *Lilith* Hebraicam vocem alij aliud significare docent, (vt pluribus dixi in Onocentauro post Asini historiam:) sunt qui auem magnam interpretentur vento victitantem, quam vocant, גמליון, *gamalion*, quæ quidem ridicula est interpretatio: chamæleon enim quem nonnulli aere victitare falsò putant, non auis, sed quadrupes ouipara est. ¶ Χαμαιλέων, ζῶον ᾠοτόκον καὶ πεζόν, id est, Chamæleon animal ouiparum & gressile. Pro chamæleon recentiores quidam barbari corruptè scribunt *gamaleon*, *zameleon*, *aamelon*, *hamaleon*, *meleon*. Isidorus, Albertus & huius farinæ authores, chamæleontem cum salamandra & stellione ineptissimè confundunt. *Hamaleon* est animal quod nos stellionem vocamus maiorem: hoc enim est simile corporis sui figura lacertulo magno, cui etiam similis est ille crocodilus qui *hardon* Græcè vocatur, Latinè autem *hamaleon*, Albertus de animal. 2. 1. 5. Et circa finem eius capitis, cum chamæleontem ex Aristotelis verbis copiosè descripsisset, subijcit: Hoc autem animal certò est de genere stellionis, illud scilicet quòd vulgò draconem vocant, nostrates lindtwurm / hoc est vermem uliæ aut vermem syluæ. Sed hæc omnia magnam Alberti inscitiam arguunt. Peregrinum est



animal, quamobrem nullum ex alijs linguis nomen suppetit, quod Latinis etiam deest. Germanicam fingo **ein rattadex/** ex ratto mure quem magnitudine & cauda refert, & crurium altitudine (altior tamen eo) & lacerto, quem reliqua specie bona ex parte repræsentat, composito nomine, ac si murilacertum dicas.

B.

Quibus in regionibus reperiatur.

Chamæleontem & Africa gignit, quanquam frequentiorem India, Plinius. Per omnem Asiam chamæleon plurimus, Solin. Indiæ animal esse Ælianus scribit. ¶ Similis & magnitudine est (lego *figura & magnitudine*) supradicto (terrestri scilicet) crocodilo chamæleon, spinæ tantum acutiore curuatura, & caudæ amplitudine distans, Plinius. Figura totius corporis lacertam planè repræsentat: latera deorsum ducta ventri iunguntur, vt piscibus: & spina (dorsi) modo piscium eminet, Aristot. Figura & magnitudo erat lacerti (stellionis, Arnoldus) nisi crura essent recta & excelsiora: latera ventri iunguntur vt piscibus, & spina simili modo, Plinius. Animal est quadrupes, facie qua lacertæ, nisi crura recta & longiora ventri iungerentur, Solinus: apparet autem locum mutilum esse, ex Plinio & Aristot. restituendum: non enim crura in eo ventri iunguntur, sed latera. Elatior à terra est quam lacerta, Aristot. Ipse celsus, hianti semper ore, Plinius. Corpus asperum totum, vt crocodilo, Aristot. & Plin. Asperum cute, qualem in crocodilis deprehendimus, Solinus. Squamosum, Arnoldus de Villanoua. Longitudo à summo rostro ad initium caudæ, digiti septem vel octo. Proceritas siue altitudo, digiti ferè quinq;: crurum per se, tres cum dimidio. Caudæ longitudo, digiti octo vel nouem. Spina dorsi eminens & acuta, & quodammodo cristata est, per dorsum & caudam totam: iuxta quam proximè, sed humilius, vtrinq; ad singula costarum initia tuberculis eminentibus osseis, linea descendit, & per caudam quoq; extenditur vtrinq;. Quòd nisi tuberculis istis trium, quos dixi, versuum: & aliorum trium in ima parte, quæ planior est, exasperaretur, esset planè magnitudine & figura rattorum, id est, maiorum murium caudæ similis. Medius locus inter imum ventrem & summum dorsum, flexum siue angulum costarum circiter sedecim continet, ad Λ literæ Græcæ formam, sed angulo patentiore, qui retrò ad caudam spectat: repletur autem his costis totus corporis alueus, ac venter totus, integro vbiq; ambitu, vt ipse obseruaui. Mutat suum colorem inflatus. Verum & niger nõ longè dissimilis crocodilo est: & pallidus, vt lacertæ: maculis distinctus, vt pardus, nigris. Mutatur color toto in corpore: nam & oculi concolores reliquo corpori redduntur, & cauda eundem colorem accipit: pallescit cum moritur, defunctusq; colorem eundem seruat, Aristot.

De figura corporis.

Quemcunq; colorem attingit reddit, præter rubrũ & candidum.

Mutat colorem subinde, & oculis, & cauda, & toto corpore: redditque semper quemcunque proximè attingit, præter rubrum candidumque. defuncto pallor est, Plinius. Ex duobus quidem sceletis, quos habeo, alter pallidi coloris, alter nigricantis est. Color varius & in momento mutabilis, ita vt cuicunque rei se coniunxerit, concolor ei fiat: colores duo sunt quos fingere non valet, rubrus & candidus, (aliqui candidum tantum excipiunt. Marc. Verg. nos id apud Philem legimus & Suidam:) cæteros facile mentitur, Solinus. Non vno colore spectatur, sed sese furtim subducit, & videntium oculos veluti perstringit: nam nigro colore si eum offendis, mutat se ipse, ac se citò in viriditatem inuertit: alius rursus visus album colorem (hunc Plinius & Solinus ei negant) tanquam aliam personam histrio induit, Ælianus. Nullum animal pauidius existimatur, & ideo versicoloris esse mutationis, Plinius. Solinus cutim glabram & læuem speculi modo proxima æmulantem, in chamæleonte & polypo, mutationis colorum in eis causam assignat, vt in Tarando recitaui. *Id quoque quod ventis animal nutritur & aura, Protinus assimilat, tetigit quoscunq; colores,* Ouidius 15. Metam. Colores suos multifaria qualitate commutat, modo veneta, modo blattea, modo prasina, modo cyanea, Cassiodorus in epist. de chamæleonte. *Non timor, imò cibus, nimirum limpidus aer, Ambo simul vario membra colore nouant,* Io. Vrsinus. Ego tenuissimam cutem (qualem esse in sceleto animaduerti) instar tenuis laminæ corneæ colores facile reddere puto, præsertim cum neque sanguis impediat, neque viscera admodum, cum solus ferè pulmo manifestus in eo sit. Tertullianus in libello de Pallio: Hoc soli (inquit) chamæleoni datum, quod vulgò dictum est, de suo corio ludere: sentiens chamæleonem pro suo arbitrio vertere colorem cutis: Quod annotauit Des. Erasmus in prouerbio, *De alieno corio ludere*, quo in eos vtemur, qui securius agunt sed alieno periculo. Hinc etiam prouerbium, *Chamæleonte mutabilior*, Χαμαιλέοντος εὐμεταβολώτερος, quadrabit in hominem versipellem, varium, ac inconstantem, ac pro tempore sese vertentem in omnem habitum: vel, vt aliis verbis dicam, qui ad omnia commodè atque commodissimè se habeat: quod in Atheniensem Alcibiadem relatum est. Aristoteles etiam libro primo de moribus ad Nicomachum, chamæleontis vocem vsurpat ad exprimendum inconstantiæ vitium. Chamæleon ouiparorum terrestrium omnium tenuissimus est: quippe qui omnium maxime inopia sanguinis rigeat: causa ad mores animæ eius referenda est: præ nimio nanque metu multiformis efficitur. Metus enim refrigeratio per inopiam sanguinis calorisque est, Aristoteles. Plutarchus etiam meticulosum & trepidum natura hoc animal esse scribit:

Animal pauidum est, ideo versicolore.

Quæ sit mutationis colorum causa.

De suo, & de alieno corio ludere. Prouerbia. Chamæleonte mutabilior.

bit: eaq; solum de causa colorem variare, non quod consulto quicquam struere latitaréve instituat. Chamæleon singulis horis diei mutat colorem, Kiranides.

Descriptio partium corporis.

¶ Faciem habet leonis, pedes, & caudam crocodili, colorem varium, à capite vsq; ad caudam neruum vnum solidum, Idem. Carnem nusquam nisi in capite & maxillis, & postremo caudæ (περὶ ἀρχὴν τὴν τῆς κέρκου πρόσφυσιν, id est, circa principium caudæ, qua corpori committitur) admodum exiguam possidet: nec alibi sanguinem quàm in corde, & oculis, & loco à corde superiore, & venulis hinc tendentibus. Verum nec in ijs quidem vlla copia, sed pauxillum habetur sanguinis, Aristot. Caro in capite & maxillis, & ad commissuram caudæ admodum exigua: nec alibi toto corpore. Sanguis in corde & circa oculos tantum, Plinius. Corpus penè sine carne, Solinus. Membranæ in omnes ferè corporis partes multæ ac validæ, longeq; firmiores quàm in cæteris tendunt, Aristot. A medio capite retrorsum ossea pars triquetra eminet: reliqua pars antrorsum colligitur caua & quasi canaliculata, eminentibus vtrinque osseis marginibus, asperis & leuiter serratis. Cerebrum paulò superius oculis positum est, & propè ijs contiguum. Cute autem exteriore detracta oculis, quiddam lucens veluti anulus æneus tenuis, (Gaza addit, nulla pelle interceptus, Niphus pro pelle legit *palla*, quæ pars est in annulo gemmam recipiens, vt annulus sine palla intelligatur æqualis & continuus) cingit, Aristot. Oculi in recessu cauo intus recepti, prægrandes, (maiores quàm pro portione, vt in sceletis mihi apparet) rotundi, cute simili, atq; reliquum corpus obducti, media sui parte perquam exigua detecti, qua videant: quæ quidem videndi sedes nunquam cute operitur: nec pupillæ motu, sed totius oculi versatione in orbem mutationeq; quoquo versus aspicit, quæ velit, Idem. Chamæleonis oculos circumagi totos tradunt, Plinius. Et rursus, Oculi in recessu cauo, tenui discrimine, prægrandes, & corpori concolores: nunquam eos operit: nec pupillæ motu, sed totius oculi versatione circumaspicit. Subducti oculi, & recessu concauo introrsum recepti, quos nunquam nictatione obnubit. Visum deniq; non circumlatis pupillis, sed obtutu rigidi orbis intentat, Solinus. Rostrum simiæ porcariæ (χοιροπιθήκῳ) simillimum, Aristot. Eodem modo Albertus etiam legit, vel potius Auicenna quem sequitur. Plinius verò aliter: sic enim reddit, Eminet rostrum, vt in paruo haud absimile suillo. Ipse celsus, hianti semper ore, Plin. Hiatus æternus, ac sine vllius vsus ministerio: quippe cum neq; cibum capiat, &c. Solinus. Dentium & gingiuarum loco os continuum supra infraq; labra ambiens serratum est: labrum superius breuius & reductius. Gulam atque arteriam situ eodem continet, quo lacerta, Aristot. Pulmo ei portione maximus, & nihil aliud intus, Plin. Theophrastus parum abesse scribit, Plutarcho teste, quin corpus totum pulmo expleat: vnde aura viuere, & mutationibus perquam obnoxium esse conijcit. Sic enim Latinus interpres Simon Grynæus reddidit hæc verba, ὅθεν τεκμαίρεται τὸ πνευματικὸν αὐτοῦ. Non nisi in corculo pauxilli sanguinis deprehenditur, Solinus: Plinij & Aristotelis eadem de re verba paulò ante retuli. Viscera sine splene, Plin. & Solinus. Lienem conspicuum nusquam continet, Aristot. Cauda prælonga, in tenuitatem desinens, & (in vertiginem torta, Solin.) longis (viperinis, Plin.) implicata in se orbibus lori modo permultis, Aristot. Pedes singuli bipartito secantur, partesque talem inter se habent situm, qualem pollex ad manus reliquam partem obiectus: Sed ipsæ etiam reliquæ partes paulotenus in digitos quosdam finduntur: videlicet primores, triplici fissura interius, duplici exterius: posteriores interius duplici, exterius triplici, Aristot. Vola (vt sic appellem) inter digitos satis ampla est, à qua ceu calcaria quædam enata parum prominent, in posterioribus tantum cruribus. Crura recta, & longiora quàm lacertæ, sed inflexus eorum similis, Aristot. Vngues (Vnguiculi) adunci, Aristot. Plinius: hamati subtili aduncitate, Solinus. Et hæc quidem partim ex veterum, partim ex nostra obseruatione chamæleontis descriptio est, mirabilis certe animantis, & quo Aristoteles nullum ferè inter omnia diligentius descripsit. Addam etiam hic quæ Petrus Bellonius de eodem scribit his verbis.

Descriptio ex Bellonio.

Dictum est ranam ad chamæleonem hoc ipso accedere, quod in capiendo cibo eadem ferè nitatur industria. Hoc autem vt certius ex scripto ac pictura appareat, de chamæleone etiam inter aquatilia dicere instituimus, est enim paludibus etiam frequens animal. Chamæleon igitur duplex à nobis conspectus est. Alter in Arabia pusillus, lacertam viridem non excedens, colore albicante, subfuluis ac rubentibus maculis distinctus: alter in Ægypti æstuarijs frequens, corpore, duplo quàm Arabicus, maiori: colore inter indicum & viridem ambiguo, quem ex luteo in fuluum variè commutare solet: vnde versicolorem chamæleonem antiqui appellauerunt. Vterque autem chamæleon capite est cristato in camelopardalis modum, duobus vtrinque officulis in summa fronte prominentibus: lucidissimis oculis, pisi magnitudine, sola pelle contectis, vt quod ab ea extet, milij magnitudinem non excedat: admodum flexilibus, vt altero sursum aut deorsum inspiciente, alter, præter cæterorum animalium morem, aliò intentus esse possit. Iners est animal vt & salamandra, neque currere vt lacerta potest. Quamobrem hominum conspectum non refugit, nec facilè terretur, imò nec morsu hominem appetit. Arbusta conscendit ob viperarum ac cerastarum metum. Famem octo menses, atque interdum annum ferè integrum tolerat. Vnde falsò creditum est, eum nihil edere, ac vento ali. nam cum pulmonibus magnis per ventris latera exporrectis præditus sit, ventum intrò magno impetu attrahit, eoque intumescit. Foramina ad nares & auditum habet. Oris rictum amplum, maxillas dentibus serratis supra & infra communitas, quales in typhloti serpente videas. lin-

guam teretem, ſeſqui palmum longam: quam à longè in inſecta, quibus maximè veſcitur, vibrat: & mucore, quem in extremo ſpongioſum habet, muſcas, ſcarabeos, locuſtas, formicas ad ſe adducit. Lineam habet ſub ventre ſquamulis denticulatam, albam, ad caudam vſq; protenſam. adeoq; artificioſe in huius animalis pedibus natura luſit, vt anteriores eius pedes à poſterioribus maximè diſſideant. Anterioribus enim ternos intrà digitos, extrà binos: poſterioribus autem ternos extrà, intrà binos poſuit. Duodecim oua excludit, longa, lacertarum modo. Cor habet muris domeſtici magnitudine, hepatis lobos duos, quorum ſiniſter maior eſt. Folliculus fellis grani hordei magnitudinem non excedit, ſiniſtro hepatis lobo inhærens, Bellonius.

Deſcriptio altera ex Scaligero.

Hic etiam aſcribendum duxi, quæ Scaliger de eodem animali ſcribit in libro de Subtilitate ad Cardanum his verbis: Ioannes Landius in vltima Syria cum eſſet, ait, ſe vidiſſe vnum è quinque quos emerat, Chamæleonibus linguæ repentino, momentaneoq; iaculatu muſcam, quæ in eius eſſet pectore, legiſſe. Propterea illius à ſe diſſecti linguam narrabat inuentam palmi longitudine, cauam, inanem. In ſumma tanquam acetabulum cum mucco, quo prædã tolleret. Id nouum ſane iis, qui ſolo vento viuere hactenus exiſtimarunt. Dorſum ei incuruum & tanquam ſerratum. Tergus variatur maculoſis quaſi tuberculis, vt in Rhombo. Venter depreſſioribus clauiculis aſperatur. Oculi pulcherrimi, quos ſine colli flexu circumuertit. Color eſt albus eis, viridis, luteus. Naturalis viridis, admodum dilutus in tergo: at ſub ventre dilutior, albicantiq; propior. Variatur tamen totus rubris, & cæruleis, atq; albis punctis. In quoſlibet mutari colores verum non eſt. Super viridi viriditas vegetatur, ſuper luteo temperatur ad luteum. Super cæruleo, aut rubro, aut albo non vincitur viriditas natiua: ſed puncta cærulea, & rubra & alba, viuidiorem, validioremq; ſui ſpeciem dant. Super nigro ſubnigreſcunt, manet tamen tenor ille viredinis atro confuſus. Etiam haud mutato ſuppoſito colore, mutat ipſe ſuum, vel metu, vel moleſtia, aut oppreſſus aut ſolutus. Quòd aër illi pro cibo ſit aliquandiu, ex eo patet: quod & annum integrum aiunt inediam tolerare: & vbi excepit hiatu auram, & occluſit malas, turget ei venter. Etiam inueni qui diceret: obuerſum ad ſolem haurire radios, eoſq; conuerſione hiantem ſequi. Quinq; digitos in pedibus habere dicitur, quibus ſtet paſſis. Vbi teretibus incumbit ſurculis, curuare eos, atq; ramos amplecti, quo Pſittaci modo ſolent, vtrinq; binis: non vt aues cæteræ, tribus vna ex parte, vnico altrinſecus. Sic Pſittaci. At Chamæleo, quia habet impares, ternos, & binos, explicat, ac diſpertit, ſed ordine inuerſo. Namq; eos, qui in pedibus ſunt poſterioribus, ita diſponit, vt extrorſum ternos ſtatuat, introrſum binos. Anteriorum contrarius ſitus eſt. Hæc ex Landio accepi.

C.

De naturalibus corporis actionibus.

Diſſectus hic totus ſpirare præterea diu poteſt, motu admodum exiguo adhuc circa cordis ſedem extante. Et cum omnes corporis partes contrahit, tum vel maxime coſtas cogere atq; adducere poteſt, Ariſtot. ¶ Viſus ei, non circunlatis pupillis, ſed totius oculi verſatione, vt in B. dixi. ¶ Motus (inceſſus) ei piger admodum, vt teſtudinis, eſt, Ariſtot. Plin. Solinus. Audio eum per arborum ramos lento gradu reptare. ¶ Ipſe celſus, hianti ſemper ore ſolus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quàm aeris alimento, Plinius. Et alibi, Chamæleonum ſtelliones quodammodo naturam habent, rore tamen viuentes, præterq; araneis. Similis cicadis vita. (Viuunt enim cicadæ & ſtelliones rore, qui ex aere deſcendit.) Hiatus æternus, ac ſine vllius vſus miniſterio: quippe cum neq; cibum capiat, neq; potu alatur, nec alimento alio quàm hauſtu aeris viuat, Solinus. *Id quoq; quod ventis animal nutritur & aura, Protinus aſſimilat, tetigit quoſcunq; colores*, Ouidius lib. 15. Metam. Chamæleontem ſolo aere nutriri falſum eſt: quoniam interiora, vt Ariſtoteles inquit, ſimilia omnia habet lacertæ, quam non ſolo aere nutriri conſtat: quare melius puto chamæleonem rore enutriri ac viuere, vt Theophraſtus ait. Videntur autem illi decepti, quoniam longo tempore viuit ſine cibo & rore: nam propter exiguum calorem diu ſine alimento degere poteſt, Niphus. Ipſe à quodam qui viuum habuerat, cuius ſceleton mihi tradidit, audiui obſeruatum ſibi aliquoties muſcas ab eo deuorari, quas longa lingua exerta inuolutas (aut forte transfixas, vt iynx ſua lingua formicas figit) arriperet. Num quæ animalia odoribus & ſpiritu ali poſſint, diſputat Cælius Rhodig. Lectionum Antiq. 24.21. ¶ Gignunt & quadrupedes oua, chamæleontes, lacertæ, Plinius. Chamæleon animal eſt ouiparum & greſſile, Heſych. ¶ Subit cauernas, & latitat more lacertarum, Ariſtot. Hybernis menſibus latet vt lacerta, Plinius. Latet hyeme, producitur vere, Solinus.

Viſus. Inceſſus. Cibus, aer vel ros. Generatio. Verſatur in cauernis.

D.

De animi affectibus

Pauidum eſt animal. Quomodo ſeſe aduerſus ſerpentem muniat.

Nullum animal pauidius exiſtimatur, & ideo verſicoloris eſſe mutationis, Plin. Sed coloris mutationem alij in alias cauſas reijciunt, vt in B. dixi. Circa caprificos ferus, innoxius alioqui, Plin. ¶ Alexander Myndius chamæleontem contra famelici ſerpentis impetum hoc modo munire ſe ait: Feſtucam bene latam & validam mordicus tenet, ſub qua ceu clypeo ſe verſans contra hoſtem ſerpentem venit. Serpens quia feſtuca latior eſt, quàm oris hiatu ſuperari ab eo poſſit: & chamæleontis reliqua membra firmiora, quàm vt morſibus lædantur, fruſtra laborat ac ſe fatigat, Hæc Ælianus & Philes. Venenatorum ſerpentum eſſe hoſtem acerrimum chamæleonem aiunt. Is ex illis vnum quempiam ſpeculatus in vmbra captantem auras, aut in radiis apricantem, in eam ſcandit arborem, quæ illi imminet:

minet: vnde ex ore filum demittit araneorum more: in cuius fili extremo guttula sit, margaritæ splendore. Ea tactum in vertice serpentem, mori. Illud etiam admirabilius. Si ad perpendiculum nequeat filum demittere: quòd minus ad amussim respondeat ramus, in quo est, inferiori loco, vbi cubat serpens: ita filum corrigere pedibus anterioribus, atq; eius tractum temperare, vt ad lineam quasi catheton descendat. Scaliger de Subtil. ad Cardanum. ¶ Coruus occiso chamæleonte, qui etiam victori nocet, lauro infestum virus extinguit, Plinius. Chamæleo impetibilis est coraci, à quo cum interfectus est, victorem suum perimit interemptus: nam si vel modicum ales ex eo ederit, illico moritur: sed corax habet præsidium ad medelam, natura manum porrigente: nam cum afflictum se intelligit, sumpta fronde laurea, recuperat sanitatem, Solinus. Elephas chamæleonte concolore frondi deuorato (casu,) occurrit oleastro huic veneno suo, Plin. & Solin. Vis eius maxima contra accipitrum genus: detrahere enim supra volantem ad se traditur, & voluntarium præbere lacerandum cæteris animalibus, Plinius. ¶ Recentiores quidam chamæleontem animal fraudulentum, rapax, & ingluuiosum, ideoq; secundum legem impurum esse scripserunt: quodq; per aduersam valetudinem mansuetum se fingat, perquam efferatum alioquin.

Antipathia chamæleontis & corui. *Accipitri infensissimum animal.* *Fraudulentũ, rapax, ingluuiosum.*

G.

Chamæleontem peculiari volumine dignum existimauit Democritus, per singula membra desecratum, (vnde nos quædam depromemus,) non sine magna voluptate nostra cognitis proditisque mendaciis Græcæ vanitatis, Plinius. Deinde cum multa superstitiosa ex hoc animali, authore Democrito, recensuisset, addit: Felle glaucomata & suffusiones corrigi, propè creditur, tridui inunctione. (reliqua, quoniam superstitiosa videntur omnia, ad *H. e.* differo.) Chamæleontis fel tantam vim habere creditur, vt hypochyses intra triduum inunctionibus sanet, Marcellus. Galenus lib. 4. cap. 8. de compos. sec. locos medicamento cuidam ad tollendos pilos inutiles & pungentes in palpebris chamæleontis etiam fel admixtum ab Archigene meminit: qui vsus fellis huius etiam apud Auicennam legitur. Pro felle cameli fel *ascalabotæ*, id est, stellionis substituendum ad remedia legimus inter Antiballomena Æginetæ. vbi ego pro camelo *chamæleontem* potius legerim: nam cum camelo nihil commune videtur habere stellio, cum chamæleonte multa. Fel eius dulcificatum (forte cum dulci aliquo mixtum) ornat quotidianum, (forte, curat quotidianam,) Kiranides. ¶ Creduntur depilari palpebræ chamæleontis sanguine illitæ, Dioscor. & Auicenna. *Vide* infra in Ranunculo viridi. Inunctio temporum cum sanguine *harbe* animalis (vulpam ipse interpretatur, vespertilionem, ni fallor, intelligens) somnia terrifica inducit, Arnoldus de Villanoua. Lingua eius suspensa super obliuiosum, memoriam ei restituit, Idem & Rasis. Chamæleo à capite vsq; ad caudam habet vnum solum neruum solidum, qui abstractus nomine ægrotantis, & collo alligatus, opisthotonum sanat, Kiranides. Cæteræ eius partes eadem præstant quæ phocæ vel hyænæ partes, Idem. ¶ Ad comitialem, Chamæleontem in olla coquito, donec intabuerit, & oleum spissescat: consumpto autem animali, ossa ipsius selecta in locum Solis expertem reponito, ac comitialem collapsum in ventrem conuertito, oleoq; dorsum à sacro osse vsq; ad primam vertebram inungito, ac statim excitabitur: hoc vbi septies feceris, ex toto ægrum liberabis: oleum autem pyxide reponito, Trallianus. Ad podagram quæ nondum contraxit nodos, admirabile & probatum remedium: Chamæleontis caput & pedes ipsius, extimaq; pedum, vel genuum præscindito, & quæ ex dextro pede habentur, seorsim seruato: & rursus à sinistro pede extrema similiter præscindito, seruatoq; & ipsa priuatim, ac vbi duos digitos dextræ manus impresseris, pollicem & annularem vngue chamæleontis, inquinans sanguine digitorum dextræ manus extrema, dextra chamæleontis: sinistræ autem manus sanguine, sinistra animantis extrema: in exiguum canalem includito, ac gestato dextra quidem animantis extrema dextro pede, sinistra autem sinistro, vsq; dum æger curatus fuerit. At chamæleontem præcisis extremitatibus adhuc viuentem panniculo lineo puro inuolutum attingito, ad Solis exortum. Sin autem contingat manus quoq; prædicto affectu cruciari, attingito etiam manus, ac in exiguos canales indito, curabisq; ipsas: facito autem hoc Luna desinente, Trallianus.

De vsu ex chamæleonte percipiendo. *Fel glaucomata & suffusiones corrigit.* *Vsus sanguinis.* *Linguæ.* *Nerui.* *Medicamenta ex chamæleonte ad comitialẽ morbum.* *Ad podagram.*

¶ *Alharbe* (Arnoldus ex hoc loco non rectè lacertam vertit, ego chamæleontem intelligo: nam & supra lib. 2. cap. 350. de harba scribens ea quæ chamæleontis sunt, de ouo eius venenato libro 4. dictorum se promisit: quanquam alibi verspertilionem significat, vt in *A.* retuli) venenosa est, proxima stellioni: ouum quidem eius intra horæ spatium interimere fertur. Curatur autem tum huius tum stellionis (in cibum aut potum illapsi, mixtiue) venenum, cura communi, & similiter vt cantharidum, Auicenna 4. 6. 2. 5. Oua alharbe, vt quidam putant, in corpus sumpta, mortem statim inferunt, nisi remedia accelerentur. Detur igitur in potu stercus accipitris (*falconis*, Bellunen̄.) è vino, vt vomitus integer sequatur, inungaturq; corpus butyro bubulo cocto, & capiti sal cataplasmatis instar imponatur: & vescatur ficubus siccis, & oleo (aliâs butyro crudo) & gentiana. ¶ Elephas chamæleonte concolore frondi deuorato (casu, Solin.) occurrit oleastro huic veneno suo, Plin. Impetibilis est coraci (coruo, Plinius) à quo cum interfectus est, victorem suum perimit interemptus: nam si vel modicum ales ex eo ederit, illico moritur: sed corax habet præsidium ad medelam, natura manum porrigente: nam cum afflictum se intelligit, sumpta fronde laurea recuperat sanitatem, Solinus: & Plinius vt in *D.*

Remedia aduersus chamæleontis venenum.

recitaui. Ego ex hoc animali vtcunq; venenoſo, nonnullos (in Africa) paratum quoddam remedium equis exhibere audiui.

H.

Philologica. Aulici chamæleontes. Chamæleon herba.

¶ *a.* Chamæleontes aulicos nominat Budæus libro quinto de Aſſe, eos qui egregiè ſimulare norunt, & reconcinnare ſe identidem ad mores aulicæ potentiæ. Ariſtoteles Ethicorum 1. chamæleontem pro homine mutabili ponit. Per Chamæleontem verſipellem hominem ſignificari aiunt, Pierius in Hieroglyphicis. ¶ Eſt & chamæleon herba in carduorum cenſu, ſic dicta, vt Plinius ſcribit, à varietate coloris: mutat enim cum terra colores, hic niger, illic viridis, aliubi cyaneus, aliubi croceus, atq; aliis coloribus. Iſtam quidem colorum varietatem Dioſcorides nigro priuatim attribuit: vt albus forte idem nomen habeat, non quod ſimiliter colores mutet, ſed à ſimilitudine partium ſuarum cum nigro. Statuuntur enim duo hæc genera, album & nigrum, à radicis colore vocata. Miror quòd Plinius ſcribit 21. 16. chamæleontem in folijs non habere aculeos, quum res ipſa aliter nos doceat. Memini in Gallia & alibi genus quoddam cardui videre folijs diuiſis, albicantibus, amaris, non aculeatis, capitibus ſpinoſis multis ſtellatim (vt ita dicam) aut muricum ferreorum inſtar radiatis, candidis, ſed à chamæleonte diuerſum vt iudico. Plura de his carduis ſcripſi in Cane *C.* inter morbos canum. Arabes Græcum nomen ſeruant: ſcribunt enim *kameleonta, kemaliun, chamaliun. Fenuchia alkemelion*, Vetus gloſſographus Auicennæ. Arnoldus de Villanoua in Breuiario 3.21. florem chamæleontis coaguli vſum præſtare ſcribit. Atqui ſpina illa, cuius floribus in multis Galliæ locis hodie ad lac coagulandum vtuntur, ſpina alba Græcorum eſt, quod & Ruellio placuit. Chamæleontum generis eſſe dixerim *carlinam* hodie medicis appellatam, quaſi cardinam: carduus enim humilis eſt, cuius itidem duæ vel tres differentiæ ſunt. Viſcum, id eſt, humorem concretum & glutinoſum, maſtichæ aut thuri ſimilem, circa radices chamæleontis albi quandoque reperiri aiunt: & tum peculiariter chamæleontem ixiam, id eſt, viſcarium aut viſcigerum nuncupari, magiſq; venenoſum eſſe: quanquam & ſine viſco & ſimpliciter vtriq; vis venenoſa attribuatur, nigro præſertim, quamobrem ne inter corpus quidem datur, vt Galenus ſcribit: apud Aetium tamen libro 3. iſij corticem inuenio dari ad pituitam euacuandam præcipuè: cæterum libro 12. cap. 46. in antidoto purgatorio quodam *iſion* interpretatur chamæleonem nigrum. Galenus in Gloſſis Hippocratis ἰξίον, folium chamæleontis albi interpretatur. Inter nomenclaturas apud Dioſcoridem ixias cognomen tum albo tum nigro attribuitur: cum Dioſcorides circa albi tantum radices viſcum reperiri meminerit: Plinius, Ruellio teſte, circa vtrumque. Chamæleontem vtrumq; quibuſdam locis circa folia ſua dicunt viſcum emittere, Author de ſimplic. ad Paternianũ. Ferunt & nigri viſcũ, ſed quod pro maſtiche non ſit vt ex albo, Hermolaus. Nec refert an circa folia aut circa radicem dicas, quoniã folia in terra tantum ſtrata habent, circa radicẽ radiata. Coagulum hœdi remedio eſt contra viſcum & chamæleontem album, Plinius. Idem alibi ſæpe viſcum ſimpliciter pro chamæleonte viſcario nominat, ineptè quidem & imperitè. Sed hac de re plura leges in Hermolai Corollario & Caſtigationibus Plinianis, & Ruellij hiſtoria ſtirpium, &c. Chamæleon niger *vlophyton* (al. *vlophonon*, Sipontinus *buphonon* legit,) quoniam anginæ modo iuuencas necet, Hermolaus. Eſt & inter dipſaci nomenclaturas, chamæleon apud Dioſcor. Arabes chamæleontem & chamelæam, quam & *mezereon* vocant, nulla ratione confundunt: quanquam & inter Dioſcoridis nomenclaturas, Cnidios coccos tum chamelææ tum chamæleonti nigri adſcribatur, qui neutrius iſtorum, ſed thymelææ proprie fructus eſt. Crocodilion chamæleontis herbæ nigræ figuram habet, &c. Plinius.

Mygale chamæleonti ſimilis. Chamæleon. Heracleota ſcriptor.

¶ Mygale Chamæleonti ſimilis eſſe dicitur, Obſcurus: atqui mygale mus araneus eſt, qui minimum aut nihil cum chamæleonte ſimilitudinis habet. ¶ Chamæleontis Heracleotæ ſcriptoris libri diuerſi paſſim ab Athenæo citantur.

Superſtitioſi chamæleontis vſus.

¶ *e* Hunc in locum referre libuit ſuperſtitioſis quoſdam tum medicos tum alios magicos vſus ex chamæleonte, vt apud Plinium leguntur, his verbis: Caput eius & guttur ſi roboreis lignis accendantur, imbrium & tonitruum concurſus facere, Democritus narrat: Item iecur in tegulis vſtum. Reliqua ad veneficia pertinentia quæ dicit, quanquam falſa exiſtimantes, omittemus, præterquam vbi irriſu coarguendum. Dextro oculo, ſi viuenti eruatur, albugines oculorum cum lacte caprino tolli: Lingua adalligata, pericula puerperij. Eundem ſalutarem eſſe parturientibus ſi ſit domi: Si vero inferatur, pernicioſiſſimum. Linguam ſi viuenti exempta ſit, ad iudiciorum euentus pollere. Cor aduerſus quartanas illigatum nigra lana primæ tonſuræ. Pedem è prioribus dextrum, genæ pelle illigatum ſiniſtro brachio, contra latrocinia terroreſq; nocturnos pollere. Item dextram mammillam contra formidines pauoreſq;. Siniſtrum vero pedem torreri in furno cum herba, quæ etiam chamæleon vocetur, additoq; vnguento in paſtillos digeri: eos in ligneo vaſe conditos, præſtare (ſi credimus) ne cernatur ab alijs qui habeat. Armum dextrum ad vinciendos aduerſarios, vel hoſtes valere, vtique ſi abiectos eiuſdem neruos calcauerint. Siniſtrum, mirum, quibus monſtris conſecret, qualiter ſomnia quæ velis, & quibus velis mittantur, pudet referre. Omnia è dextro pede reſolui: ſicut ſiniſtro latere lethargos, quos fecerit dextrum. Capitis dolores, inſperſo vino, in quo latus alterutrum maceratum ſit, ſanari. Feminis ſiniſtri vel pedis cineri ſi miſceatur lac ſuillum, podagricos fieri illitis pedibus. Felle glaucomata & ſuffuſiones corrigi prope creditur, tridui inunctione: Serpentes fugari

ignibus

ignibus inſtillato: Muſtellas contrahi in aquam coniecto. Corpore vero illito, detrahi pilos. Idem præſtare narrant iecur, cum ranæ rubetæ pulmone illitum. Præter ea iocinere amatoria diſſolui. Melancholicos autem ſanari, ſi ex corio chamæleontis herbæ ſuccus bibatur. Inteſtina & fimum eorum, cum id animal nullo cibo viuat, cum ſimiarum vrina illita inimicorum ianuæ, odium omnium hominum his conciliare. Cauda, flumina & aquarum impetus ſiſti, ſerpentes ſoporari. Eadem medicata cedro & myrrha, illigataq; gemino ramo palmæ, percuſſam aquam diſcuti, vt quæ intus ſint omnia appareant: vtinamq; eo ramo contactus eſſet Democritus, quoniam ita loquacitates immodicas promiſit inhiberi: Palamq; eſt, virum aliâs ſagacem & vitæ vtiliſſimum nimio iuuandi mortales ſtudio prolapſum, Hucuſq; Plinius. Lingua chamæleontis geſtata cum radice herbæ chamæleontis & cynogloſſæ, obmuteſcere facit inimicos efficaciter, Kiranides. Dixerunt quidam *alharbe* (id eſt, chamæleontis) decocto ſparſo in aquam balnei, viridi colore infici illum qui immoratur in balneo illo aliquantiſper, & deinde paulatim priſtinum colorem recuperare, quod quidem ego verum eſſe non affirmârim, Auicenna 4. 6. 2. 5.

¶ *h* Chamæleonte mutabilior, Χαμαιλέοντος εὐμεταβολώτερος, prouerbium, ſupra in *B.* explicatum eſt.

¶ Alciati Emblema in adulatores: *Emblema in adulatores.*

Semper hiat, ſemper tenuem qua veſcitur auram,
Reciprocat Chamæleon,
Et mutat faciem, varios ſumitq; colores,
Præter rubrum vel candidum.
Sic & adulator populari veſcitur aura,
Hianſq; cuncta deuorat.
Et ſolum mores imitatur principis atros.
Albi & pudici neſcius.

DE CROCODILO.

A.

CROCODILVS genus non eſt, ſed ſpecies ſimplex intelligitur, vt etiam ſerpens: quod ad proximum genus anonymon eſt, Ariſtot. Atqui Palladius crocodilum lacertam quaſi generis vocabulo nominat. Et ſanè videtur omne genus quadrupedis ouipari, aut lacerti aut ranæ aut teſtudinis genere rectè comprehendi. *De nominibus diuerſis.* Hebraicam vocem, כוח *koah*, Leuit. 11. Dauid Kimhi interpretatur genus *hazab*, id eſt, crocodili, quod Arabicè *hardun* vocetur, Perſa tranſtulit *ſanga*, (quæ vox ad ſcincum, crocodilum terreſtrem accedit,) Septuaginta & Hieronymus chamæleon. צב, *zab*, Leuit. 11. crocodilum interpretatur D. Kimhi *gereſchnit*, גרשנייט: & R. Salomon, *ſaget*, פגייט, animal ſimile, *zephardea*, id eſt, ranæ, bufonem forte intelligens: quod quidam hodie congruere putant, quoniam nomen ab intumeſcendo factum ſit. Chaldæus *zaba* vertit, Perſa אן רסו *an raſu.* Septuaginta crocodilus terreſtris, (malim crocodilus ſimpliciter, quoniam additur iuxta genus ſuum,) Hieronymus ſimpliciter crocodilus. Arabes (aut Chaldæi,) pro *zab* videntur *thab* dicere: nam apud Auicennam legitur lacertum (*hardun*) eſſe *aldab*, vt Bellunenſis legit, vetus codex non rectè habet *athab*: (ego non *aldab*, ſed ſpeciem *aldab* eſſe dixerim: nam & in Chamæleonte *A. hardun* ſpeciem *alzab*, id eſt, crocodili eſſe docui ex R. Kimhi. צפרדע, *Zephardea*, Exodi 8. ſunt qui piſcem dicant, vt ſcribit R. Abraham) qui exiens è flumine rapit homines, (qui nimirum crocodilus fuerit) qui Arabicè vocetur אל תמסח *al timſach.* Ipſe magis probat ranas ſignificari. Salomon *pagulera*, פגולירא, & *grenolera*, גרינולירא: Septuaginta, Ioſephus & Hieronymus βάτραχοι, ranæ. Chaldæus *vrdeania*, עורדעניא. Arabs *Zephada*, צפאדע. Perſa *zakſaha*, צקזהא, in ſingulari *zakſe.* Chaldæus & Arabs Hebraicum nomen relinquunt, Pſalmo 78. Chaldæus ſimiliter interpretatur: Arabs *alzephada*, vt ſupra. *Laaluka*, לעלוקה, duas habet filias (clamantes) affer affer, Prouerb. 30. *Aluka* Iudæi interpretantur ſanguiſugam: Kimhi videtur crocodilum intelligere: dicit enim eſſe vermem magnum, qui iuxta fluuios reſideat, & prætereuntes homines iumentaq; capiat quorum ſanguinem exugat, Munſterus: locus is eſt de rebus quæ non ſaturantur. Crocodili quædam ſpecies vocatur *tenchea*, (de qua voce paulò mox) alia *hardon*, (de qua in Chamæleonte *A.*) alia *theſerach*, (huic ſimilis eſt Arabica *thimſach* paulò ante dicta,) Auicenna 2. 2. 1. Coruo & crocodili generi quod hardeos ſiue hardon Græci vocant, amicitia intercedit, Albertus, ſed imperitè. Ariſtotelis enim verba quæ illic tranſtulit, de cornicis & ardeolę amicitia ſunt: ardeola autem Græcè herodiòs vocatur, vnde corrupta vox *hardeos*, quam crocodili genus interpretatur, deceptus Arabicæ vocis hardon ſimilitudine. *Tiſma*, Auicennæ 2. 706. crocodilus eſt, Syluaticus. Idem alibi voces *tiſma* & *alinſa*, crocodilum exponit: Andreas Bellunenſis *altenſa*, (aliâs *temſa.*) Cum ſint multa genera crocodilorum, omnia maxillam inferiorē mouent præter *tencheam*, Albertus. Idem alibi tencheam non communem crocodilum, ſed aliam quandam ſpeciem eius in Ægypto eſſe ait, quod non probo: quæcunq; enim Ariſtoteles de crocodilo ſimpliciter, eadē omnia de tenchea ipſe (ex Auicenna nimirum) ſcribit. Addit, tenchea Ægyptiæ linguæ vocabulum eſſe. In Arſinoitica pręfectura mirum in modum colitur crocodilus, & eſt ſacer apud eos in lacu quodam ſeorſum nutritus, & ſacerdotibus manſuetus, & *ſuchus* vocatur, Strabo. Dubitet autē aliquis ſacríne tantum, an cuiuſuis crocodili nomen apud illos ſuchus ſit: ſed commune videtur vel inde quòd vox ſimilis eſt ſcincus, qua Græci crocodilum terreſtrem nominant: à qua *tinſa* etiam & ſimiles

Arabicæ prædictæ non abludunt. Crocodili Ægyptij *champsæ* (χάμψαι, si θάμψαι legeres, accederet vox ad Arabicam *temsa*) vocantur: Iones appellauêre crocodilos, illi generi crocodilorum quod apud eos in sepibus gignitur, quantum ad corporis speciem, comparantes, Herodotus. Cum legissem apud Herodotum in Euterpe, ab Ægyptijs olim *champsas* appellatos: rogaui Turcum quendã, ecquid ei nunc esset nominis? Respondit: *Kimpsac*. Iul. Scaliger. Videtur autem Herodotus loco citato per crocodilos in sepibus nascentes, scincos, id est, crocodilos terrestres, aut stelliones, aut aliud lacerti genus intelligere: vt & Varinus, aut quisquis est à quo ille desumpsit hæc verba, Crocodilus animalculum paruum est. Scribitur autem Græcè Κροκόδειλος, & quandoque Κρεκόδειλος, per enallagen literarum, Idem. Apud Paulũ Æginetam νειλοκροκοδείλους legimus, hoc est fluuiatiles è Nilo, ad differentiam terrestrium quos proximè nominarat. Δενδρίτης, crocodilus, Hesychius & Varinus. In Nilo sunt animalia quædam ad similitudinem draconis, vulgò *Cocatrix* vocant, Haithonus Armenus: subijcit autem statim crocodili descriptionem. Albertus & alij Barbari scriptores *Cocodrillum* nominant. Germani, Illyrij, & aliæ gentes, Europæ saltem, pleræq; omnes crocodili nomen retinent.



B.

Quibus in regionibus reperiantur crocodili. In Nilo. Bamboto Africæ fluuio, Darat Mauritaniæ flumine.

Crocodilum Ægyptus fert, Aristot. Crocodilum habet Nilus, terra pariter ac flumine infestum, Plinius. est enim amphibius, vt in C. dicam. Nilus hippopotamos, crocodilosq; vastas beluas gignit, Mela. Ingens eorum multitudo est in Nilo & stagnis propinquis, Diodorus Siculus. Mauritaniæ flumina crocodilos habent, Strabo. Bambotum amnis iuxta Atlantem Africæ montem, crocodilis & hippopotamis refertus est, Plinius lib. 5. cap. 1. & Solin. cap. 27. Ibidem Plinius Darat Mauritaniæ flumen memorat, in quo crocodili gignãtur. Scincos in Libya duos cubitos excedere Pausanias existimat, Hermolaus. atqui Pausaniæ locus in Atticis hic est, Aqua iuxta Atlantẽ turbida est, καὶ πρὸς τῇ πηγῇ κροκόδειλοι πήχεων (videtur numerus deesse in excusis codicibus, Hermolaus legit δυοῖν) ἦσαν οὐκ ἐλάσσους. id est, & iuxta fontẽ crocodili erant non minores duobus cubitis. (Abrahamus Lœscherus vertit, *cubito vno non minores*) accedentibus autem hominibus mergebantur in fontem. Vnde apparet Pausaniam hîc crocodilis propriè dictis, id est aquaticis vel amphibijs loqui, non autem de scincis qui terrestres crocodili sunt. In Bithynia Chalcedonis agro ferè, crocodilos minutos quodam fonte nasci qui *Azaritia* dicatur, Strabo meminit, fortasseq; pro scincis accipit, quoniam paruos esse tradat, Hermolaus simili vt supra errore lapsus. Syagro maximo totius orbis promontorio in Arabia thurifera, propinqua est insula Dioscoridis (cuius & Stephanus meminit) in qua crocodili & viperæ plurimæ sunt, Arrianus. Crocodili in Nilo & alijs quibusdam & Indiæ fluuijs versantur, Albertus. Apollonius & socij cum per flumen Indum nauigio veherentur, equos fluuiales complures ferunt sibi occurrisse, multos etiam crocodilos illis simillimos qui in Nilo reperiuntur, Philostratus.

In Bithynia. In insula Syagro Africæ promontorio propinqua. In Indiæ fluuiis.

Species duæ.

¶ Crocodilum maiorem quanquam amphibium, authores tamen (Aristoteles) sæpe fluuiatilem cognominant, ad differentiam terrestris, qui in terra tantum agit, multo minor, & scincus etiam vocatur.

catur. aliqui tamen, Plinio teste, scincum à crocodilo terrestri distinguunt, quòd cutis ei candidior ac tenuior sit, & squamarum seta à cauda ad caput versa. Crocodilus, secundum Arabes, si pepererit oua in aqua, generatur alius crocodilus (similis ei:) si verò in ripis iuxta aquam, scincus nascitur. quamobrem fertur scincum esse de semine crocodili, Andreas Bellunensis. Duo crocodilorum genera Ganges fluuius generat. horum alteri nihil nocent, alteri inexorabili atq; immisericordi in quidlibet voragine carniuori sunt. In eorum summo rostro quiddam tanquam cornu eminet, Ælianus. Plura de generibus crocodilorum dixi in A. præsertim ex Alberto seu Auicenna.

amphibius, & scincus terrestris.

Duo genera in Gange.

¶ Crocodilus lacertam per omnia refert, cauda tantum differt, Albertus. ¶ Ad cubitorum longitudinem decem interdum extenditur, Marcellinus. Ouum non maius quàm anseris edit: maximumq; animal minima hac origine euadit. crescit enim ad quindecim cubita. Sunt qui eum tandiu augeri, quandiu viuat, confirment, Aristot. Quidam hoc vnum animal (aliqui etiam vrsam, recentiores obscuri) quandiu viuat, crescere arbitrantur, Plin. Amometus in quadam Libyca vrbe dicit sacerdotes ex lacu quodam cantionum illecebris præstrictos crocodilos decem & septem cubitorum educere, Ælianus. Excretus ad decem & septem & amplius cubitos peruenit, Herodotus. Magnitudine excedit plerunq; duodeuiginti cubita, Plinius. Plerunque ad viginti vlnas magnitudine coalescit, Solinus. Isidorus quidem pleraq; ex Solino mutuatus, non vlnarum sed cubitorum viginti longitudine plerunque videri scribit. In tantam magnitudinem sæpe excrescit, vt Psammitichi Ægyptiorum regis tempore Philarchus viginti quinque cubitorum dicat visum fuisse: regnante Amaside, sex & viginti cubita excessisse, Ælianus. Albertus scribit duos à se visos, vnum sedecim cubitorum, alterum decem & octo. Ipse Viennæ vidi Venetijs aduectos complures crocodilos cubitorum sex, & tenellos etiamnum vnius cubiti, lacertis nostratibus grandiusculis admodum similes, nisi quod colore plerunq; sunt flauo, Vadianus in Melam. Petrus Martyr colorem eis flauum tribuit, sed ventrem subalbidum. Crocodilus à croceo colore dictus est, Isidorus & Arnoldus. Colorem chamæleo mutat, & niger non longè dissimilis crocodilo est, Aristot. ¶ Corpus ei totum asperum, Idē. Chamæleonti asperum cute corpus est, quale in crocodilis deprehendimus, Solinus. Crocodilo fluuiatili cutis est corticosa, contra omnem ictum inuicta, Aristoteles. Alibi etiam cortice eum tegi scribit, eoq; tam duro & rigido, vt firmior osse euadat. Herodotus pellem eis circa tergum impenetrabilem esse prodidit, Valla interprete: Græce legitur, δέρμα λεπιδωτὸν ἄῤῥηκτον. Squamis præduris ostreorum modo totus obducitur, Volaterranus. Cute est contra omnes ictus inuicta, Plin. Et alibi, crocodilis & duritia tergoris tribuitur, & solertia. Pellis eorum rugosa, (aspera, corticosa,) & adeo firma vt ea quasi clypeo muniantur, Albertus. Circundatur maxima cutis firmitate, in tantum vt ictus quouis tormento adactos, tergore repercutiat, Solin. Cutim ita validam gerit, vt eius terga cataphracta, vix tormentorum ictibus perforentur, Marcel. Venter tantum ei mollior, (quod & Petrus Martyr testatur) qua parte à delphinorum quodam genere sauciantur, vt dicam in D. Dorsum squamis durissimis, conchylij ferè duritie, vt neq; sagittis transfigi possit, armatur, Petrus Martyr. Tergum & cauda, imò tota pars prona, vt ipse obseruaui, multis corticibus subrotundis squamatim compingitur, & eminentibus ijs secundum longitudinem exasperatur. Iidem ad latera minores sunt, minusq; eminent, in ventre candicant læuesq; sunt, hoc est nihil omnino eminent. Tergum & caudam eis ab omni ictu inuictas partes, & armatas squamarum robore testis crustisve haud dissimilium: ventrem verò molli & tenui esse cute Tentyritæ sciunt, Ælianus. ¶ Crocodili (forte abundat hæc vox) vespa volans, aut sanguis crocodili, hominem noxium aut cædem (percussorem aut sanguinem) significant, Orus 2.25. vt ipse transfero: Mercerus & Trebatius interpretes aliter.

Descriptio crocodili.

Longitudo decem vel quindecim cubitorum & amplius.

Crocodilus à croceo colore dictus.

Cutis aspera.

¶ Crocodilo fluuiatili oculi sunt suis, (suilli) Aristot. & Herodotus. Oculi hebetes, Ælianus. Visus in aqua hebes, extra acerrimus, Aristot. Quadrupedes quæ oua pariunt, vt testudines, crocodili, palpebram inferiorem tantum habent sine vlla nictatione, propter oculos præduros, Plinius. Ægyptij crocodilum solum ex ijs quæ degunt in humido, à fronte tenuem ac perspicuam quandam pelliculam deducere tradunt, & visum obtegere, Cælius Calcagninus ex Plutarcho ni fallor. Lati capitis est, Kiranides. Rostro porcino, Petrus Martyr. ¶ Crocodilus fluuiatilis solus animalium maxillam superiorem mouet, Aristot. Reddit autem huius rei causam de partib. animal. 4.11. quoniam pedes ad capiendum retinendumq; inutiles habet: parui enim admodum sunt. itaque ad hunc vsum natura os ei pro pedibus vtile condidit. ad retinendum verò, vnde ictus inferri vehementius potest, inde motus commodius agitur. infertur autem vehementius desuper, quàm de parte inferiore. Ergo cum vtriusq; tum capiendi tum mordendi vsus ore administretur, magis autem necessarium retinendi officium sit, cui neq; manus sint, nec pedes idonei, commodius huic est mouere superiorem maxillam, quàm inferiorem, Hæc ille. Inferiorem maxillam solus animalium non mouet, sed superiorem inferiori admouet, Herodotus, Plinius, Solinus, Marcellinus. Vnum hoc animal superiore mobili maxilla imprimit morsum, Plinius. Cum sint multa genera crocodilorum, omnia mouent mandibulam inferiorem præter tencheam: & ideo hoc animal est fortissimi morsus, Albertus. Idem alibi visos sibi scribit duos crocodilos qui mandibulam inferiorem mouerint. Et rursus alibi crocodilum marinum (non fluuiatilem) se vidisse, maxilla inferiore mobili. Ad marini

Descriptio partium corporis.

Oculi.

Maxillæ superioris motus.

quidem crocodili differentiam Niphus etiam ab Alberto perſuaſus, crocodilum fluuiatilem aliquãdo ab Ariſtotele cognominari putat: Ego verò non quia marinus ſit vllus crocodilus, (niſi quod fortè crocodilo ſimile in mari eſt animal, alterius generis,) ſed ad differentiam terreſtris fluuiatilem ab Ariſtotele dici cenſeo. Crocodilo vnico animalium ſuperior maxilla mobilis viſitur, inferiori interim cum temporum oſſibus adeò vnita, vt ne tantillum quidem moueri queat, ipſaq́ue duos ſinus nanciſcatur, quibus ſuperior ſingulis vtrinq; tuberculis latis nec noſtris admodum diſſimilibus inarticulatur, magna ex parte lacertarum teſtudinumq́ue inferiori maxillæ eleganter reſpondens: quemadmodum etiam totus crocodilus imagine (non autem magnitudine & geniculatis caudæ tuberibus) lacertæ ſimilis viſitur, And. Veſalius.

Ligua. ¶ Crocodilus fluuiat. lingua caret, Ariſtot. Diodorus Siculus, Marcellinus. Linguam non habet, Solinus: neq; vllum eius ſignum, Albert. Soli crocodilo ex omnibus feris lingua innata non eſt, Herod. Vnum hoc animal terreſtre linguæ vſu caret, Plin. Et alibi, Crocodilis lingua tota adhæret. Aquatile genus (inquit Ariſtot. de partibus animal. 2. 17.) breui tempore ſentit ſapores, hinc fit vt pro ſui vſus breuitate linguam parum diſcretam habeant. raptim enim ſummaq; celeritate cibus ad ventrem ingeritur, quod immorari ſaporibus perfruendis nequeant, humore interlabente. Crocodilis nonnihil cauſæ ad eius partis vitiationem affert etiam immobilitas maxillæ inferioris. lingua enim inferiori annectitur maxillæ, quam illi quaſi contra habent ſuperiorem. Cæteris enim ſuperior immobilis eſt. Itaq; vt ad ſuperiorem non habent, quòd cibi aditus tollitur: ſic ad inferiorem carent, quod ſuperior quaſi translata in locum inferioris eſt. Accedit ad hæc genus vitæ, quam more piſcium agit, cum tamen ipſe terreſtre ſit. itaq; vel ob eam rem inexplanatam hanc partem habeat neceſſe eſt. Et rurſus eiuſdem operis 4. 15. Quadrupedes omnes linguam in ore continent, excepto vno crocodilo fluuiatili. hunc enim non niſi locum tantummodo linguæ habere putaueris. cuius rei cauſa eſt, quod idem & terreſtris & aquatilis quodammodo eſt. ergo vt terreſtris locum obtinet linguæ, vt aquaticus elinguis eſt.

Dentes. ¶ Dentes habet magnos exertosq;, Ariſtot. Diodorus Siculus, & Herodotus. Valla pro voce χαυλιόδοντας, reddit prominentes atque ſerratos, cum vox Græca prominentes tantum ſiue exertos ſignificet, quales in apris ſpectantur. quanquam in his duo tantum extra os eminent ſurſum: vt in talpa totidem deorſum, in crocodilis vero plures è ſuperiore maxilla deorſum prominent, ita vt etiam ore clauſo foris ſpectentur, & quidem anteriores omnes, poſtremi aliquot non item. Verum eſt tamen ſimul etiam καρχαρόδοντας eſſe, id eſt ſerratis præditos dentibus crocodilos: quanquam ſcio Ariſtotelem ſcribere nullum animal ſimul & ſerratis & exertis dentibus eſſe. Dentes crocodilo albent, feri, oblongi, Petrus Martyr. Dentes habet magnos pro portione corporis & prominentes, Herodotus. Canini dentes crocodili febres ſtatas arcent, thure repleti. ſunt enim caui, Plin. Vnũ hoc animal ſuperiore mobili maxilla imprimit morſum, aliâs terribile, pectinatim ſtipante ſe dentiũ ſerie, Plin. Solinus. Ordine dentium pectinato, pernicioſis morſibus quicquid tetigerit pertinaciter tenet, Marcellinus. Dentes eius fortiſſimi ſunt, Albertus: nec non acutiſſimi, & modicè recurui, vt in ca tulo animaduerti: Herculem Ion Chîus inquit habuiſſe dentium tres ordines, ὀδόντων τρίστιχον θέσιν, multi etiam crocodilum, quidam verò & cete, Io. Tzetzes Chiliade 3. 115. Ego nihil tale in crocodilo reperio. Dentes poſſident ſexaginta, Ælianus, & recte quidem, vt & ipſe numeraui.

Spina. ¶ Sexaginta vertebras in ſpina habent, quam totidem neruis alligatam eſſe ferunt, Ælianus.

Rictus oris. ¶ Rictus oris eius vſque ad locum aurium patet, ſi aures haberet, Albertus. Crocodilis quibuſdam in Gange fluuio in ſummo roſtro quiddam tanquam cornu eminet, Ælianus.

Lien. ¶ Crocodilus minimum habet lienem, Ariſtot. Lienem quidam putant ineſſe oua parientibus admodum exiguum: ita certè apparet in teſtudine & crocodilo, & lacertis & ranis, Plinius. ¶ Crocodilo teſtes intus adhærent lumbis, Ariſtoteles.

Cauda. ¶ Caudam habet oblongam, eadem ferè qua reliquum corpus longitudine, quod in catulo obſeruatum mihi eſt. Eam ſimiliter vt dorſum cortices validi & eminentes exaſperant muniuntq; parte prona & ad latera: nam infernè læues tenuioresq; ſunt. Crocodilus lacertam refert, niſi quod caudam non habet adeò rotundam (non ita geniculatis tuberibus diſtinctam, Veſalius,) & pinnas in eadem habet, Albertus. Ego pinnam ineſſe vidi in catulo per ſex aut ſeptem digitos extenſam vſq; ad partem poſtremam. Crocodilus (aliâs Cordula, Κορδύλη, quod magis placet, hæc enim parua ad ſilurum dici poteſt, non crocodilus) natat pedibus & cauda, quam ſimilem ſiluro habet, quoad paruum magno licet conferre, Ariſtot. Crocodilus eſt cauda breui, (longa, vt Kiranides ſcribit,) craſſa, in turbinem à corpore deſinenti, non vti in cæteris quadrupedibus, ſed vti in piſcibus cernimus: lacertis breuibus, vnguibus rapaciſſimis.

Anus. *Pedes & crura.* Vrſinas diceres crocodili manus pedesq́ue, niſi huic eſſent ſquammei, illi autem villoſi, Petrus Martyr. Non habere eum vnde egerat niſi per os, quidam tradiderunt, Idem. Crocodilum habet Nilus quadrupes malum, Plinius & alij. Ouiparis quadrupedibus, vt crocodilo, lacertæ, & reliquis generis eiuſdem, crura tum priora, tum etiam poſteriora retroflectuntur, paulum in latus vergentia, Ariſtot. Homini genua & cubita contraria: item vrſis & ſimiarum generi, ob id minimè pernicibus: oua parientibus quadrupedum crocodilo, Plin.

Vngues. ¶ Vnguibus (vnguium immanitate, Solinus) armatus eſt, Plinius. Vngues robuſtos habet, Ariſtot. & Herodotus. Quòd ſi vt armatus eſt vnguibus, haberet etiam pollices, ad euertendas quoq; naues ſufficeret, viribus magnis, Marcellinus.

Crocodilus

C.

Crocodilus quanquam ambigentis siue ambigui victus animal est, ab Aristotele tamen & alijs fluuiatilis ferè cognominatur, ad differentiam terrestris, qui perpetuò in terra degit. Terrestris & aquatilis est, Herodotus. Assuetus elementis ambobus, Marcellinus. Vita ei in aqua terraq; communis, Plinius. Quadrupes est malum, & terra pariter ac flumine infestum, Idem. In terra & in flumine pariter valet, Solinus. Crocodilus gressilis est, & degit quidem in fluido, victumq; inde emolitur: sed aerem non humorem recipit, & foris parere solet, Aristot. Humore vt nec prorsus carêre possunt, ita nisi aliquando respirant, in ipso suffocantur, Idem. Dies in terra parte maxima agit, noctes in aqua teporis ratione: tepidiorem enim aquam experitur quàm aerem, Aristot. Dies in terra agit, noctes in aqua, vtrunque ratione teporis, Plin. Plerunque diei in sicco agit, sed totam noctem in flumine, quod calidior aqua sit quàm nocturnus aer serenus & roscidus, (θερμότερον γάρ ἐστι τὸ ὕδωρ τῆς τ' αἰθρίης καὶ τῆς δρόσου,) Herodotus. Noctibus quiescit per vndas, diebus humi vescitur, confidentia cutis validissimæ, Marcellinus. Noctibus in aqua degit, per diem humi acquiescit, Solinus. ¶ Per diem in terra quiescit, & ad Solem iacet adeò immobilis, vt qui consuetudinem eius nescit, mortuum putet, Liber de nat. rerum & Albertus. ¶ Ægyptij Solis ortum significantes, geminos oculos crocodili pingunt. ἐπειδήπερ (lego, ἐπειδὴ περ) παντὸς σώματος ζώου οἱ ὀφθαλμοὶ ἐκ τοῦ βυθοῦ ἀναφαίνονται. hoc est, vt ego interpretor, Quoniam ante omne reliquum corpus oculi huius se ræ ex profundo aquæ emicant, (emergunt.) Aliter Mercerus, & aliter quàm ille Trebatius vertit, vterq; (meo iudicio) deceptus. Leguntur autem hæc in Hieroglyphicis Hori. Et rursus, Occasum significantes, crocodilum capite inclinato pingunt: αὐτότοκον γὰρ καὶ κατωφερὲς τὸ ζῶον. Trebatius ineptè vertit: Est enim hoc animal rotundum & promiscuè parit. Decepit eum vox κατωφερὴς, libidinosum aliâs significans: quæ hoc in loco idem quod κεκυφὼς est, id est capite deorsum inclinato. Mercerus quoq; non minus ineptè, Ad partum enim facile, & ad Venerem procliue est hoc animal. Atqui αὐτότοκον vox corrupta videtur, pro qua legerim κατώπιον aut κατωπὸν, vel aliquid simile. tali enim situ, (nempe capite decliuiore, aquam versus, reliquo verò corpore altiore & ab aqua auerso,) in ripis crocodilum iacere conijcio, vt facilius & promptius cùm res postulat in aquam mergatur. Et sanè cum vt Orientem significent caput eius & oculos superiore quàm reliquum corpus situ ex aqua emergentis pingant, par est ad Occidentem denotandum eo habitu pingi quo visitur cum se mergere parat. ¶ Hebetes oculos hoc animal dicitur habere in aqua, extra acerrimi visus, Aristoteles & Plin. Inter aquas cæcus, sub dio (ἐν τῇ αἰθρίῃ) perspicacissimus, Herodotus. In aqua obtusius videt, in terra acutissimè, Marcellinus & Solinus. Faba nascitur & in Ægypto spinoso caule: qua de causa crocodili oculis timentes refugiunt, Plinius. ¶ Propter breuitatem pedum piger est, Albertus. Si persequantur quempiam, vertere se non possunt, sed solum rectà procedere queunt, vnde pluribus occasio fugæ haud dubia, Cardanus. Ex cauernas subeuntibus quadrupeda eademque ouipara, (vt crocodili, lacertæ, stelliones, & testudinum genera,) omnia à latere crura adiuncta, & summam terram obradentia habent, eademq; in obliquum detorquent, quoniam ita formata vtili sunt ad commodius subeundum, & ad ouorum incubatum atque custodiam peragendam. Cum igitur extrorsum pateant, necesse est vt femoribus contrahendis, & sub se condendis toto corpore in sublime sese efferant. quod quidem corpus cum ita se moueat, fieri non potest vt crura aliter inflectantur quàm extrorsum, Aristoteles in libro De communi anim. gressu. ¶ Mensibus quatuor frigidissimis latent crocodili, nec interim quicquam edunt, Aristoteles. Quatuor menses hyemis inedia semper transmittere dicitur hoc animal in specu, Plin. Quatuor mensibus hybernis (à cœptu brumæ, Solinus) nihil omnino edit, Herodotus, Marcellinus. Crocodilus latet quadraginta dies, Suidas in φολιδωτόν. Ælianus sexaginta dies eum quotannis in latibulo sine vllo cibo quiescere prodidit, eundem numerum sexagenarium in multis etiam alijs ei attribuens. Crocodilus & testudo latibulis quidem se condunt, sed senectam non exuunt, Ælianus & Suidas in φολιδωτόν. ¶ Ægyptij cum significant tenebras, crocodili caudam pingunt. neque enim aliter ad exitium & internecionem perducit crocodilus quodcunq; apprehenderit animal, nisi cauda prius cæsum, inualidum reddiderit. nanq; in hac corporis parte præcipua est crocodili vis ac robur, Orus. Non solum homines comedit, sed & cætera terrestria animantia flumini appropinquantia vnguibus grauiter discerpit, Diod. Deuorant equos & homines, & quodcunq; animal in flumine aut super ripam inuenerint, Obscurus. Crocodilus vitulum aliquando matri (vaccæ) ereptum in fluuium defert, Syluat. Nealces asellum in littore (ripa Nili) bibentem pinxit, & crocodilum insidiantem ei, Plinius. Satiati piscibus quasi somnolenti caput ingerunt ripis, Albertus. Hunc saturum cibo piscium, & semper esculento ore in littore somno datum, trochilus parua auis inuitat ad hiandum, &c. Plinius. Canes crocodilorum metu è Nilo in transcursu tantum rapiunt potum, vnde natum prouerbium, Vt canis è Nilo bibit & fugit. Luto pascitur, Arnoldus de Villanoua. In Arsinoitica præfectura crocodilus sacer à sacerdotibus nutritur pane, carne & vino, quæ à peregrinis afferuntur ad eiusmodi spectaculum venientibus. Sunt qui placentas etiam, & carnes assas & mulsum eis afferant, Strabo. Ægyptij hominem comedentem significant crocodilo hiante picto, Orus. ¶ Crocodilus fœcunditate ex-

De naturalibus corporis actionibus.

Crocodilus ἀμφίβιος.

Ægyptij solis ortũ per geminos oculos crocodili significãt, & occasum per caput eius inclinatum.

Visus.

Incessus.

φωλεία.

Ægyptij ad significandas tenebras, crocodili caudam pingunt.

Infestatio aliorum animaliũ & voracitas.

Cibus.

Fœcunditas.

B

Incubitus & excluſio ouorũ. cedit, & ſingulis annis parit, Diodorus Siculus. Ægyptij tum aliâs, tum fœcundum ſignificantes, crocodilum pingunt. eſt enim fœcundum (πολύτεκνον) animal, Orus. Pariunt educantq́; in ſicco, Ariſtot. Teſtudines & crocodilos dicunt cum in terra partũ ediderint, obruere oua, deinde diſcedere, ita & per ſe naſcuntur & educantur, Gillius non citato authore. Illi quidem quos nos legimus, non ſponte ſed incubitu, oua crocodilorum excludi teſtantur. Oua parit in terra crocodilus excluditq́;, Herodotus. Tam terreſtres quàm fluuiatiles crocodili ſua oua terræ gremio committunt, Ariſtot. Sexaginta dies ventrem ferunt, ſexaginta oua totidem diebus ex ſeſe pariunt, totidemq́; dies hæc fouent. Curatio partus ab eiſdem ſexaginta diebus peragitur, Ælianus. Crocodili vicibus incubant mas & fœmina, Plinius. In partu fouendo mas & fœmina vices ſeruant, Solinus. Crocodili oua tempore anni (calore ſcilicet mediocri) concoquuntur & perficiuntur: vt etiam ſtirpes non germinant niſi tempus idoneum, quo concoquatur alimentum, accedat, Ariſtot. Problem. 2.26. *Oua.* Oua ſexaginta complurimum parit, maximumq́; animal minima hac origine euadit. ouum enim non maius quàm anſeris, & fœtus inde excluſus proportione eſt. Sunt qui eum tandiu augeri, quandiu viuat, confirment, Ariſtot. Parit oua quanta anſeres (quod Solinus etiam & Marcellinus ſcribunt) nec *Incrementum.* aliud animal ex minori origine in maiorem creſcit magnitudinem, Plinius. Ex omnibus cognitis animalibus hoc maximum exiſtit ex minimo: ſi quidem oua gignit haud multò maiora anſerinis, & proportione oui fœtus excluditur. excretus ad decem & ſeptem & amplius cubitos peruenit, Herodotus & Diodorus. Inter aquatilia crocodilus ex minimo maximus euadit, vt ex volucribus magna ſtruthio, ex quadrupedibus elephantus, Ælianus. Quidam hoc vnũ animal quandiu viuat creſcere arbitrantur. viuit autem longo tempore, Plinius. *Nidi vbi incubant.* Oua excluſa extra eum locum transferens, ſemper incubat, præ diuinatione quadam, ad quem ſummo auctu eo anno egreſſurus eſt Nilus. Metatur locum nido naturali prouidentia: nec alibi fœtus præmit, (vide an *promit* legendum. quanquam Plinius alibi excluſa transferri ait,) quàm quò creſcentis Nili aquæ non poſſunt peruenire, Solinus. Crocodilorum partus (inquit Plutarchus in libro Vtra anim.) cætera quidem ſimilia habet teſtudinum partui marinarum: locum verò quem excubatui deſignat quibúſnam conijciat modis, ratiocinio humano nullo deprehendi poteſt. vnde nec humanæ ſed fatidicæ cuiuſdam facultatis illam beſtiæ prædictionem eſſe putant. Nec altius enim nec inferius, ſed eo præſertim loco ponit oua, quo ſummo Nilus auctu, eo quidẽ anno terram abluturus conditurusq́; peruadet. Itaq; qui ruſticus prior incidit, locum notat, ac ſummum cæteris nunciat fluminis incrementum. Adeò vero locum commetitur, vt eo aquis operto, non opertus ipſe incubet, Hæc ille. Noſtrates ſimilia quædam de fibri domicilio ſcribunt, quod ita ſtruat, vt pars dimidia aquam contineat, altera ſupra aquam extet. quod ſi agricolæ domicilia eorum altius poſita viderint, in montibus ſerunt: ſin humilius, in vallibus. *Catuli.* Excluſis crocodili catulis quiſquis emergit protinus, nihil autem arripit eorum quæ fortè occurrerunt, ac neque vel ranam vel limacem vel feſtucam vel herbulam populatur, ore lanians, eum morſu mater repente necat: feroces contra ac ſtrenuos amat colitq́;, iudicio, quod mortalium ſapientiſſimi conſueuerunt, non amans affectu, Plutarchus in eodem libro, & Ælianus cuius verba in *D.* referam. Eſt etiam admiratio in beſtijs aquatilibus his quæ gignuntur in terra, veluti crocodili, aquatileſque teſtudines. ortæ enim extra aquam, ſimul ac primum niti poſſunt, aquam perſequuntur, Gillius. *Vere pariunt.* Crocodilorum ὠοτοκία, id eſt ouorum partus circa Nilum, vernum tempus indicat, Heliodorus. Oua plurima (Ὠῶν σωρὸν) crocod. parit: quæ vt primum excluſa ſunt, aculeatus quidam ſcorpius ab eis (ex ipſo crocodilo, Ælianus) prorepit, à quo ille letaliter ictus interit, Philes. *Scorpius ex ouis.* Crocodili multiplicarentur nimis pluribus ouis editis: ſed non niſi iuxta aquas viuere queunt: amphibij enim ſunt, & præter id iniurijs aquarum obnoxij, Cardanus. Scincus eſt *guaril* (lacertus) Nili: & putarunt aliqui hunc eſſe fœtum crocodili in campos, (terreſtrem,) Auicenna. ¶ Crocodilus longo tempore viuit, Ariſtot. & Plinius. *Vitæ longitudo.* Longitudine vitæ hominis fermè eſt, Diodorus Siculus. Annos viuit ſexaginta, Ælianus.

D.

De animi affectibus & morib. Crocodylus natura timidus, improbus, malitioſus, fallax cum ad rapinas faciendas, tum ad comparandas inſidias acerrimus & promptiſſimus exiſtit, Ælianus. Sunt qui ſubtilitatem animi conſtare non tenuitate ſanguinis putent, ſed cute operimentisq́; corporum magis aut minus bruta eſſe, &c. ceu verò non crocodilis & duritia tergoris tribuatur, & ſolertia, Plin. *Timidũ animal & improbũ.* Crocodilus diuinatione quadam oua ſua extra eum locum transferens, ad quem ſummo auctu eo anno egreſſurus eſt Nilus, ſemper incubat, vt pluribus dixi in *C.* *Quomodo legitimos catulos ſuos à ſpuriis internoſcãt.* Cum ex ſeſe pepererunt, hoc experimento legitimum ab ſpurio internoſcunt, vt ſi quid ſimulatque excluſus eſt, rapuerit, in reliquum tempus in crocodilini generis numero locoq́; à parentibus ducatur: ſin ignauia eum ipſum tardauerit, ad comprehendendam alicunde aut muſcam aut lacertulas (culicem, muſcam, aut locuſtam, Io. Tzetzes) eum parens tanquam à ſe degenerantem, nihilq́; ad ſe pertinentem lacerat: atq; tanquam ad ſolis radios aquilæ ſuorum ingenuitatem experiuntur, ſic celeri alacritate prædam capiendi ij ſuos probant, Ælianus & Plutarchus, cuius verba præcedenti capite recitaui. Idem aſpides etiam, cancros, & teſtudines in

Ægypto facere Ælianus alibi scribit. *Est in eis pietas crocodili, astutia hyænæ*, Mantuanus. In partu fouendo mas & fœmina vices seruant, Plin. & Solinus.

Pietas crocodili & astutia hyænæ.

¶ Crocodilis hiantibus trochili aues inuolantes (à carunculis quæ inhæserint, rostro) dentes depurgant. & crocodilus sentiens secum commodè agi, nihil nocet: sed cum egredi auem vult, ceruices mouet ne comprimat, Aristot. in historia anim. & in Mirabilibus. Crocodilus ita immobilis ad Solem iacet vt videatur mortuus, (somnum simulans aues hiatu suo pabuli gratia inuitat) quo tempore ei hianti auiculæ quædam dentes purgant, quas os concludens deglutit, Albertus & Author libri de nat. rerum ex Aristotelis verbis (vt apparet) non intellectis. Trochilus auicula breuis est. ea dum reduuias (reliquias. reduuias conchyliorum supra dixerat Marcellinus minutias) escarum affectat, os belluæ huiusce paulatim scalpit, & sensim scalpurigine blandiente aditum sibi in vsque fauces facit: quod enhydrus conspicatus, alterum ichneumonum genus, penetrat belluam, populatisque vitalibus, erosa, exit aluo, Solinus, & alij vt in Ichneumone recitaui. Ab omni maximè commercio abhorrens, marinorum fluuiatilium lacustriumq; omnium maxime ferus crocodilus, vltro se tam miranda cum gratia trochili congressibus præbet. Auicula trochilus est circum paludibus & fluuijs vicinos locos agitans, crocodili satelles parasitusq;, non domi, sed reliquijs huius victitare consueta. Hæc vbi stertenti crocodilo ab Ichneumone luto in hoc se pugilis instar armante, parari insidias animaduertit, aduolat, somnum discutit, voce partim, partim vellicatu rostri. Hoc ille officio sic demulcetur. patefacto deinde rictu intra fauces admittit, titillari & inter septa dentium carnes rostro leniter excerpi mirifice gaudens. cuius voluptatis cum satur est, ac os colligere iam & rictum claudere parat, inclinata paulum superiore mandibula præmonet, totam vero non ante demittit, quàm euolare trochilo quoq; collubitum videatur, Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. & Ælianus de animal. 8. 25. Crocodilus cum in aqua vitam degat, os fert introrsum hirudinibus refertum. Postquam igitur ex aqua in terram egressus est, ac deinde hiauit: semper enim ferè hoc ad zephyrum (Solis radios intuens aduersos maximè, Ælianus) facere solet: tunc in eius os trochilus penetrans deuorat sanguisugas. qua vtilitate delectatus crocodilus, nihil omnino trochilum lædit, Herodotus, Ælianus, Philes. Sed cum multa sint trochilorum genera & nomina, haudquaquam cum ijs omnibus amicitiam colit crocodilus, sed cum solo nuncupato cladoryncho, (cladarorynchum legit Hermolaus in Plinium 8. 25.) qui nulla offensione hirudines ei legere potest, Ælianus. Vlterius nauigantes, quam plurimos crocodilos ad Insularum ripas in medio Nili ad solem aperto rictu apricantes conspeximus, quos auiculæ turdi ferè magnitudinis inuolantes, post breue temporis spatium euolabant. Mihi vero eius rei occasionem inquirenti responsum fuit; faucibus ac dentibus Crocodili ex continua animalium ac piscium voratione perpetuo remanere defixæ carnis reliquias, quæ putrefacta vermiculos creat, à quibus magno cruciatu afficitur. Auiculæ autem vt inter volandum vermes conspiciunt, ijs ventrem expleturæ rictum inuolitant. At crocodilus vt vermes exesos percipit, contracto rictu volucres absorbere nititur, sed acuta quam supra caput gerunt spina punctus rictum diducit, simul ac dimittit. Leo Africanus.

Sympathia crocodili cum trochilo.

¶ Crocodili qui in paludibus manu Ombitarum factis nutriuntur, eis domestici & vernaculi sunt, & se appellantes intelligunt. Capita idcirco hostiarum eis edenda obijciunt, quod ea ipsi non comedunt, Ælianus. Alibi tamen, In Ombitis (inquit) vel Coptitis, vel Arsinoitis tutum non est aut pedes lauare, aut aquam haurire: sed neq; in ripis inambulare, nisi summa cautione, liberum est. Et rursus, Belluas etiam in eos ipsos à quibus beneficium acceperint, vehementer gratas esse, testimonio sunt vel Ægypti admodum fera animalia, feles, ichneumones, crocodili. Crocodili locis quibusdam Ægypti sacerdoti mansuetos se exhibent, propter cibi curam quæ ibi insumitur, Aristoteles. Sacerdotum clamantum non solum vocem agnoscunt, contrectariq; sustinent, sed aperto rictu purgandos manibus dentes & linteolo detergendos præbent, Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. Sæuientes semper hæ feræ, quasi pacto fœdere quodam castrensi per septem ceremoniosos dies mitescunt ab omni sæuitia desciscentes, quibus sacerdotes Memphi natales celebrant Apis, Marcellinus & Plin. Vide plura in *h.* quàm familiariter crocodili à sacerdotibus in Ægypto tractentur. Plutarchus (in libro Vtra animalium, &c.) commemorat quendam nomine Philinum, qui Ægyptum obiuerat, sibi narrasse, se in oppido Anteo (Antæi) nuncupato, aniculam inspexisse, simul cum crocodilo in lectulo dormire, eidemq; hunc porrectum adiacere, Gillius. ¶ Ægyptij rapacem aut insanum significantes, crocodilum pingunt. is enim si quando à petita rapina prohibeatur, in seipsum iratus furit, Orus. ¶ Ad hanc rationem de Nilo aquā haurientibus crocodili abstrusas insidias instruunt: nam per virgulta, quibus sunt tecti, & intuentur, & subter ea ipsa natantes, & sic operti, se ad littus magnis saltibus incitant, confestimq; ex virgultorum latebris erumpentes, aquatores dum aquam hauriunt violento raptu interceptos deuorant: quod quidem ipsum crocodilorum malitiam & fraudem facile ostendit, Ælianus. Et rursus, Ad comprehendendos homines, aliasve bestias, crocodilo hæc est malitia & veteratoria, vt quā nouerit eos in flumen descendere, vel ad aquationem, vel ad conscensionem in naues, viam ore, quod quidem ipsum multa compleuerit aqua, de nocte madefaciat, præcipitem efficere studens, quo faciliorem sibi captu prædam reddat. ij sanè

Crocodili apud Ombitas & Ægyptios domestici & mansueti.

Ægyptij rapacem aut insanum significantes, crocodilum pingunt.

Crocodili rapacitas & versutia.

quoniam lubricum gradum ſuſtinere non queant, præcipites aguntur, & crocodili impetu corripiuntur, & deuorantur.

Crocodili lachrymæ. Prouerbium.

Crocodili lachrymæ, Κροκοδείλου δάκρυα, prouerbium eſt de ijs qui ſeſe ſimulant grauiter angi incommodo cuiuſpiam, cui perniciem attulerint ipſi, cuíve magnum aliquod malum moliantur. Sunt qui ſcribant, crocodilum conſpecto procul homine, lachrymas emittere, atq; eundem mox deuorare. Alij narrant hanc eſſe crocodili naturam, vt cum fame ſtimulatur, & inſidias machinatur, os hauſta impleat aqua, quam effundit in ſemita, qua nouit aut alia quæpiam animantia, aut homines aquatum venturos, quo lapſos ob lubricum deſcenſum, neq; valentes aufugere, corripiat, correptosq; deuoret. deinde reliquo deuorato corpore, caput lachrymis effuſis macerat, itaq; deuorat hoc quoq;, Eraſmus. Crocodilus hominem quoque cum poteſt interficit, ſed eundem poſtea, vt dicunt quidam, deplangit, Albertus. Crocodilum ſolum ex brutis lachrymari quidam tradunt, Petrus Martyr. Ipſi, quorum vanitas ridetur, Ægyptij, nullam belluam, niſi ob aliquam vtilitatem, conſecrauerunt: velut crocodilum, quòd terrore arceat latrones, &c. Cicero.

Crocodili timiditas.

¶ Crocodilus omnem ſtrepitum perhorreſcit, humanam vocem contentiorem extimeſcit: eos à quibus paulò confidentius inuaditur, reformidat, Ælianus. Audax monſtrum fugacibus, vbi audacem ſenſerit timidiſſimum, Marcellinus. Tradiderunt aliqui fugere crocodilum ſi recto oculo inſpiciatur: ſequi verò ſi meticuloſum obuium ſenſerit, ac interimere, Pet. Martyr. Fugax animal audaci, audaciſſimum timido.

De Tentyritis crocodilorum victoribus.

Nec illos Tentyritæ (dicti ab inſula Tentyri quam habitant, Hermolaus) generis aut ſanguinis propinquitate ſuperant, ſed contemptu & temeritate. Vltro enim inſequuntur, fugientesq; iniecto trahunt laqueo: pleriq; pereunt quibus minus præſens animus ad perſequendum fuit, Seneca lib. 4. Natur. quæſt. In inſula Nili Tentyri naſcentes tanto ſunt crocodilis terrori, vt vocem quoque eorum fugiant, Plinius. Et alibi, Quin & gens hominum eſt huic beluæ aduerſa in ipſo Nilo Tentyritæ, ab inſula in qua habitat appellata. Menſura eorum parua, ſed præſentia animi in hoc tantum vſu mira. Terribilis hæc contra fugaces bellua eſt, fugax contra inſequentes: ſed aduerſum ire ſoli hi audent. Quin etiam flumini innatant, dorſoq; equitantium modo impoſiti, hiantibus reſupino capite ad morſum addita in os claua, dextra ac læua tenentes extrema eius vtrinque, vt frenis in terram agunt captiuos: ac voce etiam ſola territos, cogunt euomere recentia corpora ad ſepulturam. Itaq; ei vni inſulæ crocodili non adnatant: olfactuq; eius generis hominum, vt Pſyllorum ſerpentes fugantur, Hæc ille & Solinus. Tentyritæ omnibus modis crocodilum exoſum habent, inueſtigant atq; occidunt. Sunt qui dicant quod quemadmodum Pſylli apud Cyrenaicam regionem naturalem quandam vim habent contra ſerpentes, ſic & Tentyritæ contra crocodilos, vt nihil ab eis patiantur, ſed intrepidè natent, & aquam tranent, alio nemine audente. Cumque crocodili Romam allati eſſent vt viderentur, Tentyritæ eos ſequebantur. facta eſt illis piſcina quædam, & foramen in vno laterum, vt ex aqua in apricum egredi poſſent. Tentyritæ aderant, qui eos interdum rete educebant ad Solem, vt à ſpectatoribus viderentur, interdum in aquam intrantes rurſum eos in piſcinam retrahebant, Strabo. Teteryntæ (Tentyritæ) ſic nuncupati Ægyptij, qua ex parte comprehenſibilis atque expugnabilis ſit, præclare intelligunt. Etenim eius oculos, quòd ſint hebetes, planè ſciunt peropportunos eſſe ad vulnus accipiendum: atq; etiam eiuſdem ventrem, quia molli & tenui ſit cute, idcirco commode feriri poſſe. Contra vero tergum & caudam ab omni ictu inuicta ideo exiſtere, quod tecta ſint, & quaſi armata ſquammarum robore, teſtis, cruſtíſve haud diſſimilium. Ij igitur quos modo dixi populi, eos comprehendere ſoliti, tam valde ijs ipſis inimico infenſoq; animo ſunt, vt illic fluuius à crocodilis tantopere conquieſcat & liber ſit, vt fidenter ibidem natatio exerceri poſſit, Ælianus. Calepinus Tentyritas ineptè genus animalis venenoſi interpretatur.

Cur infeſtiores ſint crocodili in vno Nili loco quam in altero.

¶ De crocodilis quæ inter nauigandum ab accolis nautis noua perdidici, (inquit Petrus Martyr. lib. 3. legationis Babylonicæ) mens eſt diſſerere. Ab vrbe Cairo ad mare vſq; non ſemper noxios eſſe crocodilos referunt: ab vrbe autem aduerſo Nilo quantò altius verſus montana nauigatur, tantò violentiores ferocioresq; aqua & terris eſſe aiunt. Pleraſq; eius rei cauſas mihi interroganti adduxerunt in medium. Primum, quod ea Nili pars quæ inter vrbem & mare iacet, piſcibus tum in Nilo enutritis, tum ex mari prodeuntibus, quibus crocodili veſcuntur, ſemper abundet: proptereà piſcibus contentos, in terram illos non longe à ripa deſcendere hominibus aut quadrupedibus damna illaturos, prædicant. Cum autem & inferiores crocodili, & piſcatorum ingens multitudo, piſcium turbas ad ſuperna tranſire, quin illos retibus intercipiant, paucas patiantur: crocodili qui ſuperiores Nili partes incolunt, atrociori fame vrgentur: ita famelica rabie arreptos, in terram deſcendere illos inquiunt, adoririq; ac perimere quicquid obuium ſit. Quædam præterea præmij ſpes magnos crocodilos capientibus propoſita facit, vt multò pauciores audeant à Nili ripis longius prodire. Cuique enim ad vrbem Cairum crocodilum grandiorem afferenti, aurei nummi de fiſco præbentur decem. quamobrem crocodilis grandibus circa vrbem, vt alibi leonibus, vrſis, cæteriſque brutis animalibus violentis ac rapacibus, dulci habendæ pecuniæ ſpe multæ inſidiæ parantur. Tunc autem crocodili nocentiores ſunt, damnaq; ad vicina rura exeuntes maiora inferunt, quando redijt ad alueum Nilus: cum nanque ſint eo tempore Nili oſtia magis arenoſa, ob humiliorem aquæ in ipſis fauci-

faucibus profunditatem, minor marinorum piſcium copia per fluenta Nili aſcendit. Inde fame compulſos, cum Niliaci piſces illis ad ſaturitatem non ſuppetant, victum ipſos terra quæritare aiunt. Hîc eueniſſe prædicant accolæ, quod Nilo ad alueum deducto, ſæpe lateant in inſidijs obuoluti cœno crocodili in ripæ ora, in eorum locorum vicinia ad quæ Niliaci rurales aut oppidani fœminas aquæ hauriendæ gratia mittunt, immiſſoq; per ancillam cantharo in aquæ decurſum, crocodilum, inquiunt, tranſilire, & fœminam dentibus, quos habet rapaciſſimos, manu, qua cantharum immiſit, rapere, ac in fluuium in caput tractam dilacerare. Camelum, equum, iuuencam, & quodcunq; genus quadrupedis ei occurrit, cum in terram famelicus exit crocodilus grandior, ictu caudæ adeò acriter ferit, vt illud cruribus fractis proſternat ac demum interimat. Tanta eſt enim illius caudæ vis, vt fregiſſe quatuor vno ictu grandioris animalis crura repertus ſit aliquando. Emergit aliud imminens periculum decrementi tempore Nilum pernauigantibus. Cum enim contra Nili torrentem aſcenditur, deficiente vento, ſæpius contis quam remis agitur: nauemq; aſcendentem crocodili latenter ſequuntur: & nautam cùm crocodilus videat conto ad expungendam nauem totum fixo pectore inhærere, ictu caudæ conto acriter diſcuſſo præcipitem cadere in fluuium facit: ac vix delapſum rapit & vorat. Sponda etiam manibus apprehenſa ingreſſum plerunq; tentaſſe, aut nauim deuoluere fuiſſe conatos, aſſerunt. Tanta eſt eorum rabies fame vrgente, Hæc omnia Pet. Martyr.

Caudæ vis.

¶ Et paulò poſt, Crocodilos præterea zelotypos & amantiſſimos vxorum, aiunt Ægyptij: quod hoc experimento comprobarunt. Iiſdem ferè temporibus, quibus ego regiones illas peragrabam, nautæ quidam adnauigando cum cernerent crocodilos coeuntes in inſula Niliaca, quam fluuij decrementum ſiccam reliquerat, ad eos cum ingenti ſtrepitu ac minitantibus ſimiles deſcendunt. Inde maſculus primo impetu perterritus, relicta vxore reſupina, ſeſe præcipitem in fluuium dedit. Reſupinat enim illam maſculus, & in ventrem deuoluit: cum ipſa ob crurum breuitatem per ſe minimè queat. Atq; ita relictam eius vxorē nautæ interimunt auferuntq;. Cum verò maſculus redijſſet, vxore non reperta, conſpectoq; in arena ſanguine, peremptam & ablatam coniectatus, ad nauim aduerſo Nilo ira concitus, veluti rabidus, deſpumans natando percurrit: ratem vnguibus tenaciſſime comprehendit, omni conatu nititur ſui oblitus nautas perempturus intra nauim proſilire. Verum enim fuſtibus ac telis nautæ illum in caput alij, alij in digitos quibus ſeſe ſuſpendebat, ita concuſſerunt, vt attritis manibus, capite quaſſato, linquere prouinciam quam ſumpſerat coactus fuerit, timuêre tamen nautæ non mediocriter, Hucuſq; Pet. Martyr.

Crocodilorum zelotypia.

¶ Sui & crocodilo natura eam conciliauit amicitiam, vt impune ſues circa Nili ripas obuerſentur, neq; à crocodilis offenſam vllam patiantur, Calcagninus. ¶ Ichneumon oua crocodili inquirens conterit, nulla vtilitate ſua: nec enim comedit illa, ſed natura duce, Diodorus Siculus. Ichneumones crocodilis apricantibus inſidiantes in oris hiatum intrant, & exeſis viſceribus è ventre mortuorum egrediuntur, Strabo. Sed amica crocodilo trochilus auicula, excitat eum & admonet cum propinquum viderit ichneumonem, vt ſuperius retuli. Plura leges in Ichneumone *D.* inter quadrupedes viuiparas. ¶ Cercopitheci crocodilos oderunt, vt in ipſorum hiſtoria dictum eſt. ¶ Buffalus vulgò dictus, aut bos quidam ſylueſtris apud Parthos, crocodilum habet inimicum, quem ſi inuenerit extra aquam, conculcando proſternit, Albertus de animalib. 2. 1. 3. Et alibi, Omnibus animalibus inſidiatur crocodilus maximè, & è conuerſo crocodilum bubalus conculcat in arena. ¶ Accipitres crocodilorum hoſtes ſunt, Ælianus. ¶ Author eſt Ariſtobolus nullum piſcem ex mari in Nilum aſcendere, præter mugilem, aloſam, (thriſſam:) & delphinos crocodilorum gratia, quibus præſtantiores ſunt, Strabo lib. 17. In crocodilo maior erat peſtis, quàm vt vno eſſet eius hoſte natura contenta. Itaq; & delphini immeantes Nilo, quorum dorſo tanquam ad hunc vſum cultellata ineſt pinna, (ſpina) abigentes eos præda, ac velut in ſuo tantum amne regnantes, alioquin impares viribus ipſi, aſtu interimunt. Callent enim in hoc cuncta animalia, ſciuntq; non modo ſua commoda, verum & hoſtium aduerſa: norunt ſua tela, norunt occaſiones, parteſq; diſſidentium imbelles. In ventre mollis eſt tenuiſq; cutis crocodilo: ideo ſe vt territi immergunt delphini, ſubeunteſq; aluum illam (aliâs *illa*) ſecant ſpina, Plinius. Eſt & delphinum genus in Nilo, quorum dorſa ſerratas habent criſtas. hi delphines crocodilos ſtudio eliciunt ad natandum, demerſiq; aſtu fraudulento tenera ventrium ſubternatantes ſecant & interimunt, Solinus. Ex crocodilis præter eos qui fortuita pereunt morte, alij diſrumpuntur ſuffoſſis aluis mollibus certis ferarum dorſualibus cruſtis (criſtis, ex Solino) quas delphinis ſimiles Nilus nutrit, Marcellinus. Babillus virorum optimus perfectuſq; in omni literarum genere, rariſſimus author eſt, cum ipſe præfectus obtineret Ægyptum, Heraclitio oſtio Nili, quod eſt maximum, ſpectaculo ſibi fuiſſe delphinorum à mari occurrentium, & crocodilorum à flumine aduerſum agmen agentium, velut pro partibus prælium. Crocodilos ab animalibus placidis morſuq; innoxijs victos. His ſuperior pars corporis dura & impenetrabilis eſt, etiam maiorum animalium dentibus, at inferior mollis ac tenera. hanc delphini ſpinis quas dorſo eminentes gerunt, ſubmerſi vulnerabant, & in aduerſum emerſi (emiſſi) diuidebant. Recisis hoc modo pluribus, cæteri velut acie verſa refugerunt, Seneca lib. 4. natural. quæſtionum. ¶ Crocodili à porcis piſcibus abſtinent, qui cum rotundi ſint, & ſpinas ad caput habeant, periculum belluis afferunt, Strabo lib. 17.

Amicitia inter ſuem & crocodilum. Crocodilorum hoſtes. Ichneumones. Cercopithecus. Buffalus. Accipitres. Delphini. Porci piſces.

Scorpius.

¶ Ægyptij inimicum cum pari congredientem inimico indicare volentes, ſcorpium & crocodilum pingunt. vterq; enim alteri mutuum affert exitium. Sin verò victorem alterum, quiq; inimicum ſuſtulerit, innuant, aut crocodilum pingunt, aut ſcorpium. ſi celeriter quidem ſuſtulerit, crocodilum: ſi lentè, ſcorpium, ob eius difficilem tardumq; motum, Orus. Ab excluſis crocodili ouis mox ſcorpius prorepit aculeatus, à quo letali ictu afflictus interit, Philes. ¶ Ægyptij pro homine rapace & otioſo crocodilum pingunt cum ibidis penna in capite. hunc enim ſi ibidis penna tangas, immobilē reddes, Orus & Ælianus. ¶ Coluber eſt in aqua viuens, huius adipem & fel habentes qui crocodilos venantur, mirè adiuuari produntur, nihil contra bellua audente, (vide etiam in *E.* mox:) efficatius etiamnum ſi herba potamogeton miſceatur, Plinius. Et alibi, Potamogeton aduerſatur crocodilis: itaque ſecum habent eam qui venantur illos. Naſcitur in Ægypto faba ſpinoſa decem cubitos longa, quam crocodili fugiunt, timentes ne ſpinis oculos lædant, Creſcentienſis.

Ibidis penna.
Coluber in aqua viuens.
Potamogeton herba.
Faba ſpinoſa.

E.

De ratione interficiendi vel capiendi crocodilos.

Crocodilum Ammianus Marcellinus exitiale quadrupes malum nominat. ¶ Si perſequantur quempiam, vertere ſe non poſſunt, ſed ſolum rectà procedere queunt, vnde pluribus occaſio fugæ haud dubia. aliqui etiam gnari huius naturæ plus rationi quàm terrori immanis beſtiæ tribuentes, pluribus ictibus conuerſi, cum illa minimè flectere ſe poſſit, in latus eam conficiunt, tametſi pelle duriſſima & impenetrabili, vnde cæſim fuſte melius agitur, quàm vel punctim, aut lancea aut gladio, Cardanus. Rarò capitur, cum & incolæ quidam eum venerentur, & externis inutilis ſit labor ob carnes eſui malas, Diodorus Siculus. Capiebatur priſcis temporibus hamis, recenti carne appoſita: nunc quandoq; reti valido, prout & quidam piſces, quandoq; inſtrumento ferreo ex cimba ad caput iniecto, Idem. Suidas in Κογχύλη ſcribens vim odores tranſmittendi, non in aere ſolum, ſed etiam in aqua eſſe, ſubdit: καὶ οἱ κροκόδειλοι τῶν κρεῶν περὶ τὴν τοῦ ὕδατος ἐπιφάνειαν κρεμαμένων, ἐφέπονται αὐτοῖς. Crocodilum capiendi cum complura & multiplicia genera, (ἄγραι πολλαί:) vnum tantum hoc quod mihi maximè dignum relatu videtur, puto ſcribendum. Vbi tergum ſuillum hamo circundatum, ad alliciendum crocodilum, pertulit in medium fluminis venator, ipſe ad ora fluminis porcellum, quem viuum tenet, verberat: cuius vocem crocodilus audiens, ſecundum illam tendit, nactusq; tergum deuorat. Et poſteaquam attractus eſt, ante omnia eius oculos venator cœno opplet. Hoc acto cætera facile ſanè obtinet, alioqui cum labore adepturus, Herodotus. Tentyritæ Ægypti populi quomodo crocodilos captent, diximus iam ſupra in *D.* Enydris ſerpens eſt maſculus & albus. huius adipe perunguntur qui crocodilum captant, Plinius. Et alibi, Coluber eſt in aqua viuens: huius adipem & fel habentes, qui crocodilos venantur, mirè adiuuari produntur, nihil contra bellua audente: efficatius etiamnum ſi herba potamogeton miſceatur.

De crocodilis Gangis fluminis.

¶ Poſſum de ichneumonum vtilitate, de crocodilorum, de felium dicere, ſed nolo eſſe longior, Cicero de Nat. lib. 1. & 5. Tuſcul. Primus hippopotamum & quinq; crocodilos Romæ ædilitatis ſuæ ludis M. Scaurus temporario euripo oſtendit, Plinius & Solinus. Edita munera in quibus crocodilos atque hippopotamos, &c. exhibuit, Capitolinus in Antonino Pio. Heliogabalus hippopotamos & crocodilum habuit, Lampridius. ¶ Duo crocodilorum genera Ganges fluuius generat. Horum alteri nihil nocent, alteri inexorabili atq; immiſericordi in quidlibet voragine carniuori ſunt. In eorum ſummo roſtro, quiddam tanquam cornu eminet. Iis ipſis adminiſtris ad vlciſcendos maleficos, turpiſſimis iudicijs conuictos, Indi vtuntur. nam eoſdem rerum capitalium damnatos eis obijciunt: neque ad percutiendos eos ſecuri, laqueóve ad frangendam ipſorum ceruicem carnifice egent, Ælianus. Scripſit aliquando Aurelius Feſtiuus, ille qui Aureliani libertus fuit, Firmum Ægypti tyrannum crocodilorum adipe perunctum, inter crocodilos impune innataſſe, id quod Spartianus adnotauit: vt veriſimile ſit, immanem ſæuitia beſtiam ſui generis odore ſeductam naturæ parcere, non homini, Vadianus in Melam. Sunt qui omnem venenatam feram adipe eius perunctis abſtinere putent, vt legimus apud Aetium lib. 13. cap. 8. Plinius hoc etiam terreſtris crocodili adipi tribuit, vt eo peruncti ab aquaticis tuti ſint. Vide in Scinco *G.*

¶ Crocodilum hoc modo capiunt: Piſcatores craſſum & prolixum funem altera parte validæ arbori vel columnæ ad Nili ripam ea de cauſa ſtructæ, firmiter alligant: altera hamum ferreum cubitalis longitudinis, ac digitalis craſſitudinis, cui vel arietem vel capram nectunt, cuius balatu crocodilus ineſcatus, in ripam proſiliens, hamum cum ariete abſorbet, quo internè transfixus miris ſe modis agitat, ſolumq; diuerberat, piſcatoribus interim funem tum remittentibus, tum contrahentibus, donec tandem victus ceu exanimis concidat: tum certis haſtis gula, lacertis, coxiſq;, qua pellem habent tenerrimam perforatis, confodiunt. Leo Africanus.

¶ Eſt crocodilorum alia à quadrupedibus (inquit Petrus Martyr) in progreſſu natura. Cum enim è Nilo in terram longius proficiſcuntur, alia neſciunt regredi via, quàm per ea veſtigia quæ in arena venientes reliquerunt. propterea cum deſcendiſſe (exijſſe è flumine) crocodilum incolæ ſentiunt, celeri curſu cum ligonibus & ramorum faſcibus accurrunt: in eaq; ſemita foſſam profundam effodiunt, ac ramis illam ſuper impoſitis arena contegunt, ne rediens crocodilus inſidias ſentiat. dehinc per veſtigia crocodilum quæritant, ſic repertum ſtrepitu & lituorum æneorumq; tinnitu in fugam ver-

ſum

ſum inſequuntur. ita in foueam delabentem aut perimunt, aut laqueis irretitum ad vrbem (Cairum) portant. Diximus enim decem aureorum præmium eſſe grandes crocodilos viuos afferenti propoſitum. Paucis antequam ego adijſſem diebus, vnum allatum fuiſſe viuum mihi retulit magnus interpres, quem vix duo poſſent cameli ſimul, vti boues araturi, coniuncti tergo ſufferre. Alius eodem tempore magnæ molis crocodilus in regione quæ Nilo adiacet, nomine Saetum, tres infantes in quodam rure Niliaco è cunis raptos deglutiuit. Captus tamen, modo quo diximus capi ſolere, fuit interemptus: euulſoſq; infantes vix adhuc exanimos fuiſſe ſepultos, referebatur. Iiſdem diebus ex vtero alterius irretiti ac trucidati arietem ferè integrum voratum, ac vnà dilaceratæ mulieris manum, armilla adhuc extante ænea, ſe extraxiſſe quidam accolæ perhibebant. Habitos enim, quandocunq; curæ non eſt ad vrbem eos afferre, excoriant, cum vtile ad multa medicamenta crocodilorum abdomen eſſe didicerint: Nec deſunt etiam qui corium illorum quæritent, quod eſt adeò durum, vt neq; ſagitta transfigi poſſit. *Abdomen crocodili ad medicamenta vtile.*

F.

Crocodilus rarò capitur, cum & incolæ quidam eum venerentur, & externis inutilis ſit labor ob carnes eſui malas, Diodorus. Qui circa Elephantinam in Ægypto incolunt, quod ſacros eſſe non cenſeant, etiam comedunt, Herodotus. In vrbe Apollonis ſancitum eſt vt quiſq; de crocodilo comedat ablegata omni exceptione, Calcagninus. Apollonopolitæ crocodilos comprehenſos ex alto ſuſpendunt, & flebiliter gementes multis primum verberibus affligunt, deinde ijs conciſis veſcuntur, Ælianus. *Hazab* Leuit. 11. inter impura cibo animalia legitur, Septuaginta crocodilum terreſtrem vertunt. Plurimi in Ægypto crocodili carne veſcuntur, boniq; ſaporis aſſerunt. Leo Africanus. *De eſu crocodilorum.*

G.

Crocodili ſanguinem aliqui morſibus ſerpentium auxiliari docent, Dioſcorid. 6.39. Idem communem curationem aduerſus omnes ictus virulentos docens, Eraſiſtratus (inquit) non immeritò reprehendit eos qui incognitas ad hunc vſum facultates conſcripſerunt, vt elephanti fel crocodileve ſanguinem, &c. *Remedia ex crocodilis.* Vtriuſq; crocodili (aquatici & terreſtris) ſanguis claritatem viſus inunctis donat, & cicatrices oculorum emendat, Plinius. Crocodili ſanguis hebetudinem curat perfectè, Kiranides. *Ex ſanguine.* ¶ Si quis fixerit (lego, frixerit, vt in xylobate, id eſt ſtellione apud eundem) crocodilum, & vnxerit ſe inde, nulla vulnera vel ictus quæ receperit ſentiet, Kiranides. Crocodilus alius aquaticus, alius terreſtris eſt: corij vtriuſq; cinis ex aceto illitus his partibus quas ſecari opus ſit, aut nidor cremati, ſenſum omnem ſcalpelli aufert, Plinius. Vide in Scinco. Pellem crocodili tritam ſi quis inſperſerit membro vrendo vel incidendo, abſq; dolore fiet, Kiranides. Cor (lege, *corium*) lacertæ (ſic aliqui vocem *zab* vertunt, ſed Raſij interpres & alij, crocodili) crematum, aut (&) mixtum cum amurca olei, inunctum membro mutilando, mortificat id adeò vt ferrum non ſentiat, Arnold. *Ex corio.* ¶ Ægyptij ægros ſuos aduerſus febrium horrores crocodili adipe perungunt, Plinius. Crocodili adeps eandem facultatem habet, quam canis marini, vt in Succidaneis cum Ægineta publicatis legitur, & apud Raſim quoq;. A crocodilis morſos ipſorum adipe vulneribus impoſito, ſummopere iuuari ſcimus, Galenus ad Piſonem. Demorſos à crocodilo locos acri muria aut piſcium garo perfuſos ac fotos, adipe crocodili eliquato illinito, Aetius ex Apollonio. Ex adipe tinſa (temſa) emplaſtrum fit ſuper morſum eius, & dolor ſtatim ſedatur, Auicenna 2.706. & Raſis. Si coquatur cum aqua & aceto, & os colluatur, tollit dolorem dentium. Decoctio eius opitulatur contra morſum vermium, muſcarum, aranearum, & huiuſmodi, Idem. Adipe crocodili (ſiue terreſtris ſiue aquatici, vide in Scinco) perunctos à morſu crocodili tutos eſſe perhibent. Adeps crocodili magno apud Alcairum venditur, quem aiunt vetuſtis vulneribus & carcinomate infectis conducere, Leo Africanus. Crocodili adipem ad Gangrænas optimum tradunt, Iul. Scaliger. *Ex adipe.* ¶ Crocodili è dextra maxilla dentes adalligati dextro lacerto, coitus (ſi credimus) ſtimulant. Canini eius dentes febres ſtatas arcent thure repleti. Sunt enim caui, ita ne diebus quinque ab ægro cernatur qui adalligauerit. Idem pollere & ventre exemptos lapillos, aduerſus febrium horrores venientes tradunt, Plinius. Et alibi, Concitat Venerem dens crocodili maxillaris annexus brachio. Crocodili dentes abſtracti, eo viuo dimiſſo, in geſtante tenſionem vel erectionem (membri pudendi) excitant: (ex dextra parte in viro:) ſiniſter mulieribus. Si verò vterque adaptentur, erunt inter ſe contrarij, Kiranides. *Ex dentibus.* ¶ Fimum crocodili ad alopeciam commendatur à Sorano & Archigene apud Galenum, intelligo autem terreſtris: cuius etiam ad impetigines & alia multa vſus eſt. Vide in Scinco. *Ex Fimo.*

¶ Morſu eſt aſpero tetroq;, vt quod dentibus laceret nunquam ſanetur, Diodorus Sic. Morſus eius horribili tenacitate conueniunt, ſtipante ſe dentium ſerie pectinatim, Solinus. *vide* in *B.* Cum ſint multa genera crocodilorum, cætera mandibulam inferiorem mouent præter tencheam: & ideo hæc fortiſſimi morſus eſt, Albert. *De morſu crocodili.* ¶ Quos crocodilus momordit (inquit Aetius 13. 6.) primum quàm tutiſſimè cuſtodire oportet, in domo concluſos feneſtras non habente. Etenim ob contrariam quandam affectionem ferè in totum ſylueſtres maxime feles ad demorſos accedere conſueuerunt. Remedia autem his eadem quæ ad morſos à cane (à cane rabido,) Arnoldus de Villanoua. *De medendis morſibus crocodili.*

Morſus à crocodilo curetur ſimiliter illi, qui morſus eſt à cane non rabido, Auicenna) ac ad reliquos relata ſunt conueniunt. Propriè autem humanum ſtercus & miſy ſimul trita & impoſita ad eos faciunt. aut piſcium garum, aut carnium ſalſarum iuſculum morſui infunde. [Salſamenta (id eſt piſces ſalſos, Aggregator) ſcorpionum plagis imponere conuenit: contra crocodilorum quidem morſus non aliud præſentius habetur, Plinius.] Aut ſalem & myrrham æquali pondere in acerrimo aceto quàm tenuiſſimo contere, & cerato excepta impone. [Sal crocodilorum morſibus imponitur, tritus in linteolo & intinctus aceto, ita vt vinculis loca conſtringantur, Dioſcorid.] Aliud: Stercoris hyænæ drach. quatuor, æruginis drachmas nouem, adipis anſerini drachmas ſex, galbani drachmam vnam, ceræ drachmas octo, olei drachmas duodecim. Æruginem & ſtercus aceto terito, & liquefacta affundito. Quod ſi hyænæ ſtercus non adſit, porcino vtitor. Apollonius autem inquit, demorſos locos acrimuria aut piſcium garo perfuſos ac fotos, adipe crocodili eliquato illinito, & linamẽtis inditis obligato. Aut carnium ſalſarum pinguiores partes tuſas indito, aut melanthium cum aceti fæce tritum imponito. Hæc enim & vlcus ſerpens compeſcunt, & morſus è veſtigio ab inflammatione vindicãt. Poſt hæc autem lenticulam coctam cum melle tritam cataplaſmatis modo adhibeto. Erui verò farina cum melle ſubacta, aut iride cum melle morſum expleto. De cætero verò vlcera renutrito, & per communia auxilia ad cicatricem perducito, Hæc Aetius. Aduerſus crocodili morſus nitrum cum melle læuigatum tantiſper tum hulcus repurgetur, imponito: mox melle, butyro, medulla cerui, adipe anſerino impleto. (Eodem emplaſtro, niſi quod terebinthina additur, Aetius initio libri 13. contra hominis morſum vtitur.) Porrò Galenus teſtatur à crocodilo demorſos adipe ipſorum vulneribus impoſita, exactè periculo liberatos cognouiſſe, Ægineta. De remedio ex adipe, vide etiam ſupra in *E.* circa finem. Eruum datur contra ſerpentium ictus ex aceto, ad crocodilorum hominumq́; morſum, Plinius. Auicenna 4. 6. 4. 11. eadem quæ Ægineta ſcribit. Laudantur præterea ad crocodili morſum à Plinio, vt Aggregator citat, garum piſcium lib. 31. & ſal cum aceto, ibidem. & ſex aceti libro 23.

H.

Etymologia crocodili.

a. Crocodilus à croceo colore dictus eſt, Iſidorus. Crocodilus nominatur quod crocum timeat. nam cum ad aluearia repens terreſtris crocodilus (ſcincus) mel vorat, apiarij foris crocum apponunt, quo ille conſpecto fugit. Marinus (fluuiatilis potius vel Niliacus, Euſtathius habet ἔνυδρος, non θαλάσσιος vt Varinus) verò ſic dictus videri poteſt, quòd crocas, id eſt littora (vel arenas littorum) timeat. in terra enim pauidus eſt, Varinus, & Cælius Rhodig. 15. 21. (qui etiam crocas [& crocalas, Euſtath.] Græcis dici ſcribit calculos frequenti motu in maris littore rotundatos, quos Latini vmbilicos appellent:) & Euſtathius in Homeri Iliados λ.

¶ Epitheta. Niliacus, improbus, Nilicola, apud Textorem.

Crocodilina, quæſtio ſophiſtarum ludicra.

¶ Eſt & crocodilea ſiue crocodilina & crocodilitis vocata, quæſtio ſophiſtarum ludrica, vt prion & ceratina, Hermolaus. Sapientem formantes non modo cognitione cœleſtium vel mortalium putant inſtituendum, ſed per quædam parua ſanè, ſi ipſa demum æſtimes, ducunt, ſicut exquiſitas interim ambiguitates: non quia ceratinæ aut crocodilinæ poſſint facere ſapientem, ſed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli, Quintilianus 1. 16. De crocodiline inuenimus (inquit Politianus in Miſcellaneis cap. 55.) apud Aphthonij Græcum enarratorem Doxapatrem, quamuis apud eum crocodilites potius quàm *crocodiline* vocatur, quod & verius puto. Verba ipſius ita Latinè interpretamur. Serra, inquit, & crocodilites, ſicuti eſt in Ægyptiaca fabula. Mulier quæpiam cum filio ſecundum fluminis ripas ambulabat: ei crocodilus filium abſtulit, redditurum dicens, ſi verum mulier reſponderet. Negauit illa fore vt redderetur, atq; ob id æquum aiebat reddi, Hactenus ille. Moxque idem, Crocodiliten (inquit) hanc propoſitionem vocant, crocodili huius gratia, quam etiam πρίονα, id eſt, ſerram vocari à Græcis indicat. Adiuuat Lucianus in dialogo cui titulus Vitarum venditiones, ita fermè Chryſippum loquentem inducens, eiq; reſpondentem quempiam, qui ſe profiteatur emptorem: Conſidera igitur ita. Eſt ne tibi filius? Quorſum iſtud? Si fortè illum iuxta fluuium errabundum crocodilus inueniat rapiatq́;, dein redditurum polliceatur cum verum dixeris, vtrum reddendus ei videatur nec ne. Quid enim ſentire dices? Rem ſanè perplexam interrogas. Ex his aut arbitror (inquit Politianus) liquet etiam crocodilitem, ſicuti ſupra ceratinen, ſophiſmatos eſſe parum explicabilis ſpeciem, quo dialectici veteres, potiſſimumq́; Stoici vterentur.

ὁμώνυμα.

¶ Heſychius crocodilum etiam τύλην interpretatur. intelligo autem tomentum quo puluini & ſellæ quædam replentur. nam & κροκύδες, γνάφαλα exponuntur: & κνέφαλον (pro γνάφαλον, vt conijcio) τύλη. Κροκοδίλλην φιλύλλις εἶπε τὸ κάταγμα ἤτοι μήρυγμα, (πηνίον,) Pollux 7.9. ¶ Cum crocodillis cruſculis, Plautus: Pompeius interpretatur valde exilibus.

Crocodilus pictus quid ſignificarit.

¶ Icon. Nealces cum prælium nauale Ægyptiorum & Perſarum pinxiſſet, quod in Nilo, cuius aqua eſt mari ſimilis, factum volebat intelligi, argumento declarauit, quod arte non poterat. Aſellum enim in littore (littus dixit pro ripa) bibentem pinxit, & crocodilum inſidiantem ei, Plinius. Crocodilus in hieroglyphicis literis malum ſignificat, Diodorus Sic. lib. 4. Biblioth. Ægyptiorum alij in nauigio, alij ſuper crocodilo Solem oſtendunt, ſic innuentes Solem iter ſuum per aerem dulcem

dulcem & humidum peragendo, tempus generare, quod quidem per crocodilũ ſignificatur propter aliam quandam ſacram (ἱερατικὴν) hiſtoriam, Clemens lib.5. ϛρωματ.

Crocodilion herba.

¶ Crocodilion chamæleontis herbæ nigræ figuram habet, radice longa, æqualiter craſſa, odoris aſperi. Naſcitur in ſabuletis, &c. Plinius. Meminit & Dioſcorides, & Galenus in libro de ſimplicibus. Idem lib.2. de compoſit. medic. ſecundum locos cap. 2. mentionem facit radicis crocodiliadis maximæ, quæ locis aquoſis naſcatur. Dioſcorides crocodilion ſuum ἐνδρυμώδεσιν, id eſt ſyluoſis naſci prodidit. Quin & dipſacus apud Dioſcoridem crocodilion cognominatur: & lilium ab Oſthane auram crocodili vocitari inter nomenclaturas eidem attributas legimus.

Champſæ. κροκύδειλος. De ſerpentibus Indicis crocodilis ſimilibus.

¶ Quos Ægyptij *champſas* vocant, Iones appellauêre crocodilos, illi generi crocodilorum quod apud eos in ſæpibus gignitur, quantum ad corporis ſpeciem, comparantes, Herodotus. Eſt & κροκύδειλος, (cum acuto in antepenultima, vel ſecundum alios in vltima, & ypſilo in antepenult.) paruum animalculum apud Hipponactem, Euſtathius. Similis crocodilo, ſed minor etiam ichneumone, eſt in Nilo vocatus ſcincos, Plinius. Petrus Martyr Oceaneæ Decadis primæ lib. 3. in loco quodam Cubæ appellatæ ab Hiſpanis inuentos ait ſerpentes octo pedum in verubus ligneis appoſitos igni vnà cum piſcium libris circiter centum: quos incolæ piſcatores ceperant vt regi ſuo conuiuium pro altero rege paranti afferrẽt, & conſpectis Hiſpanis accedentibus fugientes reliquerant. Tum Hiſpani (inquit) diſcumbunt, piſcibus læti fruuntur, ſerpentes relinquunt, quos nihilò penitus ab Ægyptiis crocodilis differre affirmant, præterquam magnitudine, cum maximi eorum octo pedes non excederent. Propinquum nemus poſtmodum iam ſaturi ingredientes ex ijs ſerpentibus, arboribus funiculis alligatos complures comperêre, quorum ora alij funibus aſtricta, dentes alij euulſos habebant. Demum per interpretem cognouerunt nihil eſſe inter edulia quod incolæ tanti faciant, quanti ſerpentes illos. popularibus eos comedere minus licet, quâm apud nos phaſianos aut pauones, Hæc Petrus Martyr. Non probo autem quòd ſerpentes appellat, quos à crocodilis ſola magnitudine differre ſcribit: lacertos enim potius, quòd quadrupedes ſint, nominari oportebat. Idem Decadis ſecundæ libro ſecundo, Beraguæ prouinciæ Noui orbis flumen quoddam eſſe ait, quod Hiſpani Lacertorum flumen vocarint, quia lacertos nutriat maximos, hominibus cæteriſq; animalibus noxios, Niliacos crocodilos æmulantes.

Crocodilon oppidum Phœniciæ. Crocodilorum ciuitas in Ægypto. Crocodilus mons.

¶ Æſculapio templum conſecratum fuit in monte Libyæ circa Crocodilorum littus, vt ſcribit Hermes Triſmegiſtus in Aſclepij dialogo. ¶ In Phœnice fuit oppidum crocodilon, (crocodilorum,) Plinius 5.19. non procul à Carmelo promontorio. Crocodilorum ciuitas in Ægypto eſt, Arſinoe dicta poſtea, Strabo. Hinc dictus puto Crocodilopolitæ nomos apud Plinium. Crocodilorum vrbs ſita eſt in Mœride palude* in Ægypto, vt meminit Herodotus lib. 2. Sic autem vocata eſt quòd cum *Minas rex, (Diodorus Sic. vt interpres habet: Menes, vt Herodotus) equo vectus canes proprios perſequentes fugeret, equo in palude collapſo, ipſe à crocodilo exceptus & in vlteriorem ripam delatus ſit. quo in loco vrbe condita crocodili conſecrati & pro dijs habiti ſunt, eorumq; cæde omnibus interdictum. Ciuis, Crocodilopolites, Hæc Stephanus, cuius locum mutilum ſarcies ex Diodori Siculi de fabuloſis antiquorum geſtis lib.2. quem Pogius interpres parum commodè reddidit. ¶ Crocodilus mons eſt in Ciliciæ vel Syriæ ora, Plinius 5.27.

Superſtitioſa quædam de crocodilorum vſu.

¶ *c.* Grandini creditur obuiare ſi quis crocodili pellem, vel hyænæ, vel marini vituli per ſpacia poſſeſſionis circumferat, & in villæ aut cortis ſuſpendat ingreſſu, cum malum viderit imminere, Palladius. Corium crocodili, aut lupi claudi aut ſimiæ ſi circundetur ferendo ipſum cum coaldea, & ſuperficies eius, nunquam cadet in ea grando, Raſis. apparet autem lupum claudum ab interprete poſitum pro hyæna: nam & apud Auicennam 4. 6. 4. 9. qui locus eſt de cura morſi à cane rabido, pro *aldabha*, id eſt hyæna, interpres reddit *adabacum* claudicantem. Cæterum ſimiæ nomen ab eodem poſitum ſuſpicor pro vitulo marino, qui Græce phoca dicitur, Hebræi autem ſimiam *koph* vocant, vnde per literarum metatheſin error committi potuit.

Hiſtoria de Artemidoro grammatico.

¶ *h.* Artemidorum grammaticum Appollonius memorat nitente greſſu crocodilum in harena iacentem expauiſſe, atq; eius motu percuſſa mente, credidiſſe ſibi ſiniſtrum crus atque manum à ſerpente comeſtam, & literarũ memoria caruiſſe obliuione poſſeſſum, Cælius Aurelianus in Chronijs, capite de furore ſiue inſania.

Crocodili ab Ægyptiis culti.

¶ Ægyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes prauitatum erroribus, quamuis carnificinam potius ſubierint, quam ibim, aut aſpidem, aut crocodilum violent, Cicero. In diuerſis Ægypti locis coluntur ſcarabeus, crocodilus, feles, Plutarchus in Symp. 4. 5. *Crocodilon ab Ægy adorat Pars hæc* (Ægypti:) *illa pauet ſaturam ſerpentibus ibim*, Iuuenalis Sat. 15. Sed neq; crocodilus ſine cauſa veriſimili ac plena perſuaſionis honorem nactus eſt. Ad ſummum enim numen quandam habet imitationem, vtpote ex omnibus vnus elinguis. Neque enim ſermo diuinus voce indiget: & per mutam & ſilentem viam ac iuſtitiam aſcendens, ad vocalem iuſtitiam perducit mortalia, (καὶ δι' ἀψόφου βαίνων κελεύθου καὶ δίκης, τὰ θνητὰ ἄγει κατὰ δίκην.) Solum autem ex ijs quæ degunt in humido à fronte tenuem (λεῖον, læuem) ac perſpicuam quandam pelliculam deducere tradunt, & viſum obtegere, ita vt non viſus videat, quod primo numini planè congruit. Vbi verò crocodilus fœ-

mina pepererit, ibi terminum incrementi Nili futurum agnoſcit. Quum enim in humido partum ædere non poſſit, procul autem non auſit: id ſeruat temperamentum, vt exactè futurum incrementum præſentiat, vt à partu dum incubant & fouent oua ſimul ipſæ fluminis beneficio frui poſſint, ſimul verò & oua loco inhumecto ac ſicco cuſtodiantur. Pariunt autem (oua) ſexaginta, & totidem dies ceſſant, (ἐκλείπουσι. lego ἐκλέπουσιν, id eſt excludunt:) totidem etiam viuunt annos qui plurimum viuunt: quæ dimenſionum prima eſt ijs qui cœleſtia ſpeculantur, Hæc ferè Calcagninus in libro de Ægyptiacis, ex Plutarcho de Iſide & Oſiride. Ipſi quorum vanitas ridetur Ægyptij nullam belluam, niſi ob aliquam vtilitatem conſecrauerunt, velut ibin, quòd maximam vim ſerpentium conficiat: crocodilum, quòd terrore arceat latrones, Cicero. Crocodilos admirantur multi, cum homines interficiãt ædantq; rem pernicioſam mortalibus, quur lege vt pro dijs colantur, fuerit ſancitum. Sed videntur toti patriæ ſecuritatem afferre, non tantum Nilus, ſed & qui in eo ſint crocodili. Quos Arabiæ Libyæque latrones veriti, non audent flumen tranſire populatum. Affertur & alia ab hiſtoricis huius beſtiæ colendæ ratio. Nam regem quem Minam (Menem, Herodotus lib. 2.) dixêre, cum ſui canes perſequerentur, fugiſſe aiunt in Mœridis (alij *Miridis* vel *Muridis* legunt, neutrum probo) paludem, ibiq; (collapſo in palude equo quo vehebatur, ipſum, vt Stephanus habet) ſuſceptum à crocodilo, mirabile dictu, in continentem fuiſſe delatum. Igitur vt gratiam animali redderet: condita ciuitate paludi propinqua, quam crocodilorum appellauit, mandaſſe accolis, vt pro deo ea beſtia coleretur, paludemq; in earum cibum vouiſſe, Diodorus Siculus de fabuloſis antiquorum geſtis lib. 2. Pogio interprete qualicunq;. In Arſinoitica præfectura (inquit Strabo lib. 17.) mirum in modum colitur crocodilus, & eſt ſacer apud eos in lacu quodam (Mœridis ſcilicet) ſeorſum nutritus, & ſacerdotibus manſuetus & ſuchus vocatur. Nutritur autem pane, carne & vino, quæ à peregrinis afferuntur ad eiuſmodi ſpectaculum venientibus. Hoſpes itaque vir inter alios honoratiſſimus, qui nobis ſacra commonſtrabat, ad locum veniens, placentulam, & carnem aſſam, & quodam mulſi vaſculum ex cœno attulit. Beluam in ripa lacus inuenimus, ex ſacerdotibus alij eius os aperuerunt, alius bellaria impoſuit, poſtea carnem, deinde mulſam iniecit. Ille in lacum exiliens in vlteriorem partem traiecit. Sed cum alius hoſpes aduenisſet, & ſimiliter primitias attuliſſet, curſu lacum circumeuntes itidem inuento crocodilo obtulerunt, Hæc ille. Et alibi, Arſinoitæ crocodilos colunt, & propterea foſſam habent crocodilis plenam, & Mœridis lacum. nam & eos colunt, & ab eis abſtinent. Crocodilos ſacros admodum eſſe exiſtimant qui circa Thebas & Mœrios (Μοίριος) ſtagnum incolunt: quorum vtrique vnum ex omnibus crocodilis alunt cicurem & edoctum manu tractari, appendentes eius auribus vel gemmas, vel ex auro fuſiles inaures (ἀρτήματα λίθινα χυτὰ καὶ χρύσεα:) & primoribus pedibus catenam (ἀμφιδέας, armillas) innectentes: cibaria quoq; accommodata ac ſacra (ἱρήϊα) præbentes, conſectantur tanquam pulcherrimè viuentem, (tanquam homines delicatos curant.) Vbi mortem obijt, ſale conditum (ταριχεύσαντες) ſacris in vrnis ſepeliunt, Herodotus. Coptitæ (qui Coptum incolunt in Ægypto,) accipitres vt crocodilorum hoſtes odio adducti ſæpe in crucem agunt. Iidem ob ſimilitudinem quam cum aqua crocodilis eſſe affirmant, crocodilos diuino honore afficiunt, Ælianus. Ab aſpidibus & crocodilis morſos felices & deo dignos arbitrantur Ægyptij, Ioſephus lib. 2. contra Appionem. Crocodilorum colentes Ombitæ Ægyptij populi, ſic hos dierum celebratione dignantur, quemadmodum magnificentiſſima celebramus Olympiæ certamina. A crocodilis ſuos liberos rapi mirificè gaudent, & matres ex eo magnam lætitiam voluptatemq; capiunt: & ſimul magnificè, & amplè de ſe ſentiunt, quæ nimirum deo cibaria pepererint, Ælianus. Volaterranus quidem hæc eadem ex Æliano de Ombitis pariter & Coptitis ſcribit. Quàm familiariter à ſacerdotibus in Ægypto crocodili tractentur, ſcripſi quædam ſupra in D. Amometus in quadam Libyca vrbe dicit ſacerdotes ex lacu quodam cantionum illecebris præſtrictos crocodilos decem & ſeptem cubitorum educere. De crocodilis hanc etiam auditionem ex Ægyptijs accepi, ſacros eſſe, & manſueſcere, & à miniſtris ſe facile contrectari ſuſtinere, & ſibi fruſta eſculenta in dentes inſita, extrahentibus patulum os præbere, atque antiquiores & præſtantiores diuinatione pollere, Ægyptij ferunt: idq; Ptolemæi teſtimonio comprobant: eum ſanè cum ex crocodilis antiquiſſimum & præſtantiſſimum appellaret, non exauditum fuiſſe: cum cibaria ei comedenda obieciſſet, reieciſſe: inde ſacerdotes collegiſſe, ex Ptolemæo idcirco crocodilum, quòd eum vicinum ad moriendum prænoſceret, cibum capere noluiſſe, Ælianus. Eadem ferè apud Plutarchum leguntur in libro Vtra animalium, &c. Quidam apud Heliodorum in Æthiopicis (initio lib. 6.) cum vidiſſent crocodilum à dextra in læuam ferri, & in alueum fluminis Nili celere impetu ſe condere, nihil commoti ſunt hoc ſpectaculo tanquam eis familiari & vſitato, Calaſiris tamen impedimentum aliquod circa iter eis obuenturum monebat. Cnemon verò vehementer perturbatus eſt, quòd non exactè ipſum animal, ſed humilem quandam & obſcuram eius vmbram videre ſibi viſus fuiſſet, Hæc ille. ¶ Apollinis ciuitas in Ægypto crocodilis eſt inimica, Strabo. Neminem dicuntur lædere diebus ijs quos Apis natales habet, Calcagninus. Apollonopolitæ comprehenſos ex alto ſuſpendunt, atq; eos primum flebiliter gementes, permulta verberatione affligunt, deinde ijs conciſis veſcuntur, Ælianus. Et rurſus, Apollonopolitæ eiuſmodi beſtiam oderunt, quòd dicant,

Crocodilos diuinatione pollere ferunt Ægyptij.

Apud quos in Ægypto non ſint ſacri crocodili.

Typho-


Typhonem eius formam induisse. Alij non ob eam causam, sed quòd Psamniti regis iustissimi viri filiam crocodilus rapuerit, eius cladis recordatione suos posteros vniuersam eorum nationem odisse. In vrbe Apollinis sancitum est, vt quisque de crocodilo comedat ablegata omni exceptione: venantesque ac enecantes quotquot possunt è crocodilis è regione templi proponunt, asserentes quòd Typhon factus crocodilus Horum aufugerit: omnia denique animalia infesta, omnes affectus improbos, omnes motus pestilentes Typhoni imputant, Calcagninus. Qui circa Elephantinam vrbem incolunt, quòd sacros esse non censeant crocodilos etiam comedunt, Herodotus. Est in Ægypto Herculis ciuitas, vbi ab Heracleotis coluntur ichneumones qui crocodilis & aspidibus (vide in Ichneumone *D.*) perniciem inferunt, Strabo. Tentyritæ populi (de quibus plura scripsi supra in *D.*) crocodilum reijciunt, captumq; arbore suspendunt: & multis prius affectum verberibus postmodum comedunt, Textor. Iidem (Æliano prodente) accipitres vt crocodilorum hostes sanctissimè colunt.

¶ Prouerbia. Crocodili lachrymæ, Vide supra in *D.* ¶ Vt canis è Nilo bibit & fugit, (metu scilicet crocodilorum:) Vide inter prouerbia ex Cane. Certum est canes iuxta Nilum amnem currentes lambere, ne crocodilorum auiditati occasionem præbeant, Plinius. *Prouerbia.*

DE CROCODILO NILOTICO.


CROCODILVS, nomine ac forma omnibus ex æquo notissimus: Niloticum animal est, amphibium, quadrupes, lacertosi generis: ouiparum, pisciuorum, ex parua origine in maximam molem crescens: dentibus longis, exertis, pectinatim vtriq; maxillæ infixis, quarum superior tantum moueri conspicitur: lingua pro corporis magnitudine adeò exigua, atq; inferiori maxillæ ita inhærente, vt solum eius vestigium esse credas. Illi noctu diuq; insidiantur indigenæ, eiusq; cutim salitam ac tomento conditam nostris mercatoribus diuendunt. Ea est rugosa, multis in tergo tuberculis armata, subtus læuis, sursum verò sessilibus squamis aspera, ingenti cauda prædita, coloris vndecunque cinericij à qua vasta ac breuiora crura emanant: pedibus in quinos digitos diffissis, robustissimis ac prælongis vnguibus communitis, quibus terrestria animalia, atq; adeò humana corpora discerpere creditur. Huius figuram multa veterum numismata referunt, multæq; vrbes pellem eius ad insignem plebis admirationem, in palatiorum eminentioribus locis collocant: cuiusmodi Lutetiæ in plærisq; sacris ædibus, atq; adeò aula forensi maiore videmus, Bellonius.

DE CROCODILO TERRESTRI, Ægyptiaco vel Arabico.




CROCODILI genus terrestre, haud ita procerum, Ægypto atque Arabiæ peculiare, reliquis animalibus infensum, lacertam prouectiorem ac maximam esse dixeris: à qua tamen præter duritiem ac cutis firmitudinem hoc distat, quod caput crurumq; articulos, atque adeò pedum digitos squamosos gerat. Verumetiam à Nilotico crocodilo hoc differt, quod caudam habeat in clauæ modum tuberculis elatioribus asperam: qua corpora quibus insultat, atrocissime diuerberare creditur, Bellonius. Hoc animal, ni fallor, pharmacopolæ quidam in Italia ostentant, & *caudiuerberam* nuncupant.

DE CROCODILO TERRESTRI BRESILIENSI.



HÆc Crocodili terreſtris ſpecies hactenus nobis ignota, nuper ex Breſilia in noſtrum orbem allata fuit, talis figuræ, qualis hic ponitur. Longitudo eius vlna maior, latitudo decem digitorum tranſuerſorum, tibiæ anteriores decem digitos, poſteriores octo longitudine æquat: caudam prælongam albis & fuſcis notis diſtinctam gerit. Corpus totum multis paruis, ſplendidis & æqualibus ſquammis tegitur, quæ medio ventre maiores & albæ ſunt. Aquæ impatiens eſt, ita vt ſi quis in os aquam infundat, ſtatim moriatur. Venenatus non eſt, ſed à quouis ex cauis effoditur, capitur, ac in cibum ſumitur: nec alius eſt carnis eius guſtus quàm teſtudinis. Si poſt duos vel tres dies occiſus igni vel calori admoueatur, non aliter mouetur, ac ſi nouiſſime interfectus eſſet.

DE SCINCO, quem & CROCODILVM terreſtrem vocant.



A.

De nominibus varijs huius animantis. SCORPIONES ſcinci lacertiq; vermibus non ſerpentibus adſcribuntur, Solinus cap. 30. Ego verò hæc animalia ἑρπετὰ, id eſt reptilia, non σκώληκας, id eſt vermes, rectè appellari dixerim. Scincum Dioſcorides eundem terreſtri crocodilo eſſe ſcribit. hinc & crocodileam fimum eius appellant, de terreſtri non aquatico crocodilo intelligentes. Auicenna confundit. Ex eadem (crocodili) ſimilitudine eſt ſcincus, quem quidam terreſtrem crocodilum eſſe dixerunt, candidiore autem & tenuiore cute. Præcipua tamen differentia dignoſcitur à crocodilo, ſquammarum ſeta à cauda ad caput verſa, Plinius. Ego ſcincos quoſdam lacertis ſimiles, ac magnitudine ferè æquales, qui ex Ægypto afferuntur, vidi, cute quidem quàm crocodilorum candidiore tenuioreq;, ſquammas verò, vt Plinius inquit, à cauda ad caput verti non potui in eis animaduertere, cum tamen veros illos ſcincos eſſe non dubitem. Quamobrem conijcio tria ſaltem genera crocodili ſtatuenda: vnum aquaticum, qui ſimpliciter ita nominatur: & duo terreſtria, vnum cognitum nobis, quod ſcinci nomine ex Ægypto adferri hodieq; dixi: & tertium nobis ignotum, cuius ſquamæ ad caput vertantur. Non probant Bellunenſis ſententiam, qui in Meſuen commentarios ædiderunt monachi, nempe ex ouis crocodili in aqua æditis, crocodilum naſci: ex ijſdem in ripa iuxta aquam, ſcincum. Atqui hoc non aſſerit Bellunenſis, ſed ſecundũ Arabes ita exiſtimari ſcribit: & propterea (inquit) dicitur quod ſcincus ſit de ſemine crocodili. Certum eſt tamen crocodilum nunquam oua ſua in aqua parere, ſed ſemper in ſicco. Græcè σκίγκος ſcribitur, ab illiteratis quibuſdam pharmacopolis & alijs *ſtincus*, quod nomen etiam pro ſchino, id eſt lentiſco aliquando ineptè ponitur in Arabum libris. Apud Nicolaum Myrepſum etiam in Græco codice alicubi σίγκ pro σκίγκϐ ſcribitur. Albertus lib. 24. de aquaticis animalibus agens, ſcincos cum ſciuris confudit: & mox cum de ſtella marina agere debebet, vbi ſturitus ſcribitur, aliâs ſtincus (vtrunque ineptè pro aſter, id eſt ſtella) vim ciendæ Veneris vehementem ei tribuit, quæ ſanè ſcinco à bonis authoribus, ijſdem penè verbis, non ſtellæ marinæ adſcribitur. *Pſeudoſcinci.* Plurimi ex pharmacopolis indocti homines, ſcinci loco, lacerti genus aquaticum noſtræ regionis vendunt, prona parte pallidum, nigrum ſupina, Syluaticum & alios huius farinæ ſcriptores ſecuti, qui ſcincum interpretantur lacertum aquaticum. quem ego ſanè venenatum eſſe arbitror: ſcincum non item, eundemq; nec noſtræ regionis, nec omnino aquaticum. quamuis monachi in-

chi interpretes Meſuæi, ſcincos circa Romam ſibi viſos ſomniant, Syluaticus & Platearius in Apulia. Sunt qui lacertos quoſdam duabus inſignes caudis pro ſcincis vendant, ab iiſdem monachis reprehenſi. Sed de lacertis aquaticis priuatim agam. *Κίκερος*, crocodilus terreſtris, Heſychius & Varinus. ſed *σκίγκος* vox apud alios authores vſitata eſt, *κίκερος* alibi nuſquam legi. *Koach* Hebraicam vocem, כוח, aliqui crocodilum interpretantur, alij lacertam, ſcincum forte melius dicturi, vide in Chamæleonte *A.* צב, *zab*, etiam aliqui ſcincum exponunt, ſed crocodilum propriè ſignificat. Arabes & Chaldæi *dab* & *aldab* dicunt: vertunt enim ζ in *d*. Serapionis interpres in capite de Stercore vbi Galeni verba de crocodilea citantur, pro crocodilo terreſtri duas voces ponit, ſtellionem & *adhaya*, ſi rectè ſic ſcribitur. Dioſcoridis etiam vetus interpres ſtellionem reddit, vbi crocodilum terreſtrem vertere debebat. Garis fluminis, id eſt ſcincus, Syluaticus. Apud eundem alibi *guaril*, ſcincus exponitur: & ita ſolum rectè legi puto, non *garis*. *Guaril* aquaticus, id eſt ſcincus, ſed verius ſtellio, Vetus gloſſographus Auicennæ. Aggregator etiam *guaril* apud Auicennam ſtellionem interpretatur, ipſe non probo. De ſcinco Auicenna (vt ſcribunt Monachi in Meſuen) tribus aut fortè quinq; capitibus agit, Arabicè *guaril* nominans: Et in primo capite inſcripto de *guaril*, fimi tantum eius vires deſcribit, vt Dioſcorides crocodileæ. reliqua duo capita de ſcinco inſcribuntur, vnde error Auicennæ apparet, qui de vna & eadem re diuerſis locis egerit. Inſtituit præterea caput de tinſa vel temſa, quod crocodilus eſt, & propriè aquaticus: quare non rectè ei vires fimi terreſtris crocodili adſcribit, eaſdem quas in capite de *guaril* recenſuerat. Cæterum Pandectarius in capite Rhule, quod interpretatur renes, (ex Serapione cap. 450.) ſcinci meminit: attribuunt enim authores vim medicam illis præcipuè in hoc animali partibus quæ circa renes ſunt, Hæc Monachi. Raſis interpres pro ſcinco piſcem ſagittalem vertit, piſcem fortè arbitratus quoniam recentiores nonnulli non rectè aquaticum animal eſſe ſcripſerunt. Hebræi crocodilum *zab* vocitant, Arabes & Chaldæi *dab*, piſcem verò *dag*, vnde forſitan natus error. Serapionis etiam interpres cap. 446. ſcincum ineptè piſcem facit: & Serapio falſò attribuit Galeno qui ſcripſerit ſcincum eſſe ſpeciem ſtellionis aquatici. *Alarbian* vt ſcribunt Arabes, ſicut Ebeneſis, & alij, eſt animal aquaticum declinans ad colorem citrinum, & de eo eſt ſalſum, & de eo eſt recens, & dicitur etiam quod eſt ſpecies ſcincorum: & dicitur etiam de carne molli addita in naſo quæ conuenit cum hæmorrhoidibus, And. Bellunenſis, Videtur autem de ſcinco intelligendum, quod is quoq; tum recens tum ſalſus aut ſimpliciter inueteratus in vſu habeatur. Quin & *harbe* vel *alharbe* chamæleonem interpretantur, & ſpeciem *zab*, id eſt crocodili. Scincus vox facta videtur à tinſa vel ſuchus, vide in crocodilo *A.* *Aldab* eſt animal ſimile lacerto, ſed maius, Bellunenſis. *Dab* animal eſt inſtar lacertæ magnæ, ventre maiore, Latinè (forſitan apud recentiores aliquos barbarbaros) *ballecola*, (aliâs *Baleccara*,) quod reperitur in Barbaria & in Sardinia, colore lacertæ, cuius ſtercus illinitur contra lentigines, &c. Syluaticus in Dab & in Baleccara. Eadem autem ferè etiam de ſcinco ſcribit. *Schanchur* eſt *guaril* de Nilo, qui capitur in Ægypto, Auicenna 2. 644. Serapioni *ſecancur* dicitur. Rurſus Auicenna 2. 603. *Aſchanchur* (inquit) eſt *guaril* (*vrel*, vt Bellunenſis legit) aquaticus qui in ripis Nili capitur. & fertur naſci de generatione altemſa, cum illa extra aquam oua parit. Sic apparet Auicennam in tribus aut fortè quinque capitibus de ſcinco agere, vt Monachi qui commentarios ediderunt in Meſuen obſeruarunt. Primum in *guaril*, deinde bis in ſcinco: item in tinſa vel tempſa, qui crocodilus eſt & propriè aquaticus, non rectè terreſtris crocodili vires in *guaril*, enumeratas ei adſcribens. *Askincor*, id eſt ſcincus, Syluaticus. *Scerantum*, id eſt ſcincus de mari rubro, Vetus gloſſographus Auicennæ. *Nudalep* vel *nudalepi*, id eſt ſcincus, Syluaticus.

B.

Scinci veri & peregrini, qui ex oriente vel Ægypto ad nos aduehitur, forma hæc eſt, mihi manibus tractanti obſeruata. Lineæ per dorſum alternis fuſcæ & albæ ſunt, latiuſculæ: ſed fuſcæ etiam punctis albis diſtinguuntur. Collum ſuperius magis fuſcum eſt, caput & cauda magis albent. Pedes & tota pars ſupina, id eſt venter, pectus, &c. albo colore ſquamularum nitent. Pedum digitos quinos vnguiculi muniunt exigui. Cruris longitudo ſeſquipollicem æquat. Toti corpori à capite ad caudæ acumen longitudo duorum palmorum, id eſt octo digitorum ſecundum tranſuerſum, aut paulò breuior. Caudæ longitudo, digiti duo, quæ ſubito ex craſſiuſcula in acutiſſimam exit. Exenteratos (ſachare puto conſpergunt,) bombyce explent, atque ita vendunt: pretio ferè drachmarum ſeptem cum dimidia in ternos. Tales erant quos ipſe vidi: ſed nuper amicus quidam noſter Conſtantinopoli rediens vulgo illic quinque vel ſex palmorum, id eſt viginti aut viginti quatuor digitorum ſcincos vænire mihi affirmauit. Alter quidam mihi ſe veros ſcincos vidiſſe affirmauit longos palmum, latos duos digitos, luteos, qui parte poſteriore ſtatim in acumen deſinerent, nec multum ita producerentur vt lacerti. Rondeletius neq; qui Venetijs venduntur, neque illos officinarum, veros ſcincos eſſe vult. Nam ſcincus (inquit) eſt terreſtris crocodilus. Illi in aqua & terra viuunt. Vnicum ſe duorum cubitorum longitudine vidiſſe affirmat. ¶ Similis crocodilo, ſed minor etiam ichneumone, eſt in Nilo (quaſi verò aquaticus ſit, quod alibi negat) natus ſcincus, Plinius. Alter illi (crocodilo) ſimilis, multum infra magnitudinem, in terra tantum, Idem. Scinci circa Nilum frequentiſſimi, cro-

Deſcriptio formæ ſcinci.

Vbi reperiantur. In Nilo.

codilis quidem ſimiles, ſed modica forma & anguſta, Solinus. Cardanus lib. 9. de ſubtilitate in India occidentali, atq; alibi etiam ſed rarius longè, lacertos maximos naſci tradit, quos crocodileos vocant, crocodilis magnitudine & forma ſimiles, excrementis alui odoratis. Galenus lib. 10. de ſimplicibus crocodilos terreſtres, quorum fimum in vſu eſt, paruos & humiles, μικροὺς καὶ χαμαιπετεῖς eſſe ſcribit. Hæc magnitudinis differentia ad regiones referri poteſt: niſi quis omnino contendat inueniri aliquod crocodili terreſtris genus à ſcincis diuerſum. *In Africa.* Crocodili tricubitali ad ſummum magnitudine, terreſtres, lacertis aſſimiles, apud aratores Afros ad occidentem reperiuntur, Herodotus lib. 2. Sunt autẽ hi vel ſcinci, vel ſimile crocodili terreſtris genus, ſola forſan magnitudine diſcreti. Plinius enim ſuum crocodilum terreſtrem, ichneumone minorem eſſe ſcribit. eſt autem ichneumon non maior catello. Plinius quidem 28. 8. an ſcincus idem eſſet, qui terreſtris crocodilus ille cuius crocodilea, id eſt fimum in vſu medicorum eſt, dubitauit. Primum enim de remedijs ex crocodilo amphibio agit, deinde ex terreſtri, tertio loco ex chameleonte. Poſtea ſubijcit, Ex eadẽ ſimilitudine eſt ſcincus, quem quidam terreſtrem crocodilum eſſe dixerunt. Scincus animal eſt Indicum, quadrupes, lacertæ ſimile, ſed multo maius, longius, & ventroſum, vt Syluaticus & alij ex Dioſcoride citant, apud quem ego huiuſmodi nihil reperio: ſed in libro Simplicium ad Paternianum. Scinci alij marini, alij montani à recentioribus hodie vocantur. *In India.* ¶ Scincus aut Ægypti, aut Indiæ, aut rubri maris alumnus, quamuis inueniatur in Lydia Mauritaniæ, terreſtris crocodilus eſt ſui generis, Dioſcorides. Ego Lydiam Mauritaniæ regionem nullam inuenio, quanquam Serapionis quoq; interpres *Lodiam* reddit, pro Lydia. Raſis in libro de ſexaginta animalibus, cæteras regiones ex Dioſcoride nominat, hanc omittit. Marcellus Vergilius vertit in Libyæ Mauritania: ego malim in Libya Mauritaniæ. nam Græcè legitur τῆς Μαυρουσιάδος. Libya enim aliquando pro tota Africa ponitur, aliquando pro certa eius parte: eſtq; hoc nomine etiam fluuius in Mauritania. *In Arabia.* Maximus ſcincus Indicus eſt, deinde Arabicus, Plinius. Quanquam Dioſcorides ſcincum, crocodilum terreſtrem nominat, illi tamen qui hodie Venetias afferuntur, marini ſunt è mari rubro: & alij ex Nilo Ægypti. hi ſpecie quidem corporis crocodilos referunt, non maiores tamen ſunt maximis lacertis noſtris. ſquamæ ipſorum albæ ſunt ad pallidum inclinantes cum linea bertina à capite ad caudam, cum crocodili in ſummo dorſo toti nigri ſint, Recentior quidam. Salamandra ſimilis eſt lacertæ aut crocodilo terreſtri. Syluaticus in capite Rhule (renem interpretatur) ſcincum tradit ſimilem eſſe lacertæ, cauda tamen non rotunda, ſed ad latera compreſſa: item ventroſum, vt nos pluries circa Romam in aquis ſtantibus vidimus, (hi potius lacerti aquatici vulgares fuerint, de quibus infra priuatim.) Quamobrem ſcinci qui venduntur ſicci cum duabus caudis, probantur non eſſe veri. *In Apulia.* Platearius ſcincos in Apulia etiam reperiri ſcribit, ſed efficatiores eſſe vltramarinos, Monachi interpretes Meſuæi. Præcipua ſcinci à crocodilo differentia dignoſcitur, ſquammarum ſeta à cauda ad caput verſa, Idem. Vide quædam in *A.* ſuperius.

C.

De naturalibus corporis actionibus. Crocodili tam terreſtres quàm fluuiatiles ſua oua terræ gremio committunt, Ariſtot. ¶ Lacertæ inſidias in apes faciunt: ac terreni crocodili peſtem perniciemq; illis inſtruunt. farina ad veratrum admiſta, aut maluæ ſucco ſuffuſa, & ante alueos diſperſa, guſtantibus illis omnibus perniciem affert, Ælianus. Crocodilus nominatur quòd crocum timeat. nam cum ad aluearia repens terreſtris crocodilus mel vorat, apiarij foris crocum apponunt, quo ille conſpecto fugit. Marinus verò (fluuiatilis potius,) ſic dictus videri poteſt, quòd crocas, id eſt littora timeat. in terra enim pauidus eſt, Varinus. ¶ Herodotus crocodilos (nimirum lacertorum generis) in Ionia in ſæpibus gigni ſcribit, vulgò ſic dictos, & ab iſtorum corporis ſimilitudine, aquaticos etiam illos quos Ægyptij *champſas* vocant, crocodilos ab eis dici. An verò crocodili illi ſæpium incolæ in Ionia ſcinci ſint, aut aliud lacerti genus, non facile dixerim. Venales ſcincos ex Ægypto licet videre, lacerti magni ſimilitudine, Hermolaus Barb. Libya ſola crocodilos alit terreſtres, duobus cubitis non minores, Pauſanias in Corinthiacis. Scincus quidam in rubro mari naſcitur, (ἐν τῇ ἐρυθρᾷ, Marcellus vertit ad rubrum mare,) Dioſcorid. Crocodilum terreſtrem, cuius fimum in vſu eſt, Auicenna ferè in Arabia tantum reperiri ſcribit. *Adib* (pro *aldab*) ſimilis eſt lacertæ magnæ, & degit in aquis, Syluaticus. *Aldeb* ſeu *aldab* animal lacerto maius, in Oriente & verſus Mecham in deſertis arenoſis reperitur, Bellunenſis. Vide etiam ſupra in *B.* quibus in locis ſcinci reperiantur. *Cibus eorum.* Scincus odoratiſſimis floribus viuit, Plinius. quamobrem non mirum mellis eundem auidum eſſe, ceu ex floribus confecti. Crocodili apibus nocent, Florentinus in Geopon. *Fimus.* ¶ Fimum eius album, odoratum, & odoris ſubacidi eſſe, referemus in *G.*

G.

Remedia ex ſcinco. Scincus ſiccandus reponitur in naſturtio, (vel cum naſturtio inueteratur,) Dioſcorides. quod is Græcè dicit, ταριχεύεται ἐν καρδάμῳ. Ruellius vertit, Sale inueteratur cum naſturtio. Marcellus, Addito naſturtio ſale inueteratur. Atqui ταριχεύεσθαι verbum quoquo modo inueterari ſignificat, tum cum ſale, tum ſine ſale, vt pluribus docuit Cornarius in commentarijs in Galeni libros de medicamentorum compoſ. ſecundum locos. Sale quidem non opus eſt vbi naſturtium, ſiue herbam, ſiue ſemina eius intelligas, apponitur: quod id acrimonia ſua per ſe ſatis exiccet, & vermiculos naſci prohibeat.

hibeat. Quanquam Plinius quoq; scincos falsos afferri scribit, deceptus & ipse forsan quòd vim verbi ταριχεύειν nesciret. Qui ad nos etiam adferuntur scinci, falsi mihi non videntur. Quamobrem non accesserim Marcello Vergilio, qui mutilum hunc Dioscoridis locum suspicatur, & Dioscoridem fortassis scripsisse, nasturtio æquales scinco ad excitandam Venerem vires esse, quòd Paulus Ægineta in scinco dixerit, καρδάμῳ δύναμιν ὁμοίαν ἔχει: aut quod Plinius docet, accendere Venerem cum satyrio, &c. vt quod Plinius satyrium, hic nasturtium dixerit. Ego apud Æginetam tale nihil inuenio: & vt inueniatur, non est tamen vlla vel corrupti vel mutili huius Dioscoridis loci apud me suspicio: sed Æginetæ potius, & pro cardamo satyrion legendum, vt in Antiballomenis apud eundem.

Vsus scincorum in antidotis.

¶ Miscetur scincus in antidota, Dioscorides. In antidota quoque nobilia additur, Plinius. Antidota accipio medicamenta composita aduersus venena, & alios magnos præsertim viscerum morbos. Huiusmodi est & nobilissima quidem antidotus Mithridatia, quæ & *diascincu* vocatur, à Galeno lib. 2. de antidotis, & Actuario alijsq; descripta. Eodem de antidotis lib. Galenus describit antidotum ad scorpiones, quo quidam in Libya omnes à periculo liberabat, quod inter alia carnem crocodili terrestris vel scinci dicti recipit: & mox Zoili medicamentum ad idem, cui crocodili terrestris drachmæ decem miscentur. Vt drachmæ duæ antidoto quod inscribitur ad omnia letalia, præsumptum & postea datum: item ad rabiosorum morsus, pleuriticos, &c. sed hoc à Mithridatio minimum differt, eo præsertim quod Damocrates carmine descripsit. Eiusdem Mithridatij aliæ duæ descriptiones sunt, ab initio eiusdem libri: prior scinci drachmas duas recipit, altera scinci lumborum drachmas sex. Aduersus mel venenatum, aut ex melle syncero fastidium cruditatémve grauissimam, scincum antidotum esse, author est Apelles, Plinius. Et alibi, Prodest & contra sagittarum venena, vt Apelles tradit, ante posteaq; sumptus. Serapio epilepticis dat medicamen, quod ex crocodili terreni stercore confectum probat, Cælius Aurelianus cui hoc non placet. Corpus scinci, excepto capite pedibusq;, elixum manditur ischiadicis: tussimq; veterem sanat, præcipuè in pueris: item lumborum dolores, Idem. Crocodilus terrenus, præcisis summis partibus, egestisq; interaneis, ex iure coctus, cibatui datus, magnum ischiadicis præstat auxilium, Marcellus. Scinci admiscentur in Amaranti grammatici ad pedum dolores antidotum, apud Galenum lib. 2. de antidotis circa finem. Miscentur vtiliter medicamentis ad frigidos affectus neruorum, Meseha & Rasis apud Serapionem & Auicenna. Scincus calidus est, auget semen, & libidinem stimulat. præfertur maior, pinguior, quiq; verno capitur, Iidem: & eo tempore quo feruet ad coitum, Auicenna. Alexander Benedictus in compositione quadam ad mouendam Venerem scincum non carnosum requirit, & in alia scincum arefactum non vetustum, vt fortè pro non carnoso legi debeat, *non annosus*. Syluaticus ex Paulo citat, capite de scinco, quòd sit calidus & siccus in tertio ordine: quod ego apud Paulum non reperio. Scinci ad opem salutarem non qualibet necessarij sunt, medentes quippe ex ipsis pocula inficiunt, quibus & stupor neruorum excitetur (hoc est, tollatur & curetur:) & veneni vis extinguatur, Solinus. Scinci caro impinguat corpus, quum fit ex ea acafea: & si saliatur, (inueteretur,) bibaturque ex ea pondus aurei cum vase vini, confirmat renes & colem, & libidinem excitat, Rasis. Antidotus tentiginem excitans, dextro aut sinistro imposita pedi, renibus item & teneræ cuti, numero 69. apud Nicolaum Myrepsum, inter cætera medicamenta accipit stellionem, cantharides & scincum. Sal scinci excitat coitum, quanto plus caro eius, & præcipuè caro suminis, & quæ sequitur renes, maximè verò adeps ex eis, Auicenna. Ad omnem mâlin (pestilentem affectum, &c.) iumentorum, Crocodilum terrestrem & ranam, viuentes in oleo discoques, donec carnes eorum in oleum resoluantur, tum colabis & infundes naribus iumenti, vt legimus in Hippiatricis Græcis capite secundo. In regione Indorum elephantiasi affectos assiduè per sedem eluere per vrinæ asininæ infusionem heminæ mensura calefactæ consueuerunt. Crocodilum item terrestrem accipiunt, eiusq; extremas partes amputant, ac interiora abijciunt, deinde fermento obuolutum assant: tum ablato fermento, & scabricie eius derasa, carnis ipsius drachmam vnam quotidie præbent, Aetius 13. 122.

Scinci carnes ad venerem excitandam faciunt.

¶ Scincorum partes circa renes tanquam naturalibus erigendis efficaces bibuntur, Trallianus 9. 9. Aiunt carnes quæ renes amplectantur, τὸ περὶ τοὺς νεφροὺς αὐτοῦ μέρος, Marcellus vertit laterum carnes, & Plinius quoque latera scinci nominat, alij lumbos. sed videtur quicquid circa renes est vndiquaque accipi posse, cum alioqui totum corpus simpliciter præter caput & pedes in remedijs detur) id sibi virium vendicasse, vt si drachmæ pondere bibantur cum vino (Ruellius hæc verba, *cum vino*, omittit) venerem accendant. verum decocto lentis cum melle, aut semine lactucæ cum aqua poto, excitatas inde veneris cupiditates inhiberi, Dioscorides. Syluaticus ex eodem sic legit, Facit scinci caro ad Venereos vsus si vno cyatho (alij, *si ex vini cyatho*) bibatur. nam si plus sumatur neruos lædit, quæ non apud Dioscoridem, sed in libro simplicium ad Paternianum leguntur. Eadem ferè apud Galenum legimus, (qui tamen lactucæ semen potum efficacius resistere putat tentigini isti, quàm lentis decoctum, vt ex loquendi modo apparet, neque enim expresse hoc dicit. mirum sanè Dioscoridem in lente quæ edendo est, nullam huiusmodi facultatem eius commemorare:) item apud Aetium & Æginetam. Marcellus Vergilius tamen non lentem simpliciter apud Æginetam, sed lentem palustrem ad hunc vsum nominari ait, quod in codicibus vulgatis non reperio: nec si vsquam repe-

riatur probo. nam Arabes quoq; qui ex Dioſcoride tranſtulerunt, lentis ſimpliciter decoctum vertunt: & lens paluſtris intra corpus non ſumitur, ſed foris tantum refrigerandi gratia, aut enterocelas puerorum conglutinandi imponitur, apud Dioſcoridem & alios. Seſtius ſcincum plus quàm drachmæ pondere in vini hemina potum, perniciem afferre tradit. Præterea eiuſdem decocti ius cum melle ſumptum, Venerem inhibere, Plinius. Quòd ſi cum Dioſcoride, & reliquis eum ſecutis Græcis & Arabibus, Plinium conciliare voluerimus, ſic legemus: Præterea lentium decocti ius cum melle ſumptum, Venerem illam inhibere. ſed ſi hoc dicere Plinius voluit, non ſuo loco dixit, ſtatim enim à mentione Veneris ex ſcinci è vino poti excitatæ, poni hæc verba oportuiſſet. quamobrem hunc errorem (ſi error eſt, vt ego conijcio) in authorem potius quàm librarios reiecerim. Roſtrum ſcinci & pedes in vino albo poti, cupiditates veneris accendunt: vtique cum ſatyrio & erucæ ſemine, ſingulis drachmis omnium, ac piperis duabus admixtis, ita vt paſtilli ſingularum drachmarum bibantur: per ſe laterum carnes obolis binis cum myrrha & pipere pari modo potæ, efficaciores ad ad idem creduntur, Plinius. Ego reliquum corpus potius, roſtro & pedibus reſectis, ſumendum dixerim, vt ipſe Plinius alibi in iſchiadicis ſumendum, caput & pedes demenda expreſſe monens, conſuluit. Marcellus iiſdem præciſis ſummis partibus vtilem facit, nec tamen nominat illas partes, vt & Aetius elephantiacis. Ego caput & pedes ſemper abſtulerim, tum quòd nihil aut minimum carnis hæ partes habeant, tum quòd forſan etiam venenoſius aliquid quàm cæteræ partes: itaque viperarum etiam, cum ad remedia parantur, capita & caudæ amputantur. In ſcincis equidem non totas caudas, ſed partes tantum extremas earum abſciderim, quæ tenuiſſima eſt. reliqua enim non parum carnis habent, & caudæ ſcincorum à nonnullis authoribus etiam per ſe vſurpantur. Sit igitur hic quoque vel Plinij, vel librariorum lapſus. Inteſtinis & reliquo corpore crocodili terreſtris ſuffiri vulua laborantes ſalutare tradunt. item velleribus circundari vapore eius infectis, Plinius. Pro ſcinco ſatyrium ſubſtitui licere, (nempe ad Venerem ciendam,) in Antiballomenis legitur: & pro ſatyrio, erucam. Ex ſalamandra etiam & ſtellione tum ſimpliciter tum tranſmarino remedia ad Venerem excitandam, vt ex ſcinco, veterum aliqui præſcribunt. Ego boni & honeſti medici eſſe aio, medicamentis huiuſmodi, quæ venerem aut cum periculo, aut nimium citant, & ad breue tempus tantum cum vi & impetu præter naturam, prorſus abſtinere: & vbi licitum eſt, hoc eſt in coniugibus, nec dum ætate exhauſtis, vti ijs potius quæ vel nutrimenti ratione, quod probum & copioſum corpori conferunt, vim generandi naturalem reſtituant: vel quæ nutrimenti ſimul alimentique vires obtineant, vt quæ nutriendo etiam calefaciunt, aut inflant, aut humidiorem liquidioremq; reddunt ſanguinem, ſi is fortè ſiccior eſt: Vel denique medicamentis tantum, quæ eiuſmodi ſint, vt corporis habitum ad naturalem ſtatum conuertere ab eo qui præter naturam eſt poſſint, frigidos calefacere, confirmare imbecillos: minimè verò eiuſmodi, quæ vel nimiam vel ad breue tempus, dum impetus medicamenti viget, concitatam Venerem accendant: quod non aliud eſt quàm peccati, & illicitæ nimiæque Veneris authorem eſſe: ſæpe verò etiam corporis periculi. Huiuſmodi enim medicamenta, inter quæ primas obtinent ſcinci, veneno non carent: Et exhibitis ijs, vt plurimum, vel nullus effectus, (præſertim ſi ætas & alia non reſpondeant: aut maior ſit impotentiæ cauſa:) vel nimius (eaque ipſa cauſa periculoſus:) vel denique veneno noxius ſequetur. Nam & veri ſcinci noxij ſunt, vt infra dicetur: & multò magis falſi ſuppoſititijque. Hoc nimirum etiam veteres Græci medici viderunt: quamobrem Galenus, Dioſcorides & alij, ita ſcincis hanc facultatem attribuunt, tanquam ipſi nunquam experti, & auditu ſolo aut lectione cognitam. Cæterum antidotis ſcincos miſceri alia ratio eſt, nec id fieri reprehendo. miſcentur enim alia multa, quibus noxia eorum vis extinguitur, ſalubria medicamenta: & ferè præſtantiſſima quæ venenis & ictibus venenatis aduerſantur, ipſa quoque veneno non carent. Sed de his agere non inſtitui. hoc vnum addam, malle me veris ſcincis, ſi etiam ſatis recentes eſſe conſtaret, ad theriacæ antidoti compoſitionem vti quàm paſtillis è viperarum carnibus. quoniam illi ferè adulterantur: & vel nullius ſerpentis vel alterius quàm viperæ, quique aut venenoſior ſit, aut certè minus efficax, carne conficiuntur. Veræ autem viperæ neque ipſæ in noſtra regione ſunt, neque cuiquam vt aduehantur curæ eſt: & de paſtillis an veram viperarum carnem receperint iudicare nemo poteſt. At ſcinci veri apportantur, & multis apud veteres quoque præclaris contra venena antidotis admiſcebantur, vt Mithridatio omnium nobiliſſimo, aliiſque ſupra nominatis. Scincus contra venena præcipuum eſt antidotum: item ad inflammandam virorum Venerem, Plinius. Renes ſcincorum tanquam pudendum ad Venerem intendentes quidam bibunt, alij ſumen quoque & caudam aſſumunt, Syluius: citat autem Galeni verba ex vndecimo de ſimplicibus, vbi ille non renes, ſed τὰ περὶ τοὺς νεφρούς, id eſt partes circa renes, ſcripſit. Celebratur apud medicos diaſatyrion compoſitio, quæ ab Actuario deſcripta ſcincos etiam accipit: qui tamen in eadem deſcriptione apud Nicolaum Myrepſum omittuntur: miſcentur autem alteri eiuſdem nominis antidoto ſtatim ſubiectæ, numero 66. Recentiores etiam nonnulli compoſitis ſuis medicamentis ad coitum excitandum ſcincos admiſcent. Albertus libro 24. de aquaticis animalibus ſcribens, ſcincos cum ſciuris confundit: & mox cum de ſtella marina agere deberet, vbi ſturitus ſcribitur, pro aſter, aliâs *ſtincus*, vim ciendæ Veneris vehementem ei attribuit, quæ ſanè

Cautio vtilis de medicamentis Venerem excitantibus.

ſcinci

ſcinci non ſtellæ marinæ eſt. Scinci extremitates caudæ & teſticuli & renunculi, in potu venerem cient. Kiranides.

Medicamenta ex corio ſcinci.

¶ Corij vtriuſq; (crocodili, tum aquatici tum terreſtris) cinis ex aceto illitus his partibus quas ſecari opus ſit, aut nidor cremati, ſenſum omnem ſcalpelli aufert, Plin. Si comburatur corium lacertæ (crocodilum intelligo, præſertim aquaticum, quem *zab* vel *dab* vocant, alijs crocodilum alijs lacertum interpretantibus) & inde cum fece olei inungatur membrum abſcindendum ferro, omnem eius ſenſum extinguit, Raſis in lib. de 60. animalibus.

Ex ſanguine.

Sanguis vtriuſque (terreſtris & aquatici) claritatem viſus inunctis donat, & cicatrices oculorum emendat, Plinius. An crocodili terreſtris ſanguis viſum acuit experiri nolui, cum haberem probata aciei exacuendæ medicamina, quæ Græci vocant ὀξυδερκῆ, Galenus de ſimplicibus 10.6. Scinci ſanguis ſi calidus ſumatur, & inungatur eo locus ſordidatus, cum belliricis & emblicis, reducit corpus ad colorem proprium: & ſi permiſceatur ei *baurac*, & illinantur inde maculæ faciei ac lentigines, & maculæ minutiſſimæ, remouet eas, & clarum colorem reddit, Raſis.

Ex adipe.

Adeps ſcinci expellit dolorem renum, & facit deſtillare ſperma, Raſis. In libro ſecretorum qui Galeno attribuitur, compoſitio quædam ad mouendum coitum deſtinata, inter cætera recipit adipis ſcinci drachmas decem. Crocodili (tam terreſtris ſcilicet quàm aquaticus: quare in multitudinis numero loquitur) adipem habent quo tactus pilus defluit. hic perunctos à crocodilis tuetur, inſtillaturq; morſibus, Plinius. Qui inunctus fuerit ſepo lacertæ (crocodili. nam *zab* vel *dab* Arabicam vocem vtroq; modo reddunt) & proiecerit ſe ſupra crocodilos, non timebit illos, & ludent cum eo, Raſis. Sed hanc facultatem Plinius alibi priuatim crocodili aquatici tantum adipi adſcribit, quod magis placet. Vide in Crocodilo aquatico *D.* & *E.*

Ex corde.

¶ Cor (vtriuſuis crocodili puto, de vtroque enim antea locus eſt) annexum in lana ouis nigræ, cui nullus alius color incurſauerit, & primo partu genitæ, quartanas abigere dicitur, Plinius. Cor lacertæ ſi ſuſpendatur ſupra mulierem, prohibet partum, Raſis: pro lacerta Arabicè puto *zab* vel *dab* legit, quæ vox crocodilum potius ſignificat. attribuit autem ei eo in capite Raſis quædam, quæ Plinius & alij vel terreſtri vel aquatico crocodilo priuatim, vel vtriq;.

Ex felle.

¶ Et mox ibidem, In felle lacertæ vtiliſſima vis eſt aduerſus alopeciam, cum ſternutatorium ex eo medicamentum fit cum radicibus betarum. Felle crocodili terreſtris inunctis oculis ex melle contra ſuffuſiones nihil vtilius prædicant, Plinius.

Ex teſticulis.

¶ Si medius ſcinci nodus, qui renes tegit, ſuſpendatur ſupra dorſum viri, iuuat virgam & promouet coitum, Raſis. ¶ Si de teſticulo ſcinci dextro bibatur ad pondus vnius *alkilat* (*alkirat*) cum aqua rutæ, facit deſtillare ſperma, idq; deſiccat. Siniſter verò teſtis eodem pondere potus cum aqua cicerum rubeorum, & vaſe vno vini puriſſimi, & duas extra (ſic habet codex impreſſus) id eſt, bis ſex drachmis butyri vaccini, facit deſtillare ſperma, prouocat coitum, renes calfacit, & virgam corroborat, Raſis.

Ex cauda.

¶ Vnguentum entaticon, hoc eſt ad arrigendum genitale apud Æginetam lib. 7. præter alia caput ſcinci caudas. Apud Aetium etiam in antidoto quadam podagrica caudam ſcinci legimus.

Ex inteſtinis.

Inteſtinis & reliquo corpore crocodili terreſtris ſuffiri vulua laborantes ſalutare tradunt: item velleribus circumdari vapore eius infectis, Plinius.

De fimo ſcinci.

¶ Fimum humanum propter fœtorem abominabile eſt: boum verò & caprarum & crocodilorum terreſtrium, & canum qui oſſa ederint, nec fœtet, & experientiam ſui abunde non nobis ſolum, ſed & alijs ante nos medicis exhibuit, Galenus de ſimplic. 10.18. Aetius hunc locum reddens, Caninum verò (inquit) præ cæteris plurima experimenta nobis præbuit. Idem Aetius lib. 2. cap. 117. cum anſeris, accipitris & gruum alui excrementa inutilia eſſe dixiſſet, ſubdit: terreſtrium verò crocodilorum inuentu difficile eſt: ideoq; vires eius omittit. Terreſtris crocodili fimum, crocodileam vocant, quæ mulieribus bonum colorem in facie, nitoremque conciliat. Optima eſt candidiſſima (Græcus codex noſter non rectè λεπτοτάτη pro λευκοτάτη habet) & fribilis: amyli modo leuis, in humore ſtatim eliqueſcens: quæ cum teritur ſubacida eſt & fermenti odorem refert. Adulterant eam ſturnorum fimo, quos oryza paſcunt: ipſumq; non diſſimile vendunt. Alij amylum aut cimoliam miſcentes (vt Ruellius: aqua macerantes, Marcellus. Græcè eſt φυρῶντες, id eſt ſubigentes, ita ſcilicet vt farina ad panificium cum aqua ſubigitur: Serapionis interpres vertit, amylum cum cimolia miſcentes, non probo,) adſcito anchuſæ colore per rarum cribrum paulatim (vt Ruellius: in tabulas, vt Marcellus ex veteri translatione apud Syluaticum. Græcè eſt εἰς ὀλίγον. ego hunc locum ſic legerim, δι᾽ ἀραιοῦ κοσκίνου εἰς ὀλίγα ἀπηθοῦσιν ὡς σκωλήκια, καὶ ξηράναντες πωλοῦσιν ἀντὶ ταύτης. nam & Serapionis interpres ſic vertit, & cribrant cribro lato (*raro*) vt fiat cribratio ſicut vermiculi, & deſiccant ac vendunt) exprimunt, vt ſe contrahat in vermiculorum ſpeciem, qui ſiccati pro crocodilea væneunt, Dioſcorides. Optima eſt crocodilea, quæ candidiſſima & friabilis, minimeq; ponderoſa, cum teratur inter digitos fermenteſcens. Lauatur vt ceruſſa. Adulterant amylo aut cimolia: ſed maximè qui captos (qui ſturnos captos, vt Hermolaus ex Dioſcoride legit) oryza tantum paſcunt, Plinius: apparet autem ipſum in hoc erraſſe, quòd inter digitos fermenteſcens dixit: quod ſi ita ſit, molle hoc fimum & facile ſubactu eſſe oporteret, cum tamen friabile tum ipſe tum Dioſcorides commendent. Apud Dioſcoridem certè illud probatur, quod digitis tritum ſubacidum & fermenti odorem reddat: Græcè ζυμίζειν dixit, vt τραγίζειν, οἰνίζειν, & ὀξίζειν dicuntur, hoc eſt reſipere odorem hirci, vini, aceti: & ne quis fermenti in ſubſtantia aut alia qualitate ſimilitudinem intelligeret, ζυμίζουσα τὴν ὀσμὴν

diſertè protulit. *Dhab* aliud eſt à lacerto inuento in regione noſtra, quamuis ſit ei ſimilis, & habeat diſpoſitiones & virtutes ei proximas, Auicenna 2. 226. eſt autem *dhab* vel *Zab* aquaticus crocodilus potius, ipſe hic pro terreſtri abutitur. Veteres interpretes Galeni & Dioſcoridis, ſtellionem aliquoties pro crocodilo terreſtri, in fimi eius mentione reddunt. Terreſtrium crocodilorum, paruos illos & humiles dico, fimum pretioſum luxuria fœminarum fecit, quæ non contentæ tot medicamentis quæ ſplendidam extentamq́; faciei cutem reddunt, crocodilorum etiam fimum eis adijciunt. Redditur autem huic ſimile ſturnorum quoq; fimum, quum ſola oryza paſti fuerint. Conſtat igitur hæc ſtercora abſtergendi exiccandiq́; vim poſſidere, vtranque mediocriter: multò moderatius tamen & infirmius ſturnorum ſtercus eſt: Crocodilorum verò (terreſtrium,) vt maculas faciei à Sole excitatas (hoc & Auicenna repetit) ſic & vitiligines & impetigines tollere poteſt, Galenus: cuius verba Arabes eorúmve interpretes malè tranſtulerunt. Crocodilus terreſtris odoratiſſimis floribus viuit: ob id inteſtina eius diligenter exquiruntur iucundo nidore farcta, crocodileam vocant, Plinius. Crocodileam Plinius etiam inteſtina ipſa terreſtris crocodili appellat, Hermolaus. Atqui cum Græci omnes fimum duntaxat ſic nominent, Plinij quoq; verba ita acceperim, vt non inteſtina crocodileam nominet, ſed iucundum illum odorem hoc eſt odoratum excrementum, cuius gratia exquirantur & diſſecentur. Serpentum ſtercus, propter ſiccitatem eorũ, plerunq; bene olet: vt & lacertorum maximorum quos crocodileos vocant. hi ſunt crocodilis magnitudine & forma ſimiles, & in India occidentali, atq; alibi etiam ſed rarius longè, naſcuntur, Cardan. Ægineta libro ſexto terreſtris crocodili fimum lentigines exterere dicit, aquatici autem oculorum albugines, Marcellus Vergilius: ego nihil tale apud Æginetam reperio, ne ſeptimo quidem vbi de ſimplicibus ſingulatim tractat. ſed omnino vtraq; iſta vis authorum omnium conſenſu, alterius tantum crocodili nempe terreſtris fimo adſcribitur: aquatici verò neq; hæc neq; alia vlla. Crocodilea illita ex oleo cyprino, moleſtias in facie enaſcentes tollit: ex aqua verò inuncta morbos omnes, quorum natura ſerpit in facie, nitoremq; reddit. lentigines delet, ac varos, omneſq́; maculas, Plinius. Alphos tollit crocodilea, Ægineta. Kiranides vt albulæ tollantur, cum melle inungi vult: cum oleo, ad inducendum faciei ſplendorem. E ſtercore crocodili meretrices vnguentum parant, quo rugas faciei extendunt: ſed lota facies deterius ad priſtinas reuertitur rugas, Albertus: ſcribit autem hæc falſò in aquatici crocodili mentione. *Colorq́; Stercore fucatus crocodili*, Horatius Epodo 12. Naſo quoque in poemate de Arte amandi, præcipit vt quæ nigriore vultu eſſet, ad piſcis Pharij opem confugeret, hoc verſiculo: *Nigrior ad Pharij confuge piſcis opem:* nimirum quòd crocodili non terreſtris ſed aquatici fimum ad hunc vſum facere falſò putaret, quanquam is etiam impropriè piſcis diceretur. Stercoris felis aut crocodili drachmas octo, (aliâs *ſex:*) ſinapis drachmas quatuor, ex acri aceto alopecijs illine, Soranus apud Galenum de compoſ. ſec. locos: item Archigenes ibidem. Eadem apud Raſim in libro de 60. animalib. cap. de lacerta legimus: Sumatur (inquit) de ſtercore lacertæ ad pondus ſex aureorum, & ſinapis ad pondus quatuor aureorum, & terantur cum forti aceto, & inungatur cum hoc alopecia: item ſtercus furonis, (id eſt *felis.*) Deprehendet & alias quaſdam facultates lacerti ſimpliciter fimo attribui, quas alij crocodileæ priuatim adſcripſerunt, qui hæc cum remedijs ex lacerto contulerit. Arnoldus de Villanoua cantharides & ſtercus crocodili miſcet medicamentis alijs pilos regenerantibus. Stercus crocodili aiunt per infundibulum ſuffitum, feras venenoſas ex latibulis ſuis exigere, Aetius 13. 7. nec mirum, cum acido & fermenti ferè odore ſit, vt Dioſcorides ait. Crocodili terreſtris fimum apud Trallianum 2. 5. miſcetur collyrio cuidam ad cicatrices oculorum & leucomata exterenda & extenuanda. Crocodilea oculorum vitijs vtiliſſima eſt, cum porri ſucco inunctis, & contra ſuffuſiones vel caligines, Plinius. Confert albugini oculi & deſcenſioni aquæ, Auicenna 2. 226. in *Dhab.* Et rurſus de eodem in *Tinſa* vel *Temſa*, Stercus eius confert albugini oculi, 2. 706. Et alibi, vbi de diuerſorum animalium excrementis agit, Stercus ſtellionis, & lacerti & crocodili valet albugini oculi. In libro etiam Secretorum qui inter notha Galeno adſcripta legitur, ſtercus lacertæ cum alijs quibuſdam ad albugines oculorum commendatur. Sed quoniam in eo libro multa Arabica aut ex Arabico ſermone translata ſunt, lacertam puto pro ſcinco aut crocodilo terreſtri poſitam eſſe, vt alibi etiam ſæpe faciunt Arabum interpretes. Crocodili ſtercus miſcetur medicamento cuidam ad detergendum albi vitium in oculis equorum, apud Vegetium 2. 22. Item collyrio ſicco ad ſuffuſionem in Hippiatricis Græcis cap. 11. Miſcetur & alijs quibuſdam ad oculorum in equis epiphoram apud Vegetium. Contra comitiales morbos bibitur ex aceto mulſo binis obolis: appoſitum menſes ciet, Plinius.

¶ Seſtius ſcincum plus quàm drachmæ pondere in vini hemina potum, perniciem afferre tradit, Plin. Si ex vini cyatho bibatur ſcinci caro Venerem incitat: ſi plus ſumatur, neruos lædit, Author de ſimplicibus ad Paternianum. ¶ Si ſcincus piſcis ille ſeu ſtellio momorderit aliquem, & febricitauerit, priuſquam mingat aut febricitet homo, interficiet virum. Et ſi febricitauerit vir, priuſquam mingat piſcis ille, aut febricitet, morietur ille piſcis, & morſus euadet, Raſis & Arnoldus de Villanoua. Mihi quidem locus obſcurus eſt, neq; enim vrinam excernunt quadrupedes ouiparæ: & ſi obſcurus non eſſet, parum tamen veriſimilis videtur quod ad mutuos illos affectus & antipathias.

De morſu ſcinci.

¶ Stel-

¶Stellio cui nomen ſcincus inditum eſt, veneficium eſt per ſe, (philtrum venenoſum,) & mentem mutat potius quàm ad amandum mulierem quæ id dederit cogat, Cardanus.

H.

a. Scincos inter ruſci ſuffruticis ſpinoſi nomenclaturas eſt apud Dioſcoridem.

¶PHATTAGE. In Indis naſcitur beſtia, quæ crocodili terreni ſpeciem ſimilitudinemq́; gerit, magnitudine eſt Melitenſis canis: eius pellis adeò aſperis ſquammis quibuſdam ſcatet, vt more ſerræ æs diſſecet, & ferrum exedat & conficiat, eam Indi *phattagen* vocant, Ælianus, 16.6.

Phattage in India ſimilis crocodilo terreſtri.

¶*e.* Scincus ſi ſuſpendatur ſuper pueros qui timent in ſomnijs, curat eos, Raſis. Scincus ſi coquatur, & ex eo procurentur duo homines qui habent odium vnus aduerſus alium, reducentur ad concordiam & ad amorem, Idem.


Superſtitioſa de ſcincorum vſu.

DE SCINCO EX BELLONIO.

SCINCVS eandem cum crocodilo naturam habere creditur, vnde crocodilus minor à quibuſdam appellatus eſt, nullumq́; præterea vulgare nomen habet. Proinde quadrupes eſt, lacertæ viridis aut ſalamandræ magnitudine, vt pollicis craſſitiem quadrantisq́; longitudinem non excedat, colore candido, quibuſdam lineis in dorſo puniceis tranſuerſis, ceraſtæ modo diſtinctus. Cætera cordulum (lacertum aquaticum) refert, niſi craſſiore atq; oblongiore eſſet corpore, cauda rotunda, ſquamisq́; vndecunq; ſcateret: quas cum piſcibus, vt & laterales lineas communes habet. Sed oſſibus præditus eſt. Edulis non eſt: Aſiæ & Europæ peregrinus: Ægypti, Indiæ & Mauritaniæ alumnus, præſertim apud Memphim, quo in loco indigenæ exenteratos, ac ſale vel nitro inueteratos ſcincos mercatoribus diuendere ſolent, quos iſthic adferant.

DE LACERTO AQVATICO.

A.



LACERTI genus aquaticum, paruum & nigrum, quod hic depictum damus, à Germanis vocatur Waſſermoll/ id eſt ſalamandra aquatilis: vel waſſeradex/ id eſt lacertus aquaticus. Gallicè *taſſot.* Italicè *maraſandola*, quod nomen diminutum videtur à *maraſſo:* ſic autem viperam vulgò vocant: quod licet paruula quadrupes, viperæ tamen inſtar venenata ſit, vel à ſalamandra tranſpoſitum. Nam *ſalamandram* quoq; audio à quibuſdam Italice vocari. Græcè nominatum non inuenio: qui voluerit, σαῦρον ἔνυδρον, id eſt lacertum aquaticum appellabit. Hoc lacerto pharmacopolæ quidam non rectè pro ſcinco ſeu crocodilo terreſtri vtuntur, vt in hiſtoria eius ſcripſi. *Guaril* aquaticus, id eſt ſcincus: ſed verius ſtellio, Vetus gloſſographus Auicennæ. Vide infra in ſtellione *A.* Lacertula aquæ, id eſt ſcincus, Syluaticus. In noſtris regionibus ſcincos (lacertos aquaticos intelligit) tam paruos habemus, vt ſunt lacertæ nuper natæ, & in aqua degunt, Syluaticus in voce *Rhule*, id eſt Renes. Scincus in aqua degit, lacertæ ſimilis, ſed ventroſior, & caudam latam vt anguilla habet, ad natandum aptam, Monachi in Meſuen. Lacerti aquatici illi parui nigri, qui in quibuſdam lacubus (lacunis potius) iuxta Vincentiam reperiuntur, ſæpe à pharmacopolis pro ſcincis vſurpantur: ſed effectus illos à quibus ſcinci prædicantur, deeſſe eis crediderim, Matthæolus. Sunt & Vincentino agro ſui quidam ſcinci, minores multò veris, etiamſi pro Ægyptijs officinæ ſubijciunt, Hermolaus. Lacertus aquatilis *Thaſſot* Gallis dicitur, vt Salamandra *that* Neocomi.

De nominibus varijs huius animantis.

Pedes poſtremi qui nos digitos habere debent.

B.

Hæc cum ſcriberem animal ipſum inſpexi: reperitur enim ſatis frequens circa vrbem noſtram in foſſis hortorum quæ aquam continent. Longitudo totius, digiti ferè ſeptem. Color niger dorſo & lateribus: ſed puncta multa alba & minima ſunt inter latera & ventrem, alijsq́; partibus ſupinis: reliquum corpus & ipſum nigrum eſt, & concoloribus ſibi punctis exaſperatur. Georg. Agricola tamen hanc beſtiolam colore vel cineream, vel in cinereo fuſcam eſſe prodidit: quo colore apud nos raram aut nullam eſſe puto: ſemel tantum in monte quodam hoc colore vidi. Venter & caudæ pars ima luteo aut flauo colore apparent. Pellis valida & dura eſt, ita vt cultello etiam acuto reſiſtat. Ex vulneribus lactea quædam ſanies manat, vt in ſalamandra quoq;. Os tenaciter claudit, vt & ſala-

Deſcriptio animantis.

mandra: nec mordet, sed nec aperit os, vtcunq; vrgeatur & stimuletur, nisi per vim hoc ei exprimatur. Lingua breuissima & latiuscula est: dentes breuissimi exilissimiq;, circa labra interius: tantilli vt visum ferè effugiant. Anteriorum pedum digiti sunt quaterni, posteriorum quini. Cauda per medium crassiuscula prominet, supra infraq; (hoc est prono & supina parte) contrahitur, rhombi figuræ quadam similitudine: ac si ex solidis rhombis aliquot contiguis corpus contexatur, spacijs etiam vacuis expletis: quæ figura ferè etiam redditur, si oblongum corpus quadrangulum ita collocetur, vt anguli duo in medio laterum vtrinq; sint, tertius in summo, quartus in imo è regione. sed media laterum crassities in huius lacerti cauda angelos non habet. Monachi interpretes Mesuæi scribunt, caudam ei latam esse vt anguillæ, (quod non satis conuenit,) ad natandum aptam. In hac quam dissecui bestiola caudæ pars resecta mouebatur: & quum reliquum corpus immobile maneret cum reliqua parte caudæ, ea quoq; resecta mouebatur, quæ corpori adhuc hærens immobilis iacuerat.

C.

De gressu eius vbi viuat.

Testudinis aut salamandræ instar tardius ingreditur aquatilis lacertus, Georg. Agricola. Vita ei in aqua (in fontibus frigidis, vt audio) & in terra: sed crebrius in aqua. Latet per hyemem. Gignitur in lacunis opacis, quæ in pingui solo sunt, & in quibusdam mœniorum fossis, Idem. Delectari eos limosa aqua audio, & ferè vbi limus albus sit, polentæ aut farinæ non dissimilis: & sub petras in aquis, si quæ sunt, se abdere: oua eorum magnitudine pisi, multa cohærere: Natare ipsos sub aqua, ad superficiem rarò emergere. Atqui ego cum in vitreum vas vnum huius generis coniectum per dies aliquot seruarem cum aqua, ore semper ferè extra aquam prominente, vt ranas, deprehendi. Impositus sali caudam mouet ac effugere conatur. nam eum, quia valde mordet, non potest ferre, statimq; moritur, quum alioqui verberatus diu viuat, Georg. Agricola. Ego cum per dies aliquot in vase vitreo haberem, aliquando per diem vnum sine aqua relinquebam, ac videbatur mihi sine ea deterius habere.

D.

De ira eius.

Irritata si exarserit, elata & quodam modo inflata, rectis pedibus insistit, & terribilis oris hiatu (ego eam os, non nisi per vim expresseris, aperire obseruaui) acriter oculis intuetur eum, à quo fuerit lacessita: manatq; sensim lacteo & viroso sudore vsq; dum tota fiat candida, Geor. Agricola.


G.

De vsu lacertæ aquaticæ.

Lacerti aquatici illi parui nigri, sæpe à pharmacopolis pro scincis ponuntur: sed puto eis deesse effectus illos à quibus scinci prædicantur, Matthæolus. Ego non vtiles tantum vires eis abesse puto, sed insuper valde noxias & venosas inesse, non minus fortè quàm salamandræ, quod illi similiter lacteam vbicunque vulnerantur saniem emittant: nisi fortassis vita in aqua venenum eorum dilutius reddat. Sed Salamandræ etiam aquoso & pluuio tempore magis & nascuntur & vigent. Audiui à Gallis quibusdam, suem si fortè hanc lacertam ederit, interire: quod sanè miretur aliquis, cum à salamandra (si id verè scribitur ab Æliano) deuorata sues nihil lædantur.

DE LACERTO.

LACERTI PRONI FIGVRA.




A.

Nomina diuersa. Vnde lacertus dictus sit.

LACERTVS & lacerta idem animal vtrouis genere dicitur, (vt apud Græcos etiam σαῦρος & σαύρα, teste Varino:) nimirum à similitudine lacertorum hominis, quod pedes eorum similiter in digitos tanquam è volis aut palmis findantur, & in obliquum flectantur ad latera, eo modo quo homo manum flectit cum quadrupes ingreditur. Hinc est quòd lacerti vocabulum communius sit ad omnia huius generis quadrupedum ouipararũ hoc modo pedibus prædita: priuatim verò ad communem & notissimam lacerti speciem, cuius hîc imago adiecta est, contrahitur. Σαῦρος etiam aut σαύρα Græcis & si ratione nominis non æque commune vocabulum sit, à similitudine tamen corporis lacerti communis ad alias quoque species deriuatur. hinc sauram chalcidicam, & sauram pharmacitidem

dem legimus, & ſauram viridem, vt apud Latinos lacertum viridē, &c. Lacertus eſt reptilis genus, ſic vocatus, quòd habet brachia, & quatuor pedibus innititur. Genera verò lacertorum plura ſunt, vt ſalamandra, ſaura, ſtellio, Iſidorus.

LACERTI SVPINI FIGVRA.



Crocodilus lacerta eſt Nili, Palladius. In Arabum etiam libris Latinè redditis ſæpe lacertam pro crocodilo tum aquatico tum terreſtri legimus. Cardanus lacertas non rectè inſectis adnumerat, inſecta definiens ea omnia quæ præciſa parte vitam in ea retinent. Scorpiones, ſcinci, lacertiq; vermibus non ſerpentibus adſcribuntur, Solinus cap. 30. Lacertam potius vermem dicunt quidam quàm ſerpentem, quia clementius ferit, &c. Author lib. de nat. rerum. Sed iſti vermium nomine abutuntur pro reptilibus. reptilia enim (ἑρπετὰ) tum inſecta plurima, tum in quadrupedum genere minores dicuntur quæ per parietes ſcandere poſſunt, & impropriè etiam ſerpentes: vermis verò appellatio omnino intra inſecta contineri debet, vt & σκώληκος Græcis. ¶ *Letaah*, לטאה, Leuitici 11. & Num. 14. reptile quoddam, quod R. Salomon vocat לניגרמושא (fortè laniger mus, vt quidam conijcit, ego nullum huiuſmodi murem noui, & alij omnes lacerti genus interpretantur, vt vox illa pro alia quadam Gallica vulgari corruptè poſita videatur.) Idem R. Salomon Leuit. 11. לישרדה, *liſarda*, id eſt lacertam voce Gallica interpretatur, vt Nicolaus Lyranus intelligit. Ibidem Chaldæus interpres vertit חלטתא *baltetha:* Arabs, עטאיא, *ataia:* Perſa אן גז, *an gaſ:* (Itali hodie viridem lacertum vocant *gez.*) Septuaginta χαλαβώτης, vel (vt Complutenſis habet codex) ἀσκαλαβώτης: Hieronymus, ſtellio. Videtur autem *letaah* vocari Hebraicè à clandeſtinis inſidijs quibus animal hoc inſtructum eſt. לוט *lot*, enim clancularium ſonat. Munſterus etiam *letaah* ſtellionem interpretatur, Germanicè עיגלעש Eglos/ id eſt lacertum communem, nimirum ex Rabino quopiam. Stercus ſtellionis & *adhaya* & *Zerzir*, &c. Serapionis interpres ex Galeno, vbi Galenus habet ſtercus crocodili terreſtris & ſturni. ſturnum quidem *zerzir* vertunt. pro terreſtri autē crocodilo, *adhab* poſuit Auicenna, quod nomen fortè Serapio tanquam generalius in ſtellionem & *adhaya* ceu duas ſpecies diuiſiſſe videtur. *Albathaie* ſeu *albadaie* eſt lacertus paruus in domibus & hortis communiter repertus, & à vulgaribus appellatur lucerta, Andreas Bellunenſis. Araneus lacertos paruos (Auicennæ interpretatio habet *adeclaie*) aggreditur, Ariſtot. de hiſt. anim. 9. 39. חמט, *homet*, aliqui (teſte Rabi D. Kimhi) לימצא, limacem intelligunt, alij verò כרבו *carbo*, id eſt lacertam: (quæ vox [Arabica puto] fortè facta eſt à Græca quaſi *ſarbo* pro ſauro.) Chaldeus interpres Leuit. 11. vertit חומטא, *humeta*. Arabs, חרבא, *herba*, (*harbe* quidem Auicenna, Andrea Bellunenſi teſte chamæleontē appellat:) Perſa, אן כרספר, *an ſuſpar.* Septuaginta σαύρα, Hieronymus lacerta. Munſterus *homet* interpretatur limacem, teſtudinem concham. ſed communis hic quorundam error eſt apud Germanos, vt pro limace teſtudinem aut concham dicant. Ego omnino lacertum intellexerim, quòd in ea interpretatione pleriq; conſentiant. (Vide plura infra in *F.*) Fortaſſis autem Græca vox *ſaura*, ab Arabica *herba* vel *harbe* vel *carbo* per metatheſin facta eſt, vel contra. Inuenio & פליאה, *pelijah*, in trilingui dictionario Munſteri pro lacerta, neſcio cuius dialecti vocabulum. Aliqui etiam *hardun* Arabicam vocem lacertum interpretantur, vt Andreas Bellunenſis, cuius naturam proximam eſſe aiunt naturæ *guaril* ſeu *vrel*, id eſt ſtellionis, &c. Aliqui idem animal (ex lacertorum genere) Hebraicè *koah*, Arabicè hardun vocari docent: Vide ſupra in Chamæleonte *A.* *Arab*, id eſt lacertus, Vetus gloſſographus Auicennæ: voce corrupta vt conijcio. *Samabras*, vel vt Bellunenſis legit *ſaambras*, lacerta eſt eodem interprete, Auicennæ 2. 646. videri ſanè poteſt ſalamandræ nomen hinc factum. *Scatiroſa*, id eſt lacerta, Syluaticus. *Olen*, id eſt lacertus, Idem. ¶ Lacerta Græcis hodie vulgò κολισαύρα vocatur, corrupto forte nomine à χλωροσαύρα: vel compoſito ex colote, id eſt ſtellione, propter ſimilitudinem corporis, & ſaura. Italicè *liguro*, vel *leguro*, vel *lucerta* aut *lucertula*, vt Alunnus habet. Matthæolus Senenſis in commentario in ſalamandram Dioſcoridis, *Ramarri* (inquit) à Tridentinis vocantur, qui ab alijs *racani, liguri* & *lucerti.* Atqui *ramarrum* aliqui in Italia etiam bufonem vocant, vt audio. Hiſpanicè lacertus dicitur *lagárto: lacerta, lagartíſa*, vel *lagardixa*. Gallicè, *lyſarde*. Germanicè Adex/ vel Egles quod quidam in fœminino genere proferunt: noſtri in maſculino ein Egochs. Heſſis Eydetſch. Flandris Aketiſſe. Non probo illum qui lacertam Germanicè interpretatur grün Adex/ id eſt viridem lacertam. Quanquam enim communis etiam lacerta, de qua hic ſcribo, viridis aliquando reperiatur, ſed raro, propriè tamen alterum genus maius, & ſemper viride, de quo infra agetur, ſic appellari ſolet apud authores.

Anglicè *lusard* vel *lysard*. Illyricè *gesscierka*, vel *gesstier*. ¶ Lacertum indoctuli stellionem dixêre, cum stellio sit minor lacerta, Grapaldus & Perottus. Lacerti parui vulgò creduntur stelliones, sed falsò, Matthæolus.

B.

De lacertis diuersis, qui à paruis & communibus nostris tum aliâs tum magnitudine differunt, separatim agemus infra. ¶ In Anglia lacertos extare negant. E Fortunatis insulis vna est magnis lacertis plena, Theuetus.

Anglia caret lacertis.

Descriptio lacerti.

¶ Lacerti cortice teguntur, Aristot. quamobrem cutis eorum dura est. *Absint & picti squalentia terga lacerti*, Vergil. Georg. Chamæleon & niger non longè dissimilis crocodilo est: & pallidus, vt lacertæ, Aristot. Plinius lacertorum meminit qui ferrugineas maculas habeant, lineis etiam per caudam distincti. Parui etiam lacerti aliquando virides, aliâs alio colore reperiuntur, nullo insuper discrimine variantes. Saura multarum specierum est, inter quas tamen pulcherrima viridis candicante ventre prope dumeta & sæpes, Christoph. Salueldensis. ait autem harum in ventre reperiri gemmam sauriten, quod Plinius de lacertis viridibus, maioribus scilicet quæ per excellentiam virides cognominantur, scripsit, non de minoribus quæ & ipsæ aliquando virides reperiuntur. Lacertæ paruæ quam nuper initio Septembris obseruaui, color fuscus erat, sed splendens & ad æreum accedens. venter partim viridem partim luteum colorem præferebat: Vtrinque in lateribus puncta aliquot deinceps erant, splendentia ceu asterisci quidam. Longitudo digitûm quatuor. Retro oculos meatus aurium rotundi apparebant. Nullus in ea lacteus liquor (qualis in aquaticis lacertis & salamandris est) quamuis Demetrius Byzantius in accipitrum cura ἀπογαλακτίζειν verbo de lacerta vtatur. Digiti perexiles, ante & retro quini, cum vnguiculis. in posterioribus longissimus erat qui indicis situm obtinet, pollex inferiore loco vt in manibus hominis: anteriores verò pollicem cum cæteris eodem situ habebant, Hæc ex nostra inspectione. ¶ Lacerti parui sanguinem in venis habent, non carent vt stelliones, Matthæolus Senensis. ¶ Cortice intecta, vt lacertæ, superiore etiam palpebra conniuent, inferiore quidem omnia, Aristot. Palpebræ sunt quadrupedum etiam illis, quibus molle tergus, vt serpentibus: & quadrupedum quæ oua pariunt, vt lacertæ, Plinius. Lacertorum & serpentium lingua summa bifida est, sed præcipuè serpentium, Aristot. Idem lib. 2. de partibus animalium cap. 17. causam inquirit, cur his & serpentibus lingua longa & bifida contigerit, eamque in horum animalium ingluuiem (voracitatem) reijcit, vt & diutius & quasi duplicem ex cibo voluptatem caperent. Et alibi, Lingua (inquit) eis bifida est vt serpentibus, parteq́; extrema pilosa admodum. Lingua lacertis bifida & pilosa, Plinius, Author libri de nat. rerum, & Geor. Agricola. Atqui alio in loco Plinius serpentibus & lacertis linguam, non pilosam, sed capillamenti tenuitate esse scribit: transtulit autem vtrunq; locum ex Aristotele, vnum ex libro quarto de partibus animalium cap. vndecimo, vbi Aristoteles habet ἐπ' ἄκρου ἄγαν τριχώδη, valde pilosam vertit Gaza. alterum ex eiusdem operis secundo lib. cap. 17. vbi τὸ ἄκρον λεπτὸν καὶ τριχῶδες ἔχουσι legitur, Gaza vertit, & parte extrema capillamenti tenuitate, id quod in altero etiam loco facere debuisset, vt Plinius quoque. non enim pilosum, id est pilis hirsutum, Græcis δασὺ & λάσιον, sed à figura τριχῶδες, id est capillamenti instar oblongum & exile Aristoteles intelligere voluit. Lacerta linguam dicitur habere pilosam, sed non habet: imò sunt dentes parui vt pili, & est bifida sicut lingua serpentis, Albert. Et rursus, Cum mordet lacertus & stellio, dentes paruos oris sui, qui subtiles & nigri sunt, & quasi pili nigri, in loco morsus infixos relinquit. Terrestres quadrupedes ouiparæ, vt lacerti, testudines, &c. pulmonem habent exiguum & siccum, sed aptum ampliari ac extumescere cum inflatur, Aristot. Eadem omnia ventrem vnum & simplicem habent, Idem. Exta serpentibus & lacertis longa, Plin. Lacerta perexiguum habet lienem, Aristot. & Plin. & rotundum, Aristot. Lacerto testes intus adhærent lumbis, Idem. Caudã serpenti consimilem habet, Author lib. de nat. rerum. Lacertis & serpentibus amputatæ caudæ renascuntur, Aristot. & Plinius. Colotis & lacertis caudam renasci haud falsum, Plin. Cardanus in fine lib. 9. de Subtilitate, causam cur quibusdam animalibus partes quædam præcisæ excisæve renascantur, in eo collocat quòd imperfecta sint: medici (inquit) ob id quòd humidiora sint dicerent. In lacertis inueniuntur & geminæ caudæ, Plin. Talem sanè figuram Bononiæ sibi visi lacerti, nec aliter à nostris communibus differentis, doctissimus medicus Misnensis Io. Kentmannus ad nos misit. Scinci qui venduntur sicci cum duabus caudis, non sunt veri scinci, Platearius. Americus Vespucius scribit se in insula quadam Oceani mille leucis à Lysbona distante, lacertas inuenisse bifurcam caudam habentes. Lacerti quaternos habent pedes, Aristot. Priora genua eis post curuantur, posteriora in priorem partem. Sunt autem crura his obliqua, humani poplitis modo, Plin. Lacertarum pedes Græci blæsos vocant, hoc est quorum pars extrorsum, pars introrsum spectet, Hermolaus.

C.

De visu à lacertis recuperato.

Non hic antiquorum testimonio mihi erit opus, quæ ipse vidi explicabo. Cum vir quispiam Lacertum magnum & opimum comprehendisset, atque æreo stilo excæcauisset, eundemq́; in fictilem ollam recentem vtrinque catenus exiguis foraminibus pertusam, vt neq; spirare fera prohiberetur,

neq;

neque tamen exitum haberet, conclusisset: & simul terram roscidam, & herbam, cuius nomen non explicauit, imposuisset: ac deinde ferreo annulo, cui inesset gagates lapis, in quo lacertus incisus erat, nouem signa impressisset, quorum quotidie vnum deleret: pòst vbi nono signo sublato ollam reclusisset, lacertum vidi, oculorum vsu recuperato, clarius quàm ante excæcationem aspicere, Ælianus. Quum lacerti in senecta oculi excæcantur, intrat in foramen parietis contra orientem, & ad ortum Solis intendens illuminatur, Isidor. Idem Albertus scribit ex libro Ioracli cuiusdam. Quòd si verum hic dicit (inquit Albertus) obtenebrationis oculorum causa fuerit frigiditas constringens humorem oculi, quem calor lucis solaris dissoluit & attenuat, & sic visum restituit. ¶ Captæ lacertæ cum aliquando lignum ori insererem, tenacissimè id mordebat. Et alterius cuiusdam colore candicantis in littore Hadriatici maris captæ digitum ori cum inderem, comprimebat illa quidem os, sed mordere & cutim penetrare non poterat. *De morsu lacerti.* ¶ Lacerta sibilat vt serpens, Author libri de nat. rerum. *De sibilo eius.* ¶ Si quis seu fortuitò lacertum, seu consultò in caluaria percutiat, & virga medium discindat, huius partium neutra moritur, sed ab altera seorsum vtraq; graditur, & duobus pedibus adrepens viuit. Deinde si coitio vtriusq; cum altera fiat, consensione quadam tacita, & naturali colligatione velut conseruntur, contexunturq;: atq; ex separatis duabus partibus vnus atq; idem rursus efficitur lacertus: & tametsi loci prius affecti vestigium cicatrix indicat, tamen & vitam pristinam retinet, & ei cætera persimilis est, qui talia nunquam perpessus sit, Ælianus. *Dissectæ lacerti partes rursus coeunt & viuunt.* Lacertus dissectus partibus suis iterum coit: Εἰσὶ δὲ σαφῶς τῶν μερῶν αἱ συνθέσεις, Ὅταν ὁ νεκρὸς τοῖς ποσὶν ἐφερπύσῃ, Philes: Mihi quidem obscurus est locus. Lacertum si quis dissecuerit & diuulserit medium, Ἕλκει μὲν αὐτοῦ συγκλόνῳ (πόνῳ) τὰ τμήματα, Συνέρχεται δὲ καὶ πάλιν τὰ λείψανα, Suidas ex innominato in σαύρᾳ. ¶ Lacertæ ac cæteræ quadrupedum ouiparæ quomodo moueantur, explicat Aristoteles in libro de communi animalium gressu. ¶ Lacerti cauernas subeunt, Aristot. *Vbi habitent lacerti.* In sepulchris habitant, Glossa in Leuit. 11. Plerunque in rubetis & spinetis solent versari, Georg. Agricola. Πᾷ δὴ τὺ μεσαμέριον πόδας ἕλκεις; Ἁνίκα δὴ καὶ σαῦρος ἐφ' αἱμασιαῖσι καθεύδει, &c. Theocrit. Idyl. 7. Amat lacertus vetera ædificia, muros & mœnia, fuscus præsertim lacertus: virides verò (ij quoq; parui, nec nisi colore differentes. non enim de maioribus viridibus loquitur) in campis potius sunt. vtrique tamen vtrobique reperiuntur, Herus. ¶ Lacerti omniuori sunt, Aristot. *De cibo eorum.* Insidias aliquando in apes faciunt, Ælianus. Lacertus apibus insidiatur, Columella: vt & stellio quem ibidē nominat. Audio & formicas ab eis edi. Edunt cochleas, bruchos, cicadas, gryllos & similia animalcula, Matthæolus Senensis. Mensibus quatuor frigidissimis latent, & nihil interea comedunt, Aristot. ¶ Lacertæ coëunt vt serpentes, Aristot. *De coitu.* Lacertæ, vt ea quæ sine pedibus sunt, circumplexu Venerem nouêre, Plinius. Audio eas vere circa exitum Martij, inter se complicatas coire, non superuenientes, sed incumbentes lateribus & ventribus iunctis se amplectentes, caudis & reliquo corpore intortis. ¶ Gignunt & quadrupedes oua, (oua perfecta, Aristot.) vt chamæleontes, lacertæ, Plinius. *De ouis & catulis.* Et alibi, Quadrupedum oua gignentium lacertam ore parere, vt creditur vulgò, Aristoteles negat: neque incubant eædem, oblitæ quo sint in loco enixæ, quoniam huic animali nulla memoria. itaque catuli per se erumpunt. Lacertæ & crocodili tam terrestres quàm fluuiatiles, sua oua terræ gremio committunt. lacertarum oua sponte in terra aperiuntur. vitam enim earum annum non complere, sed semestrem finire aiunt, Aristot. histor. anim. 5. 33. An verò ore pariant néc ne, & vtrum memoria careant, quæ itidem Plinius ex Aristotele citat nusquam apud eum legere memini. Author libri de natura rerum, (& Albertus quoque,) eadem quæ Plinius scribit: & insuper, Quidam (inquit) dicunt fœtus à matribus deuorari. Dicunt quidam quòd lacerta deuorat partum præter vnum magis inertem, qui tamen postea parentes deuorat, quod omnino falsum est, Albertus. ¶ Negantur semestrem vitam excedere, Plinius & Aristot. ¶ Latent per hyemem (mensibus quatuor frigidissimis, Aristot.) lacertus, salamandra, &c. Eadem senectutem exuunt, Ælian. Lacertus senectutem vere & autumno exuit, vt & reliqua cortice intecta, quibus cutis est mollior, nec prædura & testacea vt testudini, Aristot. ¶ In lacertis & alijs quadrupedibus ouiparis, eadem ratio vuluæ quæ in auibus est. enimuero ceruix vna infernè & carnulentior est: fissura autem & oua supernè proxima septo continentur, Aristot.

D.

Plinius scribit lacertos compares incedere, & capto vno alterum efferari in capientem, Albert. *De moribus & animi affectibus.* Homini beneuoli sunt, Matthæolus Senensis. Sed hoc alij de lacerta viridi scribunt, vt copiosè in eius historia retuli. Quidam dicunt fœtus à matribus deuorari, præter vnum magis inertem, qui tamen postea parentes deuoret, quod omnino falsum est, Albertus. Per mustelam, murem, lacertum & huiusmodi animalia in Vetere testamento clandestini insidiatores & fures significantur, quod ad quemuis strepitum similiter perterreantur, Procopius in Leuiticum de animalibus ad cibum impuris scribens. Lacerta impurum animal secundum Legem, in sepulchris habitat, & inconstantiam vitæ signat, Glossa in Leuiticum. ¶ Vtilissimum est pro frequentia domicilij (aluearium,) duos vel tres aditus in eodem operculo distantes inter se fieri contra fallaciam lacerti, qui velut custos vestibuli prodeuntibus inhians apibus affert exitium, Columella. *Insidiantur apibus.* *Absint & picti squalentia*

terga lacerti Pinguibus à ſtabulis, (aluearibus apum,) Vergilius. Lacertæ inſidias in apes faciunt: terreni quoq; crocodili peſtem pernitiemq́; illis inſtruunt. his omnibus farina ad veratrum admiſta, aut maluæ ſucco ſuffuſa, ante alueos diſperſa, guſtantibus pernitiem adfert, Ælianus. ¶ Lacertæ cochleis inimiciſſimæ ſunt, Plin. cochleas ab eis vorari in *C.* ſcripſimus. ¶ Lacerti quotiens cum ſerpentibus conſeruêre pugnam, vulnerati vires herba quadam refouent: itaq; ad ſerpentiũ ictus præcipua habetur, Plin. Lacerti maioris & viridis cum ſerpente pugnam in eius hiſtoria deſcribemus. Ophionicum Syluaticus lacertam interpretatur. Bufo cum lacerta pugnat, Phyſiologus. ¶ In Æthiopia ſcorpios lacertis audio expleri, & omni ſerpentium genere, Ælianus. ¶ Noctuæ quædam venantur mures & lacertas, & alia parua animalcula, Ariſtoteles & Albertus. ¶ Araneus paruos lacertos aggreſſus circundat os, & filis obducit, donec cohibeat: mox adhærens morſum defigit, Ariſtot. Venantur & lacertarum catulos aranei. hos primum tela inuoluentes, & tunc demum labra vtraq; morſu apprehendentes, amphitheatrali ſpectaculo cum contigit, Plin. *Serpente ciconia pullos Nutrit & inuenta per deuia rura lacerta*, Iuuenalis. Nocturnæ aues (*gimus & gimeta*) edunt lacertas & ranas, Creſcentienſis.

Inimicitias gerũt cum cochleis. Serpentibus. Bufonibus. Scorpijs. Noctuis. Araneis. Ciconijs.

E.

Lacertos apibus nocere: & quomodo id caueatur, tum quomodo interimantur, iam dictum eſt in *D.* Inſidiantur quidem apibus & melli terreſtres etiam crocodili, ſiue ij ſcinci ſunt, ſiue alij quidam lacerti ab Ionibus ſic dicti: & appoſito extra aluearia croco arcentur. item ſtelliones.

F.

Lacerti iuxta legem Moſaicam impuri.

Chamæleo, (*koah*,) ſtellio, (*letaah*,) lacerta, (*homet*, alij limacem vertunt,) & talpa, hæc omnia impura ſunt, Leuit. 11. vbi Gloſſographus, Lacerta (inquit) immundum animal ſecundum legem, in ſepulchris habitat, & inconſtantiã vitæ ſignat. Et eodem in loco, Muſtela, mus, & crocodilus (*hazab*) iuxta genus ſuum, impura ſunt. vbi pro *hazab* Septuaginta crocodilum terreſtrem vertunt: ſed fortè præſtat crocodilum ſimpliciter, aut generali vocabulo lacertum vertere, quoniam ſubijcitur, iuxta genus ſuum, (apud Hebræos: Septuaginta omiſerunt.) crocodilus verò terreſtris genus non eſt, ſed ſpecies indiuidua. Iidem Septuaginta ibidem pro *homet* lacertam vertunt. Muſtela, mus, lacerta, & ſimilia, clandeſtinos inſidiatores & fures denotant, quòd ad quemuis ſtrepitum ſimiliter perterreantur, Procopius in Leuiticum.

Qui lacertis veſcãtur.

¶ Troglodytæ Æthiopes ſerpentibus lacertiſq; & alijs id genus reptilibus veſcuntur, Herodotus lib. 4. Amazones lacertis ac teſtudinibus & id genus beſtijs alebantur: inde forſitan appellatæ, quòd nullis mazis aut delicijs, ſed tenui & promiſcuo victu vterentur, Cælius. Lacertis virentibus veſci in more Afris eſt, Idem. In Dioſcoridis inſula lacertæ permagnæ ſunt, quarum carnes edunt, pinguedine verò liquata pro oleo vtuntur, Arrianus.

G.

Remedia ex lacertis.

Remedia quæ ex lacerta deſcribit Raſis in lib. de 60. animalibus cap. 28. omnia pertinent ad crocodilum vel terreſtrem, vel aquaticum, vel vtrunq;. *Zab* enim vel *dhab* Hebraicum & Arabicum nomen generale videtur, quod has ceu ſpecies continet. *Aldab*, id eſt lacertus (in titulo tamen eiuſdem capitis *hardun* pro lacerto ſcribitur) natura præditus eſt vicina naturæ *guaril* ſeu *vrel*, & eſt ſimilis *vrel*, (ſtellionem vetus interpres reddit) propter nutrimentum, Auicenna. *Guaril* eſt maxima figuratum *alguaſgon* & *ſamambras* (maximus ex lacertis, Bellunenſis) longa cauda, paruo capite, diuerſus à lacerto, ſed fortè proximus eius naturæ. caro eius valde calida eſt, Auicenna. Attribuit autem ei ferè eaſdem vires, quas Dioſcorides lacerto ſimpliciter. Adeps & caro *guaril* (maximi lacerti) impinguant fortiter, & propriè quaſdam mulieres, Idem. Si cum lacertæ ſepo, halinitro cyminoq́; farinam tritici miſcueris, gallinæ hoc cibo ſaginatæ adeò pinguefaciũt homines qui eas ederint, vt diſrumpantur, Cardanus. Stellio, teſtudo, lacerta in cibo faciunt vt accipitres pennas citius mutent, Creſcentienſis. Falconibus malè affectis Albertus aliquando lacertam pro remedio dari iubet. Harundines & tela, quæq́; alia extrahenda ſunt corpori, euocat mus diſſectus impoſitus: præcipuè verò lacerta diſſecta: & vel caput eius tantum contuſum cum ſale impoſitum, Plinius. Si ſtirps aliqua inhæſerit, lacertam per medium ſciſſam ei loco apponito, celerrimè educetur. vel, capita ipſa lacertarum contuſa impoſitaq; ſimiliter proſunt, Marcellus. Vide plura inferius de capite. Caro *guaril* (id eſt lacerti maximi) extrahit ſurculos & ſpinas, Auicenna. Idem rurſus in capite de *ſaambras*, id eſt lacerto: Fit (inquit) ex eo emplaſtrum ſuper ſpinas, & ea quæ carni ſunt infixa, & ſuper verrucas contrito, & extrahit eas: & ſuper ea quæ ſunt vt claui, & euellit, (eadem ex capite eius remedia Dioſcorides præſcribit.) Dicunt etiam ſiccum ſi miſceatur cum oleo, capillos reuocare in manantibus capitis vlceribus. Et alibi, Caput lacertæ recens amputatum cum ariſtolochia longa & radice cannæ & bulbo narciſſi, mirabiliter extrahit ſpinas, haſtulas, ſagittas & partes vitri, ſi forma emplaſtri admoueatur. Lacerta ſi diuulſa admoueatur, ictis à ſcorpione leuamentum præſtat, Dioſcor. & Auicenna in ſaambras. Prodeſt ad ictus ſcorpionum etiam lacerta diuulſa, Plinius: item ſtellio in oleo putrefactus, vt in eius hiſtoria dicemus. Lacerta exſecta adpoſita clauorum intra triduum perſeuerantiam tollit, Marcellus. Panos aperit lacerta diuiſa adpoſita, item cinis eius, Plinius & Marcellus. Vt

ſponte

ſponte dens excidat, Lacertam agreſtem areſactam, diſſectam, contritamq́; repone, cum dentem circummundaueris imponito, & paulò poſt attrahito, quoniam ſequetur, Galenus Eupor. 2.12. Lacertæ tritæ coctæve fronti illitæ, epiphoras ſedant, ſiue per ſe, ſiue cum polline, ſiue cum thure, ſic & ſolatis proſunt. Viuas quoq; cremare & cinere earum cum melle Cretico inungi caligines, vtiliſſimum eſt, Plinius: Vide in Lacerta viridi. Lacerti inueterati in os pendentium addito ſale, contuſi, ab ictu læſas aures ſanant: efficaciſſimè autem ferrugineas maculas habentes, lineis etiam per caudam diſtincti, Plinius. Oleum de lacertis fit vel ex communibus iſtis quæ per domos noſtras & parietes verſantur, vel ex viridibus. vtrunq; autem alij ex viuis lacertis parant, alij ex mortuis & exenteratis, ne ſtercora oleo innatent, Braſauolus. Vide plura in viridibus lacertis *G.* de oleo cum eis facto. Lacertas pauxillas venatus mundo oleo eliquato, atq; ita in aurem demittito: & vermes ſi in aure fuerint, interficies, Galenus Euporiſt. 2.4. Vix eſt ſeriò complecti quædam, non omittenda tamen, quia ſunt prodita: Ramici infantium lacerta mederi iubent: Marem hanc prehendi. id intelligi, & quod ſub cauda vnam cauernam habeat. Id agendum vt per aurum, aut argentum, aut oſtrum mordeat vitium. Tum in calice nouo illigatur, & in fumo ponitur. Lacertæ quoq;, vt docuimus, combuſtæ, cum radice recentis harundinis, quæ vt vnà cremari poſſit, minutatim findenda eſt, ita myrteo oleo permixto cineres capillorum defluuia continent: (Efficacius virides lacertæ omnia eadem præſtant:) Etiamnum vtilius admixto ſale, & adipe vrſino, & cepa tuſa. Quidam denas virides in decem ſextarijs olei veteris diſcoquunt, contenti ſemel in menſe vngere, Plinius. De lacerta Martenſi vſta ad locum glabrum pilis explendum: deq; lacerta piſſina vſta ad aciem oculorum acuendam, ſcribemus infra inter Lacertas diuerſas. Arnoldus de Villanoua lacertos virides miſcet medicamentis quibuſdam pilos regenerantibus.

¶ Varices ne naſcantur: lacertæ ſanguine crura puero ieiunus illine, in totum carebit hac fœditate, Marcellus: Vel vt Plinius, lacertæ ſanguine pueris crura ieiunis à ieiunio illinuntur. Lacertæ iecur aut ſanguis in lanula adplicitus, clauorum intra triduum perſeuerantiam tollit, Marcellus. Verrucas omnium generum ſanat caput lacertæ vel ſanguis, vel cinis totius, Plinius. Verrucam poterit ſanguis curare lacertæ, Serenus. Sanguis *guaril* (aliâs *vrel*) & lacerti, confortat viſum, Auicenna. Vrina ſaambras (id eſt lacertæ, ſed apparet locum eſſe corruptum, aut interpretem, cum nulla ouiparorum vrina ſit) & ſanguis ipſius mirè iuuant rupturam infantium, cum inſident in decoctione eius. & quandoq; miſcetur vrinæ ſanguiníve eius aliquid moſchi, & immittitur virgæ infantis, quod quidem ſummum eſt rupturæ remedium. *Ex ſanguine.*

¶ Dentes ſcarificant & oſſibus lacertæ è fronte luna plena exemptis, ita ne terram attingant, Plinius. Lacertæ caput intritum & appoſitum, aculeos & omnia corpori infixa extrahit. varos, formicantes verrucas, & penſiles (quas acrochordonas vocant) tollit, Dioſcorides: & clauos, vt addit Galenus de ſimplic. 11. 6. reliqua ſimiliter habet vt Dioſcorides. Si ſtirps aliqua inhæſerit, capita lacertarum contuſa impoſitaq́; proſunt, aut ipſa lacerta per medium ſciſſa & appoſita, Marcellus. Verucas omnium generum ſanat caput lacertæ, Plinius. *Ex capite.* ¶ Lacertæ cerebrum ſuffuſionibus prodeſt, Idem. *Ex cerebro.* ¶ Cor lacertæ combuſtum aut mixtum cum amurca, impoſitum membro torporem infert adeò vt ferrum non ſentiat, Arnoldus de Villanoua: ſed hæc Raſis & Plinius de corio lacertæ, id eſt crocodili ſcribunt: Vide in Crocodilo *G.* *Ex corde.* ¶ Lacertæ iecur exeſis dentibus impoſitum dolores finit, Dioſcorides: finire aliqui ſcripſerunt, Galenus. Dicitur hepar eius ſedare dolorem molaris dentis, Auicenna. Cauis dentibus inditum iecur lacertarum aridum, dolores dentium ſanat, Plinius. Lacertæ iecur aut ſanguis in lana adplicitus, clauorum intra triduum perſeuerantiam tollit. *Ex iecore.*

¶ Lacerti ſtercus vulnera purgare, & adurere, apud Celſum legimus: quærendum autem an de lacerti ſimpliciter fimo intelligendum ſit, an terreſtris potius: an eadem vtriuſq; facultas ſit, quod magis videtur. video enim multa (vt in ſequentibus patebit) lacerti fimo ſimpliciter attribui, quæ alij de crocodilea, id eſt terreſtris crocodili fimo priuatim ſcripſerunt. Stercus ſtellionis & lacerti & crocodili, vtile eſt albugini oculi, Auicenna. *Aldab* (inſcriptio habet, *hardun*, id eſt lacertus) naturæ eſt ſimilis *vrel* ſeu ſtellioni, & ſtercus eius confert albugini & prurituí, & acuit viſum, Idem. Et alibi, ſtercus *guaril* ſeu *vrel* panno (maculis à Sole) & lentiginibus mederi ſcribit: & idem contritum eradicare verrucas: ac ſimile eſſe ſtercori lacerti. valere enim ad albuginem oculi. Stercus lacertæ illitum prodeſt ad oculorum albugines, Galenus Eupor. 1. 43. & de compoſ. medic. 4. 8. Miſcetur etiam cum alijs quibuſdam ad albugines oculorum, in libro Secretorum qui Galeno adſcribitur. Ad vlcera oculorum & albugines: Ex ſtercore lacertæ faciens collyrium cum aqua vnge, Galenus Euporiſt. 2. 99. Arnoldus de Villanoua ſtercus lacertæ abiecto nigro in farina ſubacta decoqui iubet in furno vel alibi. tum adde (inquit) aquæ nitri ſcrupulum, ſpumæ maris drachmam. & ſimul in ſucco chelidonij vel alio conueniente coquito, tum exiccata vſui reſerua ad pannum oculorum. vel adde parum ſarcocollæ, & in oculo pone. remouet enim pannum & omnem oculorum tunicam ſupernatam, quod ipſe expertus ſum. Hierocles medicamento cuidam, quod equo ad ſtranguriam infunditur, ſtercus lacertæ (κόπρον σαύρας) adijcit. *Ex ſtercore.*

¶ Lacertæ venenum eſſe negant, Mich. Herus. Salamandræ venenum expugnatur iiſdem

remedijs, quorum vsus est à cantharidum potu, aut lacerta in cibo sumpta, Plinius: quanquam non prorsus ijsdem verbis. locus enim corruptus est apud Plinium. Species lacertorum (vt habet Auicenna 4. 6. 2. 6. quod de lacertis inscribitur) est salamandra, aut in ipsa est similitudo naturæ eius: & quæ ei similia sunt, interimunt. & accidunt ei qui sumpserit carnem eius, apostema (inflammatio) linguæ & pruritus, & dolor capitis, & adustio, & caligo oculorum. Sic affecto in potu dare oportet sesamum, & xyloceratia nabati, & sachar, æquis portionibus mixta, cum butyro cocto bubulo. Dandum etiam in potu lac dulce, & inunctione olei alicuius balneoq; vtendum. Hæc ille. mox autem in sequenti capite alia contra salamandram sumptam remedia præscribit, quam lacertorum speciem facit: vnde conijcio initium capitis hic recitati, corruptum esse, intelligiq; oportere genus aliquod lacerti salamandræ simile, septicum & adurens, ideoq; dulcibus & lenibus auxilijs ei occurrendum. Caro lacertæ inflammat linguam, infert pruritum, &c. (vt Auicenna,) Arnoldus in libro de venenis. Et mox, Oua autem ipsius necant, secundum filium patriarchæ, nisi statim subueniatur cum stercore falconis & vino puro: postea cum vomitu nucis vomicæ: Sed hæc Auicenna 4.6.3.18. non de lacerti, sed de alharbe, id est chamæleontis ouis scribit. ¶ Cerebrum lacertæ veneficium (philtrum venenosum) est, quod mentem mutat potius, quàm ad amandũ mulierem, quæ id dederit, cogat, Cardanus.

De morsu eius. ¶ Stellio & lacerta cum mordet (mordent, Albertus,) dimittit (dimittunt, Albertus) in loco sui morsus dentes paruos, subtiles, nigros, pilorum instar: & non cessat locus dolere & prurire, donec auferantur cum ferra, aut cucullo (cultello, Albertus) transeunte super eos, & assumat eos, & colligat eos: quare sedatur dolor. Et quandoq; extrahit dentes eius oleum, & cinis: (fricetur locus oleo & cinere donec egrediantur dentes: deinde ex ijsdem commixtis emplastrum imponatur, Rasis.) deinde sugatur locus, & ponatur in aqua calida. Et dictum est quod altaraxacon in cibo sumptum, vtilissimum est ad morsum eius. Quòd si dolor augeatur, detur in potu theriaca rutelæ, Auicen. 4. 7. 1. 18. & Rasis tractatu 8.

H.

De synonymis. *a.* Lacertam & lacertum idem genus esse conspicor, vt est apud Græcos quoq; saûros atq; saûra, Hermolaus. Nam ad lacertas captandas tempestates non sunt idoneæ, Cicero ad Atticum lib. 2. Reperitur & neutro genere, vt apud Actium Atreo, Concoquit partem vapore, flammam tribuit verubus lacerta in focos. Lacertus animal dictum, vt placet grammaticis, quod pedes habeat ad similitudinem nostrorum lacertorum, hoc est nostrarum manuum & pedum. Σαύρα penacuitur. nam nomina in ρα quæ in penultima diphthongum habent, penanflectuntur. Excipe φαίδρα, σαύρα, αὖρα. ¶ Σαυρίτη, herba quædam, & lacerta animal, Hesychius & Varinus. Αἴθαξ Græcam vocem, (quam ego nusquam adhuc reperi,) & Germanicam Aydox/ Gelenius in Lexico symphono è regione ponit. item Græcam κίκερος, (quæ tamen scincum potius seu crocodilum terrestrem significat,) & Illyricam *gesstier*. Σμύλλα, lacerta, Hesychius & Varinus.

¶ Epitheta. *Picti squalentia terga lacerti*, Vergilius Geor. *Parua Lacerta*, Ouidius 5. Metam. Σαῦρος ὠχρὸς, Philes.

De homonymis. ¶ Lacertus in homine dicitur brachium à cubito ad manus vertebram, quæ carpus vocatur. Aspexisse lacertos suos dicitur, illachrymansq; dixisse, &c. Cicero de senect. O pectora, ô terga, ô lacertorum tori, Idem 2. Tusc. *Adductis spumant freta versa lacertis*, Verg. 3. Æneid. Hinc lacertosus, robustus ac validis lacertis apud Columellam, Ciceronem, Ouidium. Recentiores quidam lacertos pro musculis dicunt, nescio quàm rectè. ¶ Lacerta videtur & vasis genus esse apud Iurisperitos, sicut & apud Græcos saura, cuius in palma meminit Hippocrates, Hermolaus: quasi scriptum aliquod Hippocratis Palma inscribatur, quale ego nullum reperio. Quare vel Hermolaus errauit, vel librarius, legendumq;, quod è palma fieri meminit Hippocrates. Est autem locus Hippocratis in libro de articulis circa finem, Ἐμβάλλουσι δὲ ἐπιεικέως καὶ αἱ σαῦραι ἐκ τῶν φοινίκων πλεκόμεναι. hoc est, Moderatè etiam articulos luxatos reponunt quæ sauræ vocantur ex palmis contexi solitæ. Ego sauras intelligo, non vasa, sed funiculos ex palmis contextos. hi cum resoluuntur, (vt quiuis funiculi) aperiuntur, vt digitus immitti possit, tum in contrariam partem retorti, arctius clauduntur, vt per eos digitus trahi & extendi possit: moderatè scilicet: quæ enim sic contexta sunt facilè extenduntur, nec multum renituntur, nec duritie sua lædunt: quod conuenit, cum nulla vi in his articulis extendendis opus sit. Vocat autem Hippocrates moderatam repositionem, quando opera duorum necessaria non est, vt in præcedenti illic modo: sed vnius tantum sufficit. Quod si rectè σαῦρα scribitur, vt nostri codices habent & Hermolaus legit, idem sanè significabunt & istæ voces, σίρα, σειρὰ, σηρά: Grammatici interpretantur vinculum contextum, (nimirum è viminibus, aut corticibus arborum.) Σειρὰ enim catenam sonat, aut contextum quid è funiculis, aut sparto, aut cannibi, aliáve materia, vt Varinus scribit. Σηρὰ, δεσμὸς πλεκτὸς, Idem. Σίρα, πλεκτὸν ἱμάντωμα ἐν ταῖς ναυσίν, Idem: contextum nimirum illud è viminibus, cui remus inseritur: malim oxytonum σιρά. Est & σίρος vas, in quo far & legumina reponuntur, Etymologus: quæ vox apud Aetium vltimam acuit. nam libro quarto capite decimo tertio: Siriasis, (Σιρίασις, aliâs σειρίασις: aliqui non rectè syriasin scribunt) inflammatio est partium cerebri & membranarum eius, infantibus contingens, vsque ad concauitatem sincipitis

pitis & oculorum: sic dicta, quoniam σιρὸς Græcè vas concauum (σῶμα κοῖλον) dicitur, quo semina asseruantur. Apud eundem libro primo in quercu σιρὺς legimus, pro fossis subterraneis, in quibus agricolæ tanquam in horreis frumentum aut alios fructus per hyemem adseruant, quæ Latinè etiam siri appellantur Curtio lib. 7. & Columellæ ac Varroni. Nostri rapa præcipuè in huiusmodi fossis conseruant. Σιρὸς, ὁ λάκκος. καὶ σιροῖς ὀρύγμασιν, ἐν οἷς κατατίθεται τὰ σπέρματα, Suidas: sed hæc præter institutum. Cæterum omnes hæ voces cum contextum aliquid significant, siue ad vinculi aut funiculi, siue ad vasis alicuius, vt fisci, calathi aut nassæ aut alterius figuram, Hebraicæ originis videntur, à verbo *zar* vel *zarar*: quod ligare significat, vt *asar* quoq; vel quòd ad ligandum apta sint, vt vincula: vel quòd ex viminibus alijsve inter se connexis & contortis contexantur, vt eadem & vasa diuersa. Hinc & illa quæ subijciam vocabula, orta mihi videntur: Σαργάνη, χοινίον, καὶ πλέγματα γυργαθώδη, καὶ εἶδος σπυρίδος, Varinus. Σώρακον, ἀγγεῖον εἰς ὃ σῦκα ἐμβάλλεται, ἢ ξυλοκανθήλια, Idem. Σαείρ, ramus palmæ apud Lacones: & Σειρομάστης, lorum, Idem. Palmarum sanè tum folium ad vitilia vtilissimum est, tum funes rudentesq; in Ægypto ex tunicis eius nectuntur, vt apud Theophrastum legitur. Saura igitur apud Hippocraten genus quoddam texti è tunicis aut corticibus palmæ funiculi erit, (cui nihil cum lacerta animali commune:) non autem vasis genus vt Hermolaus & Cælius putarunt, quòd id extendendo reponendoq; articulo minus aptum foret: Lacertam verò apud Iureconsultos vasis genus esse à figura sic dicti (fortassis quòd quatuor pedibus in digitos transuersò situ formatis insistat) non negauerim. Σαυρία, corruptio segetum, iaculum, venabulum, Vide Theocritum in Pharma. Σαυριάζειν, segetes destruere, iaculari, ferire. Σαυροειδὴς simile lacertæ. Σαυρωτὴ, ποικίλη, id est varia, Hesych. nimirum à varietate coloris lacertorum. *Σαυρία & σαυριάζειν.*

¶ Σαυρωτὴρ pars hastæ, de qua alij aliter docent. Hastæ postremum quod ferreum est, vocatur sauroter: quanquam eo nomine sunt qui intelligant locum item in quo reponatur hasta, Cælius. *Σαυρωτήρ.* Hastæ finis (manibus proximior, spiculo oppositus, Pollux 1. 10.) σαυρωτὴρ vocatur: pars media, ancyle: quæ verò prominet αἰχμὴ (id est spiculum vel mucro) & epidoratis & styrax. Et rursus 10. 31. Hastæ pars qua erigitur vel cui insistit, (τὸ τοῦ δόρατος ἱστάμενον,) σαυρωτὴρ dicitur, & styrax & styracion: ferrum verò prominens, λόγχη, αἰχμὴ, ἐπιδορατίς. De styrace plura Cælius. Varinus aliam adfert originem, his verbis: Sauroter ferreum est cauum & in fine mucronatum, cui inserta posterior hastæ pars, hastam terræ infixam, pali seu crucis (σταυροῦ) aut patibuli instar, erigi facit: vt σαυρωτὴρ quasi σταυρωτὴρ ἀπὸ τοῦ σταυροῦ dictus videatur, (quod Eustathius quoq; tradit:) sed apud veteres σαυρωτὴρ nominatur, nempe in altero hastæ fine extremũ spiculum ferreum. Apud Homerum autem *sauroter* vocatur etiam οὐρίαχος: apud alios verò κρόσφος quoq; aut χρόσφος: item styrax pars eadem quasi στύραξ, ἀφ' (ἐφ') οὗ δηλαδὴ ἐστι τὸ δόρυ στῆναι. Intelligo autem posteriorem hastæ partem quæ manibus tenetur, vel quę mucroni opposita est, vbi hodie simpliciter circulus ferreus hastæ inseritur. Οὐρίαχος (vt idem alibi habet) pars posterior & spiculo hastæ opposita, veluti cauda hastæ, quæ & styrax & sauroter vocatur, & χρόσφος & σόρθυγξ appellatur. Ἔγχεα δέ σφιν Ὀρθ' ἐπὶ σαυρωτῆρος ἐλήλατο, Iliad. κ. vbi Scholia, ὀρθὰ ἐπὶ τοῦ κρόσφου. sic enim vocatur ferrum è regione epidoratidis situm. Σαυρωτῆρσι, τοῖς στύραξι τοῖς ὄπισθεν τῶν δοράτων. Ἔκτανε δ' ἵκτῷ σαυρωτῆρι. Καὶ ταχὺ περιστρέψας τὸν ἵππον εἰσπεσόντα, παίει τῷ σαυρωτῆρι διὰ τοῦ τραχήλου. Ἢ ξυστὸν δόρυ ἢ στύραξ, ὃν ἔνιοι καλοῦσιν οὐρίαχον, Suidas. Σαυρωτὴρ significat etiam stathmen, id est perpendiculum (quod in eo quoq; plumbum funiculo extremo addatur, vt ferrum hastæ) & cestum (id est cingulum varium vel acu pictum, vt & lacerti color varijs punctis distinguitur,) Helychius. Σαυρωτοῖς δόρασι, hastis quæ saurotêras habent in epidoratide, Idem. Σαυροβελθὲς ἔγχος, ἐκ τοῦ σαυρωτῆρος βαρύ: sic Æschylus, ὀπισθοβελθὲς ἔγχος, Hesych. & Varinus. ¶ Σαυρίων, εἶδος σημαίας ἢ φλαμούλου, Suidas. Σημαία, τὸ φλάμουλον, ἢ σημεῖον, Varinus. Vexilli genus intelligo, flammeum quidem Latini grammatici genus vestimenti lutei coloris interpretantur, quo amiciebatur noua nupta boni ominis causa, &c.

¶ Praxiteles statuarius inter cætera fecit & puberem (Gyraldus legit, & Apollinem puberem) subrepenti lacertæ cominus sagitta insidiantem, quem Sauroctonon vocant, Plinius. *Apollo Sauroctonos.*

¶ Est & herbæ nomen saura Plutoni sacra, vt Nicander poeta docuit illo versu: Σαύρην τ' ἢ χθονίου πέλεται στέφος ἡγεσιλάου: fortasseq; in eo verbo aut anagallidem intelligit, quippe quam Dioscorides *sauritin* (aliâs *gauritin*) à nonnullis dici prodat, & prophetæ nycteritin, quasi nocturno & subterraneo dicatam numini: aut ipsum sinapi, quod (vt Plinio placet) ab Atheniensibus saurion vocatur: aut nasturtium quod ab Hippocrate sauridion quoq; dicitur, Hermolaus. Et alibi, Hippocrates nasturtium sauridion vocat, à sinapis similitudine, quod & saurion dicitur. Sauridion Hippocrati nasturtium est, à similitudine figuræ, Galenus in Glossis & Varinus. Vsurpatur autem hæc vox ab Hippocrate in libro de vlceribus. Σαυρίτη, herba quædam, Varinus & Helych. Lacertus piscis, qui g. colias &c. Σαῦρον autem piscis Græcorum non est lacertus Latinorum. *Saura herba.*

¶ Lacertis similia sunt, aut lacertorum generis multa ex ouiparis quadrupedibus, omnia nempe quæ oblongiore sui corporis alueo serpentes imitantur, essentque serpentes ablatis pedibus: vt stellio, scincus, salamandra, seps siue lacerta chalcidica. Salamandra magnitudine est lacertæ, Suidas. Stelliones lacertarum figura sunt, Plinius. Ascalabotes (id est stellio) animalculum est lacertæ simile, Suidas. *Aldab* animal figura lacerto simile est, sed maius: Vide in Scinco *A.* *Alurel* (aliâs *De animalibus lacertis similibus.*

guaril) animal terreſtre, lacerto ſimile, And. Bellunenſis. Chamæleontis figura & magnitudo erat lacerti, niſi crura eſſent recta & excelſiora, Plinius. Sunt & ſauri Græcis, vt lacerti Latinis inter piſces. Sauritæ genus ſerpentium, Varinus & Heſych.

Nomina propria ab hoc animali deſumpta.

¶ Sauros & Batrachos ſtatuarij, natione Lacones, fecere templa Octauiæ porticibus incluſa, Plinius. Cum Erymantum fluuium traieceris ad Sauri iugum, vt vocant, & Sauri monumentum videbis, & Herculis templi rudera. Dicitur autem hic Saurus latro fuiſſe, & viatores afflixiſſe & accolas, priuſquam Herculi pœnas dedit, Pauſanias in Eliacis. Saureas ſerui nomen apud Feſtum legitur. Σαῦραι, gens Thraciæ, Varinus & Heſych. Amazones nullis mazis aut delicijs, ſed tenui & promiſcuo victu vtebantur, vt inde videri poſſent appellationem ducere: quod nec Euſtathio diſplicet, quoniam lacertis ac teſtudinibus, & id genus beſtijs alerentur. Quamobrem etiam Sauromatidas, ſiue ſauropatidas nuncupatas volunt, διὰ τὸ σαύρας πάσασθαι, ὅ ἐστι γεύσασθαι. quanquam alij quòd in Sauromatica Scythia aliquando habitauerint, dictas ita opinantur, quod Stephanus tradit. Sed & Euſtathius Sauromatas Amazonum connubio inſignes refert, Cælius. Sarmatæ, Græcis Sauromatæ dicti, Scythiæ populi ſunt, Plinius. Et rurſus, A Buge ſuper Mæotin Sauromatæ tenent. In Creta fons eſt ab aditu ſpeluncæ Idææ duodecim plurimum ſtadia diſtans, Sauri dictus, Theophraſtus de hiſt. plant. 3.5.

¶ *b.* Σαύρῳ λοιπὸν ἐμφερὴς ἐγένετο, Innominatus apud Suidam in Σαύρα: fortè pro eo quod eſt expalluit, vt de viridi lacerto intelligatur.

¶ *c.* Ælianus rem miram de hoc animali tradit: Quidam videlicet comprehenſam lacertam, ac oculis ſtilo acuto orbatam, in ollam fictilem nouam incluſit vtrinque pertuſam paruis cauernis: mox illita cera, addita herba quadam, cuius nomen non indicauit: deinde gagate lapide annulo ligato ferreo nouem ſignis ſignauit, quorum quotidie vnum delebat: poſt nonum vero, recluſa olla, lacerta inuenta eſt oculis reſtituta. Anulum nanque illum aiebat oculis vtilem eſſe, Volaterranus.

Lacertus frater Lombardorum dictus.

Vide infra in Lacerta viridi *G.* Lacertum aliqui fratrem Lombardorum vocant, vt bufonem Salernitanorum: quòd apud hos populos mulieres aliquando hæc animalia in vtero geſtare è vulgo quidam fabulentur.

¶ *g.* In vrina virili lacerta necata, venerem eius qui fecerit, cohibet. nam inter amatoria eſſe magi dicunt, Plinius.

Superſtitioſa de lacertis.

¶ *h. Incantata lacertis Vincula*, Horatius Serm. 1.8. de veneficis mulieribus. ¶ Apollo Sauroctonos: vide ſuperius inter deriuata. Deos aliquot animalium nominibus veteres appellarunt, vt Dianam lupam, Solem lacertum, Porphyrius lib. 4. de abſtinendo ab animatis.

DE LACERTO VIRIDI.



A.

De nomine.

LACERTA maior quæ & viridis dicitur, Græcis σαύρα χλωρὰ, & χλωροσαύρα apud recentiores, Italis *gez*, Germanis grüner Heydox. Valleſij Grünig vocant. Syluaticus & alij quidam ophionicum ſiue ophiomachum quoq; lacertum interpretantur, quæ nomina à vincendis & impugnandis ſerpentibus facta ſunt: ideoq; & cicadæ genus, & ichneumonem ophiomachum vocant. Sunt qui lacertam viridem & ſtellionem confundant, vt vetus gloſſographus Auicennæ, & quidam etiam noſtra ætate. Et Syluaticus, Stellio (inquit) id eſt lacerta Facetana: vel ſecundum alios, lacerta viridis.

B.

De figura corporis.

Viridi colore ſunt, vnde & nominantur: præcipuè tamen, vt Georg. Agricola ſcribit, verno tempore, æſtiuo nonnihil pallidi. Morbus regius cum virore pallidus eſt, quales ſunt lacerti cum virore pallentes, Hippocr. lib. 3. de morbis. Maiores ferè duplo ſunt, vt puto, communibus lacertis, rari apud nos: calidioribus locis frequentes, ruri ſub dio & in pratis magis, non etiam vt communes circa parietes reptant. Plinius priuatim meminit lacerti viridis longo collo naſcentis in ſabuloſis.

D. Ita-

D.

Italia magnas habet lacertas & virides. hoc animal natura & homini amicum eſt, & ſerpentibus inimicum. Nam vbicunq; proſpicit homo, ibi congregantur lacertæ, obliquato capite diu contemplantes hominis faciem. ſi expuas, elambunt ſaliuam ore redditam: vidi & puerorum mictum exorbentes. Quin & puerorum manibus tractantur impune, atq; etiam læduntur, & admotæ ori gaudent ſaliuam lambere. Cæterum ſi comprehenſæ inter ſe committantur, dictu mirum quàm in ſeſe ſæuiant, nec appetunt committentem. Si quis in agris ambulet per viam cauam, nunc hinc, nunc illinc ſtrepitu dimoti rubi admonent hominem, inſuetus crederet ſerpentem eſſe, vbi diſpexeris lacertæ ſunt, obliquato capite contemplantes donec conſiſtas: ſi pergas, ſequentes. Rurſus aliud agentem admonent. Diceres eas ludere vehementerq; delectari hominis aſpectu. Quodam die vidi prægrandem & mirè viridem in oſtio caui decertantem cum ſerpente. Primum mirabamur quid eſſet rei. nam ſerpens nobis non erat conſpicuus. Italus admonebat in antro eſſe hoſtem. paulò poſt venit ad nos lacerta, velut oſtendens ſua vulnera ac remedium flagitans: ſeq; tantum non tangi patiebatur. Quoties autem reſtabamus, reſtabat & illa nos contemplans. Serpens alterum latus penè totum eroſerat, & ex viridi rubrum fecerat, ac rurſus in antrum ſe abdiderat. Poſt aliquot dies cum fortè inambularemus per eundem locum, ſerpens è fonte vicino biberat: erat enim æſtus prodigioſus, adeò vt nos quoque aquæ inopia periclitaremur. Commodum occurrit ex agris puer natus annos tredecim, geſtans raſtrum quo fœnum demeſſum conuerrunt agricolæ: hic ſimul vt ſerpentem vidit, præ gaudio exclamat, velut inſultans deprehenſo hoſti. Ferit raſtro, ſerpens ſe contrahit. ille non facit feriendi finem, donec contrito capite ſerpens in longum porrigitur, quod non facit niſi moriens. Ad hæc, eius ruris agricolæ pro comperto nobis aliud quiddam mirabile referebant. Agricolæ nonnunquam feſſi obdormiunt in agro: tum ſerpentes interdum clanculum adrepentes in os patens dormientis conijciunt ſeſe, & in ſtomachum ſeſe conuoluunt. Verum in hoc diſcrimine non rarò lacerta quamuis puſilla ſeruat hominem. nam vbi ſenſit ſerpentem inſidiari, circuncurſat per collum & faciem hominis, nec finem facit donec prurítu ſcalptuq; vnguium excitetur. Porrò qui expergiſcitur conſpecta in propinquo lacerta, mox intelligit hoſtem alicubi eſſe in inſidijs, ac circumſpiciens deprehendit. Hæc omnia Ephorinus quidã apud Eraſmum in Colloquio de amicitia. Atqui Matthæolus Senenſis de lacertis minoribus ſcribit, eſſe eas homini beneuolas. Plinius lacertas ſimpliciter cum ſerpentibus pugnare prodidit. Ophionicum Syluaticus (offionicum ipſe ſcribit) lacertam interpretatur: alij ophiomachum, quòd ſerpentes impugnet ac vincat: niſi ophionicus pro ophiomacho corruptè ſcribatur.

Sympathia lacerti huius cum homine & antipathia cum ſerpente.

Pugna lacerti cum ſerpente.

E.

Multi contra erucas, & mala ne putreſcant, lacertæ viridis pelle tangi cacumina arborum iubent, Plinius. Lacertæ viridis felle, (non *pelle*, vt Plinij codices habent) ſi tangantur cacumina mali non putreſcit, Palladius. Vt fructus mali in arbore non computreſcat, neq; ipſum eruca contingat, lacerti viridis felle truncum illine, Anatolius in Geoponicis.

De vſu lacertorum viridiũ.

F.

Lacertis virentibus veſci in more Afris eſt, Cælius (ex D. Hieronymo.) De his qui lacertos ſimpliciter edunt, vide ſupra in lacerto *F.* Iſchiadicis prodeſſe dicunt lacertam viridem in cibo, ablatis pedibus, interaneis, capite, Plinius.

De lacertos edentibus.

G.

Lacerta viridis pro ſalamandra ſubſtitui poteſt ad remedia, vt legitur in Antiballomenis Æginetæ adiunctis. Solaris lacerta eadem poteſt quæ & viridis, Kiranides. Lacerta viridis cremata, carni alicui aſperſa, mutationem pennarum in accipitre, qui ederit, accelerat, Albert. Demetrius Conſtantinop. in libro de cura accipitrum, accipitri ad cibum obijcit lacertam viridem minutatim conciſam, ne vnguibus retinere poſſit. nam pes ſanie lacertæ læſus contraheretur. Et ad eundem effectum vt pennæ cito abijciantur, lacertam viridem in aqua decoqui iubet: tum in mortario contundi, affuſaq; aqua tepida accipitrem in ea lauari. Ad idem alius Græcus ſcriptor innominatus, triduo accipitri in cibo dari præcipit lacertos virides viuos, aut ſiccatos in Sole & ſuillæ aſperſos carni. Ad comitiales prodeſt lacerta viridis cum condimentis quæ faſtidium abſtergeant, ablatis pedibus & capite, Plinius. Phthiſin ſentientibus vtiliſſimam eſſe tradunt lacertam viridem decoctam in vini ſextarijs tribus ad cyathum vnum, ſingulis cochlearibus ſumptis per dies (continuos) donec conualeſcant, Plinius. Lacerta viridis viua immiſſa in vas fictile nouum, & cum vini ſextarijs tribus decocta ad cyathum vnum, incredibiliter phthiſico prodeſt, ſi ex vino eo mane ieiunus bibat cochleare vnum, Marcellus. Iſchiadicis prodeſſe dicunt lacertam viridem in cibo, ablatis pedibus, interaneis, capite, Plinius. Et rurſus, in lumborum dolore lacertæ virides deciſis pedibus & capite in cibo ſumuntur. Idem hoc remedium ſcinco etiam ſiue crocodilo terreſtri, & ſtellioni ſimpliciter, & ſtellioni tranſmarino ſimiliter in cibo ſumptis attribuitur. ¶ Lacertas pluribus modis ad oculorum remedia aſſumunt. Alij enim viridem includunt nouo fictili, ac lapillos qui vocantur cinædia, quæ &

Remedia ex lacerto viridi.

Mira vel potius ſuperſtitioſa quædam de huius lacerti vſu ad oculorum remedia.

inguinum tumoribus adalligari ſolent, nouem ſingulos ſignis ſignantes, & ſingulos detrahunt per dies. Nono emittunt lacertam, lapillos ſeruant ad oculorum dolores. Alij terram ſubſternunt lacertæ viridi excæcatæ, & vnà in vitreo vaſe annulos includunt è ferro ſolido vel auro: cum recepiſſe viſum lacertam apparuerit per vitrum, emiſſa ea, annulis contra lippitudinem vtuntur. Alij capitis cinere pro ſtibio ad ſcabritias. Quidam viridem longo collo in ſabuloſis naſcentem comburunt, & incipientem epiphoram inungunt: item glaucomata. Muſtelæ etiam oculis punctu erutis, aiunt viſum reuerti, eademq́; quæ in lacertis & annulis faciunt, Plinius. Lacertam viridem excæcatã acu cuprea in vas vitreum mittes, cum anulis aureis, argenteis, ferreis, & electrinis, ſi fuerint, aut etiam cupreis. deinde vas gypſabis, aut claudes diligenter atque ſignabis, & poſt quintum vel ſeptimum diem aperies, lacertamq́ue ſanis luminibus inuenies: quam viuam dimittes, anulis verò ad lippitudinem vtêris, vt non ſolum digito geſtentur, ſed etiam oculis crebrius adplicentur, ita vt per foramen anuli viſus tranſmittatur. obſeruandum ſanè inprimis vt in loco nitido atq; herbido deponatur ampulla, & cum lacerta diſceſſerit, tum anuli colligantur. obſeruandũ etiam vt Luna vetere, id eſt à Luna nonadecima in viceſimam quintam, die Iouis, Septembri menſe, capiatur lacerta, atq; ita remedium fiat, ſed ab homine maximè puro atq; caſto, Marcellus. (Vide ſuperius ex Volaterrano, in Lacerta ſimpliciter *H. C.* Kiranides lib. ſecundo idem hoc remedium paulò aliter deſcribit.) Et rurſus Marcellus, Lacerti (inquit) viridis quem ceperis die Iouis, Luna vetere, menſe Septembri, aut etiam quocunq; alio, oculos erues acu cuprea, & intra bullam vel lupinum aureum claudes, colloq́; ſuſpendes: quod remedium quandiu tecum habueris, oculos non dolebis. lacertum ſanè eodem loco in quo ceperis dimittes. vel etiam ſi ſanguinem de oculis eius lana munda excipias, eamq́; phœnicio conuoluas, colloq́; ſuſpendas, vtêris efficaciſſimo aduerſum oculorum dolorem remedio. Et in tertianis fiat poteſtas experiendi, an lacerta viridis adalligata viua in eo vaſe quod capiat, proſit, quo genere & recidiuas frequenter abigi affirmant, Plinius. In quartanis adalligari iubent lacertæ viridis viuæ dextrum oculum effoſſum mox cum capite ſuo deciſo, in pellicula caprina, Idem. Et alibi, Propter ſtrumas exulceratas lacertus viridis adalligatur: poſt dies triginta oportet alium adalligari. A lienis dolore liberat & lacerta viridis, viua in olla ante cubiculum dormitorij eius cui medetur ſuſpenſa, vt ègrediens reuertensq́; attingat manu, Plin. Ramices infantium lacertæ viridi admotæ dormientibus morſu emendantur. Poſtea harundini adalligatæ ſuſpenduntur in fumo: traduntq́; pariter cum ea expirante ſanari infantem, Idem. ¶ Oleum de lacertis fit vel ex communibus iſtis quæ per domos noſtras & parietes verſantur, vel ex viridibus. vtrunq; autem alij ex viuis lacertis parant, alij ex mortuis & exenteratis, ne ſtercora oleo innatent, Braſauolus. Lacertas virides ſeptenas in dimidia menſura (in libris ferè duabus) olei communis ſuffocato, atque ita per triduum inſolato. hoc oleum guttam roſaceam, vt vocant, faciei illitu mirabiliter emendat, vt doctiſſimus medicus Georg. Pictorius ad nos ſcripſit. Videtur autem excrementorum lacerti ratione potiſſimum hoc præſtare: quoniam & ſcinci ſeu crocodili terreſtris excrementa faciem dealbant, & maculas delent. Si fractum (θλᾶσμα) in equo ſurſum verſus, qua vngula enaſcitur, prorumpere contingat, id quod præduris veterinorum pedibus ſolet euenire: in primis oleum aceto dilutum in ellychnio receptum adhibebis. Si verò quantum fieri poteſt dolor leniatur: medicamine quod lacertis conſtat, erit vtendum. Hoc autem vnguine delibuta tota vngula ſuccreſcit, & augetur: ſicq́ue depulſum ſenſim adparens diruptionis vitium abigitur. Ratio medicamenti hæc eſt: In fictile nouum terni conijciuntur olei ſextarij, in quod lacertæ virides merguntur, & indito operculo tantiſper coquuntur, dum in oleo crematæ contabuerint, (κατακαυθλῶσι. lego κατατακλῶσι:) dein oſſiculis earum exemptis, triti bituminis ſelibra, & liquidæ picis hemina cum adipis ſuilli veteris libris duabus adijciuntur. hæc omnia rectè coquuntur, & cum poſtulat vſus, vngula perungitur. hoc quantum maximè fieri poteſt vngulam durat, firmioremq́; animantis pedem præbet, Hierocles in Hippiat. 101. Molliſſimæ equorum vngulæ hoc vno medicamine, quo potentius nihil eſt, aſſolent indurari: Lacertum viuum viridem in ollam nouam mittis, adijcies olei veteris libram, aluminis (lego, bituminis) Iudaici ſelibram, ceræ libram, abſinthij tunſi ſelibram, & decoques cum lacerto: Cum fuerit reſolutum, calentia vniuerſa colabis, abiectisq́; oſſibus & purgamentis, liquatum medicamen in ollam remittes: & cum vngues indurare volueris, vngulam ſubradis, & factum vnguentum in cannam viridem mittes, adhibitis carbonibus, propè feruens per cannam inſtillas vngulis: prouiſurus ne coronam tangas aut ranulas, ſi his exceptis, in ſolo & in circuitu ſolidaturus vngulam confricabis. Memineris autem vngulas excreſcendo renouari, & ideo interpoſitis diebus vel ſingulis menſibus talis cura non deerit, per quam naturæ emendatur infirmitas, Vegetius. Ad ſupercilia piloſa: Lacertam viridem coque in oleo, & poſtquam euulſeris pilos, vnge locum, Galenus Euporiſton 2. 103. ¶ Lacertæ, vt docuimus, combuſtæ, cum radice recentis harundinis, quæ vt vnà cremari poſſit, minutatim findenda eſt, ita myrteo oleo permixto cineres capillorum defluuia continent. Efficacius virides lacertæ omnia eadem præſtant: Etiamnum vtilius admixto ſale, & adipe vrſino, & cepa tuſa. Quidam denas virides in decem ſextarijs olei veteris diſcoquunt, contenti ſemel in menſe vngere, Plinius. Arnoldus de Villanoua etiam lacertas virides medicamentis alijs pilos reuocantibus admiſcet. Vide infra in

De oleo ex lacertis conficiendo.

Lacerto

Lacerto Martense, in capite de Lacertis diuersis. *Remedia ex cinere.* Lacertæ viridis cinis cicatrices ad colorem reducit, Plinius. *Ex ossibus.* ¶ Ossa lacertæ viridis prosunt comitialibus nouo experimento. Colligi autem ossa tali modo debent: Imponas lacertam viridem adhuc viuam, captam, in aliquod vas clausum, plenum optimo sale. Sal enim paucis diebus carnem eius & intestina omnia consumit, vt facilè iam ossa colligantur: quæ tam ad comitialem prosunt quàm vngula alces, quamuis & hæc est magni momenti, Christophorus Salueldensis. coniicio autem sentire eum gestanda hæc ossa pro amuleto. *Ex sanguine.* ¶ Lacertæ viridis sanguis subtritus (subtritos, aliâs *attritos*) & hominum & iumentorum pedes sublitus sanat, Plin. Clauos pedum (clauellos & callos pedibus molestos, Marcell.) lacertæ viridis sanguis flocco impositus (mirè, Marcell.) sanat, Plinius. *Ex oculis.* ¶ Oculus lacertæ viridis à quibusdam superstitiosè, contra quartanam adalligatur: item oculi eruti intra bullam auream inclusi contra oculorum dolores gestantur, vel sanguis de oculis phœnicio exceptus, vt superius dictum est. *Ex corde.* ¶ Contra strumas exulceratas quidam cor lacertæ viridis in argenteo vasculo seruant, Plinius. Contra omnes strumas & fœminis & maribus vtilissimum est, si cor lacertæ viridis lupino argenteo clausum in collo suspensum semper habeant, Marcellus. *Ex iecore.* ¶ Clauos pedum sanat iecur lacertæ viridis vel sanguis flocco impositus, Plinius & Kiranides, qui hoc de solari lacerta scribit. Ex lacertæ viridis iecore phylacterium superstitiosum Marcellus Empiricus præscribit.

Ex felle. ¶ Pilos in palpebris incommodos euulsos renasci non patitur fel lacertæ viridis in vino albo Sole coctum ad crassitudinem mellis in æreo vase, Plin. Lacertæ viridis fel misce cum vino albo quantum sufficere existimaueris, & mitte in vas æreum, positumq; ad Solem tandiu agita donec crassitudinem mellis habeat, atq; ex eo loca pilorum vulsorum vngue, Marcellus. Fel lacertæ solaris (hanc enim eadem posse quæ viridis ait) in vino putrefactum per dies 40. sub dio ad Solem in diebus canicularibus, pilos palpebrarum extirpat, Kiranides.

H.

a. Epitheta. *Seu virides rubum Dimouêre lacertæ*, Horat. 1. Carm. *Nunc virides etiam occultant spineta lacertos*, Verg. 2. Ægl. Sed præstat viridem lacertum dici asserere periphrasticè potius loco vnius substantiui, ad differentiam lacerti communis siue minoris, quàm epitheticé.

Saurites gemma. ¶ Sauriten gemmam in ventre viridis lacerti harundine dissecti tradunt inueniri, Plinius.

¶ *e.* Puluis lacertæ viridis & lapathum acutum aperiunt seras & alia multa præstant, Obscur.

DE LACERTIS DIVERSIS.

Guaril vel vrel. GVARIL (vel potius VREL, vt Bellunensis legit) est maxima figurarum *alguasgon* & *samambras* (Bellunensis vertit, ex lacertis vel liguris,) longa cauda, paruo capite, & non est lacertus. Lacertus enim aut nunquam aut rarò repetitur præterquam ruri: & caput & corpus eius diuersa sunt *alguaril*, sed fortè proximus est ei facultatibus suis. Fimo eius ephelides & lentigines abolentur, &c. (vt scripsi in Lacerto *G.*) Auicenna.

Lacertus Martensis. ¶ Si quis maleficiis capillos perdiderit, hac eos ad pristinam rationem forma reparabit: si LACERTVM salsum MARTENSEM cum suo capite, & lanæ purpureæ optimè in conchylio tinctæ duas ligulas, & chartam cubitalis mensuræ separatim comburat, cineremq; permisceat, conteratque cum oleo cedrino paulatim adiecto, vt crassitudinem velut glutinis faciat: eoque medicamine glabrum locum perfricet, ita vt prius diu linteo asperiore detergeat, Marcel. Lacerta viridi vsta etiam vtuntur ad capillorum defluuia, vt supra scriptum est.

Lacertæ Pissinnæ. ¶ LACERTAS PISSINNAS quæ in segetibus morantur, quas Græci *aruras* vocant, comburito, & ad tenuissimum puluerem redigito: atque ex eo cum vino aut melle optimo caligantes oculos inunge, valde proderit, Marcellus.

Stellio & Lacerta Facetana. ¶ Stellio, id est LACERTA FACETANA, secundum alios Lacerta viridis, Syluaticus.

De Lacertis magnis Galliæ. ¶ Quidam ex amicis nostris fide dignis, narrauit mihi visas sibi in Prouincia (regione Galliæ,) & Hispania aliquando LACERTAS ea crassitudine, qua crus humanum sub genu est, non admodũ longas, quæ caua terræ incolerent, & homines aliasque animantes prætereuntes sublimi saltu impeterent, ita vt aliquando vno ictu totam hominis maxillam resecarent, Albertus. ¶ Ipse etiam in illa Italiæ siue Galliæ cisalpinæ regione quam *Pedem montis* vocant, permagnos lacertos in montibus reperiri audiui, catulorum canis circiter magnitudine, quorum excrementa ab incolis colliguntur: quòd tamen ita se habere nondum assero, donec fide dignior aliquis testis accedat. *Italiæ.* ¶ In quadam Libyæ parte in Mauritania lacertos bicubitales reperiri dicunt, Strabo lib. 17. *Libyæ.* ¶ Ex fortunatis insulis vna Capraria appellatur, grandibus (enormibus) lacertis referta, Plinius & Solinus. *Capariæ insulæ.* ¶ In Dioscoridis insula prope Arabiam thuriferam lacertæ permagnæ sunt, quarum carnes insulani edunt, pinguedinem verò liquant & pro oleo vtuntur, Arrianus. *Dioscoridis insulæ.* ¶ In Arabia lacerti ad duorum cubitorum magnitudinem accedunt, Ælianus. *Arabiæ.* Lacerti Arabiæ cubitales: in Indiæ verò Nysa monte vigintiquatuor in longitudine pedum, colore fului, aut punicei, aut cærulei, Plinius. Poly-

cletus maximos ait lacertos in India, tum valde vario colore, nasci: vt pellis floridis quibusdam pi-

Lutetiæ.

cturis maximè distincta, & ad tactum mollis & tenera sit, Ælianus. ¶ Lacertus Lutetiæ in palatio pendet, vt audio ab oculatis testibus, hominis ferè crassitie: proceritate etiam paulò infra hominem. hunc aliqui aiunt deprehensum in carceribus quibusdam, vbi captiuos infestârit, mordendo aut sugendo tibias eorum: & aliquid ea de re memorari ab ijs qui Chronica Gallica scripserint. Spectatur & alius similis, vt ferunt, eadem in vrbe, sed paulò minor, in æde diuo Antonio sacra. Ex Æthiopiæ insulis nuper à regibus Lusitaniæ occupatis, Romam iussu cardinalis Vlyxiponensis lacerta extincta circiter octonûm cubitorum longitudine aducta est: oris verò hiatu, quo solidum infantem deuoraret, ac tholo diuæ genetricis ad portam Flumentanam, miraculi gratia suspensa nunc cernitur, Volateranus.

De serpentibus quibusdam immanibus qui in prouincia Caraiam reperiuntur.

¶ In prouincia Caraiam, Tartarorum regi subiecta, nascuntur serpentes maximi, quorum quidam in longitudine continent decem passus, & in complexu crassitudinis decem palmos, (dodrantes.) Horum aliqui prioribus carent pedibus, quorum loco vngulas habent instar vngularum leonis aut falconis. Caput ipsorum magnum est, & oculi prægrandes, vt duorum panum adæquent quantitatem. Os & rictum habent tam amplum, vt hominem deglutire valeant. dentes quoq; magni & acerrimi rictui illi tam horrendo non desunt. Nullus certè homo, nec vllum animal, serpentes illos sine terrore aspexerit, nedum adiuerit. Capiuntur verò hunc in modum. Solet is serpens interdiu latitare in cauernis subterraneis, aut alijs montium petrarúmve specubus. nocte verò egreditur passim circumiens, & potissimum aliorum animalium lustrans latibula, quærens quod deuoret. Neque enim vllum bestiarum genus metuit, sed magnas ac paruas deuorat, leones etiam & vrsos: & vbi ventrem saturauerit, redit ad speluncam suam. Cæterum cum terra illa admodum sit sabulosa, mirum est quantam foueam corporis sui pondere in arenam imprimat: putares dolium aliquod vino plenum per sabulum volutatum. Venatores itaq; beluæ insidiantes, interdiu figunt multos palos in sabulum, fortes, & acuto ferro in superiore extremitate dentatos. hos sabulo tegunt, ne à serpente videri possint: multosq; passim terræ infigunt, præsertim vbi in vicino norint belluam latitare. Et quando nocte solito more progreditur, vt escam sibi quærat, & molem corporis sui per cedentem arenam reptando & trahendo mouet, fit aliquando, vt pectus in latentem sudem ferro acuminatam violenter intrudat, & seipsum interficiat, aut graui læsione sauciet: & tunc latentes venatores accurrentes belluam interficiunt, si adhuc viuit, & fel extrahunt, quod magno vendunt pretio. Mirè enim medendo pollet. quòd si quis à rabido cane morsus, vel vnius denarij pondus inde biberit, statim sanatur: Et mulier in partu laborans, si quantulumcunq; inde gustârit, mox partu exoneratur. Hæmorrhoides etiam aut fici anus inde peruncti, intra paucos dies sanantur. Porrò carnes huius serpentis vendunt: nam libenter ea vescuntur homines, M. Paulus Venetus.

De serpentibus Americæ, pedes habentibus.

¶ Extra Fortunatas insulas viginti septem dierum nauigatione Americus Vespucius occidentem ferè versus nauigando ad regionem quandam peruenit, vbi reperit anthropophagos: vnde rursus iuxta idem littus progressus intra paucos dies ad alios populos peruenit, qui in cibo vtũtur animali quodam asso: quod erat (inquit) demptis alis quibus carebat serpenti simillimum, tamq; brutum ac ferum apparebat, vt eius non modicum miraremur feritatem. Progressi deinde longius per eadem tentoria, plurimos huiuscemodi serpentes viuos inuenimus, qui ligatis pedibus, ora quoq; funibus ligata ne aperire possent, habebant, ita vt canes aut aliæ feræ ne mordere queant impediri solent. Aspectum quidem tam ferum eadem præ se ferunt animalia, vt nos illa venenosa putantes ne tangere quidem auderemus. Capreolos magnitudine, sesquibrachium longitudine æquant. Pedes longos materialesq; (crassos) multum ac fortibus vngulis armatos, nec non & discolorem pellem diuersissimam habent, rostrumq; ac faciem veri serpentis gestant, à quorum naribus vsq; ad extremam caudam seta quædam per tergum sic protenditur, vt animalia illa veros serpentes esse iudicaremus, & nihilominus eis gens prædicta vescitur, Hæc ille.

De Calecuti serpentibus quadrupedibus.

¶ In Calechuto Indiæ orientalis animalia sunt serpentibus similia, scilicet ore, oculis, cauda prælonga, absque pilis, aprorum magnitudine, aliquanto etiam vastiore capite, sed pedes habent quatuor, venenoque carent, (morsu tantum noxij, quaternorum cubitorum longitudine in palustribus locis nascentes, maximis suibus non absimiles, Ludouicus Rom. Nauigationis suæ 5. 22.)

Hyuana seu Higoana.

Alia his similia edunt in Hispaniola insula occidentalis Indiæ vocata *Hyuana*, (*Higoanam* vocari ait Scaliger) dorso spinosa (capite cristato, Scaliger) aphona seu absq; voce, quatuor pedibus, lacertarum cauda, dentibus acutissimis, cuniculis maiora, ceu leporum magnitudine, in arboribus, terra & aquis absque discrimine degentia, famis ad multos dies patientia, pelle coloribus varijs distincta ac læui, vt serpentibus cæteris: venter supremus qualis auibus est, sed amplissimus à mento ad pectus.

Bardati.

Sunt & quos vocant BARDATOS à phaleratorum equorum similitudine, iucundi gustu, magnitudine cuniculi, colore albo & cinereo distincto, in terræ foueis, quas pedibus excauant, habitare solent, & ipsi quatuor pedibus, anguina pelle & cauda. fert hos India occidentalis iuxta eandem insulam, Cardanus.

Lacerta venenata

¶ Salamandra asperior & scabra magis est quàm LACERTA VENENATA, Aetius. atqui Hermo-

Hermolaus in Corollario aliter hunc locum interpretatur: Similis (inquit) ascalabotæ salamandra est Actio, lacerta venenaria, hoc est pharmacitide velocior. Nicander in Alexipharmacis eandem facit salamandram & lacertam φαρμακίδα.

¶ De Lacertarum genere est & alia quædam bestiola parua, similis lacertæ, sed caudam habet nigram, quæ araneis syluestribus vescitur, Albertus.

¶ Stellio vulgò Lacerta vermicularis rusticè, inuenitur in foraminibus veterum ædificiorum, in quibus aranei quoque versari solent, Niphus. Sed de stellione priuatim agemus infra. *Lacerta vermicularis.*

¶ ΑΙΑΚΟ'ΝΙ vulgo à Græcis hodie nominari audio, lacertæ genus paruum, argenteo colore splendido, in siccis & apricis locis agens. Videtur autem mihi hoc quoque animal non aliud esse quàm stellio. *Αιακόνι.*

¶ Adare genus lacertæ, Syluaticus. *Adare.*

¶ Scen, id est lacertæ rubeæ, Idem: pro scinco fortassis è mari rubro. *Scen.*

¶ Senabras idem est quod lacerta vel stellio qui in hortis reperitur, Andreas Bellunensis. Samabras Auicennæ, vel saambras, non stellio sed lacertus est, vt nos obseruauimus. *Senabras.*

¶ ΣΗΝΙ'ΚΗ, animal quadrupes lacertæ simile: & animal multipes asellis domesticis non dissimile, Hesychius. *Σηνίκη.*

¶ 'ΕΛΕΙΟ'Σ animal inter frutices nascens lacertis simile, vt Aristarchus interpretatur apud Varinum: alij glirem, alij vermis genus interpretantur, &c. vt docui in Glire A. *Ελειός.*

¶ Lacerta solaris, σαύρα ἡλιακὴ, dicta fortassis fuerit quòd Solis calore delectetur, eiq; se exponere gaudeat. Kiranides lacertæ tria genera facit, heliacam omnibus notam, vt inquit: χαλκῶ, id est æream, (chalcidem nimirum aliâs dictam, de qua ab initio huius libri scripsimus) & chloràn, id est viridem. ¶ Lacerta solaris eadem potest quæ & viridis, Kiranides. Iecur eius emplastri modo impositum clauos sanat: (quod Plinius de lacertæ viridi iecore scribit.) fel in vino putrefactum per dies 40. sub dio ad Solem in diebus canicularibus, pilos palpebrarum extirpat, (vel, vt alij de lacertæ viridi felle, euulsos renasci non patitur,) Idem Kiranides, qui & alia quædam nimis superstitiosa de hac lacerta scribit, quæ repetere ex eo non libet. ¶ Lacerta solaris vbi per tempus hebetem visum habuit, per conuersionem ad Solem oculos rursus leuat, dum in latibulo ad Orientem conuerso seipsam apprimit, & ieiuna se ad Orientem conuertit, Epiphanius in Sampsæis hæreticis, quos hisce lacertis comparat. nam Sampsæi etiam vox, inquit, si interpreteris, solares sonat. Coniecerim ego solares lacertos non alios esse quàm vulgares nostros paruos. *Lacerta solaris.*

¶ In Sarmatia regio aut Rutenorum, aut Rutenis proxima est, Samogithia. In ea Lacerti sesquipede maiores, crassi, nigri: quos incolæ pro laribus colunt familiaribus, si quid accidit sinistri, minus rectè cultum numen suspicantur, aut deterioribus, partioribusq; acceptum epulis. Itaq; curant cum opera attentiore: qua sese ad res secundiores existimant exoraturos. Iul. Scaliger de Subtil. ad Cardanum. *Lacerti Samogithij.*

¶ *Dubh.* Africani lacerti species est. Binos excedit pedes longitudine. Quaternum digitorum crassitudo. In Libyæ desertis viuit locis. Potus ei nullus. Quin aqua, nex præsentissima. Hunc tu ex igni confectum diceres. Iugulato vix tantulum fluit sanguinis. Et tamen sine veneno est. Expetitur etiam cibi gratia. E caueis, vbi stabulatur, nulla vi extrahi potest. Itaque ligonibus aut alijs machinis aperiunt cautes. Sapor ei carnium Raninarum. Cursu veloci est vt lacertus. An sit terrestris Crocodilus, etiam atq; etiam considerandum est. Longe diuersa fera voce pene eadem apud Chaldæos significatur, nempe *Duba* dicitur ab illis vrsus. Huic similis est *Guaril*, sed in capite & cauda venenum gerit. Quibus abscissis incolæ vescuntur. Aspectu tristi ac fero est, Idem. *Dubh. Africani lacerti species.*

¶ Anno à nato Domino 1543. audiuimus, in finibus Germaniæ prope Stiriam subitò multos lacertos, vel serpentes quadrupedes lacertorum instar, apparuisse, alatos, morsu irremediabili. Rursus anno 1551. peruenit ad nos historia Viennæ impressa, huiusmodi. Hac æstate circa diem diuæ Margaritæ in Hungaria prope pagum Zichsam iuxta Theysam fluuium, accidit vt in multorum hominum corporibus serpentes & lacerti naturalibus similes nascerentur: vnde sæuissimi dolores oborti tandem eos enecarunt, ita vt circiter tria hominum millia sic perijsse feratur. Quibusdam humi ad Solem iacentibus serpentes & lacerti per os aliquatenus emerserunt, sed mox iterum se abdiderunt in ventrem. Nobili cuidam puellæ diris cruciatibus mortuæ cum venter incideretur, serpentes duo prodiuerunt. His additur historia eiusdem temporis & loci, de serpentibus innumeris in strue manipulorum frumenti repertis, quos cum exurere vellent rustici, manipuli ignem respuisse dicuntur, & serpens cæterorum maximus capite in summa strue erecto, humano sermone monuisse, ab incendio vt desisterent, neque enim exuri se posse cum non secundum naturam sint nati neq; sponte huc venerint, sed diuinitus propter hominum peccata immissi sint. *Historiæ duæ miræ de lacertis & serpentibus nuper exortis narrantes.*

DE RANA AQVATICA ET INNOXIA: ET de ijs quæ ad ranas quasuis in genere spectant.



Rana perfecta.



Foetus ranæ caudatus.

A.

RANAM aliqui recentiores inter vermes numerant, vt Albertus & similes, quod neutiquam probo: reptile enim potius fuerit, si quis generis appellationem quærat: magis propriè verò reptilia ranarum illæ dicentur quæ scandere in sublime possunt, vt minores illæ virides. *De diuersis ranarum generibus.* Sed cum multiplex ranarum genus sit, à locis quos habitant præcipuam differentiam statuerim, vt quædam aquaticæ, aliæ terrestres dicantur. Videntur autem aquaticæ omnes amphibiæ, quòd & in terra aliquandiu degere commodè possint: terrestres verò non omnes in aquis etiam agere. Rursus aquaticæ vel in paludibus aut lacubus & stantibus aquis, vel in fluentibus vt riuis & fluuiorum marginibus reperiuntur. in mari nullæ, contra quàm recentiores aliqui scripserunt: in quo Marcellus Vergilius etiam à Fr. Massario notatur. nam rana marina vel potius rana piscatrix, piscis est planus, non quadrupedum generis. quam Aristoteles aliquando etiam βάτραχον, id est, ranam simpliciter nominat, vbi scilicet de alijs quoque piscibus agit, vt dubitationis nihil sit. Iam in ijsdem aquis & virides habentur, & aliæ coloris diuersi, vt dicam in *B*. Terrestres igitur ranæ dicuntur, non ad marinarum, sed ad aquaticarum differentiam: quarum diuersas species, prout vel in hortis, vel inter frutices, vel quibusuis locis cauis & opacis degunt, infra sigillatim proponam. Plinius alicubi ranas aquaticas simpliciter nuncupat, alibi distinctius fluuiatiles. Ranæ lutariæ (πλματιαῖοι βάτραχοι) apes vbi ad aquam accesserint rapiunt, Aristoteles interprete Gaza. licebit autem πλματιαῖον etiam palustrem vertere, ἕλειον verò lacustrem, (quamuis apud Dioscoridem lib. 6. in capite de rubeta βάτραχον ἕλειον ranam palustrem vertunt, & venenatam faciunt.) Sed animaduertendum ne rubeta in paludibus agens, quam aliqui simpliciter ranam palustrem vocant, (quod non probarim,) cum communi & innoxia rana palustri confundatur. Dioscorides quidem *phrynon*, id est rubetam, βάτραχον ἕλειον, hoc est ranam palustrem cognominat: vt Ægineta etiam 5. 36. Aetius distinguit, 13. 55. & remedia quoq; separata tradit. Ranam de lacu apud Marcellum Empiricum legimus, & βάτραχον λιμναῖον, id est ranam lacustrem apud Hippiatros. Ranas communes Aristot. telmatiæos aut limnæos, hoc est lutarias & lacustres nominat, Hermol. ¶ Est quando rana absolutè nominatur pro rubeta aut alia venenata. nam & mutæ quædam venenosæ sunt, & rubetæ duplex genus est. Ranæ saliua contra morsum eiusdem bibitur, Plinius. Artemisia alligata priuatim potens traditur, potáve, aduersus ranas, Idem. Cynoglossi radix pota ex aqua, ranis & serpentibus aduersatur, Idem. Eryngij radix illinitur plagis venenatis, peculiariter efficax contra chersydros ac ranas, Plin. Et alibi, Sunt & ranis venena, rubetis maximè. Aspidis morsus si ranam comederit, insanabilis omnino fit, Ælian. ¶ Ranæ virides aliæ maiores sunt, nempe aquaticæ, quarum coxæ in cibum veniunt: aliæ minores & terrestres. Ego apud medicos cum ad remedia ranas virides aut aliquid earum requirunt, minores tantum quæ sui generis & terrestres sunt, intelligi puto: quod aliquando expressa magnitudinis nota designant, aliquando omittunt. *De nominibus diuersis.* ¶ צב, *zab*, Leuitici 11. & Num. 14. crocodilum, alij scincum, alij ranam interpretantur: Vide in Crocodilo *A*. Illyrij quidem ranam etiamnum *zaba* vocitant. Sic & צפרדע, *zephardea*, vocem Hebraicam (Exodi 8.) alius crocodilum alius ranam facit: Lege ibidem. Munsterus in Lexico trilingui עורדענא, *vrdeana* etiam, & *vrdea*, (Arabicas vt conijcio voces) ranam exponit. item אקרוקא, *akruka*: & משקר, *maskar*. Vox quidem *vrdeana*, alludit ad *hardun*. facit autem Auicenna *hardun* speciem *aldab*, id est crocodili vel lacerti, vt docui in Chamæleonte *A*. Porrò *zephardea* vel *zepardea* dictio composita videri potest à *zab* & *vrdea*. & Græcum nomen *bátrachos* per metathesin inde factum videri potest. Auicenna 2. 596. ranam *dafda* nominat: Cui similes sunt apud Syluaticum voces, *difdah*, & *disfoa* cap. 221. vtranq; ranam exponit, apud Serapionem *diphdaha* scribitur.

ſcribitur. *Altahaul*, rana in aquis degens, Syluaticus. Bracatas apud eundem pro rana, non dubium quin ex Græco batrachos corruptum ſit, vt fortè etiam *garaƷum*. ¶ Βάτραχος Græcis commune nomen eſt ad omne genus ranarum. λάλαγες priuatim dicuntur virides ranæ, (aliâs λάσαγγες apud eundem, quod minus placet. lalages enim quaſi garrulæ ob vocem obſtreperam rectè dici videntur,) circa lacus, quas alij χεμβέρυς appellant, Varinus: Sunt autem ranæ illæ quarum hîc effigiem adieci, non minones illæ virides, quæ neq; loquaces ſunt, nec aquaticæ. Rana apud Italos & Hiſpanos nomen Latinum ſeruat: Gallis eſt *grenouille*. Germanis Frӧſch/Froſch/Froſche: nos fœminino genere dicimus die Frӧſch: alij quidam maſculino der Froſch. Cæterum virides illæ maiores & aquaticæ, quarum coxæ, vt dixi, eduntur, priuatim à noſtris Hopßger/ (nimirum à ſaliendo, hoc eſt πηδητικοὶ, appellantur: ab alijs, ni fallor, Graßfrӧſch/ob colorem herbaceum. quanquam alij non aquaticam à colore, ſed terreſtrem ſiue hortenſem ranam, quòd in gramine degat, ſic (ut audio) nominant. Flandricè rana Vroſch (aliâs Vorſch & Vrüeſch) vel Püüt appellatur. Anglicè *frogg* vel *frogge*. Illyriçè & Polonicè *zaba*, voce (vt apparet) originis Hebraicæ.

B.

Quædam ranæ coitu, quædã ex putredine naſcuntur.

Ranarum genera diuerſa ſunt, vt partim præcedenti capite expoſui, partim ex ipſis titulis picturiſq; ſequentibus apparebit. Differunt & generatione, cum quædam coitu, quædam ex putredine naſcantur, vt temporariæ, de quibus & infra in *C.* & poſtea priuatim nonnihil dicam. Item colore: nam aquaticæ illæ quæ præ cæteris in cibum admittuntur, virides ſunt, nigris paſſim aſperſæ maculis. Sunt & ſubliuidæ atq; ſubcinereæ quædam aquaticæ: quæ partim vocales & edules ſunt, partim mutæ & non eduntur, vt Georg. Agricola ſcribit. Viridi colore paſſim in Flandria & Germania tota (ni fallor) reperiuntur: in Anglia nullæ, vt audio: quare nec vllæ ranæ illic eduntur. Porrò cum ad remedia, vt quarum ſanguis commendatur, ne euulſi è palpebris pili renaſcantur, virides requiruntur ranæ, minores illas terreſtres, non aquaticas maiores acceperim: Vide in *G.* ¶ Rana figura eſt bufonis, ſed ſine veneno, Albertus. Fœmina mare maior eſt, Ariſtot. Ægyptij hominem impudentem, & viſu acutum aut celerem (κατ' τὴν ὅρασιν ὀξὺν) deſignantes, ranam pingunt. hæc enim non alibi ſanguinem habet quàm in oculis. Porrò qui illos ſanguine reſperſos habent, impudentes dicunt: vnde & poeta, *Ebrie, luminibus canis effrons, pectore cerui*, (Οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο, Iliad. α.) Orus. Idem alibi muſcam impudentiæ ſignum facit, (vnde & Homerica ſimilitudo,) quam conſtat in capite tantum circa oculos ſanguinem habere. De lingua earum, dicam ſequenti capite, vbi etiam de voce. Pulmonem pauca habent aquatilia, ac cætera oua parientia exiguum, ſpumoſum, nec ſanguineum, ideo non ſitiunt: Eadem eſt cauſa, quare ſub aqua diu ranæ & phocæ vrinentur, Plinius. Iecur ranæ geminum eſſe dicunt, Idem. Rana (vt & reliquæ quadrupedes ouiparæ) lienem perexiguum habent, Ariſtot. & Plinius. Quadrupedum ouipararum, vt ranæ aliarumq; vulua, qualis auium eſt: vide in Lacerta *B.* Ventri echinorum (marinorum) ſubdita ſunt oua, & ranæ rubetæq; ſimiliter, &c. Ariſtot. de hiſtor. animal. lib. 4. circa finem cap. 5. Coëunt ranæ, vt & cæteræ quadrupedes ouiparæ, ſuperueniente mare. habent verò in quod meatus contingant, & quo per coitum adhæreant, Ariſtot. Ranæ crura poſterius longa, (vt apta ſint ad ſaltus,) anterius breuia ſunt, cum digitis longis, quibus intertexta eſt membrana vt commodius natent, Albertus.

Colore differunt.

Deſcriptio ranæ.

Rana picta apud Ægyptios hominem impudentem ſignificabat.

C.

Vbi ranæ verſentur.

Vbi condatur hyeme.

Rana paluſtris eſt, Ariſtot. In Piſanorum aquis calidis ranæ innaſcuntur, Plinius. Virides ranæ, in fluuijs atq; piſcinis verſantur: Subliuidæ & ſubcinereę in fluuijs, lacubus, paludibus, lacunis viuunt. Vtræq; hybernis menſibus conduntur in terra. Argumento eſt, quòd verno tempore non tantum earum fœtus conſpiciantur in lacunis, ſed ipſæ veteres etiam ranæ. Quare verum non eſt quod ſcribit Plinius, mirumq; ſemeſtri vita reſoluuntur in limum nullo cernente: & rurſus vernis aquis renaſcuntur, quæ fuêre natæ, perinde occulta ratione, cum omnibus annis id eueniat, Georg. Agricola. In paludibus illis quæ per hyemem non conglatiantur, omni tempore, præcipuè tamen vere, ranæ reperiuntur, Matthæolus: hoc non fieret, ſi in limũ reſoluerentur. Audio apud nos ranas hyeme aliquando in fontibus minus frigidis reperiri: & aliquando cum muſtelarum piſcium genere quod thryſcios noſtri vocant, ore eis adhærentes tanquam alimentum ab ipſis exugant, extrahi. Et rurſus Agricola, Latent (inquit) hyeme in terra ranæ omnes, exceptis temporarijs iſtis minimis (de quibus infra priuatim agemus.) Hyeme latet rana extra aquam in rimis calidis, & aliquando in aquis ſub terra, quæ hyeme ſunt calidæ: Vere procedit ad aquas. Aliquando etiam autumno quum frigore infeſtatur intrat in domos hominum, & aliquando reptat in ſinum ſuper inguen vel ventrem hominis, Albertus. Pariunt ac educant in ſicco. Humore vt non prorſus carere ſuſtinent, ita in ipſo intereunt, niſi interdum reſpiratio detur, Ariſtot. Theophraſtus commemorat piſces, qui ſic ex fluminibus in terram tanquam ranæ exeant, & rurſus in aquam redeant.

Partus & educatio.

Vox.

¶ Omnis rana terreſtris muta eſt, Io. Tzetzes. 8. 167. atqui ranunculos virides qui terreſtres ſunt, conſtat non eſſe mutos, vt & rubetas minores quaſdam. Aquaticæ ranæ, quas gerynos Aratus vocat, omnes vocales ſunt, præter Seriphias, Idẽ Tzetzes. aqui Aratus nõ ipſas ranas aquaticas, ſed ipſarũ fœtus gerynos vocauit. Ranis ſonus ſui generis, vt dictũ eſt. niſi ſi & in ijs ferẽda dubitatio eſt, (quaſi non

vera sit vox, vt in insectis,) qui mox in ore concipitur, non in pectore. Multum tamen in ijs refert & locorum natura. Mutæ in Macedonia traduntur, Plinius. Ranæ vocales olim in Cyrenensi agro decrant, Aristot. Et in Mirabilibus, Ranas in Cyrene aiunt planè mutas esse. Theophrastus tradit inuectitias esse in Cyrenaica vocales ranas, Plinius. Et alibi, Cyrenis mutæ fuêre ranæ, illatis è continente vocalibus durat genus earum. Cyrenææ ranæ propter aquæ amaritudinem mutæ sunt, Simocatus. Mutæ sunt etiam nunc in Seripho insula. Eædem aliò translatæ canunt: quod accidere & in lacu Thessaliæ Sicendo tradunt, Plinius. Theophrastus aquæ frigiditatem causatur, quòd mutæ sint Seriphiæ ranæ, Ælianus: alij fabulam quandam adferunt: Vide infra in *h.* inter prouerbia. Seriphiæ ranæ in Scyrum allatæ vocē non ædebant, Suidas & Varinus. Ranæ coaxant, Spartianus. Quoaxare ranæ dicuntur cum vocem emittunt, Festus. Rana gracidat vel coaxat, Alunnus. Vtranq; vocem per onomatopœiam fictam esse constat. Apud Aristophanem in Ranis subinde repetuntur imitationes illæ ranarum vocis, βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοάξ. Cæterum coaxatio etiam Latinè dicitur opus axibus constans (vertäflung:) axes (laden/bretter) enim transuersis tignis impositi contignationum sola (tile) fulciunt, Budæus in Pandectis. Et alibi, Coaxatio, quæ & coassatio dicitur, tabulis, asses & axes vocant, id genus conserta est quibus cupæ & lacus (vässer vnd standen vß tugen) conficiuntur. Ταῖς νύμφαισι δ' ἔδοξεν ἀεὶ τὸν βάτραχον ᾄδειν· Τῷ δ' ἐγὼ οὐ φθονέοιμι. τὸ γὰρ μέλος οὐ καλὸν ᾄδει, Marcus Musurus apud Theocritum. Plinius etiam ranas canere dixit. Rana cum læditur exilem dat vocem, sicut mus in timore, Albertus. Ranis lingua sui generis est. pars enim prima, quæ cæteris absoluta est, ijs cohæret, modo quo tota ferè piscium. intima verò absoluta ad guttur applicatur, qua suam vocem solent emittere. Et quidem genus illud vlulatus, quam ololyginem nominant, mares intra aquam reddunt, vt cieant ad coitum fœminas, Aristot. Et alibi, Reddunt ranæ suam ololyginem illam, maxillæ inferioris labro demisso pari libra, cum aqua modice recepta in fauces, superioreq; intenta. Flagrant tantisper oculi modo lucernæ, cum sinus buccarum maxillis distentis interluceat. Coitum enim noctu magna ex parte agere visuntur. Ex his locis Aristotelis sua transferens Plinius, Ranis (inquit) prima lingua cohæret, (quo modo infantium lingua cum hæret, id vitium vulgò *filum* à Gallis vocatur) intima absoluta à gutture qua vocem mittunt. Mares tum vocantur ololygones, stato id tempore euenit, cientibus ad coitum fœminas. Tum siquidem inferiore labro demisso, ad libramentum modicæ aquæ receptæ in fauces, palpitante ibi lingua vlulatus elicitur. Tunc extenti buccarum sinus perlucent, oculi flagrant labore perpulsi. Super hoc loco Plinij Hermolaus scribens, pro ololygones (inquit) legi potest ololyzontes. quandoquidem voces & vlulatus ipsi dicuntur ololygones, vt ex Aristotele patet, Hæc ille. Sed forsan ololygones rectè legetur, nec temerè aliquid mutandum vbi nulla veterum codicum lectio suffragatur. Quamuis enim ololygon propriè vocem ipsam per onomatopœian significet, accipi tamen potest pro animali talem vocem ædente. Apud Aratum quidam ὀλολυγόνα interpretantur auis solitariæ genus, quam Cicero acredulam, id est lusciniam vocârit. Syluaticus autem localem, id est aluconem interpretatur. Varino ὀλόλυγον (lege ὀλολυγὼν) animalculum est in aquis nascens, simile intestino terræ. Et rursus, Ὀλολυγὼν, ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν. κατὰ γὰρ Ἀριστοτέλην, πάνυ ὀλολύζει τὸ ζῷον ἐν τοῖς ἑλώδεσι (βορβορώδεσι, Theocriti Scholiastes) τόποις κατὰ τὴν νύκτα. (Sed Aristot. de sola rana hoc refert.) Et, Ὀλολυγὼν auis sic dicta à sono vocis, Idem. Γάραβος, ὀλολυγὼν, Hesychius & Varinus. De ololygone insecto simili lumbrico, inter insecta dicemus. Vide in Acredula aue. Ranæ lingua palato adhæret, vnde vox æditur coax à gutture ad os resonans: & quia spiritus lingua impediente non rectà procedit, duas tanquam vesicas inflat vtrinque ad os: tenet autem cum vocem emittit labrum inferius in superficie aquæ, & superius extra aquam, mas videlicet fœminam alliciens, Albertus. Ranæ mares ololygmo (ololygine) suo, tanquam amatorio & epithalamio carmine ad hoc composito fœminas ad Venerem irritant. quas vbi iam allexêre, noctem in commune expectant. coire quippe in aquis quidem non possunt, progredi verò in continentem interdiu ob metum nolunt. Noctu verò egressæ in magna securitate complexibus indulgent liberè, Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. & Gillius in Æliano. Ranæ superueniunt, prioribus pedibus alas fœminæ mare apprehendente, posterioribus clunes, Plinius. Ouiparæ quadrupedes etiam mare superueniente coëunt. habent verò in quod meatus contingant, & quo per coitum adhæreant, vt ranæ, & reliqua generis eiusdem, Aristot. Ranæ in coitu multum immorantur, multumq; seminis effundunt, Author lib. de nat. rerum. Ranarum semen nostri vocant fröschmalter/ alij fröschrogen. Ranæ quædam nascuntur per se, conspersis tantum æstiuo imbre littorum & itinerum puluerulentis arenis, quarum breuis vita & nullus vsus est: aliæ legitimo naturæ ordine, (ex coitu natæ,) in aquis suos natales habent, Marcellus Vergilius. In Ægypto mures ex terra & imbre nascuntur, & in alijs locis ranæ, serpentesq; & similia, Macrobius. Cum ex Italia Neapoli Puteolos iter facerem, ranas perspexi, quarum pars quæ ad caput pertinet, repebat, & duobus pedibus agebatur. altera nondum conformata concretioni limosi humoris similis trahebatur, Ælianus. Et eodem corpore sæpe, Altera pars viuit, rudis est pars altera tellus, Ouidius 1. Metam. de ranis. Idem lib. 15. Semina limus habet virides generantia ranas, Et generat truncas pedibus. Sed cum non omnes ranæ ex cœno limóve nascantur, non omnes etiam in limum resolui dicendum est: vt Plinius qui hoc scripsit,

Coaxare ranarum est.

Lingua.

Ololygo ranarum.

Coitus.

Procreatio & ortus diuersus.

ſcripſit, quaſi omnes ranæ in limum quotannis reſoluantur, aut errârit, (vt ſupra etiam circa initium huius capitis monui,) aut ita excuſandus ſit, quaſi non de omnibus ranis ſed temporarijs tantum, hoc eſt ex putredine terræ & aquæ natis, hæc verba protulerit. Ranis aliquando pluiſſe author Phylarchus eſt apud Æthenæum lib. 8. Et vt ibidem legimus, Heraclides Lembus hiſtoria XXI. circa Dardaniam & Pæoniam, inquit, ranis pluiſſe, idq́; tam copioſè vt domus & viæ replerentur. Itaq; primis diebus aliquot tum occiſis ranis, tum domibus occluſis, ſuſtinebant incolæ: cum verò nihil proficerent, ſed vaſa implerentur, & vnà cum edulijs coctæ ſimul aſſæve reperirentur ranæ, nec aquis vti liceret, nec pedes in terra ponere propter ranas coaceruatas: his accedebat grauis interfectarum odor, regionem deſeruerunt. Hoc & apud Cælium legimus 24. 3. qui authorem citat Euſtathium, qui in librum 1. Iliados ſcribens Phaniam citat authorem, & quartum Bibliothecæ Diodori. Autoritates (Autariâtæ Stephano, gens eſt Theſprotica: Autaridæ Plinio 6. 28. in Arabia, vt videtur) Indi ranis inchoatis & imperfectis, de cœlo lapſis, in alium locum demigrare coacti ſunt, Ælianus. Attariotas ranæ è nubibus delapſæ expulerunt in quam nunc quoq; habitant oram, Diodorus Sic. lib. 4. de fabuloſis antiquorum geſtis. Cardanus lib. 16. de ſubtilitate pluuiarum mirabilium cauſam in ventos referens: Fiunt (inquit) hæc omnia ventorum ira. ſæuiunt enim hi in iugis montium. ergo neque mirum pluere ranas, piſciculos, lapides. Nam ranæ ac piſces è montium iugis venti impetu transferuntur. transfertur & puluis qui vi ventorum cogitur in lapides. Et rurſus, Transferuntur & oua paruorum animalium, vt etiam ranarum & piſcium, quæ inter turbines ventorum & hymbrium procellas emittunt animalia quæ pluere videntur. De ranis quibus Ægyptij afflicti ſunt, Exodi cap. 8. ſic ferè legimus: Dixit Dominus ad Moſen: Ingredere ad Pharaonem & dic ad eum: Sic dicit Dominus: dimitte populum meum vt ſeruiant mihi. Quòd ſi recuſas, ecce infeſtabo omnes regiones tuas ranis. Et copioſè producet fluuius ranas, quæ aſcendent & intrabunt in domum tuam, & in conclaue cubilis tui, & ſuper lectum tuum, & in domum ſeruorum tuorum, & in populum tuum, denique in furnos & cibos tuos. Et rurſus: Dic Aharoni, Extende manum tuam cum virga tua, ſuper fluuios, ſuper riuos, & ſuper ſtagna, vt adducas ranas in Ægyptum. Cum igitur extendiſſet Aharon manum ſuam ſuper aquas Ægyptij, aſcenderunt ranæ, operueruntq́; terram Ægypti. Tum magi quoq; incantationibus ſuis ranas ſimiliter induxerũt. Itaq; Pharao Moſe & Aharone vocatis ait: Orate ad Dominum vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populũ, vt ſacrificent Domino. Moſes verò reſpondit Pharaoni: Gloriare de me, (& dic) quando orem pro te & tuis, vt exterminentur ranæ, & in fluuio remaneant. Tum Pharao, Cras. Et Moſes dixit, Fiat iuxta verbũ tuum, vt ſcias incomparabilem eſſe Dominũ Deum noſtrum. Egreſſi igitur ſunt à Pharaone: & Moſes inuocauit Dominum: fecitq́; Dominus vt petierat ille, & mortuæ ſunt ranæ abolitæq́; è domibus, atrijs, atq; agris. Et congregauerunt eas aceruatim, & cõputruit terra. Item Pſal. 77. Miſit Dominus in Ægyptios cynomyiam, (*arob*, mixtionem inſectorum, Munſterus,) & ranas quæ perdiderunt eos. Et Pſalmo 104. Et ædidit terra Ægyptiorum ranas, in penetralibus regum. Et Sapientiæ 19. Pro piſcibus eructauit fluuius multitudinem ranarum (in Ægypto.) M. Varro author eſt ciuitatem ab ranis in Gallia pulſam, Plini. Quidam vbi ſpuiſſet, intra dimidium horæ ſpatium ranas pro ſputo exiguas oſtendit, Cardanus. Vide infra in Ranis temporarijs ſeorſim.

Ranarum pluuia, quæ διοπετεῖς vocari poſſunt.

Ranæ pariunt ac educant in ſicco, Ariſtot. Continentem emittunt ſuum fœtum, Idem de hiſt. 6. 14. Oua pariunt, non animal, etiamſi Plinius partus earum minimas carnes nigras, hoc eſt gyrinos vocauerit, Maſſarius. Pariunt minimas carnes nigras, quas gyrinos vocant, oculis tantum & cauda inſignes: mox pedes figurantur, cauda findente ſe in poſteriores, Plinius. Ægyptij hominem qui cum diu ſe mouere non potuerit, poſtea tandem pedibus moueatur, demonſtrantes, ranam pingunt poſteriores pedes habentem. hæc enim primum ſine pedibus naſcitur, (quod & Ælianus ſcribit,) ſed poſtea dum augetur, pedes aſſumit poſteriores, Orus. Rana vere coit, & parit multa oua in aqua ſequentis anni vere ex illo coitu: & in medio ouorum illorum rana latet abſcondita: & cum oua excluduntur, ranunculi ſunt magni capitis, cum ventre iuxta caput, & cauda poſterius cum pinnis ad natandũ: poſt Maium menſem deinde cauda delabente pedes quatuor formantur, Albert. Et alibi, Apud nos eſt animal illud quod in aquis primo generatur ex ouis ranarum magno capite & longa cauda cum pinnis (vt in piſcibus ferè, in aquis ſtantibus tepidis) cuius cauda decidit & ſubnaſcuntur pedes quatuor: & antequam habeat pedes ſi extrahatur de aqua, moritur. Ranarum aquaticarum (tum viridium, tum illarum quæ ſubliuidæ ſeu ſubcinereæ ſunt) fœtus (id eſt, enati recens ex ouis) ſunt primò carnes paruæ, rotundæ, nigræ, dein oculis tantum & cauda inſignes: quas Nicander quia caudam mouent, μολουρίδας: Aratus quia rotundæ: γυρίνους: alij Græci βατραχίδας, quaſi dicas ranunculos, nominant. quorum poſtea figurantur pedes, priores ex pectore, in poſteriores finditur cauda, Georg. Agricola. Idem hæc animalia interpretatur **faulfrotten**: (**Kaul** rotundum eſt Saxonibus) quidam in Germania inferiore **fulpogen**: noſtri appellant **roßköpff**/ hoc eſt hippocephalos, (& **roßnágel**) quòd reliqui corporis proportione caput eius magnum ſit. Gyrini informes dicuntur ranarum partus, quod ſcribit Theon: id eſt, ἀδιάπλαστα γεννήματα καὶ ἄποδα, quando vrſarum more pariant ranæ. Hinc in Prognoſticis Aratus, Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων. Γύρινον, τὸ ἐκ τοῦ βατράχου παιδίον, Heſychius. Γυρῖνοι (penanflexum: in Etymologico

Partus. *Fœtus caudatus.* *Gyrini informes ranarum fœtus.*

proparoxytonum etiam reperio) paruæ ſunt ranæ, Varinus: quòd γυροὶ, id eſt rotundi ſint, Etymologus. Apud eundem γυρῖνος, ſimpliciter pro rana exponitur. Γυροῖν, (malim γυρίνοιν,) βατράχοιν. Γυροὶ τὸ σχῆμα, παρ' Ἀττικοῖς, οἱ μὴ πόδας ἔχοντες. Ἴωνες δὲ κατὰ Παυσανίαν γερύνους τοὺς τοιούτους φασί, Varinus. hinc & gyrinæ nimirum ranæ dictæ quandiu ſcilicet pedibus carent. Dicuntur autem non gyrini tantum, ſed & geryni, vt apud Nicandrum in Theriacis obſeruaui, cuius hæc verba ſunt: Ἀλλ' ἤτοι γερυνῶν χαναχοὶ πεσίαλλα τοκῆες Βάτραχοι ἐν χύτρῃσι καθεψηθέντες ἀέρσοι Βάμματι.

Rana gyrina ſapientior. Prouerb. Rana gyrina ſapientior, adagium eſt (inquit Eraſmus) ſumptum ab informi partu ranarum, quem Græci γυρίνους vocant, à figura corporis in gyrum orbiculati, quo fit vt mira celeritate ſe quò velint voluant verſentq́;, quemadmodum teſtatur Etymologici author. Meminit gyrinorum etiam Suidas, Ariſtophanis adducens teſtimonium, πατέρες βοόωσι γυρίνων, (Arati hæc verba ſunt. vt rectè Suidas citat, non Ariſtophanis vt Varin.) Porrò cum ranæ tribuatur loquacitas, quæ ſtoliditatis ſolet eſſe comes, minimum mentis ineſſe oportet gyrinis, quos vix deprehendas animal eſſe niſi mouerentur. Plato in Theæteto, Ὅτι ἡμεῖς μὲν αὐτὸν ὥσπερ θεὸν ἐθαυμάζομεν ἐπὶ σοφίᾳ, ὁ δ' ἄρα ἐτύγχανεν ὢν εἰς φρόνησιν οὐδὲν βελτίων βατράχου γυρίνου: Id eſt, Nos illum tanquam deum ob ſapientiam admirabamur. at ille nihilo magis antecellebat prudentia, quàm rana gyrina, Hæc Eraſmus. Sunt qui expuncta veteri lectione apud Platonem, *gryneam* ſubſtituunt: ſed vtrum magis quadret, doctorum fuerit perpenſio, Cælius. Βρύτιχοι, ranæ paruæ caudatæ, Heſychius & Varinus. Μολουρίδαι, βατραχίδαι, Heſychius & Varinus. Hydrus ſerpens in pratis capit μολουρίδας ἢ βατραχίδας, Nicander: cuius interpres moluridas interpretatur animalia cicadis ſimilia. Vnde apparet grammaticos in Lexica tranſcripſiſſe has voces, ſed corruptè, niſi librarij corruperunt. eſt & alter error quòd ita coniungunt has voces, tanquam idem ſignificantes. Latinè nobis gyrini nomen deeſt, & circumlocutione vtendum, vnde Plinius: Aliqui & naſcentium ranarum in aqua quibus adhuc cauda eſt, &c. Ruberis etiam, inquit Hermolaus, aliquando cauda initio eſt, quam pòſt amittunt: ob id in ſtagnis cum adhuc puſilli ſunt mutili ruribus vocantur.

Cibus. ¶ Ranæ lutariæ apes vbi ad aquam acceſſerint, rapiunt, Ariſtot. Puto eas & herbis veſci, (vnde nomina illa in Batrachomyomachia impoſita ab herbis, Praſſophagus, Praſſæus, Seutleus, Calaminthius,) & terra quandoq;. nam & rubetas terram edere aiunt. Tam ranæ quàm bufones comedunt mortuam talpam, vt obſeruatum ſibi Albertus ſcribit: nam talpæ ranarum genera viua captant & deuorant. Τῶν δὲ Συρακοσίων τούτων ἀμέλησον, Οἳ πίνουσι μόνον, βατράχων τρόπον, οὐδὲν ἔδοντες, Archeſtratus apud Athenæum lib. 3. Auguſto menſe nunquam poteſt os aperire pro vſu cibi, vel potus, vel vocis, quòd ſi manu, vel baculo tentaueris, difficulter aperire poteris, Liber de nat. rerum. Auguſto menſe dicitur adeò compreſſa habere labia, quòd etiam inſtrumento aperiri non poſſunt extra aquam, Albert. ¶ Soboles ranarum lutariarum, ſi quis in earum lacum verbaſci (tithymalli nimirum qui verbaſco ſimilia fert folia) nucíſve folia inijciat, necatur, Ælianus: cuius verba Græca Suidas in Phlomo ſic recitat. ἐμβαλλὼν δὲ εἰς τὴν λίμνην φλόμου φύλλα ἢ κάρυα (fortè *coccalos* vulgò dictos quibus & piſces percũt, vel nuces ſecũdæ ſpeciei tithymalli) ἀπόλλυσι τοὺς γυρίνους.

D.

Ranarum Ægyptiarum ſapientia. Ægyptiarum genus ranarum ſapientia excellit. nam ſi in natricem inciderit arundinis fruſtum obliquum mordicus tenet, & nihil de robore remittens, firmiſſimè retinet. Is igitur eam non poteſt deuorare, propter arundinem, quam ore complecti nequit, Gillius (ex Æliani Variorum primo.) Ranæ lutariæ (τελματιαῖοι βάτραχοι, Rubetas paluſtres has dixerim,) apes vbi ad aquam acceſſerint, venari ſolent, Ariſtot. rapiunt. quamobrem eas apiarij per paludes & ſtagna, vnde apes aquantur, venari ſolent, Ariſtot. Apibus aquantibus ranæ inſidiantur: nec hæ tantum quæ ſtagna riuosq; obſident, verum & rubetæ

Ranarum hoſtes, muſtelæ ruſticæ. Buteo. Butorius. Nocturnæ aues. Hydri. Cherſydrus. veniunt vltro, adrepentesq; ſufflant, Plinius. ¶ Muſtelæ ruſticæ illæ, quas putorios appellant, noſtri iltiſſos, ranis inſidiantur: & ſæpe plures ab eis congeſtæ in caua aliqua arbore reperiuntur. Ranæ hoſtis eſt buteo: rapit enim eam exeditq́;, Ariſtot. & Oppianus. Butorius etiam, qui ardea ſtellaris videtur, ranas vorat, & genera quædam miluorum, vt recentiores quidam obſcuri tradunt. item nocturnæ aues gimus & gimeta, Creſcentienſis. Hydri ranas deuorant, Aratus & Nicander. Anguis quidam (Cherſydrus) in Calabria, dum aquæ ſuppetunt, illas habitans, piſcibus atram *Improbus ingluuiem, ranisq́; loquacibus explet*, deficientibus verò aquis exilit in ſiccum, Vergilius in Georg. Quam Latini natricem, & Dioſcorides hydrum vocat, Nicander Cherſydrum appellare videtur. is in locis parum aquæ habentibus, aut paludibus verſans, ranis infeſtiſſimus exiſtit, Gillius. Quòd natricem rana male oderit, atq; incredibiliter pertimeſcat, ipſum ideo contra ſumma vocis contentione exterrere conatur, Ælianus. Ranæ ex omnibus hydrum maximè odêre ac timent. quare appropinquante eo hoſtem prius clamitando aduerſus eunt, Volaterranus (ex Æliano, vt videtur, neſcio an rectè.)

Talpa. Obſeruatum ſibi Albertus ſcribit talpas libenter paſci bufonibus & ranis, eaſq; viuas à talpis aliquando comprehendi: ranas verò & bufones comedere talpam mortuam. Martion Smyrnæus rumpi ſcolopendras marinas ſputo tradit: item rubetas aliasq́; ranas, Plinius. ¶ Ranæ obſtreperæ conticeſcent, ſi in ripa expoſueris lucernam accenſam, Africanus in Geopon. Græcis.

E.

Pueri apud nos rubicunda lana aut panno rubente ad hamum alligato ranas capiunt. ¶ Fel

capræ

capræ in terra in vase aliquo repositum ad se dicitur ranas congregare, ac si gratum aliquid in eo repeßiant, Albertus. Ex ranis esca fit ad cancros capiendos, vt dicam in Cancris. Carnibus ranarum vel hamo additis, præcipuè purpuras certum est allici, Plinius. Fœtus ranarum (quos gyrinos vocari diximus) vrunt, & eo cinere felem exenteratum & pelle detracta tostum, illitumq́; melle, aspergunt: & ita circa syluam aliquam, vbi vulpes aut lupi versantur, trahunt, vt odore alliciant, vt scripsi in Lupo *E.* ¶ Aquarum notæ sunt iuncus, & harundo, multumq́; alicui loco pectore incubans rana, Plinius 31.3. ¶ Ranæ lutariæ apibus nocent, Ælianus. ¶ Ranæ vltra solitum vocales, tempestatis signa sunt, Plinius: pluuiam denunciant, Ælianus. Altius vel clarius solito coaxantibus ranis pluuiam portendi obseruatum est, Plutarchus in libro Vtra animal. Ingruentium aquarum certius præsagium exhibent ranæ præter solitum vocales: Quod Aratus, Plinius, Maro quoq; noster prodidere, Cælius. Tempestatem (χειμῶνα) prædicunt, vt Aratus canit, cum magis & supra consuetudinem clamant: Quoniam, vt Theon interpres scribit, aquam frigidiorem reddi sentiunt: vel quia gaudent aquis, & maximè pluuijs vtpote dulcioribus, vnde & fœcundiores redduntur, vt plantæ etiam pluuijs rigatæ lætius germinant. Arati carmen Auienus sic reddit: *Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.* Et Cicero lib. 1. de Diuinatione. *Vos quoq; signa videtis aquai dulcis alumnæ, Cum clamore paratis inanes fundere voces, Absurdoq; sono fontes & stagna cietis.* Certum est autē eum hæc verba de ranis protulisse, quanquam interpositis quibusdam, ordine forsan per librarios turbato, iterum de ranis sic scribat: Quis est qui videre ranunculos hoc suspicari possit? Sed inest mira & ranunculis quædam natura, significans aliquid, per se satis certa, cognitioni autem hominum obscurior. Ranæ coxantes vesperi pruinam postridie non futuram indicant, idq́; certò vt aiunt. plerunq; etiam serenitatem sequentis diei, sed hoc non rarò fallit. ¶ M. Varro author est ab ranis ciuitatem in Gallia pulsam, Plinius. De pluuia ranarum in Pæonia & Dardania, &c. scripsi in *C.*

Ratio ranas capiendi. *Vsus ex ranis.* *Prognostica tempestatis.*

F.

Virides ranæ præcipuè in cibum admittuntur: sed & subcinereæ quædam & subliuidæ, vt Georg. Agricola scribit, quæ similiter in fluuijs, lacubus & piscinis viuunt, partim vocales & edules sunt, partim mutæ & non eduntur. In Anglia virides deesse audio, nec vllas edi. Apud veteres quidem ranas aut earum decoctum intra corpus sumi solitum, medicamenti tantum, non cibi gratia legimus, vt sequenti capite ostendemus.

Vsus ranarum in cibo.

¶ Ranarum ius ranasq́; ipsas sumptas ijs mirificè opitulari, qui à venenatis percussi essent reptilibus, (verba sunt Aloisij Mundellæ ex epistola numero octaua in Volumine epistolarum eius) legimus in secundo Aetij lib. cap. 162. & lib. 13. eiusdem cap. 5. & septimo Pauli Æginetæ libro: vbi ab illis asseritur, si cum sale oleoq́; ranarum ius hauriatur, mirificè prodesse percussis à reptilibus: Quorum testimonio fretus ranas interdum edere non dubitaui, alijsq́; vt ederent permittere: quamuis illarum nutrimentum, quod in corpus hominis distribuitur, tale fore existimauerim, quale à Galeno lib. 3. de aliment. fac. cartilagineis attribuitur, minus concoctioni difficile, & mediocriter in aluum exiens. Nuper verò cum ranas sale oleoq́; conditas in cœna sumpsissem, partim ex iure albo coctas, partim frixas, adeò vehemens vomitus me inuasit, aliaq́; verenda symptomata tribus ferè diebus continuis me exagitarunt, vt aliquod venenum me sumsisse proculdubio existimauerim. erant enim ranæ illæ, vt postea mihi relatum fuit, stagnantis cuiusdam loci & palustris incolæ, longoq́; ex itinere ad nos delatæ, continuo calore & agitatione semicorruptæ. ranarum enim substantia, quòd laxa sit atq; humida, putredini parata est. Si verò recenter capiantur, & diligentissimè denudentur, & in puris aquis degerint, non limosis, non tantum vt aliâs noxias esse dixerim, præsertim quæ carne solidiore constant, optimeq́; conditæ sunt. Verum huiusmodi cibos non multum laudauerim, qui penuria vrgente, aut viuendi copia & luxu potius edi solent, quam vlla ratione, sicuti fungi, legumina omnia ferè, cochleæ, carnes ferorum animalium, & pleraque id genus reliqua, vt ait Galenus in lib. de cibis boni & mali succi, & in lib. de morbis vulg. Cur autem Aetius lib. 13. cap. 55. palustres ranas inter venena connumeret, loco verò superius à nobis citato dicat palustrium ranarum ius magnum præsidium ijs adferre qui à venenatis icti sunt reptilibus, si illæ oleo & sale conditæ aqua elixentur, equidem incertus sum, &c. (Excusatur Aetius quod lib. 2. βατράχυς λιμναίυς pro antidoto commendarit: lib. autem 13. ἑλείυς, vt puto, [nam & Dioscorides φρῦνον ἢ βάτραχον ἕλειον dicit] inter venena numerârit: Latini interpretes pro vtraq; voce palustres vertunt. Sed λίμναι, lacus sunt maiores liberiorisq́; aquæ: ἕλη, paludes minores & impuriores, plantis è cœno nascentibus conferctæ. (Cæterum longè laudabilius esse existimo ac tutius, ranas omnino interdici, aut saltem dictis de causis parcius in cibis sumendas esse, inprimis verò propter vendentium auaritiam & fraudem. rubetas enim & mutas ranas, indubitata venena, palàm in foro piscario & publicis tabernis, magno salutis nostræ periculo, quotidie nobis venundare non erubescunt aut timent. Illud quoq; non conticuerim quod piscator quidam me nuperrimè admonuit, ranas scilicet quæ adempta cartilagine exteriore & cute, magis albo colore sunt, alijs quidem longè nocentiores, & minus cibis idoneas esse, quòd veneni speciem quandam præ se ferant, quibus de causis in posterum, vt dixi, omnino ab illis abstinere constitui: id quod vt cæteri quoq; faciant consulo adhortorq́;, Hactenus Mundella. Cæterum quæ ille ci-

tat ex Aetio & Ægineta, eadem prius Dioſcorides ſcripſerat de ranarum (ſimpliciter, non paluſtrium) facultate aduerſus venenatos morſus lib. 2. at ſexto libro rubetam inter venena numerans, ranam paluſtrem cognominat. eſt enim rubeta quædam paluſtris, alia terreſtris. ſed hæc nocentior eſt, ni fallor. Marcellus vel coniunctionem diſiunctiuam addit, tanquam de duobus ranarum generibus ſed vtriſq; venenatis Dioſcorides in eo loco agat: nam & Ægineta ſic legit. Vt ut eſt, vis quæ ex ranis earumve iure contra ſerpentes petitur, ranis ſimpliciter, (edulibus nimirum & in puriore aqua degentibus) attribuitur: venenum vero rubetis & ranis paluſtribus, id eſt bufonibus ſiue in terra ſiue in aqua paluſtri & impuriore verſantibus. ¶ Rana figura eſt bufonis, ſed ſine veneno, Albert. Ranis aquaticis plurimi ſecure veſcuntur, (apud nos viridibus tantum,) & præcipuè Lombardi per quadrageſimam. Ranarum fluuiatilium poſteriores pedes gratiſſimi ſunt in cibo, & contra ſerpentes adiumento, Sipontinus. Ranæ bolo captæ meliores eſui putantur, quàm quæ fuſcina. à ſerpentum enim morſu attrectatæ ac læſæ bolum attingere non putantur. Captarum coxulas denudatas pelle, per noctem aut diem in recenti aqua natare ſinimus: inuolutas deinde farina in oleo frigimus. Frictas & in patinam translatas Palellus meus ſalſa viridi ſuffundit, ac fœniculi floribus aromatibusq; inſpergit, Platina.

Vltima, ſed noſtros non acceſſura lebetes, Ni ſaliat, putris rana parabat iter.
Noluimus, ſucci eſt pluuij & limoſa maligni. Irata eſt, & adhuc rauca coaxat aquis, Fiera.

Qui ranis frequenter vtuntur, colore plumbeo inficiuntur. quamobrem non cibi ſed medicamenti ratione ſumi debent. reddunt enim corpus putrefactioni aptum, Galeatius de S. Sophia. Scholiaſtes Nicandri docet rubetas in calidioribus locis magis venenoſas eſſe: ſimiliter ego ranas iudicarim in calidis regionibus in cibo ſumptas nonnihil veneni habere, in Germania verò & frigidis locis innocentiores eſſe. Refert etiam quo tempore capiantur. nam libidinis ſuæ tempore noxias eſſe non dubito. Plinius, Tuſſim (inquit) ſanare dicuntur piſcium modo è iure decoctæ ranæ. ſuſpenſæ autem pedibus, cum diſtillauerit in patinam ſaliua earum, exenterari iubentur, abiectiſq; interaneis condiri.

G.

Remedia ex ranis. In omni virulenti animalis morſu auxiliantur ranæ elixæ & comeſtæ. Verum ſi qui earum eſum auerſentur, ranas donec vietæ (flaccidæ) reddantur coquito, & iuſculum ipſum ignaris abſorbendum præbeto, Aetius 13. 10. Caro ranæ reſiſtit puncturæ vermium venenoſorum, Auicenna 2. 146. Contra omnium ſerpentium (ἑρπετῶν) venena pro antidoto ſunt ranæ, ſi ex ſale & oleo decoctæ edantur, iuſq; earum itidem ſorbeatur, Dioſcorides Ruellio interprete. Ego Marcelli translationem præfero, quæ habet: Sumitur eadem vtilitate & decoctarum ius: vt nihil referat ranæ elixæ per ſe edantur, an ius earum per ſe ſorbeatur: quem ſenſum Aetius quoq; ſecutus eſt: vt ex eius verbis iam recitatis apparet. Quod ſi quis ipſas vnà cum iure ſumere voluerit, rectè & ille fecerit, & forte efficacius. Ægineta ſimpliciter habet ranas cum iure paratas, (βαβάχους ζωμιστούς. conſtat autem ius ſimpliciter dictum aqua, oleo, & ſale,) edi ab illis qui à venenatis animalibus morſi fuerint. Idem rurſus inter remedia ad viperæ morſum, Aliqui (inquit) ranas in iure coctas in cibo dederunt. Ranæ paluſtres in aqua elixatæ, ſaleq; & modico oleo conditæ venenoſorum reptilium ictibus, ſi ius earum bibatur, magnum præſidium afferunt, Aetius 2. 163. Fluuiatiles ranæ, ſi carnes edantur, iuſve decoctarum ſorbeatur, proſunt, & contra leporem marinum, & contra ſerpentes ſupradictas, (chalciden, ceraſten, ſepem, elapem, dipſadem, &c.) contra ſcorpiones ex vino, Plinius. In ſumma, contra omnia venena, vel potu, vel ictu vel morſu noxia, ſuccus earum ex iure decoctarum efficaciſſimus habetur. Plinius 32. 5. vt noſter codex habet: nec apparet, quo illud (*earum*) ſit referendum, niſi ad ſtellas (vt Wottonus facit) quæ tamen intra corpus à medicis non dantur. Ego omnino legerim (*ranarum*) Marcellus Hermolaum reprehendit, qui ex Dioſcoride reddiderit ſuccum ranarum è ſale atq; oleo decoctarum contra ſerpentium venena ſumi: imitatus videlicet Plinium 32. 4. ſcribentem, Ranarum marinarum ex vino & aceto decoctarum ſuccus contra venena bibitur. ſed ranæ marinæ (vel piſcatrices potius, βάβαχοι ἁλιέες) ſui generis piſces ſunt inter planos: & ſuccus non idem quod ius: ille exprimitur, hoc coquendo fit. Plura de hoc Plinij errore circa ranas marinas, leges infra in Salamandra *G.* Nicander in Theriacis contra morſus venenoſos elixas è bammate commendat: Scholiaſtes cum vino vel aqua vel aceto coqui & bibi iubet. ego βάμμα acetum potius quàm alium liquorem interpretor: quod id præcipuè, vel per ſe, vel alijs condimentis adiectis adintinctus, quos & embammata Græci vocant, in vſu ſit. Auicenna & Serapio Dioſcoridis verba transferentes, non ſolum contra venena aut vermes venenoſos, ſed contra lepram quoq; ranas in iure coctas remedio eſſe ſcribunt, quod ab Auicenna 2. 596. bis ſcribitur, primum ſub titulo de decoratione, vbi remedia aduerſus ſcabiem quoq; & lepram collocare ſolet: & rurſus ad finem capitis, nec aliquid mutatur à Bellunenſi. Ego huius erroris occaſionem non video: hoc tantum ad eius excuſationem occurrit, ranas non intra corpus ſumptas, ſed foris illitas, (decoctas ſcilicet cum aqua vel ſimplici, vel ſalſa & marina,) pſo-

ræ &

tæ & ſcabiei, cuius & lepra ſpecies eſt, remedium eſſe, vt infra ex Plinio docebimus. Ranæ coctæ comeſtæ, & iuſculum earum potum, efficaciſſimè proſunt contra viperæ morſum, Aetius. Iis qui ſalamandram intra corpus ſumpſerunt, præter opinionem prodeſt ranarum iuſculum, ſi eryngij radices in eo coquantur, Aetius. Iiſdem Auicenna prodeſſe ſcribit oua teſtudinis marinæ, & ranæ decoctæ cum calamintha. Teſtudinum marinarum carnes ammixtæ ranarum carnibus contra ſalamandras præclarè auxiliantur, Plinius. Et alibi, Ranarum marinarum (quæ piſcium planorum generis ſunt, vt ſupra dixi) ex vino & aceto decoctarum ſuccus contra venena bibitur, & contra ranæ rubetæ venenum, & contra ſalamandras. Ranæ coctæ (elixæ) vel aſſæ caro pro remedio datur contra rubetæ venenum, Nicander. Apollodorus eryngium aduerſus toxica cum rana decoquit, Plin. Falconibus malè affectis Albertus inter remedia ranam aliquando dari iubet. Idem ranunculum aridum tritum cum carne calida falconi faſcinato à quibuſdam dandum præſcribi meminit. Quidam ranam excoriatam impoſitam ſpicula & quicquid carni infixum hæret, extrahere putant, authorem citantes Auicennam. ¶ Contra ſpaſmum aliqui iuſcellum ranarum dant, experimentum eſſe dicentes. ſed hoc odioſum eſt, & nihil in ſe commodi habet quod ratio probet, Cælius Aurelian. ¶ Proſunt ranæ elixæ (cum oleo & ſale) contra veteres abſceſſus τενόντων, (id eſt tendinum in ceruice, vt Marcellus in Annotationibus ſuis pluribus aſtruit,) Dioſcorides. Ruellius vertit contra inueteratos tendinum rigores: Plinium, vt video, ſecutus, cuius hæc ſunt verba: Rigor ceruicis mollitur caſtoreo poto cum pipere ex mulſo mixto ranis decoctis ex oleo & ſale, vt ſorbeatur ſuccus: Sic & opiſthotono medentur, tetano, ſpaſticis verò piperè adiecto. Ex his verbis Plinius non tenontas, id eſt tendines, ſed tetanum legiſſe videtur, qui ipſi ac Celſo rigor ceruicis eſt: vt mireris, cur nominato ceruicis rigore mox rurſus tetanum tanquam diuerſum affectum nominet. Hoc etiam intereſt, quòd Plinius hoc remedium bibi vult, Aetius & Arabes foris adhiberi: Dioſcorides non exprimit. Rana in oleo elixata ſui decocti fomentatione (καταιονήσει) diuturnos chordarum (τενόντων ὀδύνας) dolores ſedat, morbum articularem leuat, ac durities mollit, Aetius. Sed hæc facultas fortaſſis ad ranas rubetas magis pertinet, è quibus acopum ad morbos omnes articulares celebratur, vt dicam infra in Rubetis. Ius ranarum in ſale & oleo coctarum confert apoſtematibus chordarum quum eis ſuperinfunditur, Auicenna: cum pulueriſatur ſuper ea, Serapio (quod non placet.) Tuſſim ſanare dicuntur piſcium modo è iure decoctæ in patinis ranæ. ſuſpenſæ autem pedibus, cum diſtillauerit in patinam ſaliua earum, exenterari iubentur, abiectiſq; interaneis condiri, Plinius. Dyſentericis medentur ranæ cum ſcilla decoctæ, ita vt paſtilli fiant, Idem. Ranæ aquaticæ in vino vetere & farre decoctæ, ac pro cibo ſumptæ, ita vt bibatur ex eodem vaſe, hydropicis medentur, Author cuius nomen excidit. Aquam educit per aluum rana fluuialis ex albo iure comeſta, Nic. Myrepſus. ¶ Pſoras tollit rana decocta in heminis quinq; aquæ marinæ: excoqui debet donec ſit craſſitudo mellis, Plinius. ¶ Equorum ſcabiem ranæ decoctæ in aqua extenuant, donec illini poſſit: aiuntq; ita curatos non repeti poſtea, Idem. Si equus aut aliud iumentum ſcabiem patiatur: ranas paluſtres (βατράχους λιμναίους) cum aceto acerrimo, oleoq; & ſpuma nitri commiſcens pro certa portione, ſimul decoquito, & illinito, Tiberius in Hippiat. Græcis. Super tumores peſtilentes ranas aliqui recentiores ſuperilligant, & mortuis recentes ſubſtituere pergunt donec nulla amplius moriatur. Maximè autem quartanis liberant ablatis vnguibus ranæ adalligatæ & rubetæ, Plin. Ranas contritas aut ventres eorum ſciſſos pro malagmate articulis imponito, efficaciter quoſcunq; dolores eorum ſedabis, Marcellus. Emplaſtrum Ioannis de Vigo ad dolores articulorum, quod repetit Iac. Syluius in libro de delectu ſimplicium, &c. recepit inter cætera ranas viuentes ſex. Audio felicem eius vſum eſſe ad vlcera antiqua ſananda. Neruis vulneratis prodeſt, terræ lumbricos indere tritos, *Queis vetus & ranis ſociari axungia debet*, Serenus. Ignes ſacros reſtinguunt ranarum viuentium ventres impoſiti, pedibuſq; poſterioribus pronas adalligari iubent, vt crebriore anhelitu proſint, Plin. Siriaſeis infantium ſpongia frigida cerebro humefacto rana inuerſa adalligata efficaciſſimè ſanat, quam aridam inueniri affirmant, Idem. ¶ Decoctæ (probe coctæ, Archigen.) in aceto & aqua, dentium dolores collutione leniunt, Dioſcorid. & Archigenes apud Galenum de compoſ. med. ſec. locos, qui hoc decoctum diutius ore retinendum docet. Decoquuntur ranæ ſingulæ in aceti heminis, vt dentes dolentes ita colluantur, contineaturq; in ore ſuccus. Si faſtidium obſtaret, ſuſpendebat pedibus poſterioribus eas Saluſtius Dionyſius, vt ex ore virus deflueret in acetum feruens, idq; è pluribus ranis. Fortioribus ſtomachis ex iure edendas dabat. Maxillareſq; ita ſanari dentes præcipuè putant: mobiles verò ſupradicto aceto ſtabiliri. Ad hæc quidam ranarum corpora binarum præciſis pedibus in vini hemina macerant, & ita collui dentes labantes iubent. Aliqui totas adalligant maxillis. Alij denas in aceti ſextarijs tribus decoxêre ad tertias partes, vt mobiles dentium ſtabilirent. Nec non XXXVI. ranarum corda in olei veteris ſextario ſub æreo teſto diſcoxêre, vt infunderent per aurem dolentis maxillæ. Alij iecur ranæ decoctum & tritũ cum melle impoſuere dentibus. Omnia ſupraſcripta ex marina rana efficatiora. Si carioſi & fœtidi ſunt, centum (ranam forte, vnam ſcilicet) in furno areſieri per noctem præcipiunt: poſtea tantundem ſalis addi atq; fricari, Hucuſq; Plinius. Anginas abolet ranarum decoctarum ex aceto ſuccus: hic & contra tonſillas prodeſt, Idem. Rana

De oleo ex ranis. uiua ſi uentri torminoſi adponatur, in eam uitium confeſtim tranſire dicitur, Marcellus. ¶ Oleum de ranis Io. Meſuæus deſcribit cap. 449. his verbis: Recipe ranarum aquaticarum circiter libram ſemis: & funde ſuper eas in vaſe vitreo olei ſeſamini chiſt (ſextarium) ſemis: & obturato ore vaſis decoque ſicut dixi in oleo de ſerpentibus (cap. 447.) Confert hoc oleum (vt ex Meſuæo Syluaticus citat cap. 221. dolori arthritico & podagræ calidæ: & temporibus illitum in febribus ob inflammationem aliquam ortis, ſomnum prouocat. (Vide infra in Rubetis G.) Hoc oleum (inquit Syluius) etiam hodie parant, ob id tantum quòd ſit neceſſarium ad emplaſtri de ranis compoſitionem à Io. Vigo deſcriptam. Podagræ calenti admouerunt quidam, ſed nullo fructu. neq; enim frigiditas in eo magna eſſe poteſt ab his capitibus (ranarum) coquendo coctione tam longa, & ea in oleo ſeſamino, alteratis. Rectius meo iudicio ranæ virides in ſyluis crebræ, vnguibus reptantes in altiſſimas quaſq; arbores, & ſub noctem brexantes (vox enim earum vnica eſt *brex*) oleo violato, vel omphacino ad hos *Vox ranarum brex. vnde brexare.* vſus incoquerentur. Oleo de ranis (inquit Manardus in Meſuen) vidi quoſdam vtentes in podagra. Sed in ea nullum magis præſentaneum vidi auxilium & abſque periculo, quam vt eam homo æquo animo ferat expectans Hippocratis terminum. Olea ex animalibus facienda, viua ipſa recipiunt, vt in his moriantur ſcorpiones, ſerpentes, ranæ, &c. Syluius. Oleum de ranis, vtile eſt podagricis & arthriticis doloribus, & membris quæ malè nutriuntur aut contabeſcunt: fit autem hoc modo, In olei communis libram ranæ fluuiatiles quatuor iniectæ, cum ſuffocatæ fuerint coqui debent in olla noua incruſtata & obtecta, lento igne, donec carnes ab oſſibus diſſoluantur: tum extrahi, & in mortario tritæ rurſus inijci: cumq; ſemel tantum in oleo efferbuerint, oleum ab igne remotum colatur ne quid feculentum remaneat. ſic addes, terebinthinæ lotæ & claræ vncias quatuor, & ad ignem miſcebis non amplius decoquendo. Hoc oleum miræ efficaciæ eſt, vt nos docuit Georgius Pictorius inſignis medicus Enſishemij. *Sæpe ita peruadit vis frigoris, ac tenet artus, Vt vix quæſito medicamine pulſa recedat. Si ranam ex oleo decoxeris, abijce carnem, Membra foue*, Serenus. Ranæ in triuio decoctæ oleo, abiectis carnibus, perunctos liberant quartanis. ſunt qui ſtrangulatas in oleo ipſas clam adalligent, oleoq; eo perungant. Cor earum adalligatum frigora febrium minuit: & oleum in quo inteſtina decocta ſint, Plinius. Vt pellatur quartana quidam iubent indulgere Veneri initio caloris: *Sed prius eſt oleo partus feruescere ranæ In triuijs, illoq; artus perducere ſucco*, Serenus. Contra omnem mâlin, (peſtilentem in iumentis affectum:) crocodilum terreſtrem & ranam oleo inijce & coque in olla, donec carnes eorum in oleum reſoluantur: tum cola, & infunde naribus iumenti, Agathotyches in Hippiatricis cap. 2. Podagris articularibusq; morbis vtile eſt oleum in quo decocta eſt rana & ipſius inteſtina, Plinius. Vtiliter in dolore perunguntur (articuli & pedes) oleo in quo diu decocta ſint inteſtina ranarum, Marcellus. Si confirmata iam fuerit podagra, proderit nitido ranæ decoctum viſcus oliuo, Serenus. Oleum in quo diſcocta ſit rana, ad dolores (aliàs abſceſſus, aliàs rigores) tendinum fotu vtile eſt, Aetius lib. 2. Vide ſuperius inter facultates ranæ eiuſve decocti intra corpus ſumendi.

Rana arefacta. ¶ Ex recentioribus nonnulli ranam abiecto capite arefactam ſeſquidrachmæ pondere potam ex vino aut pulte, tædium Veneris adferre affirmant, Alex. Benedictus.

Aqua deſtillata ex ranis. ¶ Ex ranis viridibus quæ ad ripas aquarum degunt, vel ex ouis earum, liquor vi ignis inſtrumento chymiſtico elicitur: qui omnes præter naturam tumores calidos, vel abſq; tumore ſupercalfactos locos linteolis ex eo madentibus impoſitis mitigat & refrigerat: item articulares dolores calidos. Sanat etiam manus, quæ rimis & cutis duritie nimia humorum acrimonia & calore afficiuntur, ſi ſubinde lauentur eo, & linteolis ex ipſo madefactis humectentur, Ryffius ex Hieron. Brunſuicenſi vt conijcio, cuius librum adeat cui vacat.

Cinis. ¶ Ranæ cuiuſcunq; cinis in potu datus ſuum morbis medetur, Plinius. Ranarum cinis illitus (ἐπιπασθεὶς, inſperſus,) profluentis ſanguinis impetus ſiſtit, Dioſcorides: ſiſtere traditur, Galen. Cauſam addit Ægineta, quoniam maximè ſiccet. Sunt & recentiores qui hoc confirment. Ranæ crematæ cinis membranæ cerebri vulneratæ, aut ruptæ venæ inſperſus, ſanguinem reprimit, Aetius lib. 2. Ad fluxum ſanguinis è vulnere: Vſtæ ranæ cinerem vulneri inſpergito. ſed ſuperponi debet ſpongia ex oxycrato, & frequenter ſiccitatis ratione mutari, Galenus Euporiſt. 1. 129. Ad ſanguinem ſiſtendum & ranarum illinunt cinerem, vel ſanguinem inarefactum. Quidam ex rana calamite, id eſt minima & viridiſſima, cinerem fieri iubent. Aliqui & naſcentium ranarum in aqua quibus adhuc cauda eſt, in calice nouo combuſtarum cinerem, ſi ſanguis per nares fluat, inijci, Plin. Ranæ cinis inſperſus ſanguinem vndecunq; profluentem, cohibet: & è naribus erumpentem, ſi inſtilletur, Raſis. Inſufflatio (in nares) de rana aduſta, vehementer reſtringit ſanguinem. quin puluis eius circa collum ſuſpenſus prohibet ſanguinem vndecunq; fluentem. Nuper quidam alligauit hunc puluerem circa collum gallinæ, & mox amputato eius capite nihil ſanguinis profluxit, Galeatius de S. Sophia. Cinis ranæ cum aceto fluxum narium, vlcerum & ſexuum (genitalium) reſtringit. Venas etiam & arterias & combuſtionem ſanat, Kiranides. Theophraſtus Paracelſus in Chirurgia ſua Germanica ranæ cinerem numerat inter remedia quæ ſanguinem ſupprimant. Vide infra in Rubeta G. & in Ranunculo viridi. Vt pili totius corporis aboleantur: Pellem ranæ vſtam inijce in aquam balnei, Kiranides.

Echinum comburi cum viperinis pellibus ranisq;, & cinerem aſpergi potioni iubent magi, claritatem viſus promittentes, Plinius. Ranarum cinis cum pice liquida illitus alopecias ſanat, Dioſcorides & Kiranides, qui emplaſtri modo imponi iubet: ſanare perhibetur, Galenus. plurimum enim ſiccat, Ægineta. Auicenna liquidæ picis mentionem in hoc remedio omiſit. Alopecias replet, ranarum trium, ſi viuæ in olla concrementur, cinis cum melle, melius cum pice liquida, Plinius. Ranæ paruæ vruntur, & cinis cum pice liquida miſcetur: quo remedio ſi fricentur alopeciam expertæ partes donec rubeſcant, & mox eodem inungatur, prodeſt, Raſis. Ranam habentem longa crura combure, & terens aſſume cum pice liquida, & vnge locum præfricando ipſum, Galenus Euporiſt. 2. 86. Vide infra in Ranunculo viridi.

¶ Ranarum paruarum ſiue viridium, ſanguinem ſiue ſuccum pro pſilothro aliqui commendant, & ne euulſi in palpebris pili renaſcantur: Plinius etiam ranarum ſimpliciter: quæ nos omnia ad ranam viridem paruam priuatim referemus. Quoniam enim pſilothra vel cauſtica vel ſeptica ſunt, non ad virides maiores & edules ranas, ſed ad venenatas vis iſta referenda videtur. quanquam & paruæ virides parum veneni habere videntur, vt pſilothri vis ad rubetas forte magis pertineat. Si quis voluerit quòd pili titillarium pueri non naſcantur, depilentur & inungantur loca ſanguine ranarum, Elluchaſem. ¶ Ranarum carnes impoſitæ ſuggillationem rapiunt, Plinius. Ranarum carnem morſui ſalamandræ imponi iubet Auicenna. *Sanguis.*

¶ Ranarum adeps auribus inſtillatus ſtatim dolores tollit, Plin. Adeps ranarum paluſtrium liquefacta, ſi tepens in aurem infundatur, dolores nimios mitigabit, Marcellus. Auditus difficultatem emendari putant, infuſo ranarum pingui, dum coquuntur illæ, collecto, Incertus. ¶ Oculis earum (ranarum: niſi corum legas, id eſt cancrorum, de quibus propius dixerat) ante Solis ortum adalligatis ægro, ita vt cæcas dimittant in aquam, tertianas abigi promittunt. Eoſdemq; oculos cum carnibus luſciniæ in pelle ceruina adalligatos, præſtare vigiliam, ſomno fugato tradunt, Plin. Ranæ dexter oculus dextro, ſiniſtro læuus ſuſpenſi è collo natiui coloris panno, lippitudines ſanant. Quòd ſi per coitum ranæ eruantur, albuginem quoq;, alligati ſimiliter in putamine oui. Cancri etiam oculos adalligatos collo, mederi lippitudini dicunt, Idem. Ranam de lacu prendes, & ſpina oculos ei ſubtiliter erues, atque in panno coccineo delicio ligatos oculis interius cruentis ſuperpones, citò medeberis, Marcellus. *Adeps. Oculi.*

¶ Affectus quidam fiſtula ſupra ſtomachum, quæ antea curari non potuerat, quotidie mane quinque ranarum aquaticarum corda, catapotiorum inſtar deglutiuit, vnde breui curatus eſt, Arnoldus lib. 4. Breuiarij. Dyſentericis medetur fel ſiue cor ranarum cum melle tritum, vt tradit Niceratus, Plin. Cor ranarum adalligatum frigora febrium minuit, Idem. Et rurſus, Iecur ranæ vel cor adalligatur in panno leucophæo contra febres. Aliqui 36. ranarum corda in olei veteris ſextario ſub æreo teſto diſcoxêre, vt infunderent per aurem dolentis maxillæ, Plinius inter remedia ad dolores dentium. Iecur ranæ geminum eſſe dicunt, obijciq; formicis oportere, eam partem quam appetunt contra omnia venena eſſe pro antidoto, Plinius. Contra morſus venenoſos iecur ranæ ex quolibet vino ſalubriter bibitur, Nicander in Theriacis. Si rana ſcindatur per dorſum, & capiatur iecur ranæ & ponatur in folio caulis, & exiccetur & detur epileptico, mirabiliter confert, Galeatius. Aliqui iecur ranæ decoctum & tritum cum melle impoſuêre dentibus dolentibus, Plin. ¶ Plinius cum docuiſſet phagedænę & cacoethe quomodo curentur, ſubdit: Vermes verò innati ranarum felle tolluntur. Obſcurus quidam tanquam ex Plinio, citat, vermes natos in homine hoc felle tolli. verum Plinius non quoſuis in homine vermes hoc loco, ſed vlcerum tantum intelligit. Vermes vlceribus capitis vel quibuſcunq; innati, ranarum felle tolluntur, Marcellus. Fel ranarum ſanandis oculis aptiſſimum eſſe alicubi legere vel audire memini. Dyſentericis medentur ranæ cum ſcilla decoctæ, ita vt paſtilli fiant: fel ſiue cor earum cum melle tritum, vt tradit Niceratus, Plin. Prodeſt & febri ranarum fellis cinis, Idem. *Cor & iecur. Fel.*

¶ Ranas contritas aut ventres earum ſciſſos pro malagmate articulis imponito, efficaciter quoſcunq; dolores eorum ſedabis, Marcellus. Vtiliter in dolore perunguntur (articuli & pedes) in quo diu decocta ſint inteſtina ranarum, Idem. Plinius idem oleum contra febres inungendum commendat. *Inteſtina.*

¶ Ranarum crura ab Alexandro Benedicto laudantur in phthiſicorum cibo. mirè enim (inquit) recolligentibus vires conueniunt. refrigerant ſanguinem, & choleram pariter ſedāt, conglutinant, bene nutriunt, non euaneſcente facile nutrimento. Et ex ijs aqua ex ſublimato vapore collecta efficaciſſima perhibetur. *Crura.*

¶ Si quis Martio menſe cum genituram ſeu ſperma (vel oua potius) ranarū primum inuenerit in aquis, manus inde ablueri, ſcabiem & impetiginem earum curari audio. Retulit hoc nobis expertus quidam in ſeipſo, cum poſt Gallicum morbum manus impetiginoſas habuiſſet longo tempore, legerat autem in libro quodam manuſcripto, eum qui manus puras & nitidas toto anno habere vellet oportere hoc ſpermate menſe Martio manus lauare: & ſic manus illas inſuper habituras eam vim vt impoſitæ morbos quoſdam curent, vt ventris tormina, & lactis grumos in mamillis. Sunt qui aſſerant, manum ſemel ſic lotam toto anno efficacem futuram vt vermem vulgò dictum, (cuius ſpecies eſt paronychia,) extinguat, ſi digitum aut partem affectam comprehendens aliquandiu teneat. Alij veriſimilius, non poſtea, ſed cum primum lota eſt manus hoc ſpermate ſiue recenti, ſiue ſeruato in olla, vim illam habere putant, vt ſi madida adhuc à lotione partem affectam *Sperma.*

vel hominis vel bruti aliquantiſper tenuerit, auxilietur. hoc vt quotieſcunque opus eſt fieri poſſit, ſperma collectum menſe Martio in ollam vitream ponunt: quam linteo & operculo inſuper ligneo tectam terra defoſſam obruunt, & per duos vel tres menſes relinquunt in loco Soli expoſito. Sic ſperma in aquam reſoluitur, quæ primò obſcurior & turbulenta eſt, poſtea fit clarior. Hæc aqua ſeruatur: & cum vermis ſeu paronychia vrget, intinctum in eam linteum, digito applicatur, vnde vermis (dolor) eodem die extinguitur: quo facto digitum foueri oportet ſupra decoctum hibiſci & chamæmali. hæc ſcilicet apotherapia eſt propter ſperma nimium refrigerans. Videntur enim mihi ranæ aquaticæ & omnes earum partes, vel excipio, frigidæ humidæq́; eſſe, & refrigerando dolorem auferre, vt narcotica ferè: maximè verò ſperma earum. Audiui & ab alijs, vno & altero, qui manus ſuas recenti ranarum ſpermate ablutas, à ſcabie liberatas aiebant. Ad vermes ſeu paronychias pulſantes propter inflammationem, quæ ſcilicet ſuppurari poſſunt: Sperma ranarum in vaſe vitreo ſine in aquam ſolui: in qua madefactum linteum parti affectæ circumpone: vel digitale ex cera virgine hoc liquore ſubacta factum impone. hoc ſuppurationem prohibet, Ex libro Germanico manuſcripto. Ranarum ſpermatis vſus eſt etiam vt purior & nitidior ſit facies, Mich. Herus.

H.

Etymologia. *a.* Rana animal eſt amphibium, quòd in aqua & terra poſſit viuere, à ſua voce dictum, Varro. Rana à garrulitate vocata eſt, eò quòd circa genitales paludes ſtrepit, & ſonos vocis importunis clamoribus reddit, Iſidorus. Βάτραχος dictus eſt à vocis aſperitate, παρὰ τὸ βοὴν τραχεῖαν ἔχειν, βοάτραχός τις ὤν, Varinus. Sed fortè ab Hebræis potius deducta hæc dictio fuerit, quibus rana *zephardea* dicitur, per aphæreſin & metatheſin literarum. Βοτράχου pro βατράχου apud Hippocratem legitur: ſed codi-*Synonyma.* ces quidam βατράχου habent, Galenus in Gloſſis. Βότραχος, rana, Heſych. Βόρταχος, rana, Varinus. Eſt & βόρταχος ſecundum aliquos ἡ ἱππικὴ καὶ σιτώδης πόσις, Heſych. & Varinus. Βάτραχον poëtæ & Iones βότραχον vocant, quod & apud Ariſtophanem & Xenophanem poëtas legitur, Hermolaus. Βρόταχος, rana, Ionicè: Cyprijs βρύχετος, Varinus. Βύρτακος, rana, Idem. Βάθρακος pro βάτραχος Ionicum eſſe apud eundem legimus in voce Κιθών. Βερταύχους, βατράχους, Heſychius & Varinus. Βρόαγχος, rana, Iidem. Βριαγχόνη, rana Phocenſibus, Iidem. Βάβακοι Elienſibus cicadæ, Ponticis ranæ ſunt, Heſych. & Varinus. Βλαχάν, rana, Varinus. Βλίχαρος, rana, Suidas. Βλίχανον, βάτραχον καὶ βλίχαν, Heſychius & Varinus. Βρινοί, ranæ, Varinus. Βώξ, rana, Idem: nimirum quaſi boax, quòd vocalis clamoſaq́; ſit: nam & piſcis quidam qui vocalis creditur, eodem nomine appellatur. Παρφυσίδες, ranæ, Varinus: quòd buccas ſcilicet inter clamandum inflare ſoleant: vt & reliquum corpus aliquando, præſertim per iram. Καρπίας, rana, Idem. accedit autem hæc vox ad Germanicam Krott / qua bufonem ſignificamus. Κόαξ, rana, Varinus: (Κοάξ, paroxytonum apud Heſychium) per onomatopœan, ſi rectè legitur: nam hæc dictio propriè pertinet ad ipſam ranarum vocem, vt in *C.* ſcripſimus. Βάρακος, rana, Heſych. Vulgò hodie Græcis βορδακάς.

¶ Epitheta. *Garrula limoſis rana coaxat aquis*, Author Philomenæ. *Hic piſcibus atram Improbus ingluuiem, raniſq́; loquacibus explet*, Verg. lib. 3. Georg. de cherſydro. *Turpes*, Horat. Epodo. *Paluſtres*, Idem 1. Serm. *Virides*, Ouidius 15. Metam. Sunt & alia apud Textorem: querula (ex Columella:) virens, obſtrepens, aquatica, blaterans, paludicola, paludigena, ſtagnicola, canora, coaxans, crepitans, rauca, coaxatrix, & lurida: quod poſtremum rubetæ proprium dixerim. quanquam Hermolaus ſcribat epitheton hoc ranarum omnium à poëtis exiſtimari. ¶ Βλαισοπόδης, βάτραχος. Suid. Δειλαὶ γενεαί, Aratus de ranis. Γεριῶν καναχοὶ τοκῆες βάτραχοι, Nicander in Theriacis: item λαιδροὺς (impudentes ob multum clamorem) γεριῶν τοκῆας. Λιμναῖα κρηνῶν (pro λιμνῶν καὶ κρηνῶν) τέκνα, Ariſtophanes in Ranis. Φιλωδὸν γένος, Ibidem. ¶ Epithetis addemus etiam propria illa ranarum conficta ab Homero nomina in ſua Batrachomyomachia, quæ ſunt: Λιμνόχαρις, Πηλεύς, Ὑδρομέδουσα, Φυσίγναθος, Ὑψιβόας, Σευτλαῖος, Πολύφωνος, Κραμβοφάγος, Λιμνήσιος, Καλαμίνθιος, Ὑδρόχαρις, Βορβοροκοίτης, Πρασοφάγος, Πηλούσιος, Πηλοβάτης, Κραυγασίδης, Πρασαῖος.

Ὁμώνυμα & deriuata. ¶ A rana diminutiuum eſt ranula (vt Græcis βατράχιον apud Pauſaniam) quo vtitur Apuleius: item ranunculus. Ennius cum dicit, Propter ſtagna vbi lanigerum genus piſcibus paſcitur, eſſe paludem demonſtrat, in qua naſcuntur piſces ſimiles ranunculis, (cordyli fortaſſis Ariſtoteli dicti,) Feſtus. Ranunculos per iocum vocat Cicero Velabrenſes, qui ſibi obloquerentur, eò quòd clamarent tanquam ranæ, quæ præſertim inſtante veſpere, totas paludes coaxationibus implent, Ad Trebatium lib. 7. Eſt & *bátrachus* Græcè, Latinè ranula, vngulæ pars equinæ: Vide in Equo *E.* ¶ Genus mali vbi tument ſub lingua venæ *bátrachos* vocatur, Cælius. Solent etiam faſtidia cibo afferre vitioſa *Rana morbus ſub lingua.* incrementa linguæ, quas ranas veterinarij vocant. hæc ferro reciduntur, &c. Columella in remedijs boum. Ranæ vitium in boue (inquit quidam noſtri ſæculi) iacet velut latum vlcus ſupra linguam, nigricans, & nono die necat niſi curetur: (curandi ratio in Boue expoſita eſt.) Tumorem ſub lingua cum inflammatione, præcipuè in pueris, *bátrachon* Græci vocant, Auicenna ranulam, Manardus. Bátrochos morbi genus eſt tumentibus ſub lingua venis, cui ſimilem fortaſſe Plinius vigeſimiſexti voluminis initio monſtrauit, rubentis ſub lingua duritiæ, Hermolaus. Amicus quidam medicus nobis retulit viſum ſibi tuberculum ſub lingua cuiuſdam latitudine duorum digitorum, quod ſermo-

ſermonem impedierit, cuti concolor reliquæ. id curatum transfixa acu per totum tuberculum, & cum ſcalpello poſtea auctum vulnus, vnde effluxerit materia lacti coagulato ſimilis (forte qualis atharomatis eſt) paulatim ea copia, vt duas ferè volas impleret. qua inanita iuſſus eſt aquam mulſam gargariſſare: quæ etiam per ſiphonem in tuberculum transfixum immiſſa eſt. deinde purgato corpore aſtringentibus vſum eſſe & conualuiſſe. Nicolaus Myrepſus inter emplaſtra capite 195. remedia præſcribit ad ranas quæ ſub lingua è deſtillatione fiunt. Petrus de Tuſignano medicus batrachion numerat inter abſceſſus peſtilentes, qui ex materia venenoſa oboriantur: id quod conuenit cum carbunculo peſtilente plerunq; ſub lingua naſcente, cuius meminit Plin. 26.1. ¶ Βατραχίσκοι pars quædam citharæ, Varinus. ¶ Βάτραχος, εἶδος ἐχάρας, Idem. ¶ Inter veſtes tragicas (ἐπιβλήματα τραγικά) numerantur à Polluce, βατραχὶς, χλανὶς, χλαμὺς, &c. Βατραχὶς veſtis virilis à colore nomen traxit, Pollux 7.13. Scholiaſtes Ariſtophanis in fine Equitum, batrachidem docet eſſe genus veſtis floridæ, à colore (nimirum viridi, qualis ranarum eſt) denominatæ, idem ex eo Varinus repetit. Βαπτόμενος βατραχείοις, Ariſtoph. in Equitibus, vbi interpres βατράχειον docet eſſe coloris genus, à quo βατραχὶς veſtis appellata ſit. inungebant autem (inquit) hoc colore faciem ante inuentas perſonas (περὶν ἐπιθεῖναι, lege ἐπινοηθῆναι ex Scholiaſte Ariſtoph. & Suida:) Varinus. Cuiuſmodi batrachis foret, indicat planè in Caligula Dion: Batrachida, inquit, inducenti, & inde ab colore praſino nuncupato, erat addictus adeò, vt vel nunc Caianum appellent locum, in quo is currus agitaret. Batrachium & Phœnicium fuiſſe Athenienſibus dicaſteria, auctor Pauſanias eſt, de coloribus appellatione ducta, Cælius. Et alibi, Apud chymiſtas batrachium ex latice diuino computreſcente prouenit, in auri confectione miraculi præcipuè memorati, ſpecie ranunculi, veneno vis tanta, vti halitu etiamnum ſolo (imprudentes) perimat. Id ab effectu etiam chryſocollam nuncuparunt. Sed eadem prius in Corollario Hermolaus ſcripſerat. ¶ Βατράχειος μοῖρα, Suidas, nec aliud addit. ¶ Βατραχίζω, in morem ranæ nato, vt quidam in Lexicon Græcolat. retulit, ſit authore.

Batrachium chymiſtarū.

¶ Icon. Et vidi ex ore draconis & ex ore beſtiæ, & ex ore pſeudoprophetæ exire ſpiritus tres immundos in modum ranarum, Apocal. 16. De ranis expreſſis ad truncum palmæ, vide infra in *h.* Mecœnatis rana per collationem pecuniarum in magno terrore erat, Plinius 37.1. vbi de ſignis gemmarum loquitur, quibus veteres ad ſignandum vſi ſunt.

¶ Batrachites lapis ranæ viridi ſimilis colore atq; effigie, Plin. lib. 37. Vide in Rubeta.

¶ Batrachium, id eſt ranunculum Greci vocant herbam, quòd locis paluſtribus naſcatur vbi & ranæ, cuius genera plura faciunt veteres. Polyanthemon, quam quidam batrachion appellant, cauſtica vi exulcerat cicatrices & ad colorem reducit, Plinius. Nos genus vnum terreſtre, cui flos calycis inuerſus, (**ghößlete glyßblůmen/**) radix vertibulo ſimilis & cauſtica, quanquam repoſita vim vrendi ſtatim amitti, dulcis duntaxat deinceps, flammulam vocamus. Huic & alia ſimilia ſunt genera in pratis & locis ſiccis, quæ omnino non vrunt, & quædam vere etiam in cibum veniunt: in paluſtribus verò naſcitur quod apium riſus vel apium hæmorrhoidum vocant, (quòd folia ferè apij producat.) aliqui herbam ſardiniam, vnde riſus ſardinius in prouerbio dictus, barbari recentiores apium raninum, vel ranum, melius ranarum dicturi. Apium aquaticum ranum dicitur, quod in aquis naſcitur vbi ranæ morantur: vel quoniam renibus (ridicule hoc) opitulatur, Creſcentienſis. Apium hæmorrhoidum ſimile eſt ranino, niſi quia habet guttas magnas in folijs, Obſcurus. Batrachio herbæ idem eſt apiaſtrum, id eſt apium ſylueſtre, non autem meliſſophyllon, vt Hermolaus ſcribit Corollario 42. *Madaſon*, id eſt apium riſus, Syluaticus. ¶ Plantaginem aquaticam, in paludibus & ſtagnis naſcentem, noſtri nominant **fröſchlöffelkrut/** id eſt, cochlearium ranarum: ſunt qui aliſma putant. Βατραχὲν inter ſpecies braſſicæ Nicandro in Georg. nominatur, vt citat Athenæus.

Batrachium herba.

¶ Ranam marinam Cicero & Plinius vocant piſcem marinum è genere planorum: Græci βάτραχον ἁλιέα, ego piſcatricem potius quàm marinam reddiderim. Vocatur autem rana à ſimilitudine quadam oris vt puto: piſcatrix verò, quoniam eminētia ſub oculis cornicula turbato limo exerit, atq; ita aſſultanteis piſciculos pertrahit, donec eam prope accedant, vt aſſiliat, Sipontinus. Piſcis quidam rana in mari appellatur, Plinius. Ariſtoteles quoq; ſimpliciter aliquando ranam nominat, ſed inter cæteros piſces marinos. ¶ Amatus Luſitanus Centuria 1. Curatione 37. refert mulierem quandam in Italia, quum omnium opinione prægnans diceretur, quatuor animalia ranis ſimillima peperiſſe, & optimè valuiſſe. Rurſus aliam inter ſecundas animal ranæ ſimillimum eieciſſe, nec ipſius nec pueri valetudine læſa.

Rana marina.

Mulieres quædam ranas pepererunt.

¶ Sauros & Batrachos ſtatuarij, natione Lacones, fecere templa Octauiæ porticibus incluſa, Plinius.

¶ *b.* Quorum latera turgidiora & veluti inflata ſunt, loquaces & ſtultiloqui habentur, boum aut ranarum argumento, Ariſtot. in Phyſiog. Limus ranas generat truncas pedibus, *mox apta natando Crura dat, vtq; eadem ſint longis ſaltibus apta Poſterior ſuperat partes menſura priores*, Ouidius 15. Metam.

Phyſiologia.

¶ *c.* Ἀμφίβιον γάρ ἔδωκε νομὴν βατράχοισι κρονίων, Homerus in Batrachomyomachia. Nullus eſt hoc ſeculo nebulo ac rynthon, qui non dicat nihil ſua intereſſe, vtrum his piſcibus (qualis & mugi-

libus) ſtagnum habeat plenum an ranis, Varro 3. 3. & ex eo Columella. Ranæ diebus apricis in paludibus ſuis ſaliunt per cyperum & phleon gaudentes ᾠδῆς πολυκολύμβοις μέλεσιν, Ariſtoph. in Ranis. Sole & calore gaudent: fugiunt autem imbrem, fortè quia auctis inde torrentibus abripiuntur, Interpres Ariſtophanis. Paraſitus quidam in Ariſtophôntis Pythagoriſta apud Athenæum lib. 6. dicitur eſſe, ſi aqua ſit bibenda, rana: ſi olera edenda, eruca, &c. ¶ *Et veterem in limo ranæ cecinêre querelam*, Vergilius 1. Geor. *Nam neq; ſicca placet, nec quæ ſtagnata palude Perpetitur querulæ ſemper conuitia ranæ*, Columella de natura ſoli. In maris Caſpij inſulis auem quandam naſci ferunt magnitudine ſupra anſerem, pedibus grui ſimilem, voce ranis, &c. Ælianus. ¶ *Ranæ pullos* Horatius dixit 2. Ser. *Inferos eſſe, & Stygio ranas in gurgite nigras, Nec pueri credunt*, Iuuenalis Sat. 2.

¶ *d.* Salpe negat canes latrare, quibus in offa rana viua data ſit, Plinius. Saſerna in agricultura præcepit, qui vellet ſe à cane ſectari, vti ranam obijciat coctam, Varro.

Superſtitioſa & magica.

¶ *e.* Dicunt quidam quòd ſi lingua ranæ aquaticæ natantis ſuperponatur capiti dormientis, in ſomno loquetur & reuelabit ſecreta, Albertus. Ranæ linguam ſi quis abſciderit, eamq; viuam dimiſerit: & ſuperſcripſerit linguæ certos characteres, (hi in codice manuſcripto corrupti erant,) & latenter dormientis mulieris pectori impoſuerit, efferet illa quicquid commiſit per omnem vitam, Kiranides. Democritus quidem tradit, ſi quis extrahat ranæ viuenti linguam nulla alia corporis parte adhærente, ipſaq; dimiſſa in aqua, imponat ſupra cordis palpitationem mulieri dormienti, quæcunq; interrogauerit, vera reſponſuram. addunt etiamnum alia magi, quæ ſi vera ſunt, multò vtiliores vitæ exiſtimentur ranæ quàm leges: Nanque harundine transfixa natura per os, ſi ſurculus in menſtruis defigatur à marito, adulteriorum tædium fieri, Plinius.

¶ *g.* Baculus quo angui rana excuſſa ſit, parturientes adiuuat, Plin. Qui abſciderit pedem ranæ ambulantis in aqua, deinde ſuſpenderit illos duos pedes ſuper podagricum ligatos in corio cerui, curabit ipſum, Raſis. Si quis viuentem ranam ceperit in nomine patientis, eo tempore quo neque Sol neq; Luna ſuper terram ſunt, & forcipe abſciderit eius poſteriores pedes, & in pelle ceruina dextrum dextro pedi, ſiniſtrum ſiniſtro alligauerit, podagricos ſanabit abſq; dubio, Kiranides. Quidam dicunt mulierem ranam accipientem, & os eius aperientem, terq; ibi ſpuentem non concipere vno anno, Conſtantinus in libro de incantatione.

¶ *h.* Bion dicebat pueros ranas, quoties colludunt, lapidibus petere: at illas iam non ioco, ſed ſeriò perire, Plutarchus. Εὐκτὸς ὁ τῶ βατράχω παῖδες βίος, οὐ μελεδαίνει Τὸν τὸ πιεῖν ἐγχεῦντα. πάρεστι γὰρ ἄφθονον αὐτῶ, Theocritus Idyl. 10. ad finem.

Scythæ Dario auem, murem, & ranam dono mittunt.

¶ Cum Darius inopia rerum laboraret, reges Scytharum id intelligentes, mittunt ad eum cum muneribus caduceatorem, aue, mure, rana, & quinque ſagittis, vt ex Herodoto retuli in mure *h.* Scythæ Dario regionem ipſorum inuadenti, authore Herodoto, miſerunt auem, ſagittam & ranam. Patroclus verò Ptolemæi imperator (vt tertio hiſtoriarum Phylarchus prodit) Antigono regi ficus virides & piſces magnos miſit, quibus rex acceptis in conuiuio cum omnes addubitarent quid hæc munera ſibi vellent, dixit videri ſibi Patroclum hoc monere, vt vel maris imperium ſibi pararet, vel ficos ederet, Athenæus lib. 8.

Poemata de ranis.

¶ Batrachomyomachia inſcribitur iocoſum Homeri poema, quo ille ranarum & murium pugnam deſcribit. Magnes poeta veteris comœdiæ inter cætera batrachos, id eſt ranas ſcripſit. Extat eiuſdem inſcriptionis comœdia Ariſtophanis, vbi Bacchus ad inferos deſcendere fingitur, vt Euripidem aut Æſchylum, alterutrum ſcilicet, qui in certamine apud inferos viciſſet,) ad ſuperos reduceret: & cum paludem Charontis traijceret, ranas coaxantes audire & colludere. In hac fabula Ariſtophanes (vt ſcribit Tzetzes in Varijs 8. 201.) illos irridet qui ſibi ſapientes videbantur, cum veteribus collati planè ſtolidi eſſent. ranas autem appellat, τῷ ἔχειν παῖδας φιλητὰς, κράκτας, ἀχειροβόας, Ἐκείνους μεγαλαυχοῦντας οὐ λογισμῷ καὶ κρίσει, Ἀλλ᾽ ἀλογίστοις ταῖς φωναῖς, τρόπῳ βατράχων λίμνης. Οὕτω κἀγὼ τοὺς φιλητὰς νῦν ἔφην βατραχίδας, Hæc ille ſub lemmate, Περὶ τοῦ, Τὰς σὰς βατραχίδας φυσιγναθοῦσας.

Fabula de Lycijs in ranas cõuerſis.

¶ Latona puerpera cum à Lycijs ruſticis prohiberetur ne ſitiens ex lacu biberet, nec ſupplex etiam admitteretur, imprecata eis

Æternum ſtagno (dixit) viuatis in iſto.
Eueniunt optata deæ, iuuat eſſe ſub vndis,
Et modo tota caua ſummergere membra palude,
Nunc proferre caput ſummo modo gurgite nare,
Sæpe ſuper ripam ſtagni conſiſtere, ſæpe
In gelidos reſilire lacus. ſed nunc quoq; turpes
Litibus exercent linguas, pulſoq; pudore
Quamuis ſint ſub aqua, ſub aqua maledicere tentant.
Vox quoq; iam rauca eſt, inflataq; colla tumeſcunt:
Ipſaq; dilatant patulos conuitia rictus.
Terga caput tangunt; colla intercepta videntur.
Spina viret, venter, pars maxima corporis, albet,
Limoſoq; nouæ ſaliunt in gurgite ranæ, Ouidius 6. Metam.

Cur ranas coluerint Ægyptii.

¶ Ranæ in comœdia Ariſtophanis glorian tur ſe propter cantum ſuum, & arundines quas in aquis alant, gratas eſſe Muſis, Pani, & Apollini. Ranarum cultores (inquit Philaſtrius in libro de hæreſibus) ranas illas coluerunt, quas ſub Pharaone per iram Dei tunc temporis Ægyptiorum terra emiſit, vt putore Ægyptios defatigarent: inq; eo ſcelere adhuc perſeuerant, putantes Dei iram ex hac vana obſeruantia poſſe placari.

Cypſelus ſeruatus ad palmæ truncum ranas expreſſit.

Cypſelus Periandri pater, infans adhuc ne occideretur à quibuſdam ad hoc facinus miſſis, à matre in ciſta (κυψέλῃ) occultatus & ſeruatus eſt: vnde poſtea Cypſelus Delphis domum quandam conſecrauit, in qua ad imum palmæ arboris truncum ranæ expreſſæ ſunt: eo quòd deus (Apollo) ploratum

eius

eius in cista latentis inhibuisset, vt lateret, vt refert Chersias apud Plutarchum in Conuiuio septem sapientum circa finem: quid verò ranæ ad Apollinem aut Cypselum faciant, explicaturum se pollicitus, omittit. Cæterum in libro in quo quæritur cur Pythia non amplius carmine respondeat, ranas & hydros sub palma ærea in Corinthiam domum allato anathemate è templo Apollinis Delphici, sculptos conijcit, quia Sol secundum quosdam vapore aquarum nutriri existimetur: vel potius ad ortum Solis significandum. fingunt enim poetæ ex aqua (Oceano) oriri Solem. Apud Magos talparum exta & ranarum euentus fortunatos, nonnunquam magnos casus prædicere crediderunt, Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. vicesimoquinto.

Prouerbia.

Rana aquam.

¶ Proverbia. Ranæ aquam, βατράχῳ ὕδωρ, subaudiendum ministras: Vbi quid exhibetur, quo vel præcipuè gaudet is qui accipit. Veluti si quem natura bibacem ad bibendi certamen prouoces, aut homini loquaculo narrandi materiam & occasionem subministres. Diuersum ab illo, Βατράχῳ οἰνοχοεῖς. Rectè accommodabitur, vbi quid datur abundanti. nam ranis affatim est aquæ. Apud Athenæum refertur hoc carmen in Syracusios: Οἳ πίνουσι μόνον βατράχων τρόπον οὐδὲν ἔδοντες id est, Qui absq; cibo viuunt ranarum more bibentes, Erasmus. Βατράχῳ ὕδωρ, ὡς γαλῇ στέαρ, ἐπὶ τῶν ταῦτα διδόντων οἷς χαίρουσιν οἱ λαμβάνοντες, Suidas. Quidam Germanicum etiam prouerbium facit, **Er gibt den fröschen zu trincken**/ Ranis propinat. ¶ Rana gyrina sapientior, Vide supra in C. Rana cum locusta. Impar certamen expressit hac figura Theocritus in Thalysijs, βάτραχος δέ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίζω. addit Scholiastes Græcis ranam dici βάτραχον quasi βοάτραχον, ob vocis asperitatem, Erasmus.

Rana cum locusta.

Minus de istis laboro quam de ranis palustribus.

¶ Minus de istis laboro quàm de ranis palustribus, μέλει μοι τῶν τοιούτων οὐδὲν, ἧττον τῶν ἐν τοῖς τέλμασι βατράχων: prouerbialis hyperbole qua significamus nihil omnino ad nos pertinere negotium. Rectè dicetur & in obtrectatores, quorum oblocutiones dicemus nos fortiter contemnere. Siquidem ranæ tametsi assiduè obganniant, & odiosam illam cantionem iterent sine fine, Βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοάξ, tamen nemo commouetur. Ad hoc facit quòd Origenes Ægyptias ranas dialecticorum & sophistarum garrulitatem interpretatur in decretis pontificijs, Erasmus.

Rana Seriphia.

¶ Rana Seriphia in homines mutos, & canendi dicendiq; prorsus imperitos dicebatur. inde natum, quòd Seriphiæ ranæ in Scyrum deportatæ non ædebant vocem. In hunc modum Collectanea Græcorum prouerbiorum decerpta è libris Didymi, Tarrhæi & aliorum. Totidem verbis Suidas. Et, Βάτραχος Σερίφιος id est, Rana Seriphia. proditum enim est in Seripho insula ranas mutas haberi. Seriphus quidem vna est insularum quas Græci Sporades vocant. Non videntur autem satis conuenire verba Plinij. nam hic ait mutas esse in Seripho, illi negant vocem ædere deportatas in Scyrum, quasi in Seripho vocales, in Scyro obmutescerent. Verum attentius intuenti rem, nihil est absurdi. Seriphus ranas habebat mutas. eas vt rem prodigiosam deportabant in Scyrum, quas cum Scyrij mirarentur esse mutas, præter ingenium ranarum indigenarum, dicebant Βάτραχος ἐκ Σερίφου. ea vox abijt in prouerbium, Erasmus. In Seripho (inquit Ælianus) ranæ prorsus mutæ sunt. si verò has aliò importes, acre quiddam & tragicum sonant. In Pierium lacum, qui non perennis est, sed hyeme tantum existit ex aquis in eum confluentibus, ranas si quis inijciat, silent: alibi tamen vocales. Seriphij de his ranis gloriantur, hoc videlicet fieri munere quodam Perseo diuinitus dato: qui cum rediret cum capite Medusæ, & terram lustrasset permultam, cumq; vt par erat fessus prope lacum illum somnum capere voluisset, ranas strepentes interpellasse: itaque Perseum molestia affectum, à patre Ioue deprecatum fuisse, vt ranas clamare prohiberet: Patrem vero eius precationem exaudisse, ac ranas illius loci perpetui silentij condemnasse. Theophrastus tamen hanc explodens fabulam, (nimiam) aquæ frigiditatem affert causam esse, (vt Tzetzes etiam refert 8. 167.) cur hæ mutæ sint Ælianus.

Ranis vinum ministras.

¶ Ranis vinum præministras vel infundis, βατράχοις οἰνοχοεῖς: in eum dicebatur qui id ministraret, quo nihil esset opus ei cui exhiberetur: veluti si quis apud indoctos multa de philosophia disserat. Ranis enim nihil opus vino, aqua palustri magis gaudentibus. Explicatur adagium à Zenodoto, Suida, Diogeniano. Pherecrates apud Athenæũ in Coriano, (ἐν κοριαννοῖ,) Ἔρρ' ἐς κόρακας, βατράχοις οἰνοχοεῖν σε δεῖ. id est, Abi in malam rem, ranis pocillari te oportuit. obiurgat enim pincernam, quòd quatuor vini cyathis duos infuderit aquæ. Vnde licet conijcere, prouerbium in hos quoque conuenire, qui vinum immodica diluunt aqua, ita vt aquam, non vinum bibere videantur ranarum ritu, Erasmus.

¶ Germanis peculiaria ex ranis prouerbia. Rana conculcata tandem coaxat. **Man trydt oeck ein forsch wol so lange/ dat he quacket**: vsitatum apud inferiores Germanos. sensus conuenit cum illo, Furor fit læsa sæpius patientia. Rana in paludem resilit, vel aurea sede relicta: **De vorsch huppet wider in den pol/ Wann he ock sethe vp een gulden stol.**

Apologus de rana quæ tumescendo bouis magnitudinẽ æquare conabatur.

¶ Scita fabella est, perrexisse olim peringentem taurum ad aquas restringendæ sitis gratia. Dum verò auidius bellua se aquis inijcit, ranunculos ibi attriuit aliquos. Vnus qui euaserat, peruenit ad matrem, cui fratrum miserabile exitium narrauit, vt a quadrupede nescio quo immaniter fuerint exculcati. At illa nimis inscita, nimiúq; exoculata, vt quæ filio aliqua volebat videri, tumescere amplius cœpit, ac flatu modo magnitudinem captare, rogans, ecquid tanta foret pernicialis bellua? Cui is, Multo maior, inquit: illa etiamnum inflari plus ac subinde cœpit, cupiens omnino magnitudinem visam exhibere filio. At is frustra conari illam animaduertens: Non si te ruperis (inquit)

par vnquam futura es. Id prouerbij formam habet, (in eos qui sui & domesticæ humilitatis obliti, magna affectant nomina.) Meminit Theocritus in Bucoliastis, Οὔποτε νικασεῖς μ' οὐδ' εἴ τι πάθοις τύ γ' ἀείδων: quod est, εἰ διαῤῥαγείης, Cælius. Eundem apologum secundo Sermonum Horatius Sat. 3. (vnde mutuatus est Cælius) his carminibus exprimit.

Absentis ranæ pullis vituli pede pressis,
Vnus vbi effugit, matri denarrat, vt ingens
Bellua cognatos eliserit, illa rogare,
Quantáne? num tandem, se inflans, sic magna fuisset.
Maior dimidio? num tanto? Cum magis atq;
Se magis inflaret. non si te ruperis, inquit,
Par eris. hæc à te non multum abludit imago.

Fabula de rege ranis dato à Ioue. ¶ Fabula Æsopica de ciconica qui à Ioue rex ranis datus fingitur, elegantissimè describitur à Gaspare Heldelino in Encomio ciconiæ. Seruius in Georgicis explicans hoc carmen, *Et veterem in limo ranæ cecinere querelam:* Fabula (inquit) duplex est. nam, vt Ouidius dicit, Ceres quum Proserpinam quæreret, ad releuandam sitim accessit ad quendam fontem. tunc eam Lycij rustici à potu prohibere cœperunt, & conturbantes pedibus fontem, quum contra eam mitterent turpem naribus sonum, illa irata eos conuertit in ranas, quæ nunc quoq; ad illius soni imitationem coaxant. Sed hoc non est valde aptum. nam illud magis insultatio fuerat quàm querela, & pœnam sacrilegij iustè pertulerant. Vnde magis Æsopus sequendus est, qui dicit: Quum Iupiter reges omnibus animalibus daret, & ranis dedisset colendum breuissimum lignum, tunc illud aspernatæ sunt. Iupiter iratus, hydrum eis dedit, qui vescitur ranis, Hæc illæ. Cæterum Probus idem carmen enarrans: In Lycia (inquit) Latona æstu exhaustis vberibus educans Apollinem & Dianam infantes, accessit ad Melam fontem: & quum vellet bibere, prohibuit eam Neocles pastor. Quum autem illa pertinacior esset, prohibuerunt aqua. Itaque deæ numine mutati sunt in ranas.

DE RANIS TEMPORARIIS, VEL ÆSTIVIS.

LATENT hybernis mensibus in terra ranæ omnes, exceptis temporarijs istis minimis, (Germani vocant Reinfröschlin/) quæ pallent in cœno, & reptant in vijs & littoribus. Hæ enim quia non ex semine, quod effundunt mas & fœmina cùm complexu Venereo iunguntur, sed ex puluere æstiuis imbribus madefacto oriri videntur, diu in vita esse non possunt, Georg. Agricola. Plura leges superius in Rana simpliciter capite tertio.

DE RANVNCVLO VIRIDI, SIVE RANA calamite aut dryopete.

A.



Quæ sit rana viridis & calamites. MINIMAM & viridissimam ranam Plinius calamiten (bátrachon) aut dryophyten à Græcis appellari nos docet: quare non sunt audiendi qui calamiten bufonem vel *rospum* vulgò Italicè dictum interpretantur, vt Aggregator: cuius sententiæ Albertus quoque fuisse videtur, ranam rubetam dictam scribens, quòd frequenter in rubis & arundinetis degat: perinde ac si eandem calamiten esse innuat, cui à calamis hoc est arundinibus nomen. Varro luridam ranam dicendo pro calamite videtur accepisse, quoniam psilothrum sit, vt Plinius idemq; Varro affirmant, illud efficacissimum: quanquam & epitheton ranarum omnium putant id poetæ, Hermolaus. Ego verò cum calamites læti & viridissimi coloris sit, luridam ranam non hanc, sed aliam terrestrem venenatam esse dixerim, siue rubetam, siue illam quam mutam dicunt: vtraq; enim luridi coloris & venenata est. Ranis autem venenatis omnibus psilothri vim communem esse existimo. Esto igitur calamites parua vel minima rana viridis, vt Plinius interpretatur. Et de ore pastoricij canis virens exiluit ranula, Apuleius lib. 9. Metam. Ranunculus viridis calamites super arbores corylos frequenter reperitur, &c. Vincentius Belluacensis. Nominat autem ranunculum viridem Marcellus Empiricus quoq;. Dioscorides & alij (vt dicam in G.) simpliciter aliquando ranam viridem vocant, cum addere deberent paruam aut calamiten, distinguendi gratia à maiore illa viridi quæ edendo est: aut certè terrestrem, quoniam maior aquatica vel amphibia est. *Nomina diuersa.* Paruam quidem recentiores aliqui (Andreas Bellunensis,) arboream appellant, quòd arbores scandat. Βάτραχοι χλωροὶ οἳ ἐπὶ τῶν καλάμων γίγνονται, Archigenes apud Galenum de compositione secundum locos libro quarto capite vltimo. Blefaricon, id est ranunculus viridis, Syluaticus. Cuconiones, id est ranunculi virides, Idem. Et alius quidam obscurus, Cucuriones, id est ranunculæ virides. Irici siue ranulæ, Nicolaus. Ranæ paruæ virides, βρέξαντες nominantur à quibusdam, Galenus in opere de simplicibus, per onomatopœiam fortè: aut à præsagio pluuiæ. βρέχειν enim Græcis pluere est: quasi diceret, βρέξει, βρέξει, id est pluet, pluet. Βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοάξ, Aristophani fictitia de Ranarum voce nomina sunt. Vox quidem βρέξας, ad Germanicam Frösch accedit, qua

ranam

ranam in genere significamus. Vbi manum iniicit benignè, ibi onerat aliquam zamiam, Plautus de diuite auaro blandiente pauperi. vbi Scholiastes, zamiam id est damnum. nam zamiæ dicuntur ranulæ in arbore, quæ nisi detrahantur alios lædunt. Ζημία quidem Græce damnum significat, Dores ζαμίαν proferunt. Rana viridis *racula* (vulgo scilicet apud Italos) dicta, Aggregator. *Ranocchio*, ranunculus, Alunnus, Italus. Scoppa grammaticus Italus rubetam interpretatur *lo ranauoto, ranonchia de rubetto*: quæ tamen voces diminutiuæ à rana videntur. Ranas virides paruas Galli *croissetz* vulgò dicunt. Syluius. alij *graisset* scribunt: vide in Rubeta *A*. Alij in Gallia *verdier*, à colore. *Renogle*, Sabaudicè. Laubfrösch/ Germanicè, *Zaba trawna*, Polonis. ¶ Ad sanguinem sistendum, quidam ex ea rana, quam Græci calamiten vocant, quoniam inter harundines fruticesq; viuat, minima omnium & viridissima, cinerem fieri iubent, Plinius. Et alibi, Venerem concitat iecur ranæ diopetis & calamitæ, &c. Vetus lectio in quodam codice erat, *dryophetes & calamites*: vbi Hermolaus, Scribendum fortè sit *dryopetes* siue *dryophytes*, & calamitæ: quoniam in arboribus, frutetis, arundinetisque versentur. vt hoc illud sit omnino, quod superius *diphthites* mendosè legebatur. Et alibi, Minimam istam & viridissimam ranam mutam, dryopetem quoque vocari credimus à Plinio, quia inter frutices & arbores versatur. Sipontinus apud Plinium *diphthitas* corruptè legit. Ipse dryopetes legerim: vt sit βάτραχος δρυοπέτης, paroxytonum, sic dicta ranula quòd ab arbore in arborem quasi volando transire videatur, vt dicam in *C*. vel δρυοπετὴς, oxytonum. quod ex arboribus aliquando decidat (vide in libro de aquatilibus ad finem tractationis de ranis.) aut, si quis malit, διοπετὴς, quòd non nata è terra sed ex aere delapsa videatur quum in arbore reperitur. sed διοπετεῖς magis propriè dicentur ranæ quæ portentosè aliquando cum pluuia deferuntur. licebit & δρυοβάτην βάτραχον dicere, quod per arbores incedat, vel easdem scandat. δρυοφύτην verò quomodo rectè dicamus, & ex Græcæ linguæ proprietate, non video, & si Hermolaus ita dici posse coniecerit tanquam ab arboribus & fruticibus composito nomine. sed φυτὰ quæuis plantæ sunt. δρυόφυτον potius dixeris, (vt νεόφυτον,) quæ tamen vox in arbore natum vel natam significabit. Ranam hanc calamiten, in arundinetis ac herbis maximè viuere Plinius scribit, mutam ac sine voce, viridem: à qua distinguit alteram paruam arbores scandentem, & ex ea vociferantem. Sequuntur Plinium Hermolaus & Sipontinus. Ego verò Georg. Agricolæ sententiam sequor, in hæc verba scribentis: Rana viridis illa parua, quam Græci calamiten vocant, quòd in arundinetis agere consueuerit, arbores quoque scandit atque in herbis viuit: Græci etiam βρέξαντα vocant, quod sono sui generis pluuias futuras prænunciet. Nec enim, vt Plinius à nobis dissentiat, est muta & sine voce. Vide plura in *C*. Μάντις, rana in hortis est, Hesychius & Varinus: sic dicta fortè quòd voce sua pluuias præsagiat. ranæ quidem mutæ vatis nomen non conueniret.

B.

Minimum hoc ranæ genus & viridissimum est, vt ex Plinio iam retuli. Batrachites lapis ranæ viridi similis colore atq; effigie, Plinius: vbi minimum hoc genus, an maiores & aquaticas virides ranas accipiat aliquis, nihil interest. Hæc quidem, qua de nunc agimus, vndique viridis est, præter pedes & digitos, quorum color ex luteo rufoque remissis mixtus videtur. vnguiculi extremi globulis terminantur. Ego in hac rana dissecta sanguinem reperi passim, sed paucum: cor albicans, iecur nigricans cum felle diluto: item lienem & oua aliquot in fine Iunij. *Descriptio huius ranæ.*

C.

Ranula hæc viridis inter frutices & arundines: vnde & calamitæ nomen, vt diximus, reperitur. apparet & in hortis aliquando, sed magis locis syluestribus: quin & arbores scandit, præcipuè corylos, vt Vincent. Bell. scribit: Vnguibus reptant in altissimas quasq; arbores, Syluius. Arborũ & vitium foliis insident. *Vbi reperiatur.* ¶ Hyeme in terra conditur. verno tempore sæpenumero videtur ex terra eminere media, media adhuc in ea latere, Geor. Agric. *Hyeme in terra conditur.* ¶ Vulgus eam volare putat, quoniã arbores & frutices ascendat, vt inde forsan δρυοπετὴς appelletur. ¶ Est rana parua arborem scandens, & ex ea vociferans. Plin. Græci βρέξαντα vocant, quòd sono sui generis pluuias futuras prænunciet. nec enim, vt Plinius à nobis dissentiat, est muta & sine voce, Georg. Agric. *Arbores scandit.* Arbores ascendit, & futuras pluuias cantando prædicit, aliis temporibus silet, Albert. Super corylis frequenter reperitur, vbi assiduè *carabdrion* voces emittit, Vincent. Belluac. Brexantes dicuntur à voce. nam sub noctem vox earum vnica est *brex*, Syluius. *Rauco garrula questu*, Serenus de parua rana. *Sero pluuias prænunciat.* Nicander in Theriac. ranunculum viridem surdum & mutum cognominat. ¶ Rana calamites in arundinetis frutetisq; roris linctu victitat, Hermolaus: ex Nicandro, qui scribit: ὅστ' ἐνὶ θάμνοις Εἴαει προσφύεται μορόεις λιχμώμενος ἕρσην. *Victitat rore.*

E.

Arbores ascendit, & futuras pluuias voce (cantando) prædicit, aliâs muta, Albertus vt pluribus retuli præcedenti capite. ¶ Hanc ferunt in os canis iniectam, mutum reddere: vnde in Ecclesiastico dicatur, Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore canis auertit correctiones eorum, Vincentius Belluacensis addens hanc ranam ab hoc effectu mutam dici, quòd voce canem priuet, non quòd ipsa nullam edat: sed authore nullo se munit. Mihi quidem dubium non est, quam authores ranam mutam inter venena nominarunt, à calamite (quãquam & ipsa venenata, vt ferunt) differre. Cæterum in citato Ecclesiastici loco, circa finem capitis vicesimi, vulgata translatio absque canis mentione habet, & quasi mutus ore auertit correctiones eorum. Græcè legimus, Ξένια καὶ δῶρα *Canem in os iniecta mutũ reddere dicitur.*

F

ἀποτυφλοῖ ὀφθαλμοὺς σοφῶν, καὶ ὡς φιμὸς ἐν στόματι ἀποτρέπει ἐλεγμούς. Id eſt, *Xenia & munera excæcant oculos ſapientum, & veluti frenum in ore auertunt correctiones.*

G.

Remedia ex rana viridi.

Eſt rana parua arborem ſcandens & ex ea vociferans. in huius os ſi quis expuat, ipſamq; dimittat, tuſſim liberare dicitur, Plinius. Iecur ranæ diopetis & calamitæ in pellicula gruis alligatum Venerem concitat, Idem. ¶ Ad oleum ex ranis, quod medici aduerſus articulares dolores calidos laudant, vt copioſè ſcripſimus ſupra in Rana ſimpliciter, Iac. Syluius ranas virides ſyluaticas præfert. ¶ Ranas virides (paruas) *croiſſets* vulgò dictas, manibus viuas hodie ex more tenent ad refrigerium febre acuta aliqua ardentes, Syluius. Ad febres hecticas Gaynerius: Ranulas virides quæ in ſiccis locis ſuper arboribus viuunt, quarum ventres lactei (albi) ſunt, capitibus abſciſſis & viſceribus eiectis, in aqua tandiu coques vt caro earum ab oſſibus ſeparetur: deinde admixta farina hordei, vel potius frumenti, cum iure illo & carnibus fac paſtam, qua cibabis gallinas & pullos quibus alendus eſt æger. Vel loco ranarum accipe anguillas, aut quoſuis piſces, & fac ſimiliter. nam pulli ita nutriti mirificè conferunt hectycis, Gaynerius.

Ex ſanguine.

¶ Qui ex ſanguine huius ranunculi remedia tradunt, aliqui ſanguinem appellarunt, alij ſaniem, vel ſuccum, vel humorem. Horus quidem ranam non alibi quàm in oculis ſanguinem habere ſcribit. Viridium ranarum cruor auulſos genis pilos renaſci prohibet, in veſtigia euulſorum inſtillatus, Dioſcorides: vbi ego non virides illas edules, maiores ſcilicet & aquaticas, ſed paruas virides & terreſtres intelligo, quæ veneno non vacant, ideoq; pſilothri vim fortè habẽt, vt & reliquæ venenoſæ ranæ, quamuis huic inter cæteras veneni minimum ineſſe putem. Nuper quidam cum ranunculum viridem aliquandiu in pollice manus geſtaſſet, paulò pòſt illum duriuſculo tumore affectum mihi oſtendit. Crito apud Galenum lib. 1. de cõpoſitione medic. ſec. locos, inter remedia quæ pilos diſperdant, numerat ranarum in viridibus arundinetis degentium cruorem ſiue mucum. Cum aſſereret quidam ſanguinem viridium ranarũ (inquit Galenus de ſimplicium facultatibus 10. 5. paruarum ſcilicet, quas quidam *brexantes* nuncupant, ſi euulſis ex palpebra pilis inungeretur, vt in poſterum non recreſcerent prohibiturũ, falſum id comperi facto periculo. poſtea verò ſcriptum à quibuſdam reperi illud ipſum: vt & de ricinorum ſanguine, qui ne ipſe quidem facto periculo promiſſa pręſtitit. Papias Laodicenſis apud Galenum lib. 4. de comp. ſecundum locos, euulſis palpebrarum pilis, mox dropace locum irritabat, deinde chamæleonem album tritum cum ranarum ſanguine permixtum illinebat. Plinius idem auxilium (lib. 32. cap. 7.) tradit, ſed pro chamæleone albo lacrymam vitis habet, quod remedium etiam poſtea repetit. Hoc verò loco Papiæ apud Galenum chamæleo albus tritus ammiſcendus, haud ſcio an rectè legatur, quum neq; Dioſcorides, neq; Galenus, neq; Plinius hoc de chamæleone herba tradant. De chamæleonte certe animali Dioſcorides tradit, quòd ſanguis eius æquè vt viridium ranarum pilos palpebrarũ denudet. Sed Paulus lib. 3. idem remediũ ſcribens: Locum verò, inquit, ſtatim ſanguine ranæ per ſe illines, aut cum cinere chamæleõtis albi, Cornarius. Ad ſupercilia piloſa, Chamæleonis ſeu laureolæ radicẽ permiſce cum ſanguine ranæ & vnge locum, Galenus Parabilium 2. 109. Pungentes in palpebris pilos vbi euulſeris, inuerſas genas recẽti ranarum aut cimicũ ſanguine illinito, ſinitoq; refrigerari, (exiccari.) vel chamæleõtem album trito, ac cinerẽ ranarum ſanguine excipito, atq; vſus tẽpore ſaliua diluito, & poſt euulſionẽ pilorum inungito, Aetius 7. 67. Et mox, Vel cochlearum carnes cum viridium ranarum harundineta incolentium, vel herinacei terreſtris ſanguine ſubigito, & adiecta atramenti ſutorij commenſurata quantitate exſiccari ſinito, & vtere, cauendo ne pupillam attingas. Sanguis ranarum viridium, & ſanguis *alhalem* (cimicum) prohibet ortum pilorum magis quàm veſpertilionis, Auicenna. Ranunculum viridem comprehenſum acu cuprea pũgito, & ſanguine eius excepto palpebras de quibus pilos tuleris, (vulſeris,) ſubinde continge, nunquam renaſcentur, Marcellus. *Præterea quaſcunq; voles auertere ſetas,* (pilos palpeb.) *Atq; in perpetuum rediuiua occludere tela, Corporibus vulſis ſaniem perducito ranæ, Sed quæ parua ſitu eſt, & rauco garrula queſtu,* Serenus: videtur autem omnino calamiten intelligere, eamq; minimè mutam facere. Ranas quindecim coniectas in fictili nouo iuncis configunt quidam: ſuccum earum qui ita effluxerit, admiſcent lachrymæ quæ ex alba vite emanat, atq; ita palpebras emendant inutilibus pilis exemptis acu inſtillantes hunc ſuccum in veſtigia euulſorum. Meges pſilothrum palpebrarum faciebat in aceto enecans putreſcentes, & huc vtebatur multis (fortè, mutis) variiſq; per aquationes autumni naſcentibus, Plinius. ¶ Et alibi, Ranæ paruæ, quam in oculorum curatione deſcripſimus, ſanies efficaciſſime pſilothrum eſt, ſi recens illinatur: & ipſa arefacta ac tuſa, mox decocta tribus heminis ad tertias, vel in oleo decocta æreis vaſis. Eadem mẽſura alij ex quindecim ranis conficiunt pſilothrum, ſicut in oculis diximus. Varro luridam ranam dicendo pro calamite videtur accepiſſe, quoniam pſilothrum ſit, vt Plinius idemq; Varro affirmant, illud efficaciſſimum, Hermolaus: Ego quidem, vt in *A.* ſuperius dixi, luridam ranam pro rubeta acceperim: omnis verò ranæ venenatæ ſaniem pſilothrum eſſe coniicio. Si quis cum ſanguine ranarum viridium confecerit *azarech*, (auripigmentum, Arnoldus in libro de venenis, (trita, & inde aliquis aurei pondus biberit, retinebitur eius vrina, Raſis. Paruæ ranæ viridis, quæ in arundinetis viuit, humorem corporis deraſum penicillis claritatem oculis inunctis narrant afferre, ipſaſque carnes doloribus oculorum ſuperponunt, Plinius.

Cor-

Corpus ranæ, & maximè pinguitudo eius, facilem facit dentium eradicationem. videtur autem hoc esse ex petrosa (arborea hortulana, vt Bellunensis habet,) & non domestica, Auicenna lib. 2. c. 596. & ex eo Syluaticus cap. 221. inter nocumenta ex rana rubeta. Sed de rana arborea, id est calamite, non de rubeta hæc accipi debere, tum Bellunensis testis est, tum Syluaticus eodem mox capite verba Mesuæi hæc citans: Adeps ranæ viridis quæ habitat in arboribus si linatur super ipsum (dentem) frangit ipsum. Auicenna tamen lib. 4. scribit, eius qui sumpto rubetæ veneno euaserit, dentes excidere.


¶ Est parua rana in arundinetis & herbis maximè viuens, muta ac sine voce, viridis, si fortè hauriatur, ventres boum distendens, Plinius & ex eo Albertus. Videntur autem boues facilius hoc ranæ genus deuorare propter paruitatem eius & colorem herbaceum. Venenatos autem hos ranunculos esse coniicimus, quoniam & aliæ terrestres ranæ venenum continent: & de his ipsis psilothrum esse, & dentes eradicare authores prodiderunt, quod absq; vehementi & venenosa vi non contingeret. Vide infra in rana gibbosa, vbi docemus veteres videri calamiten ranam cum rubeta terrestri muta confudisse. Remedia quidem omnis ranæ venenatæ in rubeta coniungemus. *Venenatum animal.*

¶ Ad sanguinem sistendum & ranarum illinunt cinerem, vel sanguinem inarefactum. Quidam ex ea rana, quam Græci calamiten vocant, quoniã inter arundines fruticesq; viuat, minima omnium & viridissima, cinerem fieri iubent, Plinius. Produntur & ex rubeta rana ad sanguinem cohibendum remedia, vt in eius historia dicemus: nec non ex rana simpliciter. Ad alopeciam, Cinerem paruularum ranarum cum molli pice impone, Kiranides. Vide supra in Rana simpliciter. Ranunculos paruos exure, eorumq; cinerem cum pice, sæpe, vsquequo crassa facta sit feruefacta, illine, loco neq; raso neq; prius confricto, Archigenes ad alopecias apud Galenum de compos. sec. locos. Vbi etiam ex Sorano idem remedium legimus, Ranas paruas vstas pici liquidæ tepidæ insperge, deinde neq; prærasis neque præfrictis illine. Et rursus ex eodem ad alopecias, Ranarum vstarum drachmas XVIII. pumicis vsti drachmas XII. (aliâs XV.) sinapis drachmas VIII. nitri drach. IIII. nucum vstarum drach. XXIIII. Item ex Archigene, Cineris ranarum minimarum in ollula vstarum partem vnam, muscerdæ, veratri albi, radicis calami vstæ, piperis albi, singulorũ æquales portiones aceto excipe, & ad præfrictum ac prærasum locum vtere. Vide supra in Rana aquatica *G.* *Ex cinere.*

H.

a. Nicandri Scholiastes ranam (viridem) quam mutam putat, κέρβερον dici ait. ¶ Epitheta. *Rauco garrula questu*, Serenus. Κωφὸς, ἄφθογγος, λαχειδὴς, ἐν δονάκεσσι θαμίζων, Nicander.

DE RANA SIVE RVBETA GIBBOSA, & aliis mutis ranis in genere.



RANÆ genus luridum & terrestre, ac vt ex ipso colore apparet, venenosum mutumq́, in hortis & syluis inter frutices reperitur apud nos, magnitudine qua vulgares aquaticæ ranæ, dorso gibboso vtrinque ad latera eminentibus ossiculis. videtur autem rubetis adnumerandum. Germanicè appello Gartenfrösch, id est hortensem ranam: aliqui Graßfrösch, id est graminis ranam, quòd in gramine degat. sed eodem nomine alij virides aquaticas à colore nuncupant. Et quanquam Io. Tzetzes in Variis 8. 167. omnem ranam terrestrem mutam esse scribit, gibbosa tamen ista non omnino muta est. nam cum in horto nuper vnam ense persequerer, clamabat etiam antequam ferirem. mutas tamen appellare licet, quod vocem (opinor) nisi vis aliqua exprimat, non emittant. Μάντις, rana in hortis, & species locustæ, Hesychius & Varinus. quãquã oxytona apud eos dictio est. Ego ranunculum viridem *mantin*, id est vatem appellari coniecerim, quòd voce sua pluuias præsagiat: muta enim rana vatis nomine indigna videtur. Inuenio & palustrem mutam inter venena hoc est *heliobátrachon*, diuersam à phryno, quoniam & signa & medicinæ variant, præsertim Aetio, Hermolaus. Scribit autẽ Aetius de rana rubeta lib. 13. cap. 54. & mox sequenti capite de rana palustri, non rectè intellectis, vt mihi videtur, Nicãdri verbis, quẽ imitatus apparet. Facit enim Nicand. duas ranas venenatas, primũ rubetã æstiuam palustrẽ & vocalẽ, deinde ranam viridẽ inter arundines degentem

& mutam ſiue ſurdam: nam & κωφὸν & ἄφθογγον vocat. Aetius verò rubetæ duas ſpecies facit ſurdam & non ſurdam, & priorem tantum exitioſam. deinde tertiam addit ranam paluſtrem. Atqui Nicander, vt dixi, primum ſtatim phrynon, id eſt rubetam vocans, paluſtrem & vocalem eſſe ait, & veneni eius tum notas tum remedia deſcribit, quæ apud Dioſcoridem non leguntur. nam quæ Dioſcorides habet, à Nicandro ad alteram ranam nempe mutam referuntur. Videtur autem Nicander vtranque ex iſtis venenatis ranis appellare phrynon, τὸν μὲν θερειόμενον καὶ λιμναῖον: τὸν δὲ ἄφθογγον ἢ κωφὸν λαχειδῆ καὶ καλαμίτην. etſi non calamiten dicit, ſed quod idem valet, ἐν δονάκεσσι θαμίζων, id eſt arundineta frequentans. λαχειδῆ viridem interpretor, (Scholiaſtes eam vocem non attingit: ſed videtur legiſſe λασειδέος, pro λασίου, propter hæc verba, τοῦ ἀφώνου καὶ δασέως: id eſt mutæ & hirſutæ. nos quidem rubetæ genus paruum, ſed lurido colore vt maiores, pedibus clunibuſq; hirſutum nouimus,) quaſi λαχανοειδῆ, hoc eſt coloris olerum & herbacei. Scholiaſtes tamen rubetæ nomen paluſtri tantum conuenire ait: mutam verò illam, ranam eſſe, non rubetam, hoc eſt ranæ ſpeciem à rubeta diuerſam. Itaque Hermolaus Aetium non intellexiſſe videtur, nec Aetius Nicandrum: Nicander verò in re ipſa erraſſe, niſi concedere velimus viridem illam paruam, quam calamiten vocant & mutam authores, vſq; adeò venenatam eſſe: quod tamen hodie vulgus non putat, nec medici ipſi, nec mihi veriſimile eſt: & reuera non eſt muta. Quòd ſi de hac ſentiebant authores, magnitudinis diſcrimen addere debuerant, vt alibi ſolent, ranas virides paruas dicẽdo. Sed vt ea quoq; ſit venenata, confudiſſe mihi veteres videntur ranulam hanc viridẽ terreſtrem, cum altera rana terreſtri venenata, nẽpe bufone ſeu rubeta terreſtri. ſin minus, oſtendi cupio vbi nam de terreſtri rubeta loquantur. Nam de paluſtri tantum rubeta ſcribunt, vt Dioſcorides, φρύνος βάτραχος ἕλειος, &c. Omnino igitur in ea ſententia ſum, ranam terreſtrem mutam vel duplicem eſſe, vel etiam triplicem: nẽpe bufonem ſeu rubetam terreſtrem, rubetam gibboſam, & ranulam viridem, quæ tamen non omnino muta eſt, cum inſtantem pluuiam preſagiat. Tzetzes etiam, vt dixi, ranam omnem terreſtrem mutam eſſe ſcribit. Ad hæc, non virides ſolum inter frutices & harundines reperiuntur, ſed rubetæ etiam aliquando, & gibboſæ quidem ſæpius. Facile igitur confundere has differentias fuit parũ animaduertentibus. Vtcunq; eſt, nos remedia aduerſus omnes ranas venenoſas in Rubeta dicemus. Nicandri Scholiaſtes ranam mutam, hybernam quoq; dici ait, inde colligens quoniam poeta rubetam paluſtrẽ φρύνον θερειόμενον ἢ θερόεντα, id eſt æſtiuam cognominat. ſunt autem æſtiuæ (inquit Scholiaſtes) vocales & innocentiores, hybernæ verò mutæ & exitiales. Verum Nicander ipſe nullam vocat hybernã; & æſtiuam vere etiam apparere, ac vernũ tempus voce ſua inter algas prænunciare ſcribit. Alij æſtiuam dici coniiciunt, quòd per æſtatem venenum ex ea conficiatur: nimirum quòd tum temporis propter calorẽ venenum ſyncerius ſit. nam in calidioribus quoq; locis ranarum genus nocentius eſt, vt Scholiaſtes tradit.

Triplex rana terreſtris muta.

¶ Ranæ gibboſæ, cuius hîc effigiẽ dedimus, duo quaſi cornicula in dorſo medio vtrinq; eminent. color ei viridis ferè, ſed obſcurus & ſubfuſcus eſt. latera maculis ruffis ſcatent, ſunt & digiti pedum ruffi. Dorſum ſupra thoracẽ paucis maculis nigris diſtinguitur. Venenoſam eſſe ex ipſa ſpecie coloreq; apparet. Hoc genus à ſerpentibus in ſyluis deuorari aiunt. Conduntur hyeme & ranæ pallidæ in hortis agentes, quæ non comeduntur, & mutæ ſunt, Georg. Agricola.

Deſcriptio ranæ gibboſæ.

DE RANIS RVBETIS TVM PALVSTRIBVS tum terreſtribus: Et de remediis contra omnes venenatas ranas.

A.



Diuerſæ authorum ſententiæ de rubetis.

De Rvbetis vel ranis rubetis non omnino conueniunt inter ſe authores tam antiqui quàm recentiores. nam & in aliis quibuſdam diſcrepant, & in locis in quibus degant aſſignandis. Nicander & alij medici Græci *phrynon* ſuum, (ſic enim rubetam vocant) paluſtrem tantum faciunt, (vide plura ſuperius in Rana gibboſa:) Plinius & alij in vtroque elemento rubetam ex æquo viuere ſcribunt. diſtinguunt alij, primum in aqua viuere, deinde in terram progredi affirmantes. alij in ſicco tantum. alij duplicem faciunt rubetam, vnam paluſtrem ſui generis, & diuerſam ab ea terreſtrem: vnde opinionum variarum differantias ſex colligimus. Ego, vt authores conciliem, quoſdã vnum tantũ genus cognouiſſe exiſtimo, ſiue paluſtre, ſiue terreſtre tantum: alios vtrunq;. Et inquirendum eſt, an paluſtris quædam rubeta ſemper in paludibus agat: alia verò paludes, ſiue coacta deficientibus aquis, ſiue etiã ſponte deſerat. Ranæ rubetæ in terra & in humore viuunt, Plin. Rubeta vel rubetũ (ſed poſterior hæc vox Latina non eſt: Aggregator ranam rubeti dicit ex Kiranide) frequenter inter rubos & arũdineta degit, & tam in aqua quàm in terra ex æquo viuit, Albert. Sunt (*ranæ*) quæ in vepribus tantum viuant, ob id rubetarum nomine, vt diximus, quas Græci *phrynos* vocant,

Duplex rubetæ genus, vnũ paluſtre aliud terreſtre.

vocant, grandiſſimæ cunctarum, geminis veluti cornibus, plenę veneficiorũ, Plinius, in hoc ſibi contrarius: cum alibi, vt iam recitaui, in terra & in humore rubetas viuere ſcripſerit. quod ego de minoribus rubetis verum eſſe puto; grandiſſimas verò quas bufones & boraces aliqui nominant, terreſtres tantum, quamuis non affirmo. Plinius verò grandiſſimas dicendo, non in rubetarum genere intellexit, quod non diſtinguit in ſpecies, ſed ſimpliciter inter ranas. Iam quòd geminis cornibus hoc genus inſigniri ait, id ego non rubetæ propriè dictæ aut bufoni, ſed ranæ mutæ illi tantũ quam ſuperius gibboſam nominaui conuenire puto, quæ quidem nunquam in humore degit, non tamen grandiſſima eſt, ſed communis aquaticæ ranæ magnitudine. Rubeta dicta eſt, quia in vepribus viuit, quanquam prius in aquis, poſtea fit terreſtris, grandiſſima cunctarum, geminis quandoque veluti corniculis, vt inquit Plinius, dorſum exaſperat, Hermolaus; qui addendo verbum *quandoq;*, fatetur non ſimpliciter aut omnibus rubetis id conuenire vt Plinius ſcripſerat. Sipontinus etiã in vepribus tãtum & inter rubos rubetam agere prodidit, Plinium ſecutus. Sic Marcellus Vergilius quoque, Sunt & quæ in ſicco agunt ranæ, vt rubetæ & calamitæ. Kiranides phrynon ranam in ſicco degentem eſſe ſcribit. Ranæ quædam terreſtres ſunt, quæ in humore etiam degunt, vt rubetæ aſperæ & venenoſę, lapidem in capite gerentes, Maſſarius. Is autem aſperas dicẽdo rubetas, ab Hermolao deceptus eſt, cuius in Corollario hæc ſunt verba: Miror quamobrem Dioſcorides φρῦνον, hoc eſt rubetam, λεῖον, quod eſt læuis, cognominari dixerit: niſi quis rubetæ duo genera conſtituat, lęuis & ſine cornibus, ex qua delibutorium venenum, ſicut ex paluſtri quoq; muta conditur, (hoc ſine authore ſcribit: & ego nullam paluſtrem mutam ſcio:) & aſpera cornutaq; propriè ſit buffo, cuius dorſum paulò ante ſcabrum eſſe diximus ex Aetij ſententia, Hæc ille. Impoſuit autem ei, vt video, codex Græcus manuſcriptus, in quo λεῖος pro ἕλειος, legit. quòd autem ἕλειος, id eſt paluſtris legendum ſit, tum ex Ægineta, tum ex Nicandri Alexipharmacis conſtat. & rectè codices impreſſi Dioſcoridis ἕλειος habent, vt & Vergilius interpres legit, ſed perperam tranſtulit, Rubeta vel muta paluſtris rana, cum Græcè nihil aliud legatur, quàm Φρῦνος βάτραχος ἕλειος, hoc eſt, Rubeta rana paluſtris: Ægineta addit diſiunctiuam particulam φρῦνος ἢ βάτραχος ἕλειος, hæc lectio ex Nicandro etiam cõprobari poteſt, qui poſtquã de paluſtri hac rubeta vocali egit, mox peculiariter de altera rana muta docet. Cæterũ Aetius 13. 36. de rubeta ſcribens quæ è paluſtri terreſtris euadit, Exaſperat (inquit) & vibrat terga dum ſpiritu expletur, hoc eſt cum inflatur per iracundiã. Sed hinc nemo cõiicerit læuem quandam eſſe rubetam, ab aſpera diuerſam. φρύνη interdum ſolo afflatu interimit Ælian. de animal. 11. 11. Rubeta ranæ ſpecies eſt, quæ paluſtris vitæ conditionem in terreſtrem mutauit, vnde & rubeta appellatur, Aetius interpretę Cornario. Gręca mihi hæc ſcribenti ad manum non erant: ſed faciunt huc quæ apud Varinum legimus, Φρυνέος pro Φρῦνος, abundãte ε vocali, εἶδος βατράχου, παρὰ τὸ ἐμφερὴς εἶναι πρὸς τοὺς ἄλλους, ἢ ἀπὸ τοῦ φερέσθαι ἀπὸ τῆς λιμνώδους φύσεως ἐπὶ τὸ χερσαῖον, Etymologus. Rubetã poeta bufonem vocat, duo eius genera ſunt: altera terrena, quæ in domibus & vepribus agit: altera paluſtris, quæ ſui generis vocem ædit, Georg. Agricola. Nos paluſtres quaſdam & paruas rubetas, (de quibus Agricolam quoque ſentire puto,) vocamus Güllenkröttle, id eſt rubetulas lacunarum (quòd in lacunis & circa ſterquilinia reperiantur:) & Möule, quaſi paruas ſalamandras aquaticas, quòd ſimiliter & venenoſæ ſint & in aquis degant, colore etiam ventris ſimiles. Hæ ſemper paruæ ſunt, ventre pallido ſiue citrino, punctis quibuſdam diſcolore; & ſuo quodam ſono vocis vtuntur. nam cæteri bufones terreſtres continuatum quendam ſonum ædunt *grugrugru*. Hæ fortè RANÆ SCINCOIDES ſunt, (quòd ſcincos aquaticos, ſiue ſalamandras aquaticas, vt nunc ſcripſi, rẽferant,) quas Alexander Benedictus ſcribit, numeroſius quàm par ſit enatas, peſtilentiæ futuræ aliquando præſagium eſſe putrificam materiam vberius indicante natura. niſi forte phrynoides dicendæ ſint: Ariſtot. enim in probl. lib. 1. copiam τῶν μικρῶν βατράχων φρυνοειδῶν annum morboſum futurum ſignificare ait. Rana in paludibus degit: item genus quoddam ranunculi cœnulentũ in dorſo, croceis in ventre maculis, quod non clamat niſi poſt quartam horã diei feruente ſole, Albertus. Hoc idem nimirũ genus eſt bufonis, quod recentiores quidam barbari CORNVTVM vocant, non ab eminentibus (vt in rubeta Plinij) veluti cornibus, ſed à ſono vocis, quo cornu ſeu tubam imitatur quodammodo. In Galliis eſt bufonis genus, quod cornutũ dicitur, à voce qua cornicinẽ refert. colores habet duos, tetrum (luridum ſeu fuſcũ) & croceum. Verno tẽpore prodeunt hæ ranæ, & vocem inſtar tubarum binæ inuicem emittunt. In ſola Gallia vocales, elatæ voce amiſſa mutæ ſunt, Liber de nat. rer. Rana cornuta coloris eſt (inquit Albert.) cinerei fuſci, & crocei in ventre: & moratur in paludibus putridis, frequens clamore. extra Galliã, ſi quis efferat, vocẽ ædere aliqui negarunt: ſed id falſum eſſe expertũ ſe Albert. ait, quum per totã Germaniã altiſſimè clamẽt. Hæc ſcripſerã cum ex agri Tigurini loco iuxta arcem Kiburgam, rubetæ genus paruũ mihi allatũ eſt, duplo minus ferè cõmuni rubeta, cætera ſimile, quod iam ſub trunco vt illic per hyemem lateret ſe abdiderat. erat enim initium Septembris. tergo lurido, aſpero, ventre ex fuſco albicante, oculis aureolis: clunibus cruribuſq;, ſed præcipuè digitis poſterioribus, piloſis. Has ranas alibi nullas aut rariſſimas haberi aiunt: vocem eis argutiſſimam eſſe, quæ tubæ aut campanæ inſtar audiatur etiam ex longinquo: degere ipſas non in aquoſis ſed in aridis locis. Vère vocem ſuã emittere & æſtate: cum veſperi clamant, noctẽ ſequentẽ ſine pruina futurã certò ſperari.

Cur dicta ſit rubeta.

Buſo cornutus a voce quæ inſtar tubarum editur.

Rubeta minor Kiburgi.

autumno & hyeme non audiri. ¶ Rubeta, id est bufo, Niphus. Buffo à nonnullis *f.* duplici scribitur, quod non probo. Bufo rana terrestris nimiæ magnitudinis, Grammaticus quidam. Inuentusque cauis bufo, Vergilius 1. Georg. Borax (vox corrupta à Græca βάτραχος) species est bufonis, fusci coloris & maxima, ita quòd cubitalis efficitur magnitudinis in terris calidis: & cõsueuit aliquando partum suum super dorsum gestare, lapidem in frõte habet, &c. Albertus. Rubetis aliquando cauda initio est, quam post amittunt: ob id in stagnis cum adhuc pusillæ sunt, mutili ruribus vocantur, Hermolaus. Luridam ranam apud Varronem rubetam intelligo, non calamiten vt Hermolaus: causam dixi in ranunculo viridi *A.* ¶ *Zab* צב, Leuitici 11. R. Salomon interpretatur reptile simile ranæ: alii bufonem accipiunt, & nomen ab inflatione factum putant. ego crocodilum interpretor aut scincum, (vide in Crocodilo *A.*) Illyrij quidem hodie ranam omnem *zaba* vocitant, bufonem Hispani *sápo escuérco*. *Koach*, כח, quoque Leuitici 11. variè interpretantur, camæleontem, crocodilum, lacertam, rubetam: vide in Chamæleonte *A.* Triorches, phrynus & ophis (id est buteo, rubeta & serpens,) inter se pugnant, Aristot. hic Albertus habet, Pugnant *frichachys*, & *coronos*, id est coruus aquaticus: tyrus autem aquaticum animal vocatum *tribaue*, deuorat vtrunque istorum: quibus verbis nihil ineptius dici poterat. Auicennæ interpres, vbi de nocumentis veneni rubetæ agitur: Corpus ranæ (inquit) & maximè pingue eius, facilem reddit dentium eradicationem. videtur autem hoc esse ex petrosa, (hic Bellunensis pro petrosa arboream hortulanam reponit,) & non domestica, &c. Auicenna 4.6.2.8. ranas lacunales virides nominat, & marinas rubeas, pro rubetis simpliciter: & mox sequenti capite ranas citrinas, pro ranis palustribus venenatis vt Aetius habet, 13.54. & 55. Et rursus 4.6.5.25. de morsu ranæ marinæ rubeæ, pro rubeta simpliciter ex Aetio 13.36. Mare quidem Hebraica lingua de stagno etiam & palude dicit. rubeas verò interpres fortassis pro rubetis dixerit, vel à viridibus distinguendi causa. Græci rubetam φρῦνον appellant, vt supra ex Plinio & aliis ostendimus. debet autem hæc vox semper penanflexa scribi, quoniam penultimam lõgam habet, non (vt à quibusdam scribitur) paroxytona. *Misoxus*, id est rana terrestris venenosa rubea, Syluaticus. est autem vox corrupta à Græca μύοξος, quæ non rubetam sed glirem significat, vt in Gliris historia ostendi: & à Syluatico ipso alibi *miosos* glis exponitur. Quamobrem errauit etiam Gillius qui in Æliano suo μυοξοὺς (ex Oppiano) bufones interpretatur. Ranam rubetam Nicander φρῦνον θερόεντα, hoc est æstiuam cognominat: vide supra in rana gibbosa. Καρπίας Varino rana simpliciter exponitur: Gelenius noster affinem putat hanc vocem Germanicæ Krott, qua rubetam significamus. Rubeta Italicè nominatur *rospo, botta, boffa*, teste Lucio Scoppa. & à quibusdam *chiatto*, (apud Rhætos qui Italicè loquuntur *chatt*:) vel *zatto*, vt in Longobardia. item *buffo, buffa, buffone.* ab aliis *ramarro*, qua voce Matthæolus Senensis, magis propriè puto, pro lacerto minore vtitur. Ranæ quædam terrestres sunt, vt sunt mutæ, & rubetæ: quæ & racanellæ quasi raniculæ vocantur: & non comeduntur, quoniam sæpius cum bufonibus coëunt, quam ob causam malignæ reputantur, Monachi in Mesuen. Scoppa rubetam etiã *ranauoto*, & *ranonchia de rubetto* interpretatur: quæ voces diminu tiuæ sunt, & fortè ad ranunculũ viridem pertinent. nam & in Gallica lingua aliqui confundunt, crassam vel crassantium. vt ipsi scribunt, (*graisset, ou verdier*,) vulgò dictam ranam, rubetam interpretantes, quæ omnino ranunculus viridis est: rubeta verò Gallicè *crapault* vocatur, circa Neocomum *boug.* Hispanicè *sapo escuérco.* Germanicè Krott, nomen in Heluetia fœmininum, Argentinæ & alibi masculinum: alij scribunt Krote. Terrestrem priuatim vocamus Gartenkrott, id est hortensem rubetam: (licet nonnulli ranam gibbosam supra descriptam sic appellent,) Saxones Quapp. Flandris rana est Puut/ rubeta Padde. Anglis *tode.* Illyrij omne genus ranæ *zaba* vocitant.

De bufone.

Nomina diuersarũ linguarũ & nationum.

B.

De paruis palustribus seu lacunarum potius rubetis, quas & cornutas vocant à sono vocis, præcedenti capite scripsi: vbi etiam cornibus exasperari rubetarum dorsum, quod Plinius scripsit, hactenus mihi non visum dixi: & vnum tantum rubetæ genus, quod ranam gibbosam appellaui, ossibus cornuum ferè instar eminentibus in dorso mihi cognitum esse. Rubeta quæ palustrem vitam in terrestrem mutat, animal est magnitudine nihilo minus testudine parua, Aetius. Similis ranæ est, sed pedibus breuioribus, inertioriq; & turgidiore corpore, Mich. Herus. Color bufoni cinereus pellis densissima viscosaq;, ita vt magnis etiam ictibus non lædatur, Albertus: durissima, vt baculis etiam ægrè vulneretur, Matthæolus Senensis. Bufo quem ipse nuper inspexi, mense Iunio captum iuxta sterquilinium, lurido & fusco seu nigricante colore erat, crassis & deformibus membris, cute maculis & veluti pustulis quibusdam exasperata, torpido & ignauo corpore: maculis nigris, præsertim in lateribus: ventre turgido inflatoq;. cum baculo tangerem & ferirem, aridiusculus sonus ob asperam duritiem cutis, & tanquam ex concauo reddebatur. capite crasso latoq;: dorso plano, non ita eminente vt in mutis illis ranis quas supra gibbosas nominaui. Sub capite circa collum parte prona (id est terram spectante) color pallidus vel subflauus erat. Apocynon appellant officulum in rubetæ latere compertum sinistro, quoniam canum impetus inhibeat: nam aliud ad superstitiosos similiter vsus in dextro latere quæritur, vt in *G.* recitabitur. Ibidem dicam de lapide quem bufones quidam in capite gestare falsò creduntur. In Hispaniæ partibus illud præcipuè boracis genus reperitur, quod lapidem in

Descriptio Rubetæ.

in fronte portat, Obſcurus. Borax ſpecies eſt bufonis, colore fuſco, maximi, &c. (vt in *A.* retuli,) quæ lapidem in fronte gerit, Albertus. ¶ Buſo animal aſpectu fœdiſſimo, fertur habere cor in gutture, *Cor.* nec facilè interfici niſi per medium guttur transfigatur, Obſcurus. Rubetæ iecur omnino vitiatum *Iecar.* eſt, vt corpus quoque eius totum prauo temperamento afficitur, Ariſtot. de part. 3.12. Iecur ei duplex aſſignatur, vt capite ſeptimo recitabo. Rubeta perquam exiguum habet lienem, Ariſtot. Dicta *Lien.* eius oua ventri ſubdita ſunt, Idem. *Oua.* Pedeſtrium quadrupedes quæ oua pariunt, eodem coëunt modo quo eà quæ animal generant, mare ſuperueniente. habent verò in quod meatus (genitales) contingant, & quo per coitum adhæreant, vt rana & paſtinaca, & reliqua generis eiuſdem, Ariſtot. *Coitus.* ego legendum coniicio, vt rana & rubeta, &c. quanquam Græcè τρυγόνες legitur, id eſt paſtinacæ, pro quo φρῦνοι repono. Rubetis aliquando cauda initio eſt, quam poſt amittunt: ob id in ſtagnis cum adhuc puſillæ ſunt, mutili ruribus vocantur, Hermolaus.

C.

Rubetæ dictæ ſunt quòd ferè in rubis & vepribus degant, quanqum & amphibiæ ſunt, quædam *Vbi degãt rubetæ.* terreſtres, quædam paluſtres tantum, aut maiori ex parte, vt pluribus expoſui ſuperius capite primo. Humida loca & marcida incolit: Solis claritatem odit, nec facilè ſuſtinet. interdiu latet, noctu progreditur, præcipuè per vias tritas ab hominibus, Obſcurus & Albertus. Æſtate incolit ſubterranea & vmbroſa loca, Ponzettus. Interdiu non apparet niſi locis admodum ſolitariis: & non egreditur de terra niſi tempore pluuiæ, Albertus. In terra humida & opaca, & inter ſæpes verſari gaudet, Mich. Herus. Conditur hyeme, Georg. Agricola. ¶ Sub terra habitat, & humore terreno viuit. herbas & *Quibus veſcãtur.* lumbricos aliquando comedit, Albertus. Bufo terra veſcitur, idq; pondere & menſura. quantum enim anteriore pede concludere poteſt, hoc illi pro cibo quotidiano eſt. timet enim ne ſibi terra pro cibo deficiat, Author de nat. rer. Dicitur de buffone quòd de terreſtri humido nõ edit, niſi quantum manu ſemel capere poteſt, timẽs quòd ei tota terra non ſufficiat. ſed hoc à vulgo acceptũ eſt, nec vllo experimẽto conſtat, Albert. Hinc eſt quod ſuperioris ſæculi (apud Germanos) pictores, auaritiam *Auaritia per mulierem bufoni inſidẽtem expreſſa.* expreſſuri, mulierẽ bufoni inſidentẽ pinxerunt, Mich. Herus. Saluia libenter veſcitur, cuius radix tamen ei letalis eſt, Phyſiol. Rubeta etiã apes interimit. ſubiẽs enim aditus aluei, afflat, & obſeruans rapit euolantes. nullo hæc affici malo ab apibus poteſt, ſed ab apiario facilè interimitur, Ariſtot. vide mox in *D.* ¶ Animalia quæ habent ſpiritus ſubtiles & debiles, noctu vident non interdiu, ſicut bufones, Gordon. videtur autẽ bubones aues nocturnas intelligere, quæ ab Italis & Hiſpanis bufones dicuntur. Credi autem poteſt etiam bufo noctu cernere, quoniam noctu progreditur, interdiu latet, vt *Noctu vident.* aues pleræq; omnes quæ idem faciunt. ¶ Ranæ terreſtres, vt mutæ & rubetæ, non comeduntur: quoniam ſæpius cum buffonibus coëunt, Monachi in Meſuen. Bufo ex putredine vel corruptione *Vnde naſcantur.* terræ naſci putatur, Obſcurus. Ex bufonis cremati relicto cinere bufo viuus regeneratur, nec tantum vnus, ſed etiam plures, Phyſiologus. In Dariene prouincia noui orbis aër inſaluberrimus eſt, vtpote cœnoſa & paludibus fœtidis ſepta: imo vicus ipſe palus eſt, vbi ex guttis mancipiorum dextra cadentibus, dum irrigant pauimenta domus, illico bufones gignuntur: vti alicubi ego ipſe in pulices guttas illas æſtate conuerti, Pet. Martyr. ¶ De voce quam ædant tũ paluſtres paruæ rubetæ, tum terreſtres maiores, ſatis dictum eſt ſupra cap. primo. ¶ Goſturdi aues (alaudæ criſtatæ) dicuntur oua in terra parere & rarò fouere: vnde vulgus mentitur hæc à bufonibus foueri, Albertus. Scribit autem author libri de nat. rer. vulgò ferri goſturdorum oua à bufone foueri, & pullos demum excluſos à parentibus curari. ¶ Non ſaliunt rubetæ vt cæteræ ranæ, ſed propter corpus ignauum, turgidum at- *Inceſſus.* que iners, & pedum quoq; breuitatem, tardè procedunt. Iratæ tamen aliquãdo manifeſtè inſurgunt, & lædendi animo, vt Aetius ſcribit, inſiliunt. ¶ Borax cum tangitur, inflatur, Obſcurus. Rana quæ *Obſtinatio.* rubet, deterior eſt. hæc menſe Auguſto os ita occludit, vt neq; cibi potúſue ſumendi cauſa, neq; vocis ædendæ aperiat. quòd ſi manu vel baculo vrgeas, ægrè tamen aperies, Author de nat. rerum. Itali *ramarro*, id eſt bufoni (ſecundum alios lacerto paruo) ſimilem vulgò dicunt eſſe hominem, qui conceptam iram non remittit antequam ſe vlciſcatur, obſtinatus potius moriturus. aiunt enim bufonem ſi quid in os ei inſeratur, vt ferrum aut aliud quidpiam, id non dimittere, ſed ſubinde mordicus tenere, vt moriatur potius quàm remittat. Itaque auarum etiam hominem & nimium tenacem bufoni comparant. ¶ Vtraq; rubeta (tum terrena tum paluſtris) ſi bacillo ſæpius verberetur, inflato corpore, *Virus.* virus primo è clunibus exprimit, deinde lacteis quibuſdam guttis ſudat, grauiter odoratis & putidis. occiditur autem difficulter, Georg. Agricola. Noſtri humorem illum venenoſum retro eiaculantes rubetas, meiere dicunt, ſed impropriè. nulla enim veſica neq; vrina ranis. Obſeruaui etiam ipſe nuper humorem quendam à rubeta capta excerni. ¶ Rubeta frigidiſſimum eſt animal, Obſcurus: *Frigiditas.* perquam frigidum & humidum, nam niſi abundaret in eis humiditas, corpora earum non augerentur tam cito, Ponzettus. Tota prauo temperamento afficitur, Ariſtot. ¶ Peculiari quadam herba vtitur qua vitam (*viſum*, vt legit Io. Vrſinus) recuperat, ruta verò interficitur, Obſcurus. Saluia delectatur in cibo, cuius tamen radix ei letalis eſt, Idem. Bufo primo aqua perfuſus, & poſtea ſalſus, crepat, & tandem conſumitur vſque ad oſſa, Albertus.

D.

Iracũdia. Rubeta animal eſt perquam iracundum, & ſi quid ei obtenſum mordicus arripuerit, mori potius quàm remittere velit, vt in *C.* dixi. Verberata ſæpe virus è clunibus emittit, & inficit verberantem: *Lædendi ſtudium.* Exaſperat & vibrat terga dum ſpiritu expletur, atque ob id ipſum ardentior euadit. ad lędendum itaque & manifeſtè inſurgit, & ſaltibus interpoſitum ſpatium contrahit, raro quidem morſum infligens, verum anhelitum conſueuit vehementer virulentum inducere, adeò vt etiam ſi anhelitu contingat tantum, eos qui propè ſunt lædat, Aetius & Auicenna. Inflat ſe irata, tam proteruè audax, vt inſiliat quoque proximum, quanquam ſuſpirio ſe frequentius quàm morſu vindicans, bufo inde vt arbitror *Rubeta apes interimit.* à Vergilio & vulgo dicta, Hermolaus. ¶ Rubeta apes interimit, vt ex Ariſtotele recitaui in *C.* Apibus aquantibus ranæ inſidiantur: nec hæ tantum quę ſtagna riuoſque obſident, verum etiam rubetæ veniunt vltro, adrepenteſq; ſufflant. ad hoc prouolant, confeſtimq́; abripiuntur, nec ſentire ictus apum *Rubetæ hoſtes* ranæ traduntur, Plinius. Apibus nocent rubetæ & ranæ lutariæ, Ælianus. Expertus ſum quòd talpa auidè paſcitur bufonibus & ranis. reperi enim talpam quæ ſub terra pede fortiter tenebat magnum *Talpa.* bufonem: qui iam fugiens è terra totum corpus ſubduxerat & altam vocem propter morſum talpæ ædebat, ſed ranæ etiam ac bufones, (quod & ipſum experimento mihi conſtat,) mortuam talpam *Aranea.* edunt, Albertus. ¶ Bufo nunc cum aranea, nunc cum lacerta, quandoque verò cum colubro, vel *Lacerta.* etiam cum ſerpente prælium ſubit. læſus autem veneno alterius animalis venenoſi à plantagine re-*Coluber.* medium accipit, Phyſiologus. Cum aranea pugnat & ab ea vincitur. nam cum illa frequenter pu-*Serpens.* pugerit, nec bufo vlciſci ſe poſſit, vſq; adeò inflatus turget, vt medius crepet & moriatur, Obſcurus. Borax pugnat cum aranea, ſicut & ſerpens. aranea quidem ſupernè filo ſuſpenſa deſcendit, & cerebrum vtriuſuis eorum pungit. bufo autem iraſcens inflatur, & aliquando crepat ob venenum araneę, Albertus. Accepi ab iis qui ſpectarunt (inquit Eraſmus in Amicitia inter Colloquia) ſimile diſſidium araneo eſſe cum buffonibus, (quale cum ſerpēte,) ſed buffonem ictum ſibi plantagine admorſa me-*Fabula de Bufone ab aranea interfecto.* deri. Audies (alloquitur ſuum congerronem) fabulam Britannicam. Scis illic cōclauium ſolum conſterni ſcirpis virentibus. Monachus quidam faſciculos aliquot ſcirporum in cubiculum congeſſerat, ſparſurus cum eſſet commodum. Is quum à prandio ſupinus dormiret, bufo ingens erepſit, & os dormientis obſedit, infixis ſuperno atque inferno labro quatuor pedibus. Detrahere buffonē certa mors erat, non amoueri quiddam erat morte crudelius. Quidam ſuaſerunt vt monachus ad feneſtram deferretur ſupinus, in qua ingens araneus habebat telam. Factum eſt. Mox araneus hoſte conſpecto filo ſe librat, & buffoni ſpiculum infigit, ac filo ſe recipit in telam. Intumuit buffo, ſed non eſt auulſus. Repetitur ab araneo, magis intumuit, ſed vixit. Tertio ictus, abduxit pedes, ac mortuus decidit. Hanc *Catus.* gratiam araneus retulit hoſpiti ſuo, Hęc ille. Catus cum bufonibus quoq; pugnare dicitur, Obſcurus. Catus ſerpentes & bufones interficit, ſed non edit: & læditur veneno, niſi aquam ſtatim ſuperbibat, *Buteo.* Albertus. Rubetam rapit exeditq́; buteo, Ariſtot. item accipiter rubetarius. Et alibi, Buteo, rubeta ac *Sputum.* ſerpens pugnant. ¶ Martion Smyrnęus rumpi ſcolopendras marinas ſputo tradit: item rubetas aliaſq; *Ruta.* ranas, Plinius. Borax herba peculiari vtitur qua vitam (aliàs *viſum*) recuperat, ruta verò interficitur: & *Odor vineæ florẽtis.* odorem florentis vineæ fugit, Obſcurus & Albertus. Serpentes quoq; rutam & vineæ florentis odorem fugere legimus. Ciconia bufonem non niſi in magna fame comedit: vnde venenoſa bufonis natura intelligitur, Liber de nat. rerum.

E.

Vſus ex rubetis. Carnibus rubetarum in hamum poſitis, purpuras præcipuè allici certum eſt, Albertus & Iſidorus ex Plinio, qui hoc de ranis ſimpliciter non de rubetis ſcribit. Nicander rubetam paluſtrem in algis *Prognoſtica tempeſtatis.* clamore ſuo veris aduentum prænunciare docet. Rubetæ paruæ terreſtres cum veſperi ſuum inſtar cornu aut tubæ ſonum ædunt, noctem ſequentem abſque pruina futuram certò pollicentur. Bufones cum veſperi è cauernis egrediuntur, magni præſertim & multi numero, pluuiam præmonſtrant, Gratarolus.

F.

Bufonum eſus. Hiſpani quidam cum in Beragua inſula noui Orbis ad extremam famem redacti eſſent, ægrotus quidam bufones duos coctos emit pro duabus lineis auro intexto ſubuculis, quæ aureis Caſtellanis ſex vendi poterant, vt ſcribit Petrus Martyr lib. 10. Oceaneæ Decadis 2. & rurſus circa finem lib. 2. tertiæ Decadis.

G.

Remedia ex rubetis. Rubeta frigidiſſimum eſt animal, Obſcurus. Saſerna in libris de agricultura, ſi quem glabrum facere velis, ranam luridam (rubetam intelligo, vt dixi in ranunculo viridi *A.*) coniicere in aquam iubet, vſquequo ad tertiam partem decoxeris, eaq; vngere corpus, Varro. Rubetæ ſanguis pſilothrum eſt, Kiranides. ¶ Sunt ex recentioribus qui rubeta arida buboni peſtilenti impoſita venenum mirè *Ad podagram ſanandam.* extrahi doceant. ¶ Acopon ex rubetis quod omnem affectionem tollit, deſcribitur apud Aetium lib. 12. cap. 44. his verbis, Radicis cucumeris agreſtis viridis libras ſex, olei dulcis libras ſex, medullæ ceruinæ, terebinthinæ, ceræ, cuiuſque ſeſcuncem, ranas rubetas appellatas viuas numero ſex. rubetas traiecto per pedis plantam filo in oleum demiſſas donec flacceſcant coquimus: deinde extractis per plan-

tas filo traiectis ranis, sylvestris cucumeris radicem viridem concisam iniicimus, atque donec vires suas in oleum transmittat coquimus & excolamus. Postremum liquefacta, itidem percolata, ad oleũ addimus, & in vitro reponimus. Vtere mane & vespere ad podagricos, arthriticos, ischiadicos, & resolutos. Per huius vsum nouimus homines à podagra & chiragra toto corpore distortos, post lauacrum, in tantum conualuisse, vt citra omnem offensionem obambularent. Quandoq; apparauimus, inquit Asclepiades, hoc pharmacum, additis ad hanc descriptionem samsuci libra vna, vnguenti crocini libra vna, opobalsami quadrante, sanguine testudinum numero decem, Hæc Aetius. Simile autem paulò post ex Galeno adscribam. Ab hoc differt quod legitur apud Galenum lib. 7. de compos. medic. sec. genera: Hoc, inquit, vsus vir xysticus, (athleta,) & acopi & malagmatis modo, à toto affectu conualuit. confectio sic habet. Olei veteris Sabini, cucumeris agrestis radicis, ceræ, apochymatis, adipis suillæ veteris, singulorum libras tres. ranarum rubetarum magnarum numero tres, vel si hæ non sint paruarum (nimirũ viridium quas calamitas vocant,) quinque. medullę ceruinæ, aphronitri, sulfuris viui, olei laurini, irini, singulorum vnc. tres. vnguenti malabathrini, sampsuchi, vtriusq; libram. Radices in crassiora frusta sectas, ac in oleum simul cum sampsucho coniectas, supra prunas incoquito. vbi radices inaruerint, humorem exprimito. radices quidem & sampsuchum abiicito: ranas in sportulam textam imponens, huiusq; oras consuens, & oleo expresso committens, rursus vas coopertum igni supraponito, vbi iam satis magnum temporis spatium intercesserit, vt ranæ colliquescant, (contabuerint,) sportula deposita humore expresso abiiciatur. Reliquo oleo liquabilia indito, mouens sine requie. postremo medullam & galbanum (sic etiam Actuarius habet. vnde apparet galbani mentionem & pondus superius omissa) adiungito. Postquam soluta fuerint, ab igne tollito, ac modicè refrigerari permittens, arida tunsa, ac tenuissimo cribro secreta inspergito, mouens assiduè. Tum in mortarium effusis, iterumq; tunsis, malabathrini vnguenti pondo & semissem (pondo tantum, id est libram, vt supra. sic & Actuarius habet) adiungito, & rursus tundito. excepta vase plumbeo vndiq; obturato, vt nihil perspiret, seruato. Vtêris medicamento interim vt malagmate, facta morbi inclinatione, interim vt collinitione. nam pharmaci quod satis est capientes, soluentesq; vnguento, vt cerati liquidi spissitudinem habeat, vtimur, Hucusq; Galenus: ex quo ad verbum eandem descriptionem mutuatus est Actuarius in libro de medicamentorum compositione. Rursus eodem loco apud Galenum habetur & aliud acopum ex rubetis Flauij Clementis simile illi quod superius ex Aetio retulimus. & mox aliud pretiosum & ex multis medicamentis compositum, Pompeij Sabini, quæ breuitatis causa relinquimus. In priore quidem parando oleum diuiditur, ita vt in vna eius parte radices cucumeris agrestis coquantur, in altera ranæ: deinde percolatis iis mixtisque liquabilia adduntur, vt galbanum, terebinthina, cera, medulla. Sunt etiam qui testudinum (terrestrium) sanguinem, & alia quædam adiiciant. Rubetæ quinque miscentur acopo Piscatoris alteri, apud Galenum de compos. medic. sec. genera lib. 2. Rubetæ multæ decoctæ in oleo cum summis thymi ramulis, & pressus & sale (& expressæ & illitæ) per triduum continuè in camino balnei, podagricos sanant, Kiranides. ¶ Ranam rubetam & adipis vrsinæ vncias tres cum olei veteris sextariis tribus in olla rudi ad medias decoquito, deinde colato. hæc vnctio frequenter adhibita, non solum neruos confirmat (arthriticis,) sed & paralysin repellit & reprimit, Marcellus. Ad scabiem equorum: Rubetam occisam cum vino & aqua in vase æneo coquito, & hoc decocto siue liquore (ἰχῶρι) inungito, Eumelus in Hippiat. Græcis.

¶ Rubeta decocta & in aqua potui data, suum morbis medetur, vel cuiuscunque ranæ cinis, Plinius. Et alibi, Omnium quadrupedum morbis capram solidam cum corio, & ranam rubetam discoctas, mederi reperimus. Ranarum cor adalligatum frigora febrium minuit. maximè autem quartanis liberant ablatis vnguibus ranæ adalligatæ & rubetæ. Iecur eius (rubetæ) vel cor adalligatur in panno leucophæo, Plinius. ¶ Ranæ rubetæ occisæ in fumo arefactæ particula, quanta videbitur, in linteolo inuoluta, & ex licio collo suspensa eius cui nares sanguine fluunt, mirè prodest, Marcellus. Audio Fridericum Saxoniæ ducem nostra memoria, ad sanguinem sistendum, bufonem veru ligneo transfixum & in vmbra diligenter arefactũ, inuolutum sindone manu tenendũ dedisse laborantibus, donec intra manum incalesceret, ita sanguinem mox repressum: cuius rei rationẽ non video, nisi quod horror & metus facit, sanguine ad cogitationem de animali tam contrario naturæ hominis refugiente. sed forsan illum qui tenet aut alligatum gerit, quid linteolo contineatur ignorare oportet, vt in plerisque istis superstitiosis amuletis. Bufones hodie suspenduntur aëre vt arefiant, & præsentissimo remedio sistunt omnem fluxum sanguinis, Christophorus Salueldensis. Alij cinerem rubetæ, vt sanguis sistatur aspergi volunt, cui remedio ratio non deest. Vide etiam in Rana G. *Buffo vstus sistit naturæ dote cruorẽ*, Io. Vrsinus: cui Iacobus Oliuarius scholiastes adiicit, nihil melius sanguinẽ sistere. Plin. tamen hanc vim non rubetæ, sed aliarũ ranarũ cineri attribuit: Ad sanguinẽ sistendum (inquit) & ranarum illinunt cinerem, vel sanguinem inarefactum. Quidam ex ea rana calamite, minima omnium & viridissima, cinerẽ fieri iubent. aliqui & nascẽtium ranarum in aqua, quibus adhuc cauda est, in calice nouo combustarum, cinerem, si per nares fluat, iniiciendum. Corium bufonis & testa testudinis sicca tritaq;, vel etiam vsta, puluere aut cinere fistulis immisso, sanant eam prius mortificatam, Arnoldus in Breuiario 3.21. Et paulò post: Bufo, quantus haberi maximus potest, exentera-

Ad sanguinem narium sistẽdum.

Ad fistulas sanandas.

tus, totus impleatur radice laureolæ trita & ſtercore gallinæ, & ſale cum vnguento ex althæa commixtis: & ſic in veru aſſetur donec combuſtus ſit, ita vt cum omnibus illis quibus farctus eſt conteri poſſit. Colligenda eſt etiam emanans pinguedo: & de ea quandoq; modicum in fiſtula & de puluere omnium prædictorum ponatur. hoc puluere ruſticus quidam, vt ipſe mihi retulit, omnes fiſtulas in quauis parte corporis abundantes curabat. Cum mulieris mamilla ob lactis abundantiã ſuppuratur, & cancroſa fit, ac perforatur, tum caro illa infecta & partes vicinas exedens, hoc modo breui tempore curatur: Bufonem craſſum occide quocunq; modo, & ligno infixum domum portes, & in bilance ponderes, addaſq; eiuſdem ponderis cancros viuos, & in olla rudi vitreata opertaq; & luto munita, ita vt in medio tantum foramen exiguum relinquatur, vrito ſuper pruna mediocri, calore non intermiſſo: & hoc cinere vtitor, Innominatus. Interdum hæmorrhoides tantum dolorem inferunt, & adeò largum ſanguinem profundunt, vt ſæpe totum hominem breui exhauriant. Huic malo Nicolaus Florentinus emplaſtrum ſuperimponit è cinere bufonis, cuius virus (vt & ſcorpionum) aduſtione conſumi ſcribit libro de curandis morbis capite de hæmorrhoidibus. Nam & ſanguinem (inquit) hæmorrhoidum ſiſtit, & dolorem ſedat, & ipſas delet. Hoc cinere ad eundem affectum tanquam ſecreto quodam remedio, vſum eſſe audio Lutetiæ quoq; inſignẽ quendam medicum. Contra venena marini leporis & rubetæ, cinis eorum remedio eſt in aqua potus, Obſcurus. Albertus ſimpliciter horum animalium cinerem remedium eſſe ſcribit contra venenum ipſorum. Podagris articularibuſq; morbis vtilis eſt rubetæ cinis cum adipe vetere. quidam & hordei cinerem adiiciunt, trium rerum æquo pondere, Plinius. Articulis & pedibus prodeſt ranæ rubetæ exuſtæ cinis, cum ſambuci coliculis tritis & ſeuo hircino vetere permixto & decocto, pariterq; impoſito, Marcel. Samonicus paruam ſambucum cum hircino ſeuo (abſque rubeta) ad podagram commendat. Sunt qui equis puluerem ex bufone (vſto nimirum) in oculos albugine aut ſimili vitio laborantes inflent. Puluis bufonis exenterati, combuſti in pignato, pannum oculi corrodit, Albertus de Villanoua. Falconi bufo vſtus in paſtu datur, ſi pennæ eius à tineis exedantur, Albertus. ¶ Ranam recentiores quidam vocant vlcus latum nigricans & peſtilens (carbunculum puto rectius vocaturi) quo boues interdum, niſi curentur, nono die pereunt. curatur autem cuſpide lignea, qua rana rubeta transfixa fuerit vel ſimpliciter, vel etiam in ea arefacta. ¶ Corpus ranæ, & præſertim pingue eius, facilem facit dentium eradicationem. videtur autem hoc eſſe ex petroſa, (arborea hortulana, Bellunenſis) & non domeſtica, Auicenna & Syluaticus inter nocumenta rubetæ. Vide ſupra in Ranunculo viridi G. Rubetæ ſanguis pſilothrum eſt, Kiran. Vide initium huius capitis. alij ranæ viridis paruæ ſanguini hanc vim adſcribunt. ¶ Ranæ terreſtris dictæ oculi recipiuntur in vnguentum contra lumbricos numero 59. apud Nic. Myrepſum. ¶ De rubetis ranis quæ in vepribus tantum viuunt, mira certatim tradunt authores. Illatis in populum ſilentium fieri. Officulo quod ſit in dextro latere in aquam feruentem deiecto, refrigerari vas, nec poſtea feruere niſi exempto. Id inueniri obiecta rana formicis, carnibuſque eroſis, ſingula in ſolium addi. Et aliud eſſe in ſiniſtro latere, quo deiecto feruere videatur, apocynon vocari, (Chriſtoph. Salueldenſis Germanicè interpretatur die zacken im krotten:) canum impetus eo cobiberi, amorem concitari, & iurgia addito in potionem. Venerem adalligatum ſtimulare. rurſus à dextro latere refrigerari feruentia. Hoc & quartanas ſanari adalligato in pellicula agnina recenti, aliaſq; febres. amorem inhiberi eo. Sunt qui noſtro tempore, in Anglia præcipuè, non ex lateribus rubetæ os illud ſuperſtitioſum, ſed ex fronte requirant, hoc modo: Rubetam magnam & annoſam per medium ſcindunt, & in myrmecia formicis exponunt, quæ carnes erodunt. ſic oſſibus tantum relictis capitur os frontis, quod in vetulis buffonibus nigricat & prædurum eſt, oſſeæ tamen non lapideæ ſubſtantiæ. Sed quoniam multi falſò credunt verum lapidem in capite buffonis reperiri, quæ de lapide illo apud authores obſeruaui adſcribam.

Remedia ex cinere bufonum. *Ex ſanguine.* *Ex oculis.* *Mira & ſuperſtitioſa de rubetis.*

De lapide quem in capite bufonis reperiri quidam tradunt.

¶ Recentiores lapidem in capite rubetæ haberi tradunt, quem ad dolores ilium geſtatu probent, ſed qui viua ea ſit exemptus, quales vulgò magna etiam copia feruntur anulis. quanquam hunc elici potius quàm eximi viuentibus conſtat, puniceo in panno, cuius plurimum colore delectantur. ita dum ipſi feriando relaxant ſe, capitis onus deponunt, id mox in ſubiectam ciſtam è medio foramine collabitur. alioqui ea eſt aliis inuidiſſima natura, vt lapidẽ eum, niſi tolleretur, reſorbeat, Hermolaus & Maſſarius. Borax, ſunt qui cheloniten vocent lapidem, inuenitur vt aiunt in capite buffonis ſenis ac magni. Braſauolus refert ſe in capite illius animalis inueniſſe, eſſeq; os potius quàm lapidem, (quod ipſe è bufonis capite eduxerit colore ad nigrum inclinante.) Duplex eſt, cauus oſſiq; perſimilis, colore fuſco pallente, & alter qui in oſſe lapidem continet. Verùm os capitis eſt, vt Braſauolus refert, quod vetuſtate concreſcit, quia terra alitur. Sed vires non noui: aduerſus calculum valere putant, ego incertus ſum an prohibeat lapidis generationem. at omnino prohibere non poteſt, neq; omnis. an verò aliquis retardet, dignum dubitatione eſt, Cardanus lib. 7. de ſubtil. Et rurſus, Oriuntur lapides in animalibus duobus modis: altero quidem, frigore, vt in limace, perca, cancris, buffone, & (vt aiunt) Indicis teſtudinibus. Borax ſpecies eſt buffonis, fuſci coloris & maxima, ita quòd cubitalis efficitur magnitudinis in terris calidis: & ſolet aliquando partum ſuum in dorſo geſtare. In huius fronte lapis inuenitur, cuius gratia etiam occiditur. Eſt autem lapis interdum albus, qui præfertur: interdum

fuſcus

fuſcus ſubniger, qui probatur quum in medio habet guttam citrinam: aliâs virulentus, & tempore meo inuentus eſt totus viridis. eſt quando buffonis figura in eo viſitur impreſſa, Albertus lib. 22. de animalibus. Sed paulò aliter citat Alberti verba Syluaticus in Pandectis cap. 435. ex Alberti libro de mineralibus vel lapidibus, ſunt autem hæc: Lapis borax (inquit Albertus) in capite generis cuiuſdam bufonis repertus, duorum eſt generum. Vnus albus aliquantulum fuſcus: & alter ſi viuo adhuc palpitante bufone extrahitur, in medio habet oculum cœruleum. Noſtra quidem ætate extractus fuit vnus è bufone paruus, viridis. Aliquos etiam vidimus in quibus effigies bufonis erat expreſſa, qui de hoc genere dicebantur. vulgo autem *crapodinæ* (*crapauldines* Gallicè) dicuntur. Sordes purgant inteſtinorum & ſuperfluitates, Hæc Syluaticus ex Alberto. Sed Albertus hanc vim expurgandi inteſtina illi tantum generi tribuit in cuius medio oculus quaſi cœruleus apparet, ſi deglutiatur. Et rurſus cap. 469. iterum ex Alberto, Lapis niſe (aliâs nuſe) vt quidam dicunt, è genere lapidum eſt, qui inuenitur in capite bufonis. Sunt autem duo genera: vnus ſubalbidus, tanquam ſi lac (multum) mixtum ſanguini (pauco) fuerit, ita vt lactis color ſuperet: & ideo ſanguinis obſcuras vias (venas) in eo dicunt apparere. Et alius eſt niger: & aliquando pingitur in eo bufo ſparſis pedibus & ante & poſt. Dicunt etiam quòd ſi ambo ſimul includantur pręſente veneno, eos adurere manū tangentis. probari autem hunc lapidem, ſi cum exhibetur (admouetur) bufoni viuo, bufo eleuetur contra eum, & ore ſi poteſt attingat. Dicitur etiam præſente veneno variū effici illum qui ſubalbidus eſt. hoc ſimiliter Euax ſcribit, Hucuſq; Syluaticus. Lapis ex capite bufonis ab homine geſtatus veneni malitiam arcet, Phyſiol. Hic lapis cum bufoni viuo & palpitanti extractus fuerit, in medio ſui oculum habere dicitur: Cum autem bufo aliquandiu ante mortuus fuerit, tunc malitia veneni oculus extinguitur, & lapis vitiatur, Liber de nat. rerum. Georg. Agricola libr. 5. de natura foſſilium de brontia, (quam interpretatur bufonis lapidem maiorem:) & de ceraunia, (quam interpretatur lapidem bufonis maiorem læuem) ita ſcribit: Habent etiam lineas eminentes & ſtrias lapides in agris nati, ex quibus eum qui cum tonitruis, vt nunc quoq; credit vulgus, cadit, brontiam vocant Græci, capitibus teſtudinum ſimilem: qui cum imbribus, ombriam. Noſtri ſunt modo ſublutei, modo ſubuirides, modo ſubrubri, modo ſubfuſci, nunc vero variant colore. politi tanquam ſpecula, imagines reddunt. figura ipſis ferè dimidiati globi, raro oblonga: interdum oui magnitudine ſunt, ſed ſæpius minores. Aliquibus bini ſunt circuli quaſi quidam moduli, (modioli,) à quorum ſuperiori quinæ lineæ eminentes æqualibus inter ſe ſpaciis diuiſæ, procedunt ad inferiorem, quarum ſingulæ vtrinq; ſtriam habent, &c. (has lineas aut ſtrias aliæ aliter habent.) Ceraunia quoq; ex eo nomen inuenit, quòd cum fulmine, vt idem vulgus credit, cadit. nec tantum in Carmania naſcitur, ſed etiam in noſtris agris. caret ſtriis & lineis, atq; in hoc differt à brontia. læuis verò eſt, & nunc rotunda, nunc oblonga: cuius genera coloribus diſtinguuntur. nam alia partim eſt candida & pellucens, partim fuſca, alia nigra eſt, alia rubet, Hæc Agricola. Idem in rerum metallicarum interpretatione, Chelonitidas Germanicè interpretatur minores lapides bufonum, Brontia, (vt inquit Plinius) cum tonitruis cadit, vt putant, & fulmine tacta reſtinguit, ſi credimus. De chelonitide vide plura inferius in Teſtudine *H. a.* Rubetæ ſpecies (inquit Chriſtophorus Salueldenſis) in Gallia & Hiſpania, cornuta, maculis croceis & nigris liuentibus, nomine borax, in capite gemmam fert eiuſdem nominis, quæ aliâs coloris in candido fuſci eſt, vt vidimus: aliâs nigra notulis liuentibus nigris, vt noſtri ſunt bufones, qualem habuimus: quæ magnitudine mediocris fabæ & rotundæ erat. Annulis principum includuntur. nam vbi venena ſunt præſens hic lapis colorem mutat, & quaſi ſudans guttas emittit. (Hoc & de gloſſopetra aliqui dicunt. Indica etiam gemma quæ ſubrufo colore eſt, in attritu ſudorem purpureum emanat, Georg. Agric.) & mirè, quod vidi, expetitur à noſtris bufonibus hic lapis, ita vt ſaltu eum rapere nitantur. congregantur etiam circa eum vbi apponitur in terram. Cæterum an gignatur in cerebro bufonis, vt draconites vel echites aliorum relinquo iudicio. Aliqui eum naſci volunt ex viſcoſa illa ſpuma, quam bufones verno congregatæ efflant in caput alicuius eximij quaſi regis bufonis. Et noſtri quoq; bufones tales lapides flare dicuntur, Hæc ille. Sed quòd in cornuta dicta rubeta naſcatur, aliorum nemo meminit, cum illa cæteris minor ſit: gemmam verò in maximis rubetis plerunq; reperiri traditur. quod & nuper amicus quidā Italus ad me ſcripſit, his verbis: Inueniuntur quos ipſe vidi, bufones quidam longitudine palmi, (dodrantis,) & ſuprà, qui nunquam ingrediuntur aquas, ſed ruinas veterum domorum, locaque humida & inter ſæpes habitant. ex iſtis extrahitur lapis contra multos morbos, maximè comitialem, commendatus, Hæc ille Ego planè perſuaderi non poſſum tanta duritie ſolidiſſimum lapidem in animante concreſcere. ſumma enim durities & ſoliditas abſq; ſummis efficientibus cauſis calore aut frigore fieri non poteſt. Tantam verò harum qualitatum vim animalium natura non admittit, intra corpus quidem: quod addo, ne quis ſiliceas marinorum quorundā teſtas obiiciat: itaq; molliores tantum & penè friabiles, hoc eſt qui dentibus non ægrè cōminuantur, in animantibus naſci gemmas veriſimile eſt. Etſi oſſa quædā prædura & λιθοειδῆ, vt medici vocant à ſpecie lapidis, in animalium corporibus naſcātur, in leone præſertim calidiſſima fera. ſed oſſiū materia diuerſa eſt & flexilis. Batrachiten veteribus dictam gemmā, non aliam eſſe quàm boracē vel crapodinā coniicio, tum nominis ratione, nam à batrachoborax nomen corruptum eſt: & ſi non eſſet, vtraq; tamen à rana nomen habet, cum borax ſit *Batrachites gēma.*

rana rubeta. tum colorum: de quibus Plinius, Batrachitas (inquit) gēmas mittit & Coptos: vnam ranæ ſimilem colore, alteram ebori, tertiam rubentem è nigro. Et alibi, Batrachites lapis ranæ viridi ſimilis colore atque effigie. Atqui omnes iſti colores, & ranæ etiam effigies, in diuerſis hodie etiam boracum lapidum generibus reperiuntur. Kiranides batrachiten lapidem phrynon etiam vocat, ſi rectè legitur: & ſuperſtitioſos quoſdam vſus indignoſque recenſeri ex eo memorat. Lapidem ranæ terreſtris in capite eius repertum ligato cum diligentia, ac trito (ſic habet codex impreſſus) & appende ceruici ægrotantis hydropici. pertingat autem vſque ad ſtomachum. & ita æger gratia Dei ſanabitur, Nicolaus Myrepſus interprete Fuchſio. Idem Nicolaus borachium (βοράχιον) lapidem nominat in vnguento de citriis ad liuores & lentigines faciei. ſed chryſocollam intelligit, quæ hodie etiam vulgò vbiq; *borras* appellatur. Veneni bufonis bezoar (proprium remedium) eſt lapis inuentus in capite bufonis, qui apud gemmarios vocatur borax, vulgò crapaudina, Petrus Aponenſis. Borace gemma tanquam plana & læui, aliqui oculos ſalubriter demulceri putant.

Ex iecore & liene.

¶ Iecur chamæleontis pilos detrahere cum ranæ rubetæ pulmone illitum Democritus prodidit, Plinius. ¶ Iecur eis duplex eſſe ferunt, alterum exitiale, alterum antipharmacum, vt infra dicetur. Item ex his ranis lien contra venena quæ fiant ex ipſis, auxiliatur, Plinius & Nicander: cor verò etiam efficacius eſt, Plinius.

De veneno rubetarum.

¶ Rubetæ ranæ in vepribus tantum viuunt, grandiſſimæ cunctarum, plenæ veneficiorum, Plinius. Et alibi, Ranæ quoque rubetæ, quarum & in terra & in humore vita, plurimis refertæ medicaminibus, deponere ea quotidie ac reſumere à paſtu dicuntur, venena tantum ſibi reſeruantes. Ex quibus verbis colligimus rubetas tum in aqua tum in terra venenatas eſſe: terreſtres tamen (ſiue in terra naſcantur quædam, ſiue potius ſemper in aquis primum degant, pòſt illis relictis in ſicco) multò nocentiores crediderim. Videntur enim humore venena dilui ac temperari. Quanquam rurſus aquæ nonnullæ, in quibus rubetæ, minores præſertim, degunt, ita corruptæ ſunt, vt venenum ab illis accipere potius, quàm ſuum in eis remittere videantur. ſed venenum etiam veneno permixtum, quod genere differat, vim eius imminuit. Rubeta rana dicitur quæ paluſtris vitæ conditionem in terreſtrem mutauit. hac autem mutatione, ſimiliter vt cherſydrus, ægrè curabilem afflictionem eis qui in eam inciderunt, inducit, Aetius. Matthæolus Senenſis etiam rubetas terreſtres aquaticis magis venenoſas eſſe ſcribit, & terreſtrium illas præcipuè quæ locis frigidis & opacis reperiuntur, vt in nemoribus vmbroſis vallium, & inter arundineta denſa. Quanquam autem ille frigidis locis venenoſiores eſſe ſcribat, non ideo tamen putandum eſt in frigidis quoque regionibus magis venenoſas eſſe quàm in calidis, ſed contra potius. non enim ſimpliciter in locis frigidis, ſed ſimul opacis denſiſq; & humilibus verſantes ranas deteriores eſſe ſcribit, nimirum propter aerem craſſum incluſumq; , & tranſpirationem prohibitam: cuius contrarium ferè in regionibus frigidis accidit. Sed infra etiam ex Nicandro eiuſque Scholiaſte æſtiuas ranas & in calidioribus locis (id eſt regionibus) veneni vehementioris eſſe docebo. Rubeta mulieres veneficæ quondam ad veneficia ſunt vſæ, Georg. Agricola: (vt vim coeundi, ni fallor, in viris tollerent.) Aſpidis morſus ſi ranam (nimirum rubetam) comederit, inſanabilis omnino fit, Ælianus. Apros in Pamphylia & Ciliciæ montuoſis, ſalamandra ab his deuorata, qui edêre moriuntur, Plinius: idem fieri audio ſi rubetam ederint. Sunt & ranis venena, rubetis maximè, vidimuſque Pſyllos in certamine patinis candefactas admittentes, ocyore etiam quàm aſpidum pernicie, Plinius. *Occurrit matrona potens, quæ molle Calenum Porrectura, viro miſcet ſitiente rubetam*, Iuuenalis Sat. 1. *Funus promittere patris Nec volo, nec poſſum, ranarum viſcera nunquam Inſpexi*, Idem Sat. 3. Iecoris enim rubetarum fibra altera pernicioſa eſſe fertur, altera eius veneno reſiſtere. Rubetæ iecur omnino vitiatum eſt, vt corpus quoque eius totum prauo temperamento afficitur, Ariſtot. Rubeta venena habet, ſed pauca, Albertus. hoc fortaſſis in Germania verum fuerit, propter frigiditatē regionis, alibi non item. aut ſic ſcripſit Albertus aliū ſecutus authorem, qui ranunculū viridem pro rubeta intellexit. ſic enim quidam ineptè interpretati ſunt. Ἀσπίδα, φρῦνον, ὄφιν, καὶ λαδικέας πεφεύγε, Καὶ κύα λυσσητῆρα (λυσσητὴν potius propter carmen) καὶ πάλι λαδικέας, Suidas in Φρῦνος ex Epigrammate. Sed apud eundem in litera Λ, legimus λακεδέας, vbi tamen literarum ordo legi poſtulat λακιδέας per ι. non per ε in antepenultima: Varinus ſuo ordine poſuit λακεδέας, quod non probo. Videtur autem deriuari à recto λακιδεὺς, & eunuchus aut cinædus ſignificari, nefanda libidine attritus. nam & λακίδες dicuntur attritæ aut laceræ veſtes, σπαδόνες. Σπάδων eunuchus eſt: σπαδὼν vero oxytonum, vnde σπαδόνες in plurali, quanquam & σπαδῶνες apud Varinum in plurali legitur, idem quod λακίς. Λαδικέας quidem legi, vt Suidas in Φρῦνος habet, non placet. nam à δίκῃ λάδικον formari oporteret, vt φιλόδικον. Λακὶς, τὸ σχίσμα, Scholiaſtes Ariſtophanis in Nebulas: vbi poeta διαλακήσασα pro διαῤῥαγεῖσα poſuit, & λα ſyllabam produxit. Et rurſus in Acharnenſes, Λακίδας, τὰ διεῤῥωγότα ἱμάτια, vbi poeta λα ſyllabam corripuit hoc verſu: Ποίας ποτ' ἀνὴρ λακίδας αἰτεῖται πέπλων. Sed in Nebulis poſſet etiam διαλακκήσασα legi per duplex κ. à λάκκος. nam & λακκόπρωκτος dicitur, & eo in loco περὶ τοῦ πρωκτοῦ ſermo eſt. ¶ Bufone ſale extincto magno, ſi ſal in aqua (aquam) diſſoluatur, interula verò ſeu camiſia in ea aqua lauetur, illum qui eam induerit, ſcabie grauiſſima corripi affirmant, Cardan. Catus ſerpentes etiam & bufones interficit

ficit, sed non comedit, (ciconia etiam rubetis abstinet præterquam in magna esurie) & læditur veneno, nisi aquam statim superbibat, Albert. ¶ Rubeta rarò morsum infligit, verum anhelitum consueuit vehementer virulentum inducere, adeò vt etiam si anhelitu contingat tantum, eos qui propè sunt lædat, Aetius & Auicenna. Apes etiam interimit. subiens enim aditus aluei, afflat, & obseruans rapit euolantes, Aristot. Audio rubetas in hortis aliquando iuxta radices plantarũ quarundam, præcipuè saluiæ, latentes, veneno suo eas inficere. Atqui obscurus quidam author scribit, rubetam saluia in cibo delectari, radicem verò eiusdem letalem ei esse. fieri quidem potest, vt rubeta non radicem latitans iuxta eam, sed folia exedendo afflandoq; venenata efficiat. Rubetæ vt inficiant plantã aliquam, aut animal quod caua earũ ingressum propius ipsas accesserit, inflant se, & contrahunt in sese, & mox tenore illo remisso exprimunt eliduntq; humorem quendam, quo vicina quæq; leuiter aspergunt & inficiunt, (vulgus eas aliquid permingere dicit,) Hoc modo emissione illius humoris, aut etiam saliuæ infectas herbas, fraga aut boletos, multos qui gustarunt, malè affectos constat, quosdam etiam mortuos. Nam saliua earũ non minus exitialis est quàm napellus, & similiter sanguis earũ, Matthæolus Senensis. Fieri potest vt etiam perreptando per herbas, tardius enim procedunt, & incubãdo, humoris venenati aliquid relinquant. Huc pertinent Hippocratis verba in epistola ad Crateuam rhizotomum: Herbis (inquit) multa reptilia venenum immittunt, & hiatu suo internæ ipsarum teneritudini afflictionem pro auxilio inspirant. Et huius rei ignorantia erit, nisi sanè nota aliqua, aut macula, aut odor ferus & grauis, rei factæ indicationem fecerit, Hæc ille. Quidam rubetæ venenum inter primi ordinis venena numerant, hoc est deterrima & quæ intra tres horas interimant. ¶ Est rubetarum genus, cuius non modo potus perniciosus, sed illius etiam aspectus aspicientibus infestissimus existit, Ælianus. Et mox, Eius aspectus hanc improbitatem habet, vt eam aduersam si quis acriter intueatur, & illa contra improbo obtutu suo respiciat, ac suam aspirationem humano corpori hostilem anhelauerit, hominem eo pallore afficit, vt ægrotanti similis esse videatur: ac pallor per aliquot dies manet, deinde euanescit. Rubetam aspiciens etiam optimè coloratus aliquis pallore tanquam ictericus afficitur, Philes. Bufo habet visum pestilentem, Liber de naturis rerum. Rubeta rana palustris assumpta tumores ciet, Dioscor. (Φρῦνος βάτραχος ἕλειος,) est autem per appositionem adiectum, rana palustris: Ægineta disiunctiuam coniunctionem, *aut*, adiecit, quem & Ruellius in transferendo Dioscoride imitatus est, cum ita obscurior sensus sit, & dubitandi occasio diuersúmne an idem animal rubeta & rana palustris sit. Nicander eandẽ facit, cui maior apud me authoritas quàm Aetij distinguentis non solum nomine, sed etiam remediis, cum cæteri omnes ferè aut non distinguant in diuersa animalia, aut saltem remedia eadẽ præscribant. Marcel. Vergil. aliter conuertit, Haustæ rubeta vel muta palustris rana: quem reprehendi supra in rana gibbosa, quòd non solum à Dioscoridis verbis recedat, sed etiam falsa scribat, cum nulla palustrium muta sit, nec esse tradatur ab authoribus. nam Matthæolus in Italica sua translatione, Potę siue terrestres siue palustres rubetæ, interpretans, aliud quidem quàm Dioscorides dicit, verum tamen, vt videtur, cum vtrisq; eadem remedia conuenire vero simile sit. Et quanquam Dioscorides eadem remedia hîc tradat, quę Nicander non ad rubetam palustrem, sed ad mutam ranam: supra tamen (in Gibbosa) ostendi, Nicandrum quoq; & alios veteres in ranis istis venenatis distinguendis errasse mihi videri.

Halitus bufonis venenatus.

Aspectus etiam venenosus.

¶ Vtcunq; est, nos hoc in loco ad quasuis ranas venenatas veterum ac recentiorum scripta congeremus omnia. Primum igitur Dioscorides: Rubeta rana palustris (inquit) assumpta, tumores ciet, pallor corpus vehementer decolorat, (quod alij etiam ex solo aspectu eius euenire dicunt,) vt planè buxeum spectetur. spirandi difficultas torquet, & grauis halitus (fœtor) oris, singultusq;. inuita interdum genituræ profusio consequitur. Adiuuantur autem facilè secundum vomitionem multo vini meraci potu, & arundinis radicis binis drachmis, aut cyperi totidem. Breuiter, cogendi sunt vt vehementi ambulationi & cursui se credant, ob torporẽ quo corripiuntur. quinetiã quotidie lauandi sunt, Hæc Dioscorides & Ægineta. Rursus alibi Dioscorides, Grauis (inquit) odor vomitu regestorum leporis marini aut rubetæ veneficia deprehendit. Ranæ rubetæ (inquit Aetius 13. 54.) duæ sunt species, altera surda (id est muta,) altera non. Surda autem exitiosa censetur. Pascitur ea in arundinibus roris linctu viuens: & ex eadem venenũ apparatur: Quod qui acceperint, febris comitatur, extremæ partes incẽduntur, frequẽtiq; anhelatione ac difficili spiratione anguntur, &c. vt Dioscor. Cęterũ facilè opẽ reperiunt, si post aquæ & olei vomitũ, vinum meracum multum sumant, aut picem cum vino, (quod remediũ Nicander etiam contra ranã palustrẽ vocalem scripsit.) Radicem etiam harundinũ in quibus ranæ rubetæ pascuntur contusam ex vino bibendam dato, aut cyperum ibidem enatam pondere drachmarum duarũ ex vino. Aut marinę testudinis sanguinem cum leporis coagulo & cumino ex vino præbeto. Porrò dolium insuper aut furnum igne feruefacito, igneq; extracto laterem imponito, & ægrum immitti, multumq; ac diu exudare iubeto. Cogatur autẽ & ad continentem inambulationẽ, &c. vt Dioscorides. Et mox cap. 55. Qui ranam palustrem acceperunt appetitione priuantur, sequiturq; oris humectatio, nausea, vomitus, & oris stomachi leuior morsus. Curãtur autẽ vini multi potu cum omnibus quæ calfactoriã vim habent: velut est Cyrenaicus succus, laser, silphium, cuminum, piper & similia, Hæc Aetius. Apparet autem eum pleraq; omnia ex Nicandri Antipharmacis

Remedia aduersus ranas venenatas in genere.

transcripsisse, aut certe ab alio qui à Nicandro mutuatus sit, sed ordine inuerso. Nam quæ Nicander remedia præscribit aduersus ranæ mutæ venenum, Aetius, vt Dioscorides quoq; aduersus ranam palustrem, quæ vocalis Nicandro est, commendat: notas verò seu signa quæ Nicander in duobus istis ranarum venenis distinguit, ipsi ferè confundunt, vt & remedia quædam. Sed audiamus ipsum Nicandrum: Ranæ (inquit, vt nos cõuertimus) venenosæ duorum sunt generum. vna æstiua, altera muta viridis, (λαχειδὴς,) quæ verno tempore inter frutices nascitur, rorem lambens. Harum æstiua colorem ceu thapsi inducit, membra accendit, (πίμπρησι:) frequentem ac difficilem respirationem mouet, odor oris fœtidus sequitur. Huic subuenies ranæ elixæ aut assæ carne, aut pice ex vino propinata. Ipsius etiam rubetæ lien auxiliatur, rubetæ inquam palustris clamosæ, quę inter algas primum sua voce amœnum ver annunciat. Cęterum sumpto ranæ mutæ illius, quæ inter harundines degit, veneno, plerunq; buxi color membra obsidet: sæpe os bileo humore abundat, & singultus hominē cum oris ventriculi quadam erosione frequentes concutiunt. Est quando genitale semen viris aut mulieribus (præter voluntatem) effluit. (Quidam interpretantur, vt in Scholiis legimus: Viros aut mulieres, genitura per corpus eorum dispersa, steriles & infœcundos fieri. Rasis etiam ab hoc veneno in mulieribus conceptionē impediri tradit.) Sic affectis vinum merũ propinato copiosum, & vomitum quanquam non nauseantibus excites. aut in dolio igne calefacto impositis sudorē affatim elicias. Item procerarum harundinum palustrium radices secās eodem in loco vbi ranæ versantur, ex vino propines, aut viuacis cyperidis siue cyperi: atq; ipsum sine cibo potuque assiduis ambulationibus exicca & defatiga, Hactenus Nicander. Rubetæ venenum collecturi, inquit Scholiastes Nicandri, pellem eius pungunt, & saniem emanantem collectā cibo aut potui illius quem occidere voluerint, ammiscent. Et rursus, Punctæ rubetæ in superficie tãtum, vulnusculis minimè profundis, in vas non picatum iniiciũtur, vbi aqua eis affunditur, quæ postea cibis aut potibus addita, letalis est. Si quis ex iis qui malas artes ingeniosè factitare sciunt, rubetam primo contriuerit, deinde eius sanguinem siue ad vinum siue ad aliam potionem admistum cuipiam per insidias bibendum dederit, is sanè sine mora perit, Ælianus. Non autem omnis rubeta veneficiis apta est, sed ea maximè quæ calidioribus in locis reperitur. itaq; per æstatem venenum efficacius ab ea extrahitur, quod Apollodorus è vino propinari ait, Scholiastes Nicandri. hinc fortè ęstiuam rubetam poeta dixit: & nos supra in calidioribus regionibus nocentius rubetarum genus haberi monuimus. Ei qui rubetas bibit (inquit Auicenna 4.6.2.8. quanquam interpres eius non rubetas nominat, sed ranas lacunales virides, & marinas rubeas) accidit obfuscatio coloris ad citrinitatem tendens, & apostematio (tumor) corporis cum mollitie, & adustio in gutture ac ore, item difficultas anhelitus, tenebrositas oculorum, vertigo & fœtor oris. Et quandoque accidit spasmus aut tetanus, aut solutio vētris dysenterica, nausea, vomitus, permistio rationis, & syncope. Est quando genitura & excrementa inuoluntario profluunt. Quòd si quis euaserit, dentes tamen excident, (& capilli, Arnoldus: pili, Rasis.) Curabitur autem, si euomuerit à potu olei & aquæ calidæ, aut vini copiosi: & plurimũ exercitatus fuerit, ac sudauerit in balneo & solio calido, & oleis calidis inunctus fuerit. Salubre etiam ei est medicamentum diacurcuma, & *lacha*, (*dialacha*, Rasis 8.31.) & quicquid hydropicos iuuat: item vinum plurimum, cum tribus drachmis radicum harũdinis, nec non cyperus, & calamus aromaticus cum vino. Et mox sequēti capite 9. quod de ranis citrinis inscribitur, (sumptum vt apparet ex Aetij capite de ranis palustribus supra recitato:) Per has inquit, tollitur appetitus cibi, & acidi fiunt ructus, color corrumpitur: superuenit syncope, nausea, vomitus, & dolor oris stomachi: & venter & crura apostemate (tumore nimirum) afficiuntur. Curandi autē ratio proxima est curationi præcedentium ranarum quas lacunales & marinas vocauimus, Hucusq; Auicen. Borax dicta *ru.* (rubeta) genus ranæ venenosæ, degit in aquis & in terra, redditq; membrum tactu insensibile ac stupidum, Arnoldus de Villanoua. Caro ranæ sicca sumpta & formicæ magnæ terantur, & conficiãtur cum succo squillæ: Si quis inde biberit *danich*, incurret pruritum, scabiem, & maculas pessimas. Quòd si de rana decollata arida sumpserit ad pondus aurei in pulte vinóve longo tempore ab accessu mulierum prohibebitur. Et si mulier inde aliquid ederit biberítve, impedietur eius conceptio, Rasi. Si quis sanguinem ranarum viridium sumpserit, & confecerit cum eo *azarech*, trita, & potauerit ex eo pondus aurei, retinebitur eius vrina, Idem. Atqui apud Arnoldum in libro de venenis sic legimus: Eius qui biberit aureum de sanguine ranæ viridis confecto cum auripigmento, obstruitur vrina. Pota aqua in quam emiserit bufo saliuam suam, vel in qua degit, inflatur corpus vehementer sicut hydropici: color fit liuidus cum permixta citrinitate: dolor & angustia accidit in stomacho, œsophago & intestinis, &c. vomitus & emissio spermatis vna hora, demum syncope mortalis. Pauci euadunt, atq; ij dentes amittunt propter laxam gingiuis inductam mollitiem: quæ huius veneni proprietas est, Bertrutius. Ille cui in potu datus fuerit sanguis bufonis, patietur difficultatem anhelitus, & cardiacæ accidentia. & si quis sputum ipsius (saliuam bufonis) sumpserit, vicinus erit morti non minus quàm qui napellum biberit. Cura est, vt bibatur smaragdi scrupulus, deinde intrare corpus animalis quadrupedis magni, vt est bos, asinus, vel mulus, vel equus, idq; repetere aliquoties: deinde theriacæ drachmas duas bibere. Et eius bezoar est lapis inuentus in capite bufonis, qui borax vocatur, Hæc Petrus Aponensis, qui eiusdem libri de venenis cap. 78. communia remedia contra leporem

mari-

marinum & ranam marinam præſcribit,& inſectorum quoq; eadem ſigna. ranam autem marinam in barbarorum & Arabum ſcriptis ſemper rubetam paluſtrem intelligo. Superioribus annis (inquit Ponzettus cardinalis) quidam cepit cãnam, in cuius ſummitate infixus fuerat bufo: & expellens cum ea animalia ex ſuo agro, reuerſus domum, quàm primum incœpit comedere, euomuit cibum quem tangebat: nec ceſſauit donec cibus per manus alterius ei adminiſtratus eſt. Et ita intellectum eſt venenum à canna illa manibus eius inductum: quod cum eſſet craſſæ ſubſtantiæ nec aptum penetrare, cutem ſolum infecit nullo vitæ periculo. Sed neq; anhelando inficit bufo, niſi inflammetur ob iram, vnde fumoſus fit anhelitus: qui ſi craſſus & fœtidus eſſet, vitari poſſet. Saliua quoq; niſi inflammata non inficit: nec poteſt cito inflammari cum valde humida ſit. Quamobrem venefici hoc animal ſuſpendunt, & ſæpe percutiunt baculo. tunc enim ſpuma emanans venenum eſt peſtiferum, ictibus & ira acutum. Eſt autem aliter curãdus qui ſpumam ſumpſit, vel ſaliuam (ſic enim lego) vel ſanguinem, aliter morſus. Nam qui ſpumam vel ſanguinem factum acutum ſumpſerit, poni debet in ventre animalis magni, vt mulæ recens occiſæ. calor enim huiuſmodi cum calore naturali animalium perfectorum conuenit, qui inde auctus fortius reſiſtit: & competit omnibus nimium frigidis venenis: & interdum calidis, ſaltem quantum ad intentionem roborandi vires attinet. Pro antidoto tamen ſolent dari decem grana ſmaragdi triti cum vino, vel oleum balſami cum lacte. Et cum ſentiunt frigus, vtiliter dantur piſtacia, vel piper longum, Hæc Ponzet. Toxicum poteſt aliquando eſſe frigidum, vt ſpuma vel ſanguis botracis ſupercalefactæ, Idem ego verò hoc venenum tota ſubſtantia eiuſmodi eſſe puto, & natura ſepticum, nec vllum propriè dictum toxicum pro inficiendis ſagittis eſſe frigidum: Vide in Lupo *A.* in aconiti mentione. Quòd ſi venenum iſtud rubetæ ab ipſa inflammata ira verberibuſque ſumitur, & ſupercalefacta, vt Ponzettus loquitur, non debet frigidum videri.

¶ Bufones aridi poti, mortis periculum inferunt, Matthæolus.

¶ His ſubiiciam particularia quædam contra rubetæ venenum medicamenta, vt apud authores obſeruaui. Contra rubetarum venena auxiliatur phrynion in vino pota, aliqui Neurada appellant, à radicibus neruoſis, alij poterion, Plinius, (apparet autem ab hoc ipſo contra rubetas auxilio nomen ei factum. Phrynos enim rubeta eſt. Noſtro quidem ſeculo, quod ſciam, ignotum.) Item aliſma, quam alij *damaſonion*, alij *lyron* appellant, foliis plantaginis, anguſtioribus, & magis laciniosis, conuexiſque in terram, aliâs etiam venoſis ſimiliter, caule ſimplici & tenui, cubitali, capite thyrſi, radicibus denſis, tenuibus, vt veratri nigri, acribus, odoratis, pinguibus, naſcitur in aquoſis. Alterum genus eiuſdem in ſyluis, nigrius, maioribus foliis. Vſus in radice vtriuſque aduerſus ranas & lepores marinos, drachmæ pondere in vino poti, Plinius. ¶ Cancri fluuiatiles triti potiq́, ex aqua recentes, ſeu cinere adſeruato, contra venena omnia proſunt, priuatim contra ſcorpionum ictus cum lacte. addi & vinum oportet. eadem vis contra venenatorum omnium morſus, priuatim contra leporem marinum ac ranam rubetam, Plinius. ¶ Cynogloſſus caninas imitatur linguas. Eſt alia ſimilis ei, & quæ ferat lappas minutas: eius radix pota ex aqua ranis & ſerpentibus aduerſatur, Plinius. Ego iſtam cynogloſſo ſimilem, ipſam eſſe cynogloſſon puto. lappas enim noſtra cynogloſſus fert poſtquam defloruit, in ſummo caule & ramulis. diuerſam fortè iudicarunt, qui ſine caule ipſam primo anno toto viderunt, (ſecundo enim demum cauleſcit) vt ſcribit Dioſcorides. ſimilis error in bechio etiam commiſſus eſt. Plinius tamen caulem cynogloſſo attribuit, libr. 25. cap. 8. thyrſos eius ſemen gerentes memorans. Matthæolus Senenſis cynogloſſum vulgò dictam pharmacopolis, ſecundam hanc Plinij cynogloſſum eſſe putat, lappas ferentem. Dioſcoridis verò cynogloſſum Romæ ſibi viſam, nunquam cauleſcere, foliis craſſis, longis, piloſis, in terra radiatis rotæ aut Solis inſtar. ſed forſitan ea quoq; caulem profert, eo tempore non viſa Matthæolo: quod facilius coniicio, quoniam in petaſite etiam ſimiliter ab eo erratum eſt. Sed quod ad remedium ipſum pertinet, idem hoc præſtari puto ſimiliter à quauis anchuſæ, echij aut cynogloſſi bugloſsíve radice, vtpote congenerum plantarum tum forma tum facultatibus, ſiccando nempe refrigerandoq́;. quanquam cynogloſſus noſtra, mollibus & catulos redolentibus foliis, nonnihil à reliquarum genere diſceſſit, cum nec ita aculeata ſit, nec ſemen ſimile proferat: & vt ipſe iudico, refrigerando efficacior ſit. ¶ Ceruus dextrum cornu terra obruit, contra rubetarum venena neceſſarium, Plinius. ¶ Ex his ranis lien, contra venena quæ fiunt ex ipſis auxiliatur. cor verò etiam efficacius eſt, Plinius. Splenem quidem rubetæ paluſtris veneno eius obſiſtere Nicander etiam docuit: in Scholiis ὀπτὸς pro σπλὼν malè legitur. Timæus & Neocles medicus rubetas dicunt duo iecora habere: & alterum quidem occidere, alterum alteri aduerſans ſalutem adferre, Ælianus, Philes. Ranarum rubetarum altera fibra à formicis non attingitur, propter venenum, vt arbitrantur, Plin. Rubetæ cinis, ſicut & cinis leporis marini, medicamen eſt contra venenum ipſorum, Albertus. Alius quidam obſcurus, horum animalium cinerem in aqua potum, venena ipſorum expugnare tradit. ¶ Ranarum marinarum ex vino & aceto decoctarum ſuccus contra venena bibitur, & contra ranæ rubetæ venenum, & contra ſalamandras, Plinius. Sunt autem ranæ marinæ Græcorum & Latinorum veterum non paluſtres rubetæ, vt Arabum interpretes transferunt, ſed piſces quidam plani. Vide in Salamandra G. ¶ Teſtudinis marinæ ſanguis cum vino & leporis coagulo cuminoq́; contra ſerpentium morſus, & hau-

Particularia remedia aduerſus rubetæ venenū.

ſta rubetæ venena, conuenienter bibitur, Dioſcorid. Sanguis teſtudinum terreſtrium contra ſerpentium omnium & ranarũ venena auxiliatur, ſeruato ſanguine in farina pilulis factis & cum opus ſit in vino datis, Plinius. ¶ Mirè efficax eſt contra rubetas quinta eſſentia theriacalis noſtra, nec non oleum noſtrum de ſcorpionibus, quæ ſupra deſcripſimus in prologo in hunc ſextum Dioſcoridis librum, Matthæolus Senenſis.

¶ Rubeta ſi conſpuerit hominem, mox pilos omnes amittet ille, Kiranides. Aduerſus venenum rubetarum (ſiue morſu nimirum ſiue aliter infecto corpore) terra ſigillata vera, quæ vulgò terra S. Pauli nominatur, ſaliua ſubacta vtiliſſimè imponitur, Theophraſtus Paracelſus.

De rubetæ morſu.

¶ Bufonis morſus venenoſus eſt, vt ſerpentis, Arnoldus: ſicut ſerpentis ſecundi ordinis, Albertus. Peſſimus eſt bufonis morſus, & inſanabilis efficitur, Obſcurus. Membra ſtupore afficit, Ponzettus. Catus cum bufonibus quoque pugnare dicitur: quorum licet venenatis aculeis (fortè dentes eorum ſic nominat) impugnetur, non tamen necatur, Obſcurus. Rubeta dum ſpiritu expletur exaſperat & vibrat terga, atq; ob id ipſum audentior euadit, (audentius inuadit.) ad lædendum itaq; & manifeſtè inſurgit, & ſaltibus interpoſitum ſpatium contrahit, rarò quidem morſum infligens, ſed anhelitu (ſuſpirio, Hermolaus) virulento inficiens, Aetius 13.36. Dentes cum inflixerit, negant morſum remittere, vt & ſalamandram: & ſi auellatur, letale eſſe. itaq; relinquendam aiunt à morſu pendentem. Lege ſupra hiſtoriam in *D.* Qui à rubetis læſi (morſi) ſunt, his omne corpus intumeſcit & diffinditur, ac citò omnino pereunt. Porrò quæ opem auxiliarem his ferre poſſunt, ex vniuerſalibus & communibus antidotis ac epithematis huc transferantur, itemq; & reliquis quæ ad curationem pertinere videbuntur, Ibidem: ex quo loco Auicenna etiam tranſtulit 4. 6. 5. 25. Ex morſu (inquit) rubetæ apoſtema magnum accidit, & interitus velox. Curatio autem adhiberi debet per theriacam magnam, & huiuſmodi (communia remedia.) Lac muliebre contra morſum ranę bibitur ſtillaturq;, Plinius. Damaſonium morſis à rubeta prodeſt, Dioſcor. Eryngij radix illinitur plagis (venenatis,) peculiariter efficax contra cherſydros ac ranas, Idem. Bufones etiam morſu ſuo, quanquam non profundo, venenum immittunt, Matthæolus. Morſis à bufone ſufficit dari de oſſe quod etiam in latere dextro capitis eius reperitur, Ponzet. Atqui Plinius, qui ſolus huius oſſiculi mentionem fecit, non in dextra rubetæ capitis parte, ſed ſimpliciter in dextro latere contineri ſcribit, nec vllam vim contra huius animantis morſum ei attribuit. Decepit fortè Ponzettum quod Aponenſis ſcripſit, lapidem in capite bufonis repertum præcipuum contra eius venenum eſſe remedium: conſtat autem non lapidem, ſed oſſa tantum in eius capite reperiri, vt ſupra docuimus.

De humore rubetæ quem quidam vrinam eius vocant.

¶ Vulgus noſtrum humorem quem inflata irataq; rubeta emittit, vrinam eius vocat: & permictum illum dicit, qui eo aſperſus fuerit. De hoc veneno etſi iam ſuperius ſparſim egi, hîc tamen priuatim quædam commemorabo. Cutim ſic infectam putreſcere aiunt, & difficulter ſanari. Rubeta tum terrena tum paluſtris, ſi bacillo ſæpius verberetur, inflato corpore virus primo è clunibus exprimit lõgius, deinde ſudat: cuius ſudoris lactei guttę admodum grauis & putidi ſunt odoris, ac cum ociditur ferè opij, Georg. Agricola. Lacteus quidem veneni humor eſt in ſalamandra etiam & lacertis aquaticis, forſan & terreſtribus. Itaq; ob colorem ſpumam aliqui (vt Ponzettus) hoc venenum vocant, fortè & ſaliuam eandem: niſi ea oris propria videatur. Si rana ſaliua ſua oculum aſperſerit, præcipuum eſt remedium in lacte muliebri, Plinius.

De mulieribus quæ bufones & ſimilia animalia pepererunt.

¶ Mulieres aliquando vnà cum fœtu humano pecus etiam concipiunt: ſic enim Cælius Aurelianus & Platearius nominant: & interdum ranas ſeu bufones, & lacertos, aut ſimilia eis animalia. cuius quidem monſtroſæ conceptionis cauſam aliis inquirendam relinquo. Notandum (inquit Platearius in capite de retentione menſtruorum) quòd ea quæ valent ad menſtrua prouocanda educunt & ſecũdinam, & bufonem fratrem Salernitanorum, (ſic & lacertum Lombardorum fratrem aliqui nominarunt.) Notandum etiam quòd mulieres Salernitanæ in principio conceptionis, & maximè quando debent fœtus viuificari, prædictum animal nituntur occidere, bibentes ſuccum apij & porrorum, Hæc ille. Mulier quædam recens nupta, quum omnium opinione prægnans diceretur, loco fœtus, quatuor animalia ranis ſimillima peperit, & optimè valuit: ſed poſtea circa pectinem dolorem ſentiebat, quẽ paucis adhibitis remediis ſedauimus, & pulcherrimè viuit. Similiter mulier alia quum puerum optimè peperiſſet, inter ſecundas animal ranæ ſimillimum eiecit, & ipſa & puer pancraticè habent. Mercatoris quoq; cuiuſdam vxor abortiuit, & altero poſt abortum die ſimile animal peperit, vt multis aliis eueniſſe vidimus, præcipuè Anconitanis. Debet autem animal hoc inter molæ genera adnumerari, Amatus Luſitanus in Curationibus ſuis cap. 27. Idem in Heluetia eueniſſe mulieribus quibuſdam audio, ſed rarius.

De bufonibus in quorundam inteſtinis repertis.

¶ Cæterum in ventriculis quorundam aut inteſtinis bufones reperiri, facilius reddi ratio poteſt. videtur enim fieri id aliquando poſſe genitura ipſorum, vno aut altero ouo ſcilicet à cõtinua illa ouorum ſerie ſeparato, cum potu aquæ hauſta. Quanquam enim in terra & aquis bufones ex putredine naſcantur, in corpore tamen humano id fieri poſſe non eſt veriſimile. nam lumbrici quidem intus ex putredine naſcuntur, ſed non tam corrupta & praua qualem generandis bufonibus ſubiici oporteret. & lumbrici nihil ferè quàm carnei ſunt, vt facile ex putredine quauis generentur, bufonis verò

verò corpus variis membris, organis, & ossibus cõstat, vt id nisi hausta genitura in homine nasci non credam. Ea verò cum hausta fuerit in potu facile ventriculi villis adhæret propter substantiam viscosam & tenacem. non concoquitur verò neq; vincitur à vẽtriculo, cum naturam nostræ prorsus contrariam habeat, à qua tamen venenum fortè in corpus non dispergitur, quoniam pellicula continetur tum ouum, tum multò magis cum ex eo animal nascitur, & in ventriculo manet, & meliore intus succo nutritur à prima statim origine. adde quod minus veneni in genitura quæ in aqua fuerit esse verisimile sit, vt in ipsis rubetis aquaticis minus quàm in terrestribus: & insuper vicinitatis partui ratione. quo grandius enim animal quodq; venenatũ fit, eò magis siccescit, & syncerius venenum habet. itaque in regionibus calidis & siccis, non tam caliditatis puto quàm siccitatis ratione, aut certe vtriusq; pari, vehementiora animalium venena sunt. quod si minora tenerioraq; animalia, vtpote humidiora, minus noxia sunt, genituram ipsam quantum fieri in cuiusq; genere potest minimè noxiam esse oportet. Neq; hoc tamen prohibet quin animalium quorundam, (in genere serpentium, lacertorum & insectorum,) oua interimere possint: cum quorũdam adeò intẽsum sit venenum, vt quamuis per gradus aliquot imminutum adhuc interimat, tardius tamen. Bufonum verò venenum cum non sit vehemens, in nostris præsertim regionibus frigidis & humidis, minus mirum fuerit veneni illius quod genituræ ipsorum inest vim tam debilem esse vt multo tempore superstes homo durare possit. quod quidem etiam in aliis quibusdam venenis septicis ex plantis contingit, vt aconito: sic enim temperari possunt à maleficis, authore Theophrasto, vt lõgo post tempore interimant. Etiamsi verò quod genituræ inest venenum minus esse dixerim, grauida tamen animalia venenata, eo tempore quo oua aut fœtum gestant nocentiora sunt: non quòd ab ouis fœtúve veneni aliquid accipiant matres, sed quoniã si quid boni & dulcioris succi habent alendo fœtui cõmunicant, vnde corpus eorum siccius manet, & deterior tantum succus eis relinquitur. Sed hæc fortè intẽpestiuius, cum in eo sermone qui in genere de animalibus venenatis instituitur, tractari deberent. ¶ Natos quidẽ in corpore bufones, hoc potius quàm ranarum nomine dici puto, quòd colore sint lurido: & verisimile est à sumpta etiam ranarum in potu genitura, ranas in corpore natas, & forma nonnihil, & colore præcipuè, à ranis quæ in suis aquis nascuntur differre, propter alienam nutrimenti & quo continentur loci naturam, aerisq; & Solis priuationem: itaque ranas etiam intus natas bufones appellari. Interim tamen non negârim verorum etiã bufonum genituram aliquãdo hauriri, & veros inde bufones nasci. non mirum autem posse eos ita inclusos viuere, cum alioqui etiam in cauis latere soleant, & hybernos menses abditi exigere: & aliquando saxis etiam inclusi viui reperiantur. Raro enim pulmone genus omne ouiparum est, nec tantum respiratione indiget quantum viuiparæ animantes. ¶ Ad bufones in ventre natos: Serpentem exenterato, caput & caudam ad duos digitos amputato. reliquum corpus in frusta aliquot secato, in aqua elixato, & pingue supernatans sorbeto, sic bufones vomitu reddes. hoc remedium repetes, donec omnes euomueris. Postea medicamentis restaurantibus & aromaticis vtitor, Liber quidam Germanicus manuscriptus.

H.

a. Rubeta inflat se irata, tam proteruè audax vt insiliat quoque proximum, quanquam suspirio se frequentius quàm morsu vindicans, buffo inde, vt arbitror, à Vergilio & vulgo dicta, Hermolaus. ¶ Καρφύκτοι, rubetæ, φρῦνοι, apud Rhodios, Hesychius & Varinus. accedit nonnihil hæc vox ad Gallicam *crapaude*. φρῦνος scribi debet, vt sit vox penanflexa, non paroxytona neq; oxytona, vt quidam ineptè scribunt. Nicander & alij penultimam rectè producunt: quare cum acuto scribi non potest. φρυνέος etiam in Etymologico & apud Varinum legitur pro rubeta, παρὰ τὸ ἐμφερὴς εἶναι πρὸς τοὺς ἄλλους βατράχους, ἢ ἀπὸ τοῦ φέρεσθαι ἀπὸ τῆς λιμνώδους φύσεως ἐπὶ τὸ (fortè τόπον) χερσαῖον. Item φρυνίον, & φρυνὼ, τοῦ φρυνοῦς in Lexico Græcolatino nescio quàm rectè. φρύνη in fœminino genere apud Nicandrum, poeticum tantũ videtur. vsurpat tamen Ælianus quoq; de animal. 11.11. φρυνίχος pro φρῦνος reperitur apud Galenum libro septimo de compos. medicaminum generalium, in mentione acopi ex rubetis. ipse quidem erratum suspicor, quum sæpius ibidem φρῦνοι non φρυνίχοι (quod semel tantum scribitur) nominentur. Chrysippus philosophus tradidit phryganion adalligatum remedio esse quartanis. quod esset animal, nec ille descripsit, nec nos inuenimus qui nouisset. demonstrandum tamen fuit à tam graui authore dictum, si cuiusquam cura efficacior esset ad inquirẽdum, Plinius. Ego non aliud animal à Chrysippo quàm rubetam indicatum puto, quoniã & nomina vicina sunt phrynion & phryganion: & fortè vt Latini rubetam dixêre, quod inter vepres & rubos degat, sic Græci quidam phryganion à phryganis id est virgultis minoribus, quæ aliqui suffrutices nominant, alij per syncopen phrynion & phrynon. Conuenit & remedium. Nam vt Plinius ipse alibi scribit, Rubetæ ablatis vnguibus adalligatæ quartanis liberãt. iecur etiã eius vel cor adalligatur ad quartanas, item ossiculũ è dextro eius latere. Esto igitur phryganiõ Chrysippi rubeta, quoniã certius aliud adhuc nemo docuit. φρῦνος, βάτραχος ἢ παχὺς, Hesychius: sed forsan ἢ coniunctio tolli debet, aut pro ea legi articulus ὁ. vt sensus sit, rubetam, crassam & turgidam ranam esse. φρῦνος ὁ ἀδιάπλαστος βάτραχος, Suidas. videtur autem error. adiaplastos enim informem significat, qualis rana, nondum scilicet in membra & pedes digesta, γέρυνος vel γύρινος non φρῦνος vocatur. Et sanè grammatici γυρίνους interpretantur βα-

Synonyma.

τράχους ἀδιαπλάστους, vt ſcripſi in Rana C. Si quis tamen adiaplaſton hic ſimpliciter pro craſſo & inarticulato accipiat, permittã illi, ſed ſic vt impropriè ita accipi moneam. φρῦνος quidem pro γέρυνος facilè ſcribi ab imperito aliquo potuit: nec obſtat authoritas Lexicorum Græcorum, cum & alia ſimilia errata in eis deprehendantur. Petrus de Tuſignano barbarus ſcriptor, buffonem, quem & bubonem nominat, inter peſtilentiales abceſſus numerat, vt batrachion quoque. ſed hoc à materia venenoſa excitari ait, bubonem non item: quem ridiculè buffonem nominari putat, quoniam vt animal huius nominis continuò ſtet ſic enim loquitur.

¶ Epitheta. Φρῦνος θερειόμενος, θερόεις, λιμναῖος, πολυηχής, apud Nicandrum. Lurida rana apud Varronem, vt coniicio, rubeta eſt. Poſſunt quidem ranarum quædam epitheta etiam rubetis attribui, vt turpis, paluſtris, rauca.

Homonyma, & deriuata.

¶ Phrynion frutex eſt, qui aliâs *poterion*, apud Plinium & Dioſcoridem, &c. ſic dictus quod aduerſus rubetarum venena auxilio ſit, vt ſuperius in *G.* ſcripſi. Idem nomen etiam paronychiæ apud Dioſcoridem attribuitur. Quidam Germanicè herbam quam vulgus medicorum cotulam fœtidam nominat, Krottendyll, id eſt anethum bufonum appellant, cui ego nihil cum bufonibus rei eſſe puto: & fictum Germanicum nomen à ſimili Latina voce cauta vel cotula: & ſimiliter ſimillimam ei, niſi ſuaui odore differret chamæmalum, Krottenkraut, id eſt herbam bufonum aliqui vocant. Harum ſimilitudinem in floribus parthenium repræſentat, quam Hetruſci olim cautam vocitabant, vt inter nomenclaturas Dioſcoridis legitur. Sed in quibuſdam Heluetiæ locis herbam botryn appellant Krottenkraut: nimirũ quod foliis circa radicẽ priuſquam cauleſcit ſeſſilibus terræ incumbat: niſi fortaſſis à rubetis etiã appetitur in hortis vbi ſeri aut ſponte naſci ſolet. Noſtri etiam lactariã quandã herbam, quæ tithymalis adnumerari poſſit, minimã in eo genere, denſam & fruticoſam, locis cultis prouenientem, Krottenkrut nominant: quæ veterũ chamæſyce videtur. Chamæbatum aliqui Krottenbeere vocitant, alij ſambucum aquaticam eodem nomine. Sunt qui linariam vulgò dictam, Germanicè Krottenflachs, id eſt linum rubetarum interpretantur. Ruellius de nat. ſtirpium 3. 112. tertium genus ſideritidis à Gallis vulgo *herbam terrenam* vocari meminit, à nõnullis *crapodinam*, quòd bufonis modo ſemper ſeſſilis humi reſideat. Cicutam nonnulli Krottenpeterle, id eſt petroſelinum ſeu apium bufonum dicunt, vt Laur. Friſius annotauit. *Garab* eſt arbor ſuper quã generatur borax, Vetus gloſſograph. Auicennæ. intelligit aûtem per vocem borax lanam xylinam ſiue goſſipium, quæ à nonnullis vulgo *borra* nominatur.

¶ Φρυνολόγος ἱέραξ, id eſt rubetarius accipiter vocatur, qui rubetis inſidiatur vt deuoret. ¶ In littoribus Oceani Gallici *crappam* quaſi *crappaudam*, id rubetam nominari audio piſcem quem accolæ Balthici littoris *torſch* vocitant, cuius corpus totum in capite & cauda eſt. (Hunc poſtea cognoui ranam piſcatricem eſſe.)

De tribus bufonibus Gallorum regum inſigni.

¶ Veteres (hoc eſt ſuperioris ſæculi apud nos pictores) ad denotandam auaritiam, mulierem bufoni inſidentem pingebant, (cæcam, cor manu comprehenſum rodentem,) quòd bufo licet totus in terra occultetur, non ſatis tamen terræ in cibo abſumere auſit, Mich. Herus. Gallorum reges initio olim inſigne regni habuiſſe tres bufones nigros in ſpatio flaui coloris: poſtea verò Clothoueum tria lilia aurea in ſpatio cæruleo tanquam cœlitus tranſmiſſum inſigne vſurpaſſe. Troiani Ilio deſtructo traiecto mari circa Mæotin habitarunt: vbi cum à Gothis infeſtarentur, Marcomirus rex eorum cum reliquis populi præfectis, nouam & quietiorem ſedem quærere ſtatuit. Et cum oraculo moneretur vt locum illum adiret vbi Rhenus in mare illabitur, à maga etiam Alruna nomine ad profectionem illam ſuſcipiendam impulſus eſt. Effecit enim mulier illa arte ſua vt noctu appareret regi Marcomiro ſpectrum quoddam triceps, aquilæ, bufonis & leonis capitibus: ex quibus aquila his verbis cum allocuta eſt: Genus tuum ô Marcomire opprimet me, & conculcabit leonem & interficiet bufonem. Quibus verbis ſignificauit futurum, poſteros eius Gallis Romanis & Germanis imperaturos, Munſterus.

¶ Propria. Phrynis, cytharœdus Mitylenæus. Phrynichi duo Athenienſes tragici, tertius comicus, quartus ſophiſta Bithynus, quorum omnium Suidas meminit. Apud eundem Φρυνίων proprium viri nomen. Phryne, meretrix olim famoſa. Euſtathius Iliados χ. interpretans, Phrynẽ meretricem alteram Theſpicam fuiſſe ſcribit: alterã Seſtum cognomine σηστὸν, διὰ τὸ ἀποσήθειν καὶ ἀποδύειν τοὺς αὐτῇ συνόντας. Alij verò, inquit, Phrynen alteram κλαυσίγελων cognominatam ſcribunt, alterã Saperdion. Mneſarete aurea fuit Delphis, ea ſcilicet quæ Phryne cognominata fuit propter pallorẽ, Plutar. in libro Cur Pythia non amplius carmine reſpondeat. Phrynondas, Φρυνώνδας, vir Athenienſis fuit, notæ improbitatis, non minus Eurybate, vnde homines malos Phrynondas cognominãt, Etymologus. Euſtathius quoque Phrynondam hominem improbum & malignum fuiſſe refert. Φροῦροι populi ſunt Scythiæ Dionyſio in Periegeſi, aliâs Φρῦνοι ὁμωνύμως τῷ ζώῳ, id eſt ranis rubetis cognomines, Euſtathius in Dionyſium.

¶ *c.* Muſtelas fluuiatiles, quas noſtri thryſcias vocant, alij quappen, alquappen, cum ranis aquaticis maioribus coire putant aliqui: vel etiam cum rubetis aquaticis. nam & oris rictu ranas referunt, & ventriculus eorũ appendices quaſdã habet pedibus ſeu manibus raninis ſimiles. hinc Saxones dicunt

cunt prouerbio, Es ward ein quapp no nie so gůt, Sie heft inn sick eyn patten fůt, vt Christoph. Encel. annotauit. ¶ *Buffones gigno* (anas loquitur in poëmate Io. Vrsini) *putrida tellure sepulta, Humores pluuij fortè quòd ambo sumus. Humet is & friget, mea sic vis humet & alget Cum perit in terra qui prius ignis erat.*

¶ *e.* Archibius ad Antiochum Syriæ regem scripsit: si fictili nouo obruatur rubeta rana in media segete, non esse noxias tempestates, Plinius. Multi ad milij remedia, rubetam noctu aruo circumferri iubent, (Democritus iubet, Ruellius) priusquam sarriatur, defodiq́; in medio inclusam vase fictili: ita nec passerem, nec vermem nocere: sed eruendam priusquam metatur, alioqui amarum fieri, Idem. Sunt qui rubeta rana in limine hordei pede è longioribus suspensa, grana inuehere iubeant, (contra gurguliones,) Idem. Venerem concitant nerui rubetæ dextro lacerto adalligati. Amorem finit in pecoris recenti corio rubeta alligata, Plinius. Sunt & aliæ quædam superstitiosæ huiusmodi nugæ ex rubeta aut partibus eius adalligatis, præsertim ossiculorum quæ in lateribus eius reperiuntur, quas supra in *G.* recitauimus. *Superstitiosa quædam de rubetis.*

¶ *h.* Bufonem vndecunq; & quomodocunq; obuium veteres in auguriis felicissimum habuerunt. nam licet vel solo visu molestus sit, hominibus tamen nihil feliciores successus enunciat bufone. auguria enim cum vel nomina sint deorum, multoties per ea quæ primo aspectu molesta sunt, hominibus deferuntur, Aug. Niphus lib. 1. de auguriis. ¶ In hominem stolidum & nullius mentis vulgus nostrum prouerbialiter dicit, Du hast åben sinn/ wie ein krott haar: Tantum sensus tibi inest, quantum pilorum rubetæ. *Bufo obuius bonũ omen veteribus.*

DE RANA VENENATA FOSSILI.

Rana venenata, quam metallici nostri ex ignis colore qui insidet ei, πυρίφρυνον, (Feurkrott,) nominãt, in saxis perpetuo quasi cõdita & sepulta latet. Altius intra terrã gignitur, & reperitur modo in venis, fibris, saxorum commissuris, cum hæ excauantur: modo in saxis ita solidis, vt nulla foramina, quæ videri possint, appareant, cum cuneis diuiduntur. Quo sanè modo & Snebergi & Mannisfeldi fuit inuenta. Ea ex subterraneis cauernis elata in lucẽ primò turget ac inflatur, mox de vita decedit. talis etiã rana crebrius reperitur in Galliis Tolosæ in saxo arenario rubro candidis maculis distincto, ex quo molæ fiunt. quocirca id genus saxa omnia priusquam molas ex eis faciant, perfringunt. quod ni fecerint, ranæ, vbi, cum molæ versantur, concaluerint, inflari solent, & disruptis molis frumenta veneno inficere, Georg. Agricola.

DE RANIS. RVRSVS EX BELLONIO.

Rana aquis innatat, saltando per terram graditur. Multorum quidem est generum, sed palustris ac marina tantum edulis est. Venenata est quæ cœnosis antris ac cloacis plantarumq́; radicibus, & sub terra altè defossa reperitur, rospum & buffonem nominant. è cuius capite detracti calculi, oculis ac venenatis poculis mederi falsò circulatorum vulgus autumat. hi enim potius à rubetæ cerebro detrahuntur: vulgus nostrum crapodinas appellat: quas ab antiquis chelonites vocatas postea docebimus, cum de lapidibus nomen à piscibus habentibus à nobis differetur. *Rana venenata.*

Rana marina ad palustrem accedit, sed cartilagines habet ossium loco, estq́; palustri procerior, atque æstuariis frequens, vt suo loco tractabitur. (Vide in rana piscatrice *G.*) *Marina.*

Rana palustris paucis antehac annis in cibis apud nos expetita, ore est prægrandi, nullis dentibus prædito, quod foras ex aqua, testudinis modo, emittit, vt auram excipiat: chamæleonem in cibo capiendo imitatur, vesciturq́; muscis, locustis, millepedibus, erucis, culicibus: quibus dum insidiatur, linguam ternûm digitorum longitudinis foras exerit ac vibrat, in cuius extremo spongiosus quidam veluti mucus, visci modo, quicquid contingit, agglutinat, vt integrum scarabeum plerunq; in aluum demittere conspiciatur. Ad quod munus ossicula vtrinq; duo in radice linguæ (vt & serpentes) habet, quibus ipsa miro naturę artificio confirmatur. Ranæ oua pariunt, coeunt, fœtusq́; emittunt continuo veluti filo sibi cohærentes (carnes minutim conscissas ac nigras esse dixeris) gyrinos vocant, oculis & cauda insignes, qui mox in posteriores pedes abeunt. Ranæ hepar in tres lobos distinctum est, sub quo vna vtrinque pulmonis pars apparet: lienem quoque rotundum & paruum habet: intestina nodulis intercepta, vesicam, testes, ac cætera ferè interiora membra reliquis animalibus terrestribus similia, Bellonius. *Palustris.*

¶ Rana muta quam gibbosam cognominaui, ab Italis *sconpisson*, id est permictrix appellatur. eam procul saltare aiunt, & interim permingere hominem. *Muta.*

DE CORDVLA SIVE CORDVLO.

Cordvla, κορδύλη, palustris est vel potius lutaria vt rana quoq;, Aristot. 1. 1. hist. anim. Et alibi, Cordulus (κορδύλος) non pulmonem, sed branchias habet, egressusq́; cibũm petit in terra solus aquatilium, & quadrupedes idem est vt ad ambulãdum idoneus. Et rursus, Cordula (aliâs crocodilus, quod non placet) natat pedibus & cauda, quam similem siluro habet, quoad paruum magno licet cõferre. Et lib. 4. cap. 13. de partib. anim. Corduli (κόρδυλοι) quamuis branchiis præditi, pedes habent, quoniam pinna carent, caudam etiam habent laxam & latam, μαλακὴν καὶ πλατεῖαν. Alia est cordyla siue

Vide plura in libr. de piscib. in Cordylo. Itẽ infra in Appendice p. 26.

ſcordyla vel cordylus ſcordylúſve piſcis, de qua in Thunni piſcis hiſtoria dicemus. Cordula quidem quadrupes mihi ignota eſt. apparet autem eam ambigere inter piſces & ouiparas quadrupedes, ac ſui omnino generis eſſe. Cauda & pedibus ſcinci etiam ſiue lacerti aquatici natant, & in terram egrediuntur: ſed ij pulmone non carent, vt puto: nam Bellonius, qui lacertos aquaticos cordylos facit, pulmonibus eos carere aſſerit. Cordyla, κορδύλη, animal eſt paluſtre, τελματιαῖον, ſimile aſcalabotæ, id eſt ſtellioni, Heſychius. Albertus piſcem quendam diem appellat, qui eodem die quo natus eſt perficiatur moriaturq́;, pedibus duobus & totidem pinnis præditum. Corruptus eſt locus ab ephemero animali, cui pedes quatuor & totidem pinnas tribuit Ariſtoteles.

DE CORDVLO. RVRSVS EX BELLONIO.

CORDVLVM Ariſtoteles, κούειλον Numenius vocat, id ſalamandrini amphibij genus, quod pharmacopolarum officinæ falſò pro Scinco exponere ſolent. viuiparum animal eſſe comperimus, admodum alacre, in quo ſalamandram excedit: ſcinco multò minus, branchiis præditum, pinnis lateralibus carens, caudam laxam & latam habens, ſiluri modo (quoad paruum magno licet conferre) minimè ſquamoſum, tergore nigricante, ac glabro, tuberculis tamen horridulo, quodq́ue facilè glubi poteſt, digitiſque attrectatum lacteum humorem vt ſalamandra emittit, qui naribus admotus virulentum quidpiam referat: roſtro obtuſo, dentibus aſperioribus communito, digitis anteriorum pedum in quaternos, poſteriorum in quinos articulos diuiſis: quod dum per aquam fertur, pinnam carnoſam erigit, quæ à vertice ſecundum dorſum vſque ad caudam protenſa, ipſam ambire conſpicitur. quamobrem ſinuoſo corporis impulſu, ſiluri, anguillæ ac murenæ modo natare ſolet. Proinde quòd ad eius interiores partes attinet, linguam ranæ fluuiatilis modo ſpongioſam habet, qua glutinis more facile ad os adducit hirudines fluuiales & terreſtres oniſcos & lumbricos, quibus præcipuè veſcitur: ob idq́; circa fauces fortaſſe id ipſi pulmo eſt. reſpirat enim eam partem mouendo, vt ranæ, vt obſeruaui in capta quam manu tenebam. quiddam veluti carnoſum ad linguæ radicem illi extuberat. Cæterum coſtis ac ſterno, vt & ſalamandra caret, oſſaq́; pro ſpinis gerit, cor ſpongioſum, dextro lateri incumbens, cuius auricula ſiniſtra maiorem pericardij partem occupat: pulmonibus caret, branchiis enim præditus eſt. hepate eſt nigerrimo, ad conuexam partem aliquantulum bifido, liene ſubrubro, ventriculi fundo adhærente: renibus ſpongioſis, cruribus ferè incumbentibus, qua in parte (& circa ſpinam) carnoſus tantum comperitur. alioqui ad pectus, & ſub ventre totus cutaneus eſt: oua gerit in bicorni vulua per ordinem, vt in viuiparis cartilagineis diſpoſita, quæ rufo quodam adipe fouentur, ex quibus poſtea viuos fœtus, eoſque numeroſos, vt & ſalamandra excludit, Bellonius. ¶ Nos hoc animal non cordulum, ſed lacertum aquaticum nominauimus, & figuram eius hiſtoriamq́; inter quadrupeda ouipara poſuimus. Quòd ſi branchias habuerit (vt Bellonius ſcribit. neque dum enim id ſatis obſeruaui. in ſiccis quidem, quos hæc dum ſcriberem inſpexi, lacertus aquaticus quem vidi viuum, oculis aureolis, exiguum, ouis plenum ſubfuſcis, branchias nullas habebat. ſed neque pulmonem in eo reperire potui, nec lacteum vllum humorem emittebat. nullæ mihi apparuerunt) non dubitabo etiam ipſe cordulum eſſe fateri. Cordylum Ariſtoteles amphibium eſſe ſcribit, & perire illum Sole exiccatum (ἀναθέντα, lego αὐανθέντα.) Numenius eundem in Halieutico curylum (κύρυλον) vocat, his verſibus: Τοῖσί κεν ἄρμενα πάντα παροπλίσσαιο δὲ μύρα, Κύρυλον ἢ πειρῶνα ἢ εἰναλίῳ ἕρπυλλαν, Athenæus lib. 7. Ego de cordylo nihil tale apud Ariſtotelem legiſſe memini.

Vide ſupra in Quadr. Ouipar. pag. 79.

DE SALAMANDRA.



Figu-



Figura prior ad viuum expressa est. altera verò quæ stellas in dorso gerit, in libris quibusdam publicatis reperitur, conficta ab aliquo, qui salamandram & stellionem à stellis dictum, animal vnum putabat, vt coniicio. & cùm à stellis stellionem dictum legisset, dorsum eius stellis insignire voluit.

A.

Salamandra plerisq; ignota.

LACERTORVM genera plura sunt, vt salamandra, saura, stellio, Isidorus. Salamandra, non vermis vt inepti quidam literatores volunt, sed lacerti genus, Σαλαμάνδρα Græcè vocatur. quod quidem nomen pleræq; omnes linguæ hactenus retinent: eò quod veram salamandram vbiq; opinor satis frequentem nemo ferè cognoscendam sibi curârit, & omnes nescio quam peregrinam & portentosam bestiam sibi finxerint. Videtur etiam Aristoteles tanquam de ignoto animali dubius de ea loqui, vno tantum in loco, cum inquit: Nonnulla corpora esse animalium, quæ igne non absumantur, salamandra documento est: quæ vt aiunt, ignem inambulans per eum extinguit. Nam si nota ei fuisset, nec ex fama tantum de ea scribere, neque rem falsam, vt post dicemus, asserere debebat.

Nomina varia salamādræ.

Lacertum Arabes *samabras*, vel, vt Bellunensis apud Auicennam legit, *saambras* vocant. vnde salamandræ Græcis Latinisq; deductum vocabulum facilè coniicio. Accedit nonnihil etiam Hebraica vox *semamit*, quæ stellionem significat, Prouer. 30. etsi alij araneam, alij simiam interpretentur, vt diximus in Simia A. Ridicula Isidori opinio est, qui salamandram dictam suspicatur quasi *valincendram*, quòd contra incendia valeat. Idem & Albertus & alij quidam recentiores salamandram, stellionem & chamæleontem magno errore confundunt. Syluaticus dictionem *oac* salamandram interpretatur, & alio loco *odac*. *Koach* quidem alij chamæleonem, alij crocodili siue lacerti genus faciunt, vt pluribus docui in Chamæleone A. Salamandra, hoc est illud ipsum animal quod hic pictum damus, apud Italos & Rhætos qui Italicè loquũtur, vetus adhuc nomen retinet: alicubi tamen à Rhætis *rosada* dicitur. Ab Allobrogibus *pluuina*, à rore & pluuia. A Gallis *sourd*, vt audio nominatur: non quidem puto quòd surda mutáve sit, sed à Græco saura fortassis. In Gallia Narbonensi *blande*, à lento incessu, vt coniicio. blandum enim pro tardo & lento dicunt: & alibi in Gallia *alebrenne*, alibi *arrassade*: quæ nomina fortè à salamandra interpolata sunt. Neocomi *that*. Normannis, ni fallor, *muron*. Hispanis *salamantegua*. Germani appellant ein Maal, alij Moll vel Molch, vel Moldwurm vt in Carinthia: alij Olm. Euricius Cordus vlmam & mulcham Latina terminatione. Harum sanè vocum etyma certa non habeo, sed coniecturas meas afferã. aut enim Maal conciso & transposito salamandræ vocabulo dicta est, aut à maculis, & punctis, quibus toto corpore pingitur atque distinguitur. maal enim maculam, & maalen pingere nostri dicunt. quare etiam stellatum hoc animal Plinius dixit: & forsan inde moti sunt aliqui, vt cum stellione confunderent: cui similiter stellæ, id est maculæ nominis occasio fuerunt: & ardea stellaris, & alia quædam eandem ob causam à stellis cognominata sunt. Idcirco etiam Puntermaal, in quibusdam Germaniæ locis appellatur, à punctis vt dixi, vt à lacertis aquaticis, quos Wassermaalen, nominamus, discernatur. Aut fortè Molch rectius vocatur, quòd liquore lacteo turgeat, quod & Plinius testatur, & ipse obseruaui. Quanquam & aliud lacerti genus in alpibus reperi, figura & magnitudine salamandræ simile, cuius fortè species fuerit, quod in fine mensis Iulij virga a me percussum, lacteo humore copioso manabat. Molchen nostri & lac & omne opus lactarium indigetant. Et quoniam crasso amploque capite lacertus hic est, homines similiter capitatos Mollenkopff appellant. Salamandram Germani, quia propter crura breuia tardè graditur, Græco nomine μόλγην appellant, vt Georg. Agricolæ placet, nimirum ab aduerbio μόλις deriuanti, aut quia Varinus μολγὸν interpretatur, τὸν βραδύν. Sed cum etymologia Germanica non desit, superuacuum est externam quærere. & si dictio μόλγη Græcis in vsu esset, vt non est, facta videri posset à lacteo liquore, non minus quàm Germanica. μολγὸς enim & ἀμολγὸς à verbo ἀμέλγειν, quod est lac mulgere, deriuantur. Quidam in Heluetia Rhætis finitimi crasso vocabulo, & per onomatopœiam, vt videtur, conficto, Quattertetsch hæc animalia vocant: quoniam plura simul aliquando, eaque crassis corporibus, tanquam in vno cumulo circa vias cælo pluuio reperiantur. ¶ Anglicum eius nomen nullum adhuc resciscere potui. ¶ Albertus libro 26.

histor. anim. in dictione Stelle(stellio scribendum) eadẽ omnino scribit quæ Plinius de Salamandra. nam, vt supra quoq; monui, duo hæc animalia confundit. Rimatrix est serpens ordinis primi, (id est acutissimi veneni, (vt dicit Iorach, rimans aquas & cibos, & inficiens: & si quis ex infectis aliquid gustauerit, statim moritur, Albertus. Ego apud idoneos authores de salamandra hæc & similia tradi inuenio: nec obstat nobis quòd serpens nominatur, cum barbari authores eorumq; interpretes, serpentium, vermium, lacertorũq; nomina more suo confundant. Quin & Albertus salamandram serpentem nominat, vt stellionem quoq; & sauram.

B.

Descriptio Salamandræ. Salamandra lacertæ species est, Dioscorides & Isidorus. Lacerti figura, Plinius. *Ramarro*, (id est paruo lacerto, vt Itali quidam vocant: quanquam & bufonem à quibusdam sic vocari audio) similis corpore & magnitudine ferè, maior tamen tum corpore tum capite, cruribus altioribus caudáque breuiore, Matthæolus. Auicenna etiam lib. 4. caudam breuem ei tribuit. Illæ quas vidi crassiores erant lacerto vulgari, ventre pallido, crassiusculo, longæ circiter dodrantem: cutis pars nigerrima, pars flaua auripigmenti colore, vtraque splendens: linea (si bene memini) per dorsum nigra erat, punctis quibusdam orbiculatis, ceu ocellis impressa. Dioscorides animal varium, Plinius stellatum esse dicit. A coloris quidem varietate stellioni etiam & ardeæ stellari nomen impositum. Similis ascalabotæ (id est stellioni, vt Nicandri Scholiastes quoque tradit) salamandra est Aetio, lacerta venenaria, hoc est pharmacitide velocior, Hermolaus in Corollario: Sed non rectè ταχύτερος pro τραχύτερος legit. neq; enim velocior est salamandra vllo lacerti genere, sed tardissima omnium: asperior verò ei cutis & scabrior est, in dorso præsertim propter puncta quæ dixi: & fortè Nicander hanc ob causam ῥαγόεν δέρος salamandræ dixit, quòd cutis interrupta his velut oculis videatur. ex his in pelle eius rupturis, inquit Scholiastes, cum in igne fuerit, sudor effluens, ignem extinguit. Præterea notandum quòd Aetius lacertam pharmacitidem à salamandra diuersam facit, Nicander in Alexipharmacis eandem. Salamandra quadrupes est, similis lacertæ aut crocodilo terrestri: vel, vt alij, parua est vt lacerta, cauda breui, Scholia Nicandri. Maior lacerta viridi, Kiranides. ego crassiorem reperiri puto, nunquam verò longiorem. Suidas simpliciter magnitudine lacertæ esse scribit: & Zoroastres in Geoponicis 15.1. animal esse minimum. Subtile & paruum est animal, lumbricis associum, flauo colore vestitum, Hermolaus ex Cassiodoro. Salamandræ toto corpore nigro flauoq; colore alternis distinguuntur, vtroque adeò splendente, ac si arte splendor ille inductus fuisset. sed animal est ipso aspectu homini contrarium & abominabile, Matthæolus: hinc scilicet Nicandro cognominatur δόλιον δείκος αἰὲν ἀπεχθές. De maculis quibus quasi depingitur, vnde nomen ei fortassis apud nostros, dixi in *A.* Memini tamen aliquando in alpibus reperire vnam huius generis quæ tota erat fusca, absque splendore, corporis forma alioqui simili, cauda breui, & lacteo succo percussa similiter manabat, vt etiam lacerti aquatici, quos nostri Wassermollen, id est salamandras aquaticas vocant, de quibus supra priuatim scripsi. Videntur salamandræ in valle Anania per syluas vbique, & alibi passim in Tridentina ditione, Matthæolus. Apud nos quoque non sunt raræ, & plures aliquando simul quasi conuolutæ reperiuntur, vt dictum est in *A.* & alibi passim in Germania. Salamandram nonnulli dicunt cute & squamis carere, Gillius. ego in solis Nicandri scholiis hoc dictũ reperio, quæ λιπόῤῥινον epitheton quod poeta huic lacertæ attribuit sic interpretantur, διότι δέρμα οὐκ ἔχει, οὔτε λεπίδα. ἢ διότι λίπος ἀφίησιν ἀπὸ τοῦ δέρματος. γλίσχρος (γλίσχρα) γὰρ ὅσ' ἐστὶ καὶ λιπώδης. Sed alia quoq; multa sæpe absurda in istis Nicandri scholiis leguntur. Mihi ea interpretatio arridet, λιπόῤῥινον cognominari, quod splendida & renitente tanquam pingui aliquo delibuta sit pelle: & magis, quàm vt idem Scholiastes inquit, quoniam succum pinguem è cute remittat, quo quidem manante ignem quoq; extinguat. nam si propriè pinguis esset hic humor, ignem aleret potius. Theophastus humorem salamandræ densum, tenacem & frigidum esse docet. Salamandræ an sexus differentia careant, quod Plinius scribit, vide circa finem capitis sequentis. ¶ Caput eis magnum, venter lutei coloris, vt etiam ima caudæ pars. reliquum corpus totum alternis maculis nigris & luteis quasi stellatum distinguitur, Georg. Agricola. In quibusdam syluis paludosis Germaniæ iuxta vias reperiuntur totæ nigræ in dorso, & in ventre ruffæ, Matthæolus.

C.

Vbi degãt Salamãdræ. Salamandræ loca frigida & humida incolunt, qualia sunt vmbrosa & opaca, & circa fontes, in pratis & circa semitas reperiuntur. Kiranides in vepribus & fruticibus eas degere scribit. ¶ *Quando appareãt.* Nunquam nisi magnis imbribus proueniunt, & serenitate deficiunt, Plinius. Idem nostri homines testantur: nempe pluuiosa solum tempestate eas visi, siue quòd tum nascantur, siue potius quòd latibula sua tum temporis deserant, vt & intestina terræ. Vulgò etiam animal æstiuum esse fertur, quòd primo vere apparens æstatem aut ver potius prænunciet, vernum melius appellandum. Memini equidem videre hunc lacertum initio Februarij, & aliâs Aprilis, crepusculo vespertino in via inter riuum & sæpem. Tempore pluuiali præcipuè verno & autumnali apparent, cum autem frigora verna sunt, & æstate calores intensi, rarissimè è terra prodeunt, Matthæ. ¶ *Iners est animal.* Animal est iners, νωχελὲς, Diosc. ingressu tardissimum, Matthæolus: quod nos quoq; obseruauimus: hinc Galli Narbonenses blan-

blandam nominant, vt videtur. ¶ Sunt qui ore hiante aërem ab ea captari dicant, quod ego in vna quam diebus multis domi in vase vitreo retinui, nunquam animaduerti. Vnde deceptos eos conijcio ab illis qui salamandram cum chamæleonte confuderunt. Sunt qui lac eam appetere mihi retulerint, & si fortè in sylua cubantis vaccæ vber suxerint, emori vber, nec amplius lacte manare. Fauos exedit veluti promuscide quadam, Iod. Willichius in quartum Georgicorum. ego nullam in ea promuscidem obseruaui. *Lac appetit.*

¶ Salamandram aliqui illæsam per ignem transire scribunt, alij simpliciter nihil ab igne lædi, alij ignem ab ea extingui, alij viuere eam & nutriri ab igne, alij etiam generari in eo. quæ sententiæ ipsę inter se pugnant. quomodo enim viuet in igne aut generabitur in eodem, si ignis ab ea extinguitur? Sed primum illorum qui hæc stultè affirmarunt verba recitabo, secundo loco aliorum qui tanquam falsa negarunt. Nonnulla corpora esse animalium quæ igne non absumantur, salamandra documento est: quæ, vt aiunt, ignem inambulans per eum extinguit, Aristot. 5.19. historiæ anim. Apparet autem eum non suam sed aliorum sententiam retulisse, ex verbis, vt aiunt adiectis, quod philosophum hominem decebat. alij enim incautius simpliciter quod audiebant tantum, nec vnquam viderant, asseruerunt. Hominem igne combustum significantes Ægyptij, salamandram pingunt. hæc enim vtroque capite interimit, Horus in Hieroglyphicis 2.60. vt interpretes verterunt, & Græcus etiam codex habet. mihi quidem locus obscurus aut potius deprauatus videtur. quis enim salamandram legit bicipitem? & si salamandra igne non vritur, absurdum & contrarium est salamandra picta hominem qui eodem vratur insinuare. Nicander in Alexipharmacis salamandræ per ignem transeunti nullum inferri damnum canit, nec pelle eam nec pedibus vri. Scholiastes addit, meatibus quibusdam patêre huius animantis cutem, (vnde poeta ῥαγόεν δέρος dixerit,) vnde humor destillans ignem exstinguat. Et rursus in Alexipharmacis idem poeta nihil eam ab igne pati scribit: vbi Scholiastes Andream quendam citat à quo proditum sit, manum aut vestem salamandræ sanguine illitam, nihil damni ab igne accepturam: & lipórrhinon à poeta cognominari hunc lacertum quòd pinguem quendam ac tenacem succum à cute remittat, quo destillante restinguatur ignis. Salamandra animal frigidissimæ est naturæ, adeò vt ignis quoque si in flammam irrepat, extinguatur ipso interim illæso, Suidas. Huic tantus rigor, vt ignem tactum extinguat, non alio modo quàm glacies, Plinius. An verò frigidum huius animantis temperamentum sit, disquiremus infra. Salamandra quanquam ex igne non nascitur vt pyrigoni: contra tamen hunc ire audet, contraque illius flammam veniens, tanquam aduersus hostem quandam, sic eam expugnare aggreditur. Cuius rei testimonium fabri, quorum opera atque artificium igne nititur, afferunt: nam quandiu eis ex flammæ splendore ignis flagrare eorumque artem fabrilem adiuuare videtur, huiusmodi animal magna securitate ipsi negligunt. Cum autem ignis euanescit, ac restinguitur, frustraq; folles flant, hoc sibi tum animal aduersari præclarè intelligunt. Quare hoc ipsum peruestigant, atq; inuestigatũ vlciscuntur. ignis autem postea iterum succensus fabrile opus, modo vt ante erat solitus alatur, iuuare perseuerat, Ælianus. *Seu salamandra potens, nullisq́ obnoxia flammis.* Serenus. Miramur animalia quædam, quæ per medios ignes, sine noxa corporũ transeunt: quanto hic mirabilior vir qui per ferrum & ruinas & ignes, illæsus & indemnis euasit? Seneca epist. 1.9. de Stilbone loquens. Salamandra minimum animal, ex igne generatur, & in igne viuit non vrente eam flamma, Zoroastres in Geoponicis 15.1. videntur autem hæc dicta potius ad pyrigonos muscas quàm ad salamandras pertinere. Sed vide quàm nullus est stultitiæ finis: non satis erat nugari salamandrã in igne viuere, addiderunt quidam ascendere eam ad ignem illum elementarem orbi Lunari finitimum. Quomodo potest salamandræ patêre accessus ad sphærã ignis? præsertim quum aues quæ altius iusto euolant, relabantur deorsum. aër enim illic nimiũ subtilis, ictus alarũ sustinere non potest, Ferdin. Ponzet. Salamãdra (inquit Aetius citante Hermolao) per ignem cadentibus flammis ambulat, cumq; non solum frigoris vi, sed etiam pondere corrumpit quasi obruens. Fertur in libro de proprietatibus rerũ, genus esse salamandrę aliud cuius pellis villosa ac pilosa sit, cuius pili post longam vetustatem, vt comperitur, in ignem proiecti, igniti extrahantur illæsi, Arnoldus de Villanoua in libro de venenis. ¶ Recitaui verba illorum, qui salamandras ab igne non lædi scripserunt: nunc addam aliorum verba quibus hæc opinio improbatur, vt debet. exuri enim ipsam meo experimento noui, & cineris eius in re medica vsus est. Quæ magi ex salamandris tradunt contra incendia, quoniam ignes sola animalium extinguat, si forent vera, iam esset experta Roma, Plinius. Sextius negat ignem restingui ab iis, Idem. Salamandra lacertæ genus frustra creditum est ignibus non vri, Dioscor. Aetius scribit salamandra ignem transeunte, diuisam flãmam ab ea discedere: si tamen immoretur, consumpto frigido eius humore exuri. hoc nos quoq; experti sumus. Salamandra ad certum vsq; terminum ab igni nihil patitur, vritur autem si longiore spatio igni sit admota, Galen. lib. 3. de temperamentis. Theophrastus etiam testatur salamandram igne comburi, si in eo diu mansitet, Niphus. Prunæ imposita extinguit eam, quod experiri volui, vt cuiusuis animantis caro cruda: at si in ipsum ignem flãmis vigẽtem inieceris, ibi non exuri eam, aut igne eam viuere vt chamæleon aëre, nulla ratione credi potest, Matthæolus. quanquam sunt qui in Cypro muscas quasdam in igne nasci & inde nutriri putent: de quibus inter insecta loquemur.

Diuersæ authorũ sententiæ de Salamandra in igne viuente.

Salamandræ aliqui (inquit Albertus) ineſſe dicunt lanam quandam quæ in igne non aduratur, quòd penetrare eam non poſſit. Sed ego expertus ſum id quod ad nos defertur pro huiuſmodi lana, non eſſe lanam animantis. quidam lanuginem cuiuſdam planete (vox videtur corrupta) quod etiam ego non ſum expertus. Hoc quidem expertus ſum, lanuginem eſſe ferri. vbi enim magnæ maſſæ ferri (vt pro incudibus) fabricantur, ſcinditur aliquando ferrum & euolat vapor ignis: qui cum panno vel manu colligitur, vel tecto fabricæ adhæret, lanam fuſcam & aliquando albam refert. hæc autem lanugo ignem non ſentit, & à nonnullis lana ſalamandræ vocatur. Multi autem ſequentes Iorach philoſophum dicunt quòd hoc animal viuit in igne, quod falſum eſt, (ſimpliciter dictum.) ad breue enim tempus, Galeno etiã teſte, in eo durare poteſt. Quòd ſi mediocris ſit ignis, vt inquit Iorach, extinguit eum: non ideo quòd vita eius in igne ſit, ſed quia frigidiſſimum eſt, vt placet Ariſtoteli, (ego hoc nuſquam apud Ariſtotelẽ inuenio:) & pelle tam denſa, vt poros eius ignis non penetret, niſi diutius in eo remanſerit. Ego aliquando araneam ſpiſſæ pellis & frigidi humoris poſui in ferro candenti, quæ diu iacuit antequam moueretur, & ſentiret calorem adurentem: & ad aliam magnã adhibui lumen paruum, quod ab aranea tanquam flatu quodam reſtinctum eſt, Hæc Albertus. Craſſitiem ſanè pellis in ſalamandra obſtare puto quo minus citò ab igne afficiatur. ſalamandris quidem aquaticis adeò duram tenaceḿ; pellem eſſe deprehẽdi, vt cultro difficulter vulneretur. quod ſi etiam vi ignis rupta fuerit cutis, humor craſſus & copioſus erumpens, aliquandiu obſtare poteſt. multo enim humore abundare hoc animal, ipſa eius corporis craſſities ſignum eſt, & quòd humidis tantum pluuiiſq; temporibus apparet. idem humor an frigidus ſit, ad extinguendum ignem non multum refert. Iam corporis læuitas illa ſplendida, tanquam oleo aut vernice (vt vulgò vocant) delibuta, meatus omnes quàm maximè clauſos eſſe oſtendit, ideoq; difficiliorem igni vrenti aditum. Ex ſalamandræ pilis, quos nullos habet, inextinguibilem telam fieri falſum eſt. Nam huiuſmodi materia eſt vel ex amiãto: vel ex quodam apud Plinium lini genere, ſi non & id amianto lapidi idem fuerit, Euricius Cordus. Ipſe expertus ſum villos Salamandrę non conſumi igne, Ringelbergius. Salamandra propter frigus ignem non aliter ac glacies extinguit: quo modo etiam oua ſerpentium in ignem camini conıecta flammam ſolent extinguere. attamen tam ipſa oua quàm ſalamandra comburuntur, Georg. Agricola. Lini asbeſtini Plinius meminit libro 19. quod ſi in ignem proiiciatur, non vritur. ego id arbitror ex lapide quodam eſſe, qui amiantus dicitur. is, vt Dioſcorid. libro 5. inquit, in Cypro naſcitur, ſimilis alumini ſchiſto, id eſt de pluma à nobis vocato. ex eo theatris vela texuntur. hæc autem in ignem conıecta, inflammantur quidem omnino, ſed ſplendeſcunt magis exempta, & nihil igni deperdunt. Nos hunc lapidem habemus, & nẽdo in fila diduci certum eſt. Multi ex alumine ſchiſto, ſed fruſtra, conati ſunt lintea in hunc finem parare. Non defuère qui ex ſalamandræ cortice ſimiles mappas, quæ comburi non poſſunt, factas putarent: ſed falſò. vidi enim ipſe ſalamandram comburi parumq; aberat, quin ſanies eius in os mihi proſiliret, Ant. Braſauolus. De Caryſtio lapide ex quo mantilia fiebãt, quæ igne purgabantur non vrebantur, lege Varinum in voce Caryſtos. In prouincia Chinchintalas Tartarorum regi ſubiecta (vt ſcribit Paulus Venetus 1.47.) mons eſt in quo inueniũtur mineræ chalybis & audanici: itemq; ſalamandræ, de quibus fit pannus, qui in ignem proiectus comburi non poteſt. Fit autem pannus ille de terra in hunc modum, vt quidam è ſociis meis vir ſingulari induſtria, Turchus religione me edocuit, qui in prouincia illa rebus metallicis præfuit. Inuenitur in monte illo foſſilis quædã terra, quæ fila producit lanæ haud diſſimilia, quæ ad Solem deſiccata in mortario æneo teruntur: deinde ſic purgata & attenuata vt reliquum lanificij genus nentur, atq; in pannum cõtexuntur. Hos cum dealbare volunt proiiciunt ad horæ ſpatium in ignem, & tunc ex flammis illæſi educuntur niue candidiores. Eoſdem ſimiliter purgant quũ maculas aliquas contraxerint. nam lotura alia præter ignem illis non adhibetur. De ſalamandra verò ſerpente qui in igne viuere dicitur, nihil explorare potui in orientalibus regionibus. Aiunt Romæ mappam quandam haberi ex ſalamandra contextam, in qua ſudarium Domini inuolutum retinetur, quam rex quidam Tartarorum Romano miſit Pontifici, Hæc ille. Alexander papa, vt fertur ex huius animalis lana veſtimentum habuit, quod non aliter purgabatur, quàm igni iniectum, vnde candeſcebat, Obſcurus. Contextæ ex hac lana pallida zonæ, non exuruntur, vt recentiores quidam tradunt. Alumen *Scaiolæ* vulgò dictum, eſt after Samius apud veteres, nec eſt ex ſuccorũ genere: vt nec alumen plumæ: ex quo ſi fiant licinia, non ardent, ſed perpetuo oleum conſumitur, ipſa manent. Commune eſt hoc omni fermè generi cruſtati lapidis. Nam & in Eiſleba ex pyritide, tum lapide alio ſciſſili pyræ impoſito, liquor viridis emanat, qui cum igne extincto cogitur, ignẽ amplius non ſentit. Sic & ex amianto lapide Romæ mappas, & in Verebergo Bohæmiæ mantilia eſſe affirmat Agricola, quæ non aqua ſed ignibus eluãtur. Et ex Magneſia lapide ſqammoſo argentei & plumbei coloris in Boldecrana menſæ fiunt, quæ igne purgantur, nec vitiantur: ex tenuiore autem thryalides pro lucernis, &c. Cardan. Et alibi, Aſterem Samium & calcem extinctam in maluæ ſucco aut mercurialis, efficere poſſe putant, ſi manus illinantur, ne ignis noceat, Georg. Agric. amiantum Germanicè interpretatur Fãdervyß/Salaamander haar. Albertus lapidis iſcultos (aliâs iſcuſtos, quæ vox corrupta videtur à Græca asbeſtos) mentionem facit, qui an idem ſit cum amianto, an eius ſpecies, aliorum reliquimus iudicio. Verba Alberti hæc ferè ſunt, Iſcuſtos lapis, vt

De pãnis quæ igne non comburãtur, ſed purgẽtur.

vt Iſidorus & Aaron tradunt, in vltimis Hiſpaniarum partibus iuxta Gades apud Herculis Columnas frequenter inuenitur: is propter viſcoſum humorem in eo exiccatum, in fila deduci poteſt: è quibus facta veſtis non comburitur, ſed igne purgatur & nitet. & fortè hoc eſt quod pennam (plumas) vocant ſalamandræ, quæ eſt lanugo quædam tanquam lapidis humidi. Ignis tum alijs modis extinguitur, (inquit Theophraſtus in libro de igne, vt nos tranſtulimus,) tum infuſo humore aliquo: qui ſi frigidus etiam fuerit, validius extinguet: id quod circa ſalamandram accidere aiunt. eſt enim hoc animal natura frigidum: & quæ effluit ab eo humiditas tenax, ſed eius naturæ vt facilè poſſit procul penetrare. argumento ſunt aquæ exitiales factæ, itemq́; fructus quibus admixta fuerit, præſertim mortua. eſt etiam nonnihil cauſæ in tarditate inceſſus eius. nam cum ſic diutius immoretur igni, magis extinguit. Extinguitur autem ab illa non quantuſcunq; ignis, ſed mediocris ſi conferas ad naturam & potentiam eius: in quo ſi non diutius verſetur, denuò excitatur (ignis.) Eiuſdem rationis eſt quòd viſco illita non vruntur, vtpote humore lento, denſoq́; & frigido: & quòd acetum præſertim cum albo oui liquore mixtum incendia validiſſimè extinguit, &c. Hæc ille. Ignis maximè extinguitur aceto & viſco & ouo, Plinius 33.5. Cor negatur cremari poſſe in ijs qui cardiaco morbo obierunt, negatur & veneno interemptis. Certe extat oratio Vitellij, qua reum Piſonem eius ſceleris coarguit, hoc vſus argumento: palamq́; teſtatus, non potuiſſe ob venenum cor Germanici cæſaris cremari: contra genere morbi defenſus eſt Piſo, Plinius. In epiſtola Æſculapij cuiuſdam ad Octauianum Auguſtum, legitur venenum quoddam eſſe tantæ frigiditatis quòd cor hominis interempti illo veneno conſeruet ab igne. Etſi cor illud in igne ponatur tam diu donec aſſatione lapideſcat, lapidem illum vocari profilis (vox videtur corrupta) ab igne, à materia verò humanum: & pretioſum eſſe eò quòd victores faciat & à veneno præſeruet, &c. rubere aiunt candore admixto, Albertus de foſſilibus 2.14. Hæc de ſalamandra, & alijs quæ igni reſiſtere legimus.

De quibuſdam alijs quæ igni reſiſtunt.

¶ Frigidiſſimam eſſe ſalamandram apud Suidam legitur. Theophraſtus & Nicandri Scholiaſtes ſimpliciter frigidam eſſe ſcribunt. Plinius tantum ei rigorem eſſe ſcribit, vt ignem tactu extinguat non alio modo quàm glacies. Quod ſi verum eſt, falſum fuerit animalia omnia calida & humida eſſe, nimirum ſi conferas inanimatis. atqui ex inanimatis corporibus mixtis nullum eſt quod æquè ac glacies ignem extinguat. Ipſe quidem agnoſco ſalamandram frigidam eſſe actu tactuq́; vt ſerpentes omnes: & hanc etiam magis, quòd & humoris plus habeat, & ſub terra frequentius lateat, neq; calidis & ſiccis temporibus prorepat, ſed vêre & autumno ferè tantum, idq́; tempore pluuio. Habet tamen in viſceribus ac venis calorem ſuum natiuum, eò fortaſſis efficaciorem per antiperiſtaſin. Ad hominem quoq; calida eſt, ſed calore humido putridoq́;, quare inter ſeptica venena ponitur, quæ corpus erodunt, non ſic vt calida & ſicca, ſed ita vt ſimul tabe quadam afficiant. itaq; pilos detrahit, quod nullum ex frigidis facit. Dioſcorides ei vim calefaciendi & vlcerandi adſcribit. Sed alios quoque ſerpentes, eorumq́; venena aliqui frigida crediderunt, quos reprehendit Albertus lib. 25. hiſt. anim. & Matthæolus in ſextum Dioſcoridis cap. 40. Videntur autem mihi omnino non ſerpentium tantum lacertorumq́; omnium, ſed quæcunq; ex animalibus venena ſunt, ſeptica eſſe, hoc eſt cum calore humido ac putrefaciente coniuncta.

Salamandræ frigiditas.

¶ Quædam gignuntur ex non genitis, & ſine vlla ſimili origine: Ex ijs quædam nihil gignunt, vt ſalamandræ: neq; eſt ijs genus maſculinum fœmineumve, ſicut neq; in anguillis, omnibuſq́; quæ nec animal nec ouum ex ſeſe generant, Plin. In hoc genere non eſt maſculus neq; fœmina, ſed omnes gignunt, Obſcurus qui ex Plinio mutuatus videtur, & pro nihil, legiſſe omnes. Latet hybernis menſibus ſalamandra, (verba ſunt Geor. Agricolæ: latitare autem eas Ælianus quoq; author eſt.) Etenim hoc anno in Februario Snebergi maxima vis ſalamandrarum ex vicinis locis collecta agglomerataque in vltima cuniculi cuiuſdam parte fuit reperta. Et proximo anno in Nouembri ſalamandra viua ex fonte finitimæ ſyluæ per fiſtulas in hoc oppidum influxit. Pluuiæ autem & ſubſequens ſerenitas ſalamandras excitant ex venis, fibris commiſſuriſq́; ſaxorum. Huic animali nec maſculinum nec fœmininum genus falſò putant eſſe, Geor. Agricola. Salamandra catulos excludit iam perfectos, & protinus vt nati ſunt incedentes, quadraginta aut quinquaginta numero, omnes ſine vllo inuolucro, vt vipera quoq;, Petrus Bellonius. Quanquam autem viuos pariat, in vtero tamen primum oua concipit, ſola in hoc genere quod ſciam: vt ſola inter ſerpentes vipera. Zoroaſtres ſalamandram ex igne generari ſcribit: Ælianus non naſci quidem ex igne vt pyrigoni, in igne tamen verſari illæſam, vt ſuperius recitaui ac reprehendi.

De ſalamandræ ortu & generatione.

D.

Salamandra irritata ſaniem euomit lacteam, Agricola. Audax eſt, neq; hominem fugit, ſed etiam perſequenti ſe opponit, vt quidam mihi retulit. Ego hoc in duabus quas domi per aliquot dies viuas retinui, non potui animaduertere. Et fortè cum propter tarditatem greſſus effugere non poſſit, audacior videtur, ac ſi ſponte non fugiat.

Salamandra audax.

E.

Salamandra viſa ſignum pluuiæ futuræ eſt.

Prognoſticon pluuiæ.

G.

Remedia ex ſalamandra. Remedia ex ſalamandra. Vim habet erodentem, calfactoriam, exulcerantem. additur, vt cantharis, in medicamenta, quorum vis eſt exeſſe, & lepras abolere, ſimiliq; modo reconditur, Dioſcor. Vide ſupra in *C.* vbi de temperamento eius docui. Raim. Lullius in libro de quinta eſſentia hoc animal adnumerat remedijs, aut venenis potius, illis quæ quarto gradu refrigerant. Galenus non ipſam, ſed vſtæ eius cinerem, medicamentis ſepticis, lepricis & pſoricis admiſceri ſcribit. Celſus inter ea quæ exedunt corpus & adurunt ſalamandram adnumerat. Pro ſalamandra ſubſtitui poteſt lacerta viridis, Author ſuccidaneorum. Liquefacta in oleo pilos euellis, Dioſcor. interprete Ruellio. Græcè legitur, ταχεῖσα μετ᾽ ἐλαίου, hoc eſt in oleo macerata aut tabefacta potius. Marcellus Vergilius καεῖσα legere mauult, id eſt vſta. quoniam Paulus Ægineta quoque crematæ ſalamandræ cinerem tantum ad hos vſus adhibeat, cuius hæc ſunt verba, Σαλαμάνδρας δὲ καυθείσης τὴν τέφραν ἔνιοι μίσγουσι: Quòd eſt, *Crematæ autem ſalamandræ cinerem aliqui miſcent.* Ego ſalamandram non vſtam magis ſepticam eſſe puto quàm cum vſta eſt: quòd igne venenum illud ſepticum maiori ex parte conſumatur. Salamandræ cinis pilos in palpebris incommodos euulſos renaſci non patitur, Plinius. Salamandræ vſtæ cinerem terreſtrium herinaceorum felle excipito, ac pilis antea euulſis vtitor, Galenus de compoſ. medic. ſecundum locos 4. 7. ad pilos palpebrarum pungentes. Et rurſus lib. 1. inter ea quæ Crito ad pilos diſperdendos ſcribit: quin & fortiora iam dictis ex herinaceis & ſalamandra componunt in oleo coctis. Salamandræ cinis aſperſus myrmecias & clauos pedum breui extirpat, Kiranid. Inteſtina ſalamandræ pilos abolent, Nicandri Scholiaſtes. ſed apud Dioſcoridem aliter habetur, Exenterata detractis pedibus & capite in melle ſeruatur, ad eundem vſum, (ad euellendos pilos.) Verum Plinius hunc reponendi ſalamandras modum in alium vſum refert: Sextius (inquit) Venerem accendi cibo earum, ſi detractis interaneis & pedibus, in melle ſeruentur tradit. Mihi quidem Pliniana lectio magis probatur. nam ex ſcinco etiam & ſtellione, tum ſimpliciter tum tranſmarino, capite caudaq; reſciſſis, medicamenta fiunt intra corpus ſumenda ad Venerem ciendam, & alios quoſdam vſus. Hæc ſcribo vt veterum ſcripta explicem, non quod huiuſmodi quicquam intra corpus dari approbem. Sextium ſanè Plinius alibi etiam ſæpe citat, ita vt ſemper ferè eadem apud Dioſcoridem quoq; reperiantur. Salamandræ ſanie quæ lactea ore vomitur, quacunq; parte corporis humani contacta, toti (totius corporis) defluunt pili: idq; quod contactum eſt, colorem in vitiliginem mutat, Plinius.

Defluit expulſus morbo latitante capillus,
Seu ſalamandra potens, nulliſq; obnoxia flammis
Seu rarò lauitur, ſeu vis epota veneni,
Eximium capitis tactu deiecit honorem.

Q. Serenus. *Hoc ſalamandra caput, vel ſæua nouacula nudet, &c.* Martialis mulieri imprecans. Plura vide mox in veneno eius.

Salamandræ cor. ¶ Salamandræ cor circa genua mulieris geſtatum, conceptum impedit & menſtrua, ita vt extinguantur. Quòd ſi pelle in nigra cubito alligetur, tertianam & hemitritæum & quartanam, & omnem typum febris aufert, Kiranides. Perſuaſio quidem illa circa ſterilitatem inducendam mulieri hoc cor iuxta genua geſtanti, inde orta videri poteſt quòd ſalamandræ etiam ſteriles creditæ fuerint. nam & alias ſimiles falſas credulitates (vt ſic dicam) recitauimus in Lepore *G.* Salamandræ cor collo febrientis appenſum, ſtatim extinguit febrim, Kiranides.

De Salamandræ veneno. ¶ Salamandram dicunt ſolo aſpectu nocere, & habere tot genera veneni quot colores. ¶ Contra ſalamandram aut aliquod ex ea venenum intra corpus ſumptum. Inter omnia venenata, ſalamandræ ſcelus maximum eſt. Cætera enim ſingulos feriunt, nec plures pariter interimunt, vt omittam, quòd perire conſcientia dicuntur homine percuſſo, neq; amplius admitti ad terras. Salamandra populos pariter necare improuidos poteſt. Nam ſi arbori irrepſit, omnia poma inficit veneno, & eos qui ederint necat frigida vi, nihil aconito diſtans. Quinimo ſi contacto ab ea ligno vel pede cruſta panis incoquatur idem veneficium eſt, vel ſi in puteum cadat. Quippe cum ſaliua eius quacunq; parte corporis, vel in pede imo reſperſa, omnis in toto corpore defluat pilus. Tamen talis & tanta vis veneni à quibuſdam animalium vt ſuibus manditur, domante eadem illa rerum diſſidentia. Venenum eius extingui primum omnium ab his quæ veſcantur illa veriſimile eſt. His verò ſimilia ſunt quæ prodantur (probantur à) cantharidum potu, aut lacerta in cibo ſumpta. Cætera aduerſantia diximus, dicemuſq; ſuis locis, Hæc omnia Plinius 29. 4. In quo non probo, quòd ſalamandræ venenum frigidum facit, & & aconito comparat. nam neq; illud frigidum eſſe ſupra in *C.* oſtendi, neq; aconitum in Lupo *a.* Deinde quod ſcribit venenum eius primum extingui ab his quæ veſcantur ea, veriſimile eſſe, de ſuibus tantum accipio, (Nicander quidem ſuillam carnem cum teſtudine elixam commẽdat,) vt præcipua alexipharmaca ex ſue petenda ſint, ijs verò ſimilia & proxima, nempe ſecundo loco, ea quæ aduerſus cantharides aut lacertas produntur vel probantur, id eſt laudantur. Multa enim, vt in ſequentibus patebit communem aduerſus ſalamandras & cantharides auxiliarẽ vim obtinent. quamobrem miror cum ſimile ſit cantharidum venenũ, & remedia ferè eadem contra vtraſq;, quomodo Plinius rurſus (eodem capite inferius) cantharides ſalamandris reſiſtere ſcribat, his verbis: Salamandris cantharides contrariæ ſunt, vt diximus. Atqui hoc nuſquam alibi ab eo dictum reperio: neq; ſi reperirem approbaturus eſſem. Itaq; deprauatum eſſe dixerim Plinij locum, aut mutilatum. Codex iam olim Baſiliæ excuſus ſic habet, Solipugis cor veſpertilionis contrarium, omnibuſq; formicis, ſalamandris reſiſtit.

Cantha-

Cantharides diximus: sed & in ijs magna quæstio, &c. Hermolaus nullam hic variæ lectionis mentionem facit, vt neq; Sigismundus Gelenius. Hîc reprehendendus est etiam Matthæolus, qui miratur quomodo Dioscorides iubeat ijsdem auxilijs contra salamandram vti, quæ aduersus cantharides adhibentur, cum hæ calidissimæ sint, illa, vt inquit, frigida: itaque non de particularibus remedijs, sed tantum de communi venenis medendi genere intelligenda Dioscoridis verba putat. Sed longè errat, cum neq; frigidum sit, vt sæpe iam dixi, salamandræ venenum, & particularia auxilia, vt in sequentibus apparebit, multa eadem sint. Interim tamen remedia illa quæ contra cantharides præscripta sunt tanquam communia, non omittenda esse, & de ijs præcipuè intelligenda esse Dioscoridis verba non negârim, si ita legas vt codices nostri habent, & Marcellus transtulit, ἐφ' ὧν πάντα ποιησάμενοι ὅσα καὶ ἐπὶ κανθαρίδων, ἰδιαίτερον αὐτοῖς προσφέρομεν, &c. Sin legas vt Ægineta, ἐφ' ὧν ἅπαντα ποιησάμενοι ὅσα καὶ ἐπὶ τῶν κανθαρίδων, ἰδιαίτερον δὲ αὐτοῖς; &c. cui lectioni Plinius etiam astipulari videtur, de particularibus quoque medicamentis eum sensisse dici potest. Sed Aetius hac in parte cum Matthæolo facit, scribens, Danda verò & his quæ in cantharide sunt relata, vt inde vomant. Ephemero sumpto, quemadmodum & à salamandræ potu, remedio sunt vomitiones & clysteres, Dioscorides. Qui biberit salamandram, patietur signa cantharidum, & cura eius & bezoar est vna, Aponensis. Salamandra ab apris in Pamphylia & Ciliciæ montuosis deuorata, qui edêre moriuntur, nec est intellectus vllus in odore vel sapore, Plinius. Sus si quando salamandram comederit, ipse extra periculum est: eos autem qui carnibus eius vescantur, interimit, Ælianus. Et aqua vinumque interimit salamandra ibi immortua, vel si omnino biberit vnde potetur, Plinius. Aquas, quibus admixta fuerit, exitiales reddit, item fructus, præsertim mortua, Theophrastus. Verisimile est autem mortuæ venenum latius spargi propter accedentem putredinem, & emanantes inde vapores odore & flatu solo inficere. Nostro etiam tempore venenosa hæc eius vis non ignoratur. nam Galli quidam olim mihi narrarũt, vulgò apud eos ferri, si blanda (sic salamandrã Narbonenses vocant) in aceruo tritici reperiatur, totum infici, adeò vt vel gallinæ vescentes inde pereant. Apud nos quidem non vsq; adeò male audit: & Antonius Brasauolus salamandram nostram (inquit) non puto adeò venenosam esse, vt vulgus & recentiores multi arbitrantur. Sed præstat hac in re veterũ scriptis credere quàm experiri. Rimatrix est serpens ordinis primi, (id est pessimi veneni,) rimans aquas & cibos, & inficiens eos: & si quis ex infectis aliquid gustauerit, statim moritur, vt dicit Iorach, Albertus. Hæc mihi omnino eadem quæ salamandra videtur, ex simili aut eadem potius vi veneni, eoq; magis quòd nec in ipsa salamandra & quem cum ea confundit stellione, nec alibi tale venenum Albertus ex Ioracho commemoret, cuius tamen verba in plerisq; omnibus alijs serpentium generibus adducit. nec obstat quòd serpens dicitur, cum his nominibus barbari abutantur vt monui in A. In obsonia aliquando dum coquuntur incidere solent, serpens, salamandra, erucæ, Aetius 13.9. In quibusdam Heluetiæ locis lac à salamandris appeti aiunt, & si forte in sylua cubantis vaccæ vber suxerint, emori id, nec amplius lacte manare. Saniem aut saliuam ore lacteã vomit, irritata præcipuè, vt Agricola tradit. Hæc vel calcata tantum, hominem inficit, Arnoldus. Ab huius in quacunq; corporis parte contactu toti (totius corporis) defluunt pili, idq; quod contactum est, colorem in vitiliginem mutat, Plinius. Quamobrem medici quidam vehementibus psilothris salamandram aut cinerem eius admiscẽt, vt supra scripsi. In herbis aut fructibus quos ore tetigerint, saliuam quandam relinquunt, venenum præsens, & eosdem lacteo illo succo, quem toto corpore resudant, transeundo inficiunt, Matthæolus.

¶ Signa eorum qui salamandram sumpserunt. Linguæ inflammatio consequitur, Dioscorid. *Signa eorum qui Salamandrã sumpserunt.* Γλώσσης βάθος ἐμπρήθη, Nicander. Est autem periphrasis, inquit Scholiastes, γλώσσης βάθος pro ipsa lingua, quæ huius veneni vi crassescit. Lingua exasperatur, Largus. Mens & sermo præpeditur, vt ex Dioscoride Ruellius & Matthæolus transtulerunt. Marcellus Vergilius non mentis, sed sermonis tantum impedimentum fieri transtulit, eam quæ in Æginetæ libris habetur lectionem secutus, λαλιᾶς ἐμποδισμός. Et quanquam verisimile est inflammata lingua sermonem impediri, omnes tamen quos ego vidi, præter Æginetam, qui de hoc veneno tractarunt scriptores, non λαλιᾶς sed διανοίας habent, Dioscorides, Aetius, Nicander. & Auicenna 4.6.2.7. idem tamen 4.6.5.20. vbi de morsu salamandræ agit, & signa remediaq; ea repetit quæ ad venenum eius in corpus sumptum pertinent, non ad morsum, Æginetæ lectionem sequitur. nam vbi legitur & grauitas linguæ, & punctio eius, Bellunensis reponit, & grauitas linguæ, & loquela difficilis in qua pronũciatur *mumu*. Versus quidem Nicandri hi sunt, Οἱ δὲ παρασφαλέοντες ἅτε βρέφος ἑρπύζουσι Τετράποδες. νοεραὶ γὰρ ἀπὸ φρένες ἀμβλύωνται. Hoc est, Illi membris inualidi (aut titubantes) infantis instar reptant quadrupedes. mens enim eis obtusa est. Tremor cum torpore (stupore) aut horrore quodam ac exolutione accedit, Dioscor. Græcè legitur καὶ τρόμος μετὰ νάρκης ἢ φρίκης τινὸς καὶ ἐλκώσεως. apud Æginetam ἐλκύσεως, sed video interpretes omnes, & rectè quidem meo iudicio, legisse ἐκλύσεως. eclysis enim resolutionem & imbecillitatem significat. Cornarius etiam apud Aetium exolutionem vertit. Matthæolo nescio quid in mentem venit vt pro tribus istis vocabulis, quæ sunt, torpor, horror ac resolutio, tristitiam, pauorem ac debilitatem magnam reddiderit. Corpus inualidum fit, & torpet rigoribus quibusdam, Largus. Ἂψ δ' ὑπὸ μάλκης δάμναται· ἐμβαρύθων δὲ κακὸς τρόμος ἄψεα λύει, Nicander. hoc est, Mox

autem frigore corpus corripitur, & grauans malus tremor membra resoluit. Ad hæc partes nonnullæ corporis liuoribus circumquaque sugillantur: sæpeq; diutius immorante veneno putrescentes defluunt, Dioscorid. vt Ruellius, Marcellus, & Matthæolus vertunt. (hic quidem etiam clarius, corruptas in terram decidere:) item Auicenna, & ex Aetio Cornarius. Dioscoridis verba sunt ὡς πολλάκις σηπόμενα ἀπορρεῖν τὰ μέρη. Mihi quidem non videtur partes ipsas delabi integras, cum tantam putredinem oboriri in membris, vita & corde adhuc incolumi, vix sit verisimile: nec ab vllius alterius veneni vel intra corpus sumpti, vel per ictum morsumve in ipsum translati, tale quid accidere legimus, quod meminerim. Et si enim Marcellus Vergilius à cenchro morsis carnes decidere transfert ex Dioscoride: Græcè tamen legitur περιρρεῖν, quod est humore diffluere. Itaque ἀπορρεῖν malim simpliciter interpretari fluere & manare, humore scilicet putrido, & saniem stillare, pro περιρρεῖν. In hanc sententiam induxerunt me Nicandri versus isti, Σάρκα δ' ἐπιτροχόωσιν ἀολλέες ἄκρα πελιδναὶ Σμώδιγγες στάζουσι κεδαιομένης κακότητος. quod est, Per summam autem cutim liuentes maculæ passim apparent, eousq; scilicet dispersa veneni malitia. Vbi interpres habet, Επιτρέχει τῇ σαρκὶ πελιδνότης, ἐξ ἧς ἐργασία, lego ὑγρασία. Et mox, Σμώδιγγες αὗται κατὰ σύντηξιν τῆς σαρκὸς στάζουσι. Sed aliâs, inquit, scribitur στίζουσιν, id est pungunt, vt sensus sit, liuores illos multos & dispersos in eis esse punctorum instar. Sed ego στάζουσι malim, quod conuenit cum verbo ἀπορρεῖν. Corpus liuoribus quasi maculis variatur, Largus. Auicenna 4.6.2.7. alia etiam signa ex Aetio citat, sed corruptè, quare omitto. Habet enim Aetius omnia vt Dioscorides: nisi quod præterea addit hæc verba, Primum equidem maculæ albæ per corpus apparent, deinde rubræ, postea nigræ cum putrefactione & defluuio capillorum. quæ verba etiam ipsa cum Nicandri & nostra sententia faciunt. Sed hæc signa eueniunt etiam vbi pars aliqua corporis à saliua salamandræ contacta est, vnde toti defluunt pili, idq; quod contactum est colorem in vitiliginem mutat, vt Plinius scribit. Et à morsu eius probabile est eadem fieri. A potu salamandræ accidunt dolores vehementes in ano (aliâs in stomacho, Bellunensis) & apostema sicut hydrops, & in ventre spasmus, & retentio vrinæ, Auicenna: ex quo etiam Arnoldus repetit sed corruptissimè vt excusi codices habēt, in libro de venenis. Video autem deceptum Auicennam, cum Dioscorides hæc signa de ijs scribat qui buprestin sumpserunt, de qua proximè ante salamandram agit.

De remedijs aduersus haustum salamandræ venenum.

¶ De peculiaribus remedijs aduersus haustam salamandram, quæ scilicet post communia statim (vt sunt vomitiones & clysteres, de quibus supra nonnihil dixi,) adhiberi debent. ¶ Auicenna 4. 6. 2. 7. eadem quæ Dioscorides & Aetius remedia præscribit, sed deprauatius. Salamandræ cura communis, est vt cura opij: & dentur in potu theriacæ magnæ, vt theriaca alferuch, & Mithridatum & similia, Auicenna. Quanquam autem curam eius communem esse dixit vt opij curam, non iccirco oportet salamandræ venenum esse frigidum, vt Matthæolus ratiocinatur, oblitus se paulò ante negasse calidum esse venenum licet eadem cura communis, quæ aduersus cantharides, ei debeatur. nam & calidis & frigidis venenis vna eademq; cura communis ferè omnibus debetur. ¶ Nunc particularia remedia, vt ab authoribus tradita sunt, ordine alphabetico subiungam. Aqua mulsa, vide in Lino. Calamintha, vt Auicenna ponit, non rectè, vide in Rana. *Aiuga* siue chamæpityos decoctum, in quo nuclei pinei (strobili, vel vt Ægineta habet strobilia, vnde Auicen. transtulit grana pini parua,) conterantur, Dioscorid. Chamæpityos folia coque cum conis, οὓς ἐψήσατο (ἐθρέψατο, Scholiast.) πεύκη, Nicand. Vide in pino infra. Cupressi folia, Auicenna: vide infra in Pino. ¶ Eruum, vide in Vrtica. Eryngium, vide infra in Rana. ¶ Galbanum ex melle linctum, aut resina pinea ex melle, Aetius & Dioscorid. Auicenna (aut eius interpres) ex Aetio, quem citat hunc locum malè transtulit, his verbis: Priuatim conferunt, ammoniacum, (resina, Bellunensis.) & gluten albotin, & sumatur de eis, aut ambo cum styrace. Galbani radix, Nicand. ¶ Lac recens, præcipuè bubulum, contra salamandræ venenum efficax est, Dioscorid. Lac infunditur phthisicis, cantharidum, aut salamandræ venenis, Plinius. infundi intelligo per clysterem. nam poti remedia mox priuatim subiungit. Dioscorides autem lac in potu dari vult: nec aduersantur, sed vtrunq; fecisse profuerit. Lilium, vide in Vrtica. Lini seminis farina ex aqua mulsa sumpta, quàm plurimum bene adiuuat, Largus. ¶ Mel quàm plurimum per se, vel cum resina ex pinu, Largus. Galbanum ex melle linctum, Dioscorid. Mustum cantharidum naturæ aduersatur, & salamandræ, Plinius. à quo & sapa commendatur. ¶ Oleum prodest contra cantharides, salamandras, &c. per se potum redditumque vomitionibus, Plinius. Resina pinus, (ῥητίνη πιτυίνη,) aut galbanum cum melle, in eclegmate, Dioscorid. Aetius clarius, Resinam pinus cum melle delingendam præbe, aut etiam galbanum cum melle. Δάκρυα πεύκης, id est lachrymæ piceæ, (quanquam Gaza ex Theophrasto πεύκην pinum vertit, πίτυν piceam,) cum melle, Nicander: & paulò pòst, Resina (simpliciter) cum melle. sed hic mel apum, ἔργα μελίσσης, expressè nominat, supra verò mel τενθρήνης, quod genus insecti ex apum genere vel api simile, vel ipsum alueare interpretatur Scholiastes. Resina ex pinu, cuius etiam tenera folia cum herba quam Greci chamæpityn appellant, decocta, ex aqua mulsa prosunt, Largus. Ἠὲ χαμαιπίτυος βλαστήμονος ἀμμίγα κώνοις Φύλλα καθεψήσας, οὓς ἐψήσατο πεύκη, Nican. vbi Scholiastes, Συνεψήσας οὖν φησι τοῦτο (τοὺς στροβίλους) τοῖς φύλλοις τῆς χαμαιπίτυος τῆς βλαστήμονος ἀναμε-

ἀναμεμιγμένως καθεψήσας τὰ φύλλα καὶ τοὺς κλῶνας ὅσους ἐθρέψατο ἡ πεύκη, δίδου πιεῖν. ὁμωνύμως λέγεται ὁ καρπὸς, ὁ στρόβιλος, καὶ ὁ κλῶν, Hæc ille. mihi quidem Nicander nullam ramulorum pinus, ſed fructuum tantum mentionem feciſſe videtur. neque enim vel ſtrobilum vel conum in alia quàm pro ipſo fructu ſignificatione legi dixerim. De re ipſa tamen non contendo, cum & Largus pini folia commendet, & cupreſſi folia Auicenna. quanquam is ſuper hoc remedio Aetium citat, apud quem nihil tale reperio. A iugæ decoctum in quo nuclei pinei conterantur, Dioſcorides & alij. ¶ Ranarum (βατραχίων, Ægineta βατράχων habet, quod magis probo, ne quis virides ranunculos terreſtres intelligat) ius cum quibus eryngij radix incocta ſit, Dioſcorid. & Aetius, qui remedium hoc præter opinionem auxiliari ſcribit. Nicander præterea ſcammonium addi & ſimul decoqui iubet: in cuius Scholijs non ſcammonium, ſed ammoniacum legitur, quod minus probo non admittente carmine. quanquam vetus etiam Auicennæ translatio ammoniacum inter remedia habet, tanquam ex Aetio ſed perperam. Bellunenſis legit, reſina, Aetius galbanum habet. Scammoniæ quidem liquor etiam contra leporem marinum à Dioſcoride commendatur. Ranæ decoctæ cum calamintha, Auicenna tanquam ex Aetio: ſed ille cum eryngij radice decoquit, vt Dioſcorides, nulla prorſus calaminthæ facta mentione. De remedio ex ranis vide plura mox in Teſtudine. Reſina, vide ſupra in Pinu. Rutæ genera (vt ſatiua, & ſylueſtris) valent tum contra alia multa venena, tum contra cantharides ac ſalamandras, Plinius. ¶ Sapæ vſus contra cantharides, ſalamandras, & contra mordentia venenata, Plinius à quo & muſtum laudatur. Scammonium, vide paulò antè in Rana. Styrax, vt ab Auicenna ponitur, neſcio quàm rectè: vide ſupra in Galbano. Suis præpinguis carnes, (Γέντα, carnes, Thracibus, Euſtathio teſte, & Nicander alibi, Καί τε βοὸς νέα γέντα) coctæ cum carnibus teſtudinis ſiue marinæ, ſiue terreſtris, Nicander. eſt & alia quædam lectio in Scholijs, vbi nulla ſuis mentio, quæ mihi nequaquam probatur. Sues quidem & apros ſalamandris deuoratis nihil pati, ſupra diximus: vnde Plinius etiam colligit primum ex præcipuum & ſuibus petendum eſſe remedium, vt ſupra expoſui. ¶ Oua teſtudinis marinæ aut terreſtris, cocta, Dioſcor. καὶ ὤεα θιβρὰ χελώνης Ἀλθαίνει, Nicander. Grammatici θιβρὸν tum aliter, tum feruidum apud Nicandrum interpretantur. ego hic oua cocta intelligo, vt Dioſcor. quæ ab igne aquæ vel cineris vbi cocta ſunt adhuc caleant. Contra ſalamandras carnium decoctarum teſtudinis marinæ ſuccum bibiſſe ſatis eſt, Plinius. Teſtudinum marinarum carnes admixtæ ranarum carnibus contra ſalamandras præclarè auxiliantur: neque eſt teſtudine aliud ſalamandræ aduerſius, Plinius. Et alibi, (lib. 32. cap. 5.) Ranarum marinarum ex vino & aceto decoctarum ſuccus contra venena bibitur, & contra ranæ rubetæ venenum, & contra ſalamandras. Sed cum ranæ ouiparæ quadrupedes nullæ in mari ſint, quæ autem ranæ marinæ (βάτραχοι ἁλιεῖς) vocantur ex genere piſcium planorum habeantur, neq; vlla earum vis contra venena prædicetur, quod ſciam, ſuſpectus eſt mihi hic Plinij locus, ita vt dubitem an potius legendum ſit, Teſtudinum marinarum ex vino & aceto decoctarum ſuccus, &c. nam & alibi teſtudinis marinæ ſuccum ſimpliciter decoctum (nimirum in aqua) vt ſuperius recitaui, contra ſalamandras commendat. Fieri autem poteſt vt hoc erratum (ſi eſt) commiſerit Plinius ipſe memoria lapſus: etſi de ranis illic omnino eum agere, ex ijs quæ ſequuntur patet, nempe de fluuiatilibus ranis. alibi ſanè nuſquam ranam marinam niſi pro piſce plano nominauit, longè diuerſi generis quàm ranæ fluuiatiles ſint, vt neq; remedia comparari debeant. Contra rubetæ quidem venenum nullum ab alio quoquam ex rana marina remedium præſcriptum inuenio, ſed neq; contra ſalamandram, ex teſtudine vero marina contra vtrunq;. Teſtudinis marinæ ſanguis cum vino, &c. contra rubetam bibitur, Dioſcor. Aut igitur omnino apud Plinium pro ranarum marinarum reponemus teſtudinum marinarum: aut ſaltem nullum periculum eſt ſi id fecerimus, cum Plinius ipſe teſtetur nihil teſtudine aduerſius eſſe ſalamandris. Suis præpinguis carnes cum teſtudine marina aut terreſtri coctæ, Nicander. Apollodorus vrticæ ſemen ſalamandris contrarium eſſe affirmat cum iure decoctæ teſtudinis, Plinius. Vrticæ folia cum lilijs & oleo decocta, Dioſcor. Nicander vrticam cum oleo & crimnis coquit, & in cibo dat ad ſaturitatem. eſt autem κρίμνος farina craſſiuſculè molita, κρίμνοι οἱ παχύτεροι τῶν ἀλεύρων, καὶ κρίμνος ἡ κεχθή. Scholiaſtes hic farinam erui exponit (cuius & proximè antè mentionem fecerat, cum ſicca erui farina ſemen vrticæ miſcendum pro remedio monens,) aut hordeaceam. facilis autem tranſitus eſt à κρίμνοις in vocem κρίνοις, id eſt lilijs, vt Ægineta, Aetius & Dioſcor. habent. Mihi Nicandri lectio placet. Vrticę ſemen etiam Auicenna inter remedia numerat, tanquam ex Aetio, apud quem hoc non legitur.

¶ De morſu ſalamandræ. Hanc lacertam in quibuſdam Galliæ locis, vt dixi, *arreſſadam* vocant, cuius morſum adeò exitialem eſſe putant, vt nulla vitæ ſpes relinquatur. itaque vulgò hæc metra celebrant: *Si mordu t' a vne arreſſade, Prens ton linceul & ta flaſſade.* hoc eſt, Si te ſalamandra momorderit, accipe linteum tuum ac tuam lodicem. Rhæti qui Italicè hodie loquuntur, aiunt à ſalamandra morſum tot medicis opus habere, quot diſtinguitur maculis. Sic & apud Arnoldum de venenis, affices quidam ſerpens multis & varijs diſtinctus maculis, tot habet ſpecies nocendi, quot colores diſtinctos. Dentes vbi ſemel inflixit ſalamandra, (vt quidam mihi retulerunt, neſcio an verè) nunquam remittit. & ſi auellatur, letale eſt. ita enim relinquitur venenum, (quod etiam de

De Salamandræ morſu.

bufone fertur.) itaq; relinquenda est à morsu pendens, quòd homo interim viuere possit. Nicander in Theriacis salamandræ morsum dolosum & semper infestum esse scribit, Καὶ σαλαμάνδρειον δόλιον δάκος αἰὲν ἀπεχθές. Significat autem δάκος tum serpentem mordentem, tum morsum ipsum, vt Varinus docet. Salamandræ duæ, quas domi habui, cum sæpe à me bacillis ligneis, herbarum caulibus aliterq; tentarentur, nunquam tamen ne os quidem tanquam morsuræ diduxerunt: morsum etiam ab eis apud nos nunquam audiui quenquam. sed fieri potest vt non omni tempore aut non in quauis regione mordeant, vt stelliones quoq;. ¶ Quos salamandra percussit, eos dolor vehemens & crustæ productio consequitur. adhibeatur autem eis communis cura iam prædicta, Aetius. Auicenna 4.6. 5.20. de salamandræ morsu scribens, (nam de alijs quoq; in eodem tractatu ictu morsuve relinquentibus venenum agit,) eadem tum signa tum remedia ponit quæ Græci salamandræ in corpus sumptæ veneno adscripserunt, & ipse etiam scripserat supra 4.6.2.7. nisi quòd illic quædam aliter habent, eò quòd è Græcis malè translata sint. Vnicum est in hoc loco remedium quod morsui conuenit, quòd ranas decoctas edi iubet, & ius in potu dari, (quanquam hoc etiam inter alexipharmaca ponitur:) & insuper carnem earum imponi, quod theriacum est, id est morsui conueniens. Cor vespertilionis contra salamandras prodesse Aggregator citat ex Plinij lib. 29. vbi nos cap. 4. cor vespertilionis non salamandris, sed salpugis siue solifugis contrarium esse legimus. Idem Aggregator remedia tanquam contra morsum salamandræ scribit, quæ ab authoribus contra venenum eius intra corpus sumptum prodita sunt. Morsus quidem salamandræ solus Nicander, Aetius & Auicenna meminerunt: remedia verò ad eum particularia nemo scripsit, (nam Auicennam in hoc errasse ostendi:) nimirum quod cura communis satis factura videretur. Nicander quidem in Theriacis, cum animalia aliquot venenosa, & ictu morsuve ab eis læsorum signa descripsisset, vt phalangia, scorpios, apes, vespas, scolopendram, salamandram, venenata marina, & alia: mox remedia subijcit, tanquam communia contra hæc omnia, nihil distinguens.

Salamandræ vsus apud chymistas. ¶ Curiosi quidam homines, in salamandris vim quandam inesse persuasi, qua argentum viuum in aurum mutetur, ipsas in olla super carbonibus ignitis ponunt, & argentum viuum per tubum ferreum oblongum superinfundunt: in quo opere interdum venenoso vapore exhalante ita inficiuntur, vt corpore intumescant, vel alia noxa implicentur, vel etiam de vita periclitentur. His Theophrastus Paracelsus remedio esse scribit nescio quam axungiam Solis, (oleum auri fortassis,) quam inter arsenici & argenti viui alexipharmaca descripserit. nos eam descriptionem in libris eius non reperimus.

H.


Homonymum. *a.* Ζωοφόρος, καὶ σαλαμάνδρα, καὶ ἀγγεῖον νεκρῶν, Hesychius & Varinus. videtur autem significari vrna in qua crematorum funerum ossa condebantur, aut ipsa cadauera integra: quam & sarcophagum vocabant, quòd ex certo lapidis genere fieri soleret, qui carnes mortuorum consumebat: quo sensu ζωοβόρον potius dixerim à consumenda animalium carne, quæ vis septica & exedens salamandris etiam in viua animalium corpora est.

¶ Epitheta. *Seu salamandra potens, nullisq; obnoxia flammis*, Samonicus. Nicander cognominat λιπόρινον, & φαρμακίδα σαῦραν πολυκηδέα. Et rursus, Καὶ σαλαμάνδρειον δόλιον δάκος αἰὲν ἀπεχθές, non de morsu, sed de ipsa salamandra. sequitur enim, Ἤ τε καὶ ἀσβέστοιο, &c.

¶ Lapis Eislebanus refert aliquando effigiem salamandræ, aliâs aliorum animalium, Georg. Agricola.

Superstitiosa. ¶ *e.* Alchymistæ dicti salamandra nescio quomodo in metallorum metamorphosi & chrysopœia vtuntur, vt aiunt: Vide nonnihil supra in fine capitis septimi. ¶ Salamandræ cor gestatum, securitatem ab igne præstat, & audacem contra incendium & incremabilem reddit. Animal ipsum in caminum vel ignem immissum, omnem flammam extinguit, Kiranides.

DE STELLIONE.



A.

Diuersæ opiniones de stellione, quæsit. GENERA lacertorum plura sunt, vt salamandra, saura, stellio, Isidorus. Hermolaus Barbarus conijcit stelliones esse quas Romanum vulgus *tarantulas* vocat, albas, innocuas, & pusillis lacertis similes. Idem Perottus & Grapaldus asserunt, & Lucius Ioan. Scoppa. Stelliones nonnulli *tarantulas* esse putant, Niphus. Stellio multas maculas paruas in dorso habet similes stellis. non enim est illa

eſt illa lacerta quæ aſpicit homines. iſta enim eſt viridis. illa habet colorem æruginis æris: & forte eſt de genere earum, quæ verſantur in ædificijs & domibus antiquis, & rarò mordet. quia habet dentes tortuoſos, quos relinqueret in vulnere, Ponzettus cardinalis: videtur autem non de alia quàm tarantula ſentire. Circa Romam inuenitur genus quoddam parui lacerti, dorſo per totum ſtellato, quod terrantulam vocant, quoniam ſub terra degere ſoleat. id quia valde venenoſum eſt, ſæpe cogitaui Dioſcoridis ſêpa ſiue chalcidicam lacertam eſſe: aut ſi ea non ſit, veterum ſtellionem, Petrus Matthæolus Senenſis in Dioſcorid. 2. 58. Et rurſus 6. 4. Stelliones (inquit) in Italia venenatos eſſe & letales alicubi Ariſtoteles ſcribit, qui vero illi ſint, non facile dixerim, niſi fuerint tarantulæ quæ apud Thuſcos reperiuntur in domibus, præcipuè in cauis quibuſdam murorum prope terram. Paruis enim lacertis ſimile eſt hoc animal, & araneis viuit, vt Plinius & Ariſtoteles de ſtellione ſcribunt: & per dorſum totum ſtellis quibuſdam inſignitur, vnde forſan nomen inuenit: & in Thuſcia morſus eius peſtifer eſt, Hæc ille. Ponzettus tarantulas non à terra, ſed à Tarento ciuitate circa quam abundant, dictas ſuſpicatur. Stellio, id eſt lacerta viridis, Vetus gloſſographus Auicennæ, & Ant. Muſa Braſauolus de ſimplicib. cap. 524. Stellionem medici noſtri temporis magno errore putant lacertum eſſe, cum longè aliud animal ſit lacerta minus, Perottus & Grapaldus. Matthæolus in Dioſcor. 6. 4. reprehendit illos qui lacertum minorem pro ſtellione accipiunt, cum lacertus ille ſanguinem habeat, & inter ſæpes ac macerias verſetur, quorum neutrum ſtellioni conuenit, qui etiam rore & araneis viuit, ille bruchis, cicadis, gryllis, cochleis, &c. homini beneuolus, nec vt ſtellio noxius. Stellio, id eſt lacerta facetana, ſed ſecundum quoſdam eſt lacerta viridis, Syluaticus. Stellio, vulgò lacerta vermicularis ruſticè, inuenitur in foraminibus domorum antiquarum, in quibus aranei quoq; manere ſolent, Niphus. ¶ Stellionem Græci *coloton* (lego *coloten*) vocant, & aſcalaboten, & galeoten, Plinius. Lacerti ſiue ſtelliones qui per parietem repunt, curti ſunt, Græcè aſcalabotæ vocantur, Marcellus Empericus. *Nomina Græca.* Ariſtophanes in Nebulis fingit, dum Socrates ore hiante Lunæ motum noctu obſeruat, ἀσκαλαβώτην vel γαλεώτην (nam vtroq; nomine vocat) à tecto alui excrementum ei immittere. Nicandes in Theriacis ἀσκάλαβον vocat, nimirum carminis gratia. Aſcalabotes à Gręcis dicitur, quòd apud eos ἄσκαλος circulus eſt. ſtelliones autem circulis quibuſdam depicti ſunt, & veluti lucentibus guttis in modum ſtellarum, vnde nomen, Perottus. Ego hanc etymologiam apud nullum idoneum authorem inuenio, vt neq; aſcalon pro circulo vſquam. Hebræi quidem *agil*, עגיל, circulum & rotundum vocant. Grammatici ἄσκαλα interpretantur impura, quod ſanè etymon animali impuro & venenato congrueret. Sed aſcalabotes fortè quaſi κωλοβάτης dictus fuerit, quod artuum ſuorum digitis & vnguiculis innixus per parietes repat, & felium aut muſtelarum inſtar aſcendat. nam & colotes, vt iam ex Plinio dixi, vocatur, & καλαβώτης Suidæ: niſi quis malit à calis, id eſt lignis ſic dictum, vt & calopodion, pedem vel calceum ligneum dicimus. nam & xylobates & tœchobates à Kiranide nominatur, quòd ligna (aſſeres ſcilicet ligneos) & parietes ſcandat. Ξυλοβάτης (inquit) vel Τοιχοβάτης eſt ſpecies parua crocodili (id eſt lacerti.) Κωλώτης, qui & γαλεώτης, δοκεῖ δὲ αὐτὸς εὐστόχως ἅλλεσθαι περὶ τοὺς μῦς, Varinus. hoc eſt, Videtur autem ſcitè & argute circa mures ſalire: quaſi hoc etymon ſtatuat, vt inde nomen habeat, tanquam εὐσταλαβώτης. ſed hoc feli potius aut muſtelæ quàm ſtellioni conuenit, qui mures nihil curat. Sciendum itaq; veteres aſcalabotæ & colotæ nomine tum de fele ſeu muſtela potius, tum de ſtellione ex æquo vſos eſſe, vt Grammatici quidem in dictionarijs interpretantur, Varinus & Suidas. nam apud ipſos authores nuſquam inuenio his vocibus felem aut muſtelam ſignificari, quum illam ſemper αἴλουρον, hanc γαλῆν nominent. Recentiores tamen Græci γαλῆν etiam pro fele ſeu cato poſuerunt, vt in Cati hiſtoria docui. Videtur autem vulgus Græcorum hæc nomina de duobus ſeu tribus iſtis animalibus ideo confudiſſe, quòd ex æquo omnes in ſublime ſuis pedibus & vnguiculis reptando ſcandant, In picorum genere arborum cauatores ſunt, ſcandentes in ſubrectum felium modo; illi verò & ſupini, Plinius 10. 18. Tranſtulit autem hunc locum ex Ariſtotele de hiſtoria anim. 9. 9. vbi ille Gaza interprete, Picus martius (inquit) ſcandit per arborem omnibus modis. nam vel reſupinus more ſtellionum ingreditur. Græcè pro ſtellionibus hîc aſcalábótas legimus, Hermolaus etiam ſtelliones vertit. Sed Græca integra apponam: Ὁ δρυοκολάπτης πορεύεται ἐπὶ τοῖς δένδρεσι ταχέως πάντα τρόπον, καὶ ὕπτιος, καθάπερ οἱ ἀσκαλαβῶται: In Mirabilibus eadem leguntur, ſed iſta clarius, καὶ ὕπτιος, καὶ ἐπὶ τὴν γαστέρα. atqui feles aſcendunt quidem commodè, minus commodè verò deſcendunt, vt deſilire plerunque vel omnino vel ex parte malint. ſtelliones vtrunque pari facilitate præſtant. Quare miror cur Plinius non potius ſtelliones tranſtulerit, vt debebat, quibus per parietes ingreſſus ſeu reptatio ſecundum omnes modos (ſurſum, deorſum, & in tranſuerſum obliquumque) conuenit, vt & picis & ſciuris. ὕπτιον etiam dixeris reptare animal, cum ſub aliquo tranſuerſo progreditur: vt ἐπὶ γαστέρα, cum ſuper eodem, hîc dorſo ſurſum, illic deorſum ſpectante. Cæterum alibi vbique Plinius aſcalaboten & galeoten ex Græcis vel ſimpliciter ſtellionem, vel ſtellionem traſmarinum reddit, vti nos obſeruauimus. Κωλετίναις ἀσκαλαβώταις, Heſychius & Varinus. Colotæ quidem nomen non aliter à colis, id eſt artubus & pedibus factum eſt Græcis, quàm ab iiſdem in hoc genere apud Latinos lacertus. Γαλεὸς & γαλεώτης, ἀσκαλαβώτης, Heſychius & Varinus. Galeotes igitur ſtellio vocatur, vel quòd vt galæ, id eſt muſtelæ & feles,

pedibus in ſublime ſcandit: aut fortè quod corporis ductu ſit oblongiore, vnde & galeis piſcibus, id eſt muſtelis inditum nomen. ſed ſtellio tum longitudine tum humiditate etiam crurum muſtelas quodammodo refert. Aſcalabótes ſtellio eſt quem & χαλαβώτην vocant, ſed frequentius galeoten. ἢ καὶ ὁ ποντικός, καὶ ἡ κοινῶς λεγομένη νυμφίτζα, Suidas, & partim Varinus. Eſt autem *nymphitza* recentioribus Græcis non alia quàm muſtela: ponticus verò, mus, cui aſcalabotæ nomen alius præter Suidam nemo quod ſciam attribuit. His tamen omnibus reptatio in ſublime conuenit. Aſcalabi etymon deduci poteſt etiam παρὰ τὸ ἀχαλῶς βαίνειν, à molli & tacito ingreſſu, (vt Etymologo & Varino placet) qui & felium & ſtellionum generi competit. Cæterum *aſcálaphos* per *ph*, dictus fuit Martis filius, παρὰ τὸ ἀχαλὸν καὶ τὴν ἁφὴν, ὁ τέρπων τὴν χρόα καὶ εὐαφής. ἀχαλὸν enim eſt lene, molle, quietum, Varinus. At Suidas contra, Ἀσκάλαφος παρὰ τὸ ἀσκαλὲς (ἀσκελὲς) τῆς ἁφῆς, ὁ λίαν σκληρός. Æginetæ interpretes 5. 11. pro galeota, id eſt ſtellione felem non rectè tranſtulerunt, (vt in Fele oſtendimus: & quòd aſcalabotes ac galeotes vnum ſit animal, licet Ægineta ſeparaſſe videatur,) & Auicennæ 4. 6. 4. 13. Σοφῆς ἀράχνης ἱςὸν εὗρε κωλώτης, Καὶ λεπτὸν ἐνέδυ φᾶρος, ἐκτεμὼν τοίχου, Babrius apud Suidam. veſcitur autem ſtellio araneis, vt in C. dicam. Dormit colotes in præſepibus, & narem ſubiens aſini, ne comedat impedit, Ariſtot. Albertus neſcio quomodo coloten hîc rattum exponit, idq́; ſine authore. Apud Græcos hodie vulgo ſtellionẽ λιακόνι vocari conijcio: quem enim ſic vocant, lacertum eſſe aiunt paruum, argenteo lucido colore, in ſiccis & apricis locis: & nomen ipſum quodammodo ad ſtellionem alludit, ſed per aphæreſin. A nonnullis tamen ſtellio eſſe putatur, qui vulgo Græcis hodie θαμιάμιθος aut ψαμαμύθη vocatur, quo nomine lacertum paruum ſignificari puto, ſed certum nihil habeo.

De nominibus Hebraicis & Arabicis. ¶ De ſtellionis nominibus Hebraicis vide quædam ſupra in Lacerto *A*. nam Septuaginta letaah transferunt in aſcalaboten, id eſt ſtellionem, &c. Munſterus שממית *ſemamith* ſtellionem vertit, alij araneam aut lumbricum: Vide in nomenclaturis ſalamandræ & ſimiæ. Ego omnino aut ſtellionem ipſum aut ſimile lacerti genus eſſe puto. proxima huic eſt vulgaris hodie vox Græca *pſamamythe* & *thamiamithos*, de quibus paulò antè dixi. Prouerb. 30. ſapientia animalia minuta quatuor numerantur, formicæ, cuniculi, locuſtæ, & ſemamith, quod manibus nititur & moratur in ædibus regijs, vt Hieronymus vertit: Munſterus araneam quæ manibus negotietur. ſed Hebraica vox *taphas* apprehendere & capere, non negotiari ſignificat. Manus quidem de ſtellione potius, qui manus digitatas habet vt lacerti, quàm de araneo dici poſſunt. *Semamith* Hebraicæ voci vicina eſt Arabica *ſamabras*, vel *ſaambras*, vt Bellunenſis legit, aliâs *ſenabras* vel *ſemabras*, vnde ſalamandræ nomen deductum videtur, non quòd idem ſed quòd ſimile & congener ſit animal. *Sarnabraus*, id eſt ſtellio, Vetus gloſſographus Auicennæ. *Senabras* idem eſt quod lacertus vel ſtellio qui in hortis reperitur, Bellunenſis. Videtur autem abuti ſtellionis nomine, vt & alij Arabum interpretes, idq́; generis loco ſtatuere, ſub quo ſpecies aliquot contineantur, quod rectius & Latinius lacerti quàm ſtellionis nomine facere poterant. *Samabras* quidem Auicennæ lib. 2. cap. 646. lacertam ſimpliciter ſignificat, vt ex adſcriptis ei remedijs clariſſimè conſtat. *Guaril* ſeu *vrel* apud Auicennam lib. 2. in capite de *athab* ſeu *aldab*, id eſt lacerto, vetus interpres ſtellionem reddit, Bellunenſis Arabicas voces relinquit. *Alurel* eſt animal terrenum, ſimile lacerto, coloris cinerei, longum ad quantitatem trium palmorum, Bellunenſis. *Guaril* lacerto ſimilis eſt, ſed corporis forma differt, cauda longa, & paruo capite, Obſcurus. *Guaſemabras*, id eſt ſtellio, Vetus gloſſographus Auicennæ: qui fortè duas voces *guaril* & *ſemabras* in vnam confudit. *Guauſes* animal quoddam habens ſanguinem, & eſt ſtellio, Syluaticus. videtur & hæc vox corrupta. Verus quidem ſtellio, teſte Plinio, ſanguinem non habet. *Guaril* aquaticus, id eſt ſcincus, ſed verius ſtellio, Vetus gloſſographus Auicennæ. Sed ſtellionis aquatici ex bonis authoribus nemo meminit. *Epithetos*, id eſt ſtellio, Syluaticus. Aſcalabotes (id eſt ſtellio) & araneus pugnant, Ariſtot. vbi Albertus ineptiſſimè habet, Auis aſcalonitis aliquando comedit *abachiez*. VASGA Arabicè ſunt reptilia, vt ſtellio, ſubnigra, dicta in Catalonia dracones domorum, quæ cum mordent, inflatur locus, donec denticuli infixi extrahantur, ſicut etiam denticuli ſtellionis vel lacertorum, Arnoldus in libro de venenis. Videntur autem mihi nihil ferè à veris ſtellionibus differre, præterquam colore. ¶ Albertus Magnus chamæleontem interpretatur ſtellionem maiorem, quod minimè probo. Idem chamæleontem, ſalamandram & ſtellionem imperitiſſimè confundit: & pro colote alicubi *arcolum* habet, ex Auicennæ interprete nimirum. ¶ Germani, Galli & Angli, nullum quod ſciam huius lacerti nomen habent, cum ipſo etiam animante careant. Errat qui ſtellionem Germanicè interpretatur Punttermolch/ quod animal omnino ſalamandram eſſe ſupra docui. ¶ Eſt & STELLIO tranſmarinus Plinio & Æginetæ, idem fortè qui ſcincus: de quo plura in *G*. & mox in *B*.

B.

Vbi reperiatur. Reperiuntur ſtelliones in Italia, etiam venenati morſus, Ariſtotele teſte: item in Thracia, Nicandro. Nos ſupra circa Romam & in Thuſcia ſtelliones tarantularum nomine haberi docuimus. Plinius in Italia naſci negat ſtellionis illud genus ſcorpioni contrarium quod Græci aſcalaboten & coloten vocent: (quod forte alibi ſtellionem tranſmarinum dicit.) Eſt enim hic (Græcorum ſtellio, inquit) plenus lentigine, ſtridoris acerbi, & veſcitur: quæ omnia à noſtris ſtellionibus aliena ſunt.

Stelli-

Figura corporis.

Stelliones in Sicilia aiunt morsum habere letalem, non vt apud nos infirmum & leuem, Aristot. in Mirabilibus. ¶ Cortice integuntur, Aristot. Stellio terga depicta habet interlucentibus oculis in modum stellarum, vnde nomen, Albertus. Et alibi, Piger est, dorso & cauda latior lacerto: & guttatus, cum lacerta sit vnius coloris. sed hæc coniuncta, ad salamandram magis referenda videntur, quam, vt dixi, cum stellione confundit, Circulis quibusdam depicti sunt & veluti lucentibus guttis in modum stellarum, vnde nomen, Perottus. Vide plura in A. *Aptumq; colori. Nomen habet varius stellatus corpora guttis*, Ouidius. Tarantulæ, vt Romæ vocant, albæ sunt, innocuæ, & pusillis lacertis similes, Hermolaus. Audiui etiam ex oculato quodam teste, tarantulam illam corpore lucido esse & fragili. Sed λιακόνι etiam vulgo apud Græcos dictus lacertus, siue idem siue similis, argenteo colore lucido esse fertur. Vidi ego nostros etiam communes lacertos in littore prope Venetias, albo colore, innoxios, nec mordentes licet digito in os inserto. Ascalabotes animalculum est lacertæ simile, Suidas. Similis ascalabotæ salamandra est, Aetius. Lacerti siue stelliones qui Græcè *ascalabotæ* vocantur, curti sunt, Marcellus Empiricus. ¶ Stelliones sanguine carent, lacertarum figura, Plinius. hinc forte albo & lucido colore apparent. Sunt qui & ranam in quadrupedum ouiparorum genere sanguinem præterquam in oculis habere negent. Chamæleontem Aristoteles scribit sanguine carere exceptis oculis & corde, & quibusdam ex eo nascentibus venulis. Quamobrem errasse videtur Syluaticus (aut librarius, qui negationem omiserit) apud quem legimus, *Guauses* animal quoddam habens sanguinem, & est stellio. ¶ Stellio vel lacerta cum mordet, dimittit in loco sui morsus dentes paruos, subtiles, nigros, Auicenna & Albertus: plura leges supra in Lacerto *B.* & *G.* Stellio fortè est de genere lacertarum, quæ versantur in ædificijs & domibus antiquis, & raro mordet: quia habet dentes tortuosos, quos relinqueret in vulnere, Ponzettus. Lacertorum etiam, qui Arabicè *vasga* dicuntur, stellioni similium dentes in morsu infixi hærent, vt Arnoldus scribit. ¶ Polypo brachia à congruo abrosa, renasci, sicut colotis & lacertis caudam, haud falsum, Plinius. Stellio Græcorum plenus est lentigine, quod nostro non conuenit. atqui alibi non ipsum lentigine plenum esse scribit, sed faciem illorum qui medicamentum ex ipso factum biberint, lentigine obduci, quod magis probo.

C.

Vbi viuant.

Stellio est lacerta inhabitans domos, Elluchasem. Stelliones in nouis domibus cernuntur, vt Marcellinus inquit, Hermolaus. In veteribus domibus, Ponzettus. Cubilia eorum in locis hostiorum fenestrarumq; sunt, aut cameris sepulchrisve, Plinius. Ascalabotæ aliquando ex superioribus locis in cibos, dum præparantur, decidunt, Dioscorid. Parietes ædificiorum rependo conscendunt, Suidas & Marcellus Empiricus. In sublime scandunt, felium modo: sed & deorsum reptant & ad latera, vt in *A.* dixi. Latebras petunt, Ouidius 5. Metam. *Senabras* idem est quod lacerta vel stellio, qui in hortis reperitur, Bellunensis. Stelliones & aliæ quadrupedes ouiparæ quomodo ingrediantur, ex Aristotelis libro de communi animalium gressu, in Crocodilo scripsi.

Quibus vescantur.

¶ *Nam sæpe fauos ignotus adedit Stellio*, Vergilius 4. Georg. Foramina aluearium angustissima esse debent, vt nec venenatus stellio, nec aliud animalculum noxium intrare & fauos populari possit, Columella. Chamæleonum stelliones quodammodo naturã habent, rore tantum viuentes, præterq; araneis, Plinius. Et alibi, Græcorum galeotes, stridoris est acerbi, & vescitur, quæ à nostris stellionibus aliena sunt. Puto autem eum ex Græcis hæc vertisse, & pro βρυγμὸς aut simili voce morsum significante, stridorem reddidisse, homonymia deceptum. βρυγμὸς enim vtrunq; significat, & stridorem qualis ex collisione dentium fit, & morsum, vt apud Nicandrum de ipso stellione, Ἔνθα ϗ ὑπιδανὸς περ ἀπεχθέα βρύγματ' ἔασιν Ἀσκαλάβου. Inter stellionem & araneum bellum est. deuorantur enim aranei à stellione, Aristot. Σοφῆς ἀράχνης ἱστὸν εὗρε κωλάτης, Καὶ λεπτὸν ἐνέδυ φᾶρος, ἐκτεμὼν τοῖχον, Babrius apud Suidam.

Hyeme latent.

¶ Stelliones mensibus quatuor frigidissimis latent, & nihil edunt interea, Aristot.

Pellem exuunt.

¶ Senectutem vere & autumno exuunt, vt & reliqua cortice intecta quibus mollis est cutis, Aristot. Tuniculam eodem modo vt anguis exuunt, Plinius. Exutam mox deuorant, vide in *D.* Γῆρας γαλεώτου, pellis stellionis, quam vt serpens per senectam exuit, Varinus. ¶ Oua parit, quorum liquor, vt Plinius scribit, euulsos palpebrarum pilos renasci non patitur. Animal est infirmum, Obscurus. Hinc nimirum ὑπιδανὸν ἀσκάλαβον Nicander dixit. ¶ Tarantulas in quibusdam Italiæ locis dictas (id est stelliones) si desuper alicubi cadant, caudam frangere aiunt: quod præ nimia corporis siccitate eis contingere videtur.

Oua. *Siccitas.*

D.

Quomodo præripiatur tunica stellionum quã hyeme exuunt.

Theophrastus autor est, angues & stelliones senectutem exuere, eamq; protinus deuorare, præripientes comitiali morbo remedia, Plinius & Ælianus. Ego id in libris Theophrasti qui extant non reperio, sed in Mirabilibus quæ Aristoteli tribuuntur. Aduersus comitiales magnificè laudatur tunicula stellionis. Operæprecium est scire quomodo præripiatur, cum exuitur membrana hyberna, aliâs deuoranti eam, quoniam nullum animal fraudulentius inuidêre homini tradunt. Inde stellionum nomen aiunt in maledictum translatum. Obseruant cubile eius æstatibus. Est autem

in locis hostiorum fenestrarumq́; , aut cameris sepulchrisve. Ibi vere incipiente fissis harundinibus contextas opponunt casas, quarum angustijs etiam gaudet, eò facilius exuens circundatum torporem. Sed eo derelicto non potest remeare, Plin. Inuidentissimum hoc animal intelligitur, quoniam senectutem suam deuoret, &c. hinc stellare verbum pro inuidere, Hermolaus. Ab hoc animali (inquit Perottus) stellionatus crimen apud Iurisconsultos nomen sumpsit: cuius cognitio, vt Vlpianus sentit, ad præsidem spectat, cum scilicet aliquid dolo factum est: vt si quis rem alij obligatam, dissimulata obligatione, per calliditatem alij distraxerit, vel permutauerit, vel insolutum dederit: aut si quis merces supposuerit, vel obligatas auerterit, vel corruperit: aut imposturam fecerit, cuius nulla alia ordinaria pœna est, sed extraordinariè plectitur, Hæc ex Vlpiano de crim. stell. Causa autem nominis secundum quosdam hæc fuit, quòd qui huiusmodi criminis rei sunt, astu & dolo velut quodam stellionis medicamento homines fallunt. fit enim è stellione malum medicamentum. etenim cum mortuus est in vino, faciem eorum qui biberint, lentigine obducit. Nos autem causam nominis veriorem hanc esse existimamus, quòd nullum animal fraudulentius inuidere homini tradunt. ideo nomen hoc versum est in maledictum: & quoties insidiatorem aliquem significare volumus, stellionem nominamus. Scit stellio nihil tuniculæ suæ in comitialibus morbis præferri, &c. ex Plinio, Hæc Perottus. A stellione fraudulentissimo animali stellionatus crimen & stellatura dicitur, Hermolaus.

Inuidum animal stellio. Stellionatus crimē vnde dictum.

Stellatura nomen erat annonæ militaris, Lampridius in Alex. Annonas, inquit, militum diligenter inspexit: Tribunos qui per stellaturas militibus aliquid abstulissent, capitali pœna affecit. Spartianus in Pescennio Nigro: Nam & Imperator Tribunos duos, quos constitit stellaturas accepisse, lapidibus obrui ab auxiliaribus iussit, Budæus. Mihi non videtur nomen esse annonæ in priori exemplo, in posteriori potest. Sunt inter recentiores Grammaticos qui stellaturam interpretentur extortionē siue fraudem qua capitanei seu duces subtrahebant militibus partem annonæ ab Imperatore eis designatæ. Stellaturam sunt qui in fraudum vsurpent ratione. Illud grauius, quod eruditis obseruatum scio, Stellaturam in militaris annonæ erogatione videri frumentarijs tesseris persimilem, quibus acceptis, plebi gratuitum distribuebatur frumentum. quippe hac contributa, vilius constabat militibus annona. Meminit in Alexandro Lampridius. Frumentaria perceptio in ratione hac nuncupatur Iulio Capitolino in Antonini Philosophi vita: Ob hanc, inquit, coniunctionem pueros & puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni adscribi præceperunt, Hæc ex Antiquis lectionibus Cælij.

Stellatura nomen annonæ militaris.

Stellionatus igitur est quasi furtum quoddam callidum & dolosum, quod fit malè erogando aut distribuendo aliquid: aut contrahendo, emendo, vendendo, quod forsan etiam à Græco verbo στέλλειν aut ὑποστέλλειν, quod est subtrahere, deriuatum aliquis conijciat. Non solum autem circa senectam suam, vt diximus, deuorandam, calliditas stellionis notatur: sed aliâs quoq; astutum est animal. nam & apibus dolosè insidiatur. quamuis enim Columella 9. 7. lacerto hanc fraudem tribuit, videtur tamen de stellione accipi posse, quem paulò antè peculiariter nominauit. aut vterq; forsan apibus insidiatur. Οὑτοσὶ δὲ γαλεώτης γέρων, Menander, vt citat Suidas in Ascalabote. vbi galeoten senem astutum fortè quis rectè interpretetur.

Quid sit stellionatus.

¶ Colotæ hostis asinus est. dormit enim colotes in præsepibus, & narem subiens asini, ne comedat impedit, Aristotel. Albertus hoc loco coloten ineptè rattum, id est murem maiorem exponit. ¶ Scorpionibus contrarius maximè inuicem stellio traditur, vt visu quoq; pauorem ijs afferat, & torporem frigidi sudoris. Itaq; in oleo putrefaciunt eum, & ita quæ scorpio pupugerit loca inungunt, Plinius. Scalaboten, id est stellionem, hostem existimat scorpius, νάρκη δὲ τοῦτον, Philes. lego, ναρκᾷ δὲ τοῦτον. hoc est, afficit autem illum torpore. quamuis non scorpio stellioni, sed stellio scorpioni torporem inferat, vt iam ex Plinio diximus. Idem testatur Galenus in lib. de theriaca ad Pisonem. Stellio (inquit) visus à scorpijs ὑποπήγνυσιν αὐτοὺς, καὶ οὕτως ἀναιρεῖ: id est, torpore eos afficit, & ita interimit. Magnam aduersitatem scorpionibus oleo mersis & stellionibus putant esse, innocuis duntaxat ijs, qui & ipsi carent sanguine, lacertarum figura. atq; scorpiones in totum nulli nocere cui non sit sanguis, Plinius. Vetus lectio habebat, magnam aduersitatem cum stellionibus putant esse, &c. sine his verbis, oleo mersis, ijs ad præcedentia relatis. Quòd si ad sequentia referas, sensus erit, scorpios oleo mersos, stellionibus aduersari, eorum scilicet morsui. atqui superius ex Plinio recitauimus, stellionem in oleo putrefieri contra scorpionum ictus. Sed vt idem refert, inuicē contrarij sunt, vt vtrunq; aduersus alterius venenum valere probabile sit. Stellionem scorpius hostiliter odit: scorpionem torpedo admota comprimit, Ælianus interprete Gillio: sed perperam, vt supra ex Philæ verbis per nos castigatis apparet. Crediderim autem Æliani codicem, quo vsus est Gillius corruptum fuisse: vt & illum quo vsus est Philes, qui sua omnia ab Æliano mutuatus est. aut si ita scripsit Ælianus, illū ipsum errasse ex Plinij & Galeni verbis conuincemus. ¶ Inter stellionem etiam & araneum bellum est. deuorantur enim aranei à stellione, Aristot.

Stellionis hostes Asinus. Scorpius. Araneus.

E.

Fel stellionum tritum in aqua mustelas congregare dicitur, Plinius.

F.

Stellio, præsertim transmatinus, editur etiam, sed ad remedia tantum, vt proximè dicetur.

DE RE-

G.

DE REMEDIIS EX STELLIONE TVM SIMPLICITER VEL *Italico, tum tranſmarino vel Græcorum ſtellione.*

Remedia ex toto ſtellione.

Stellio & lacerta in cibo faciunt vt accipitres citius mutent pennas, Creſcentienſis. Aduerſus comitiales ſtellionem aliqui harundine exenteratum inueteratumq́; bibendum dedêre. alij in cibo in ligneis verubus inaſſatum, Plin. Hydrocelicis ſtelliones mirè prodeſſe tradunt. capite, pedibus, interaneisq́; demptis, reliquum corpus inaſſatur. in cibo id ſæpius datur, ſicut ad vrinæ incontinentiam, Idem. Dyſentericis ſtellio tranſmarinus medetur, ablatis inteſtinis & capite, pedibuſq́; ac cute, decoctuſq́; & in cibo ſumptus, Plinius. Lumborum dolori medetur ſtellio tranſmarinus, capite ablato & inteſtinis, decoctus in vino (ſic enim legendum) cum papaueris nigri denarij pondere dimidio eo ſucco bibitur, Idem. ego poſt dimidio diſtinxerim: & pro eo ſucco, legerim, & ſuccus: id eſt, decoctum vel ius, bibitur. Idem remedium alibi ſic deſcribit, Iſchiadicis ſtellionem potu prodeſſe dicunt, adiectis papaueris nigri obolis tribus. ¶ Aſcalaboten aiunt ictibus ſcorpij vtiliter imponi, Galenus lib. 11. de ſimplic. Scorpionibus contrarius maximè inuicem ſtellio traditur, vt in *D.* retuli. Itaq; in oleo putrefaciunt eum, & ita ea (quæ ſcorpius inflixerit) vulnera perungunt. Quidam oleo illo ſpumam argenteam decoquunt ad emplaſtri genus, atq; ita illinunt, Plin. Oleo ſtellionis ſi quis locum à ſcorpio ictum inunxerit, dolorem compeſcet, vt Democritus docet, Diophanes in Geoponicis. Oleum ſtellionis, id eſt lacertæ inhabitantis domos, illitum axillis adoleſcentium, pilos euulſos enaſci prohibet, Elluchaſem. Ad ſcrophulas non fractas. Recipe quatuor ſtelliones & octo vel decem lacertas & amputatis capitibus & caudis decoque eas in oleo oliuarum, quouſq; ſpinas ſpernunt (forte ſeparant) & carnes in oleo diſſoluantur, poſtea cola per pannum & exprime oleum bene, & cum hoc oleo inunge ſcrofulas & glandulas, quas ad maturitatem peruenire non vis, quod abſq; inciſione vel fractura aliqua expellit & conſumit eas optimè inungendo eas mane & ſero. *Ex oleo eius.* ¶ Magnificè laudatur contra comitiales ſtellionis tranſmarini cinis potus in aceto, Plin. Ad vuluæ morbos, Stellionem viteis lignis crematum imponito, & bene facit, Galenus Euporiſt. 2. 14. Crocodili (ſtelliones. de his enim tractat, tanquam crocodilorum, id eſt lacertorum ſpecie) in cibo ſumpti tanquam piſces, impudentes & inuerecundos (nimirum ad Venerem procliues) reddunt, Kiranides. Mirum & de ſtellionis cinere, ſi verũ eſt, linamento inuolutũ in ſiniſtra manu Venerem ſtimulare: ſi transferatur in dextram, inhibere, Plin. *Ex cinere.* Ad Venerem ciendam Oribaſij apud Aetium: Stellionem vſtum quàm tenuiſſimè conterito, deinde oleum affundito: atq; ex eo magnum dextri pedis digitum inungito, & coito. vbi verò à coitu ceſſare velis, digitum ipſum abluito. ¶ Antidotus tentiginem excitans, dextro aut ſiniſtro impoſita pedi, renibus item & teneræ cuti, numero 69. apud Nicolaum Myrepſum, inter cætera medicamenta recipit ſtellionem, cantharides & ſcincum. Vnguentum entaticon, ad accendendam Venerem, quod Ægineta deſcribit cap. 17. lib. 7. inter cætera tres aſcalabotas accipit, qui viui macerari iubentur in aceto per dies quadraginta, vaſe defoſſo in fimo. Vt in Venerem cum volueris ſis paratus, remedium tale facies. Lacerti appellantur ſiue ſtelliones qui per parietem repunt, curti ſunt, quiq́; Græcè *aſcalabotæ* vocantur. hi quatuor infunduntur in acetum acre triduo vel quatriduo, quouſq; putreſcant. hoc teres in mortario, & adiunges galbani ſcrup. IX. Abrotoni, caſtorei, ſulphuris viui, reſinæ terebinthinæ, croci, ſingulorum ſcrup. XII. Euzomi ſucci, mentæ viridis ſucci, ſtaphiſagriæ, iris Illyricæ, aluminis ſciſſi, ſingul. ſcrup. VI. Myrrhæ, ſeminis herbæ ſymphoniacæ ſiccæ, vtriuſq; ſcrup. III. Hæc omnia ſeparatim trita ſimul miſcebis, & iterum ſimul teres inde emplaſtrum facies vel pittacium, & pones in dextri pedis pollice cum vti volueris Venere: & cum ceſſare volueris, ad ſiniſtri pedis pollicem transferes, Marcellus. Dextra xylobatæ molla (forte, in collo) geſtata, arrectionẽ facit: ſiniſtra verò mulieribus delectationem æqualẽ, Kiran. Vt ex ſtellione, ſic ex ſalamandra etiam, veterũ aliqui remedia ad Venerem excitandam præſcribunt, ſed maximè ex ſcinco. *Medicamenta ex ſtellione ad Venerem excitandam.*

¶ Theophraſtus autor eſt ſtelliones ſenectutem exuere, eamq́; protinus deuorare, præripientes comitiali morbo remedia, Plinius. Vide ſupra in *D.* Nos hoc legimus in Mirabilibus quæ Ariſtotelis nomine feruntur. Tunicula ſtellionis, quam eodem modo vt anguis exuit, pota, magnificè laudatur aduerſus comitiales, Plinius. Et rurſus, Nihil ei remedio in comitialibus morbis præfertur. *Ex pelle.*

¶ *Guaril, vrel,* vel *alurel,* aliqui ſtellionem interpretantur. nos quæ ei Arabes tribuunt remedia, (carni, ſanguini & fimo eius,) in Lacerto retulimus: quoniam lacerto Græci ferè eadem attribuunt.

¶ Stellionis caput combuſtum & tritum, & melli Attico admixtum, oculos lacrymoſos inunctione adſidua ſiccat & ſanat, Marcellus. Lachrymantibus ſine fine oculis, cinis ſtellionis capitis cum ſtibio eximiè medetur, Plin. Ad ſonitus & inflationes aurium, Viticem & ſtellionis caput pari pondere trita ammixto oleo inſtilla, Apollonius apud Galenum de compoſ. medic. ſec. locos. Idem planè remedium Plinius memorat ad clauos pedum. *Ex capite.* ¶ *Mande cor, & tantus proſternet corpora ſomnus, Vt ſcindi poſſint abſque dolore manus,* Io. Vrſinus de ſtellione ex Arnoldo vt Scholiaſtes annotauit. Nos hoc apud Arnoldum de corde lacertæ legimus. Veteres quidam crocodili corio hanc vim adſcribunt: Vide ſupra in Crocodilo *G.* Xylobatæ frixura inunctus aliquis, ſine dolore erit ad verbera, *Ex corde.*

Ex ouis. *Ex felle.* *Ex stercore.*

(vulnera, sectiones,) Kiranides. Pilos in palpebris incommodos euulsos renasci non patitur ouorum stellionis liquor, Plinius. In medicamentis succidaneis, quæ cum Galeni & Æginetæ operibus habentur, pro felle cameli (malim chamæleontis) fel ascalabotæ substituendum legimus. ¶ Stellionis stercus curat impetiginem, & ephelides faciei & alphos aufert, Serapionis interpres ex Galeno: quum Galenus de crocodili terrestris stercore hæc scribat. Vide supra in Lacerti fimo. Stercus xylobatæ, vt & sanguis, hebetudinem oculorum & albuginem sanat, Kyranides.

DE VENENO STELLIONIS IN CIBO AVT POTV SVMPTI.

Sæpe ex superioribus locis in cibos dum præparantur decidunt venenata quædam animalcula, vt phalangia, ascalabotæ, & alia, Dioscorid. Caro stellionis mortificat. & quandoq; cadit in vino, cui immoritur & dissoluitur. hoc qui biberit, vomitu & dolore stomachi vehemente conflictatur. Siue cibus autem siue potus hoc veneno infectus & ingestus fuerit, cura communis & eadem quæ aduersus cantharides adhiberi debet, Auicenna 4. 6. 2. 5. Aduersus salamandræ etiam & lacerti venenum, eadem remedia valere, quæ contra cantharides, apud Plinium legimus. Curandi ratio adhiberi debet communis: hoc est per vomitus & clysteres ab initio, & exhibitionem theriacæ vel alterius antidoti, Matthæolus. *Alharbe* (id est chamæleo) exitialis est, similiter stellioni, Auicenna.

DE MORSV STELLIONIS ET REMEDIIS.

Stelliones fortè sunt, quos Romanum vulgus *tarantulas* vocat, albas, innocuas, & pusillis lacertis similes, Hermolaus. Venenatum stellionem Columella dixit, vbi aditus aluearium adeò angustos fieri iubet, vt hoc animal irrepere non possit. Theophrastus author est stelliones pestiferi in Græcia morsus, innoxios esse in Sicilia, Plin. 8. 31. Nos hæc in Aristotelis de Mirabilibus libro legimus, contrario sensu: nempe in Sicilia morsum stellionum letalem esse, in Græcia verò infirmum & leuem. Italiæ locis quibusdam morsus etiam stellionum exitiales sunt, Aristoteles. Nicander quoque in Theriacis, circa insulas Thraciæ stellionis vtcunq; infirmi animalis morsus noxios esse ait, Ἔνθα καὶ ὑπιδανῶ περ ἀπεχθέα βρύγματ' ἔασιν Ἀσκαλάβου. Hinc Plinium transtulisse puto quod scribit stellionem transmarinum animal esse stridoris acerbi, vt supra dixi in C. Stellionis morsus est lethalis, Paracelsus. Selliones nonnulli tarantulas esse putant. horum morsus perrarò interimit hominem, tamen semistupidum efficit, varieq; afficit, Niphus. loquitur autem de tarantulis lacertorum generis. Qui à stellione morsi sunt, assiduè & contentè dolitant, morsusq; locum liuidum habent. Iuuantur autem e uestigio, si cæpe & allia cataplasmatis modo eis imponantur. Auxiliantur eadem comesta, vino meraco post eorum acceptionem absorpto. Vtiliter etiam sesamum eis imponitur, aut melanthium aqua mulsa affatim affusa, Aetius 13. 12. Eadem habet Ægineta 5. 11. Sed ille aut librarius in hoc peccauit, quòd primum aduersus ascalabotæ morsum, sesamum tritum imponi iubet. deinde reliqua, vt Aetius, subiungit, ad galeotæ tanquam diuersi animalis morsum. Errarunt etiam interpretes qui eo in loco pro galeota, id est stellione, felem reddiderunt. Qui error ab Auicenna quoq; aut eius interprete commissus est 4. 6. 4. 13. vbi eadem habet Auicenna, quæ Aetius, eodemq; ordine. sed addit, curari à stellione morsos cura communi. & pro allio calamintham montanam nominat, qui lapsus fortè interpretis est. Stellio & lacerta dimittunt in loco sui morsus dentes paruos, subtiles, nigros: nec cessat locus pruritum & dolorem mouere donec extrahantur, &c. Vide supra in B. & in Lacerto in *B.* & *G.* *Vasga* Arabicè sunt reptilia vt stellio, subnigra, dicta in Catalonia dracones domorum, quæ cum mordent, inflatur locus, donec denticuli infixi extrahantur, sicut etiam denticuli stellionis vel lacertorum, Arnoldus. Quum morsus stellionis manifestè apparet, dicunt quòd debet poni super eo scorpio tritus, & pro antidoto dari modicum de stercore falconis, cum vino, Ponzettus qui stellionem & alia lacertorum genera confundit. Sesama stellionum morsibus resistit, Plinius. Rhazæ Arabis verba de remedijs ad morsus stellionis & lacertæ, recitauimus in Lacerta *G.* Scorpio tritus stellionum veneno aduersatur. Fit enim & è stellionibus malum medicamentum. Nam cum immortuus est vino, faciem eorum qui biberint, lentigine obducit. Ob hoc in vnguento necant eum insidiantes pellicum formæ. Remedium est oui luteum, & mel ac nitrum, Plinius.

H.

Synonyma & homonyma.

a. Est & stellio araneorum generis, Perottus & Niphus. Ego Latinorum neminem noui, qui inter araneos stellionem nominârit. quare deceptum suspicor Perottum, vel quia Græci *astérion* phalangijs adnumerant: vel quia tarantulam tum phalangij siue aranei genus vocitant, tum lacerti qui stellio existimatur. ¶ Ἀσκάλαβος, γαλεός. ἀσκαλαβώτης, καὶ (ὁ) αὐτὸς, Hesychius & Varinus in Γαλεός. Nos γαλεὸν pro galeota & stellione apud authores non reperimus, præterquam Stephanum. Ἀσκόλαχα, ἀσκαλαβώτης, Hesych. & Varinus. Καλαβὰς, καλαβώτης. Καλαβύρας, τοὺς κωλώτας, Ἀργεῖοι. Καλαβώτης, piscis quidam, & lacertus, Iidem. Κάλαφος, ἀσκάλαφος, μαγνήτης, Iidem. sed Ascalaphus per *ph.* proprium viri. Syluaticus scalabotas imperitè cantharides interpretatur. Γαλλιῶται, ἀσκαλαβῶται, Λάκωνες, Hesychius. Κωλεπίναις, ἀσκαλαβώταις, Hesychius & Varin. Αἰγύπτης, ἀσκαλαβώτης, σίντης, Iidem.

Epithe-

Epitheta. Venenatus ſtellio, Columella. Οὐπιδανός, Nicander. Ignotus ſtellio apud Vergilium, à Seruio exponitur ignobilis, vel ex improuiſo veniens.

Icon. Thraſybuli ſtatua eſt in Olympia, cuius dextrum humerum ſtellio (γαλεώτης,) quamuis Loëſcherus interpres felem reddidit) aſcendit, & canis victima adiacet, Pauſanias Eliac. 2.

Stellare, ſtellatura, ſtellionatus: Vide ſupra in *D.* ¶ Γαλεώτης γέρων, apud Menandrum, de ſene, vt videtur, callido vel inuido.

Γαλεώτης, nomen proprium, Suidas. Galeotæ dicebantur vates quidam in Sicilia & Attica, vt ait Stephanus: à Galeote (Galeo, Steph. apud quem tamen mox rurſus Galeotes legitur) Apollinis filio & Themiſtûs, (qui in Sicilia oracula obtinuit, vnde Galeotæ ibidem dicti eius ſucceſſores, Gyraldus:) quæ Zabij regis Hyperboreorum filia fuerit. Hic autem Galeotes frater Thelmiſſi eius traditur, qui Telmiſſum vrbem in Caria condiderit, oraculo ex Dodone accepto, vt alter orientem Solem verſus, alter occidentem nauigaret: atq; vbi ea quæ ſacrificaſſent ab aquila rapi cernerent, in eo loco ſedem capeſſerent. Ælianus quoque Dionyſium tyrannum Galeotas ſolitum conſulere in Sicilia ſignificat. Cicero quoq; in primo Diuinationis lib. portentorum interpretes in Sicilia, Galicios appellat: vt fortaſſe non Galicios, ſed *Galeotas* ſcribere oporteat, Hermolaus. Stephanus etſi galeòn interpretatur aſcalabóten, id eſt ſtellionem in Galeotarum mentione: ipſos tamen dictos innuit à galeis, id eſt muſtelis piſcibus marinis longè callidiſſimis, aut obiter tantum hæc adfert propter vocis affinitatem, Galeotas verò ab eiuſdem nominis Apollinis filio tantum nominatos vult. aut potius dubitat ab illóne, tanquam vate, dicti ſint, an ab aſtutis animalibus, ſiue galeo terreſtri, ſiue galeis marinis, vt locus pro mutilo habeatur. Idem plura ſe de Galeotis in Telmiſſo dicturum pollicetur, vbi tamen nullam Galeotarum mentionem reperimus: mutilato nimirum codice vt aliâs ſæpe. Hyblæ vrbis minoris in Sicilia, incolæ Galæotæ vel Megarei dicuntur, Stephanus. Galeotæ vates Siculi, Galei quoq; dicti Pauſaniæ grammatico, qui in Hybla (inquit) habitarent, Hermolaus, Γαλεοί, μάντεις. οὗτοι κατὰ τὴν Σικελίαν ᾤκησαν. καὶ γένος τι, ὥς φησι Φανόδημος καὶ Ῥίνθων Ταραντῖνοι, Heſych. & Varin. ¶ Κωλώτης per *o* magnum in prima & ſecunda ſyllaba, ſtellio eſt & Bacchus, vt Venus κωλῶτις. Κολώτης verò per *o* breue in prima, nomen eſt Epicurei cuiuſdam philoſophi cuius meminit Macrobius: & ſtatuarij apud Plinium 35. 8. Colotes in Elidis Cyllene mira ſpecie fecit Æſculapium eburneum, Strabo lib. 8. Fuit etiam Teius quidam pictor hoc nomine, cuius meminit Quintilianus libr. 2. ¶ Aſcalabus per *b*, ſtellio eſt, Aſcalaphus per *ph*, Aſtyochæ & Martis filius: & alius Acherontis & Orphnes, in bubonem mutatus Ouidij Metam. 5.

Galeotæ vates Siciliæ.

b. Scordyle, animal quoddam paluſtre eſt, ſimile ſtellioni, Heſychius.

d. In fraudulentos Emblema Alciati.

Parua lacerta, atris ſtellatus corpora guttis
Stellio, qui latebras & caua buſta colit,
Inuidiæ prauiq; doli fert ſymbola pictus:
Heu nimium nuribus cognita zelotypis.
Nam turpi obtegitur faciem lentigine, quiſquis,
Sit quibus immerſus ſtellio, vina bibat.
Hinc vindicta frequens decepta pellice vino,
Quam formæ amiſſo flore relinquit amans.

Vide ſupra in fine capitis ſeptimi.

e. Io. Vrſinus in carminibus ſuis de animalibus ſcribit, ſi quis caudam ſtellionis amputatam manu contineat donec tota immoriatur, & eadem manu poſtea naturam mulieris attingat, neminem alium cum illa rem habere poſſe. Oliuarius Scholiaſtes addit, hoc tradere Marcellum in Empirica. ego nihil tale apud Marcellum Empiricum reperi. Xylobates inſigne philtrum eſt, Kiran.

Superſtitioſa & magica ex ſtellione.

g. Contra quartanas, Magi ſtellionem incluſum capſulis ſubiiciunt capiti, & ſub deceſſu febris emittunt, Plinius.

h. Cererem Metáneira mulier hoſpitio ſuſcepit: & cum ſacrificaret ei, Abas filius Metaniræ indignatus eſt matri quòd hoſpitio deam ſuſcepiſſet, & ſacrificium eius per inuidiā irriſit. & contra deam locutus eſt: vnde illa irata, potum (κέρασμα) in cratêre relictum ſuper eum effudit, & ſic in ſtellionem mutauit, Scholiaſtes Nicandri in Theriaca. & Ouid. Metam. 5. paulò aliter. *Combibit os maculas, & mutato. quæ modo brachia geſſit, Crura gerit. cauda eſt mutatis addita membris. Inq; breuem formam, ne ſit vis magna nocendi, Contrahitur, paruaq; minor menſura lacerta eſt.*

Fabula de Abāte in ſtellionem

DE TESTVDINIBVS IN GENERE.

A.

TESTVDO, quam Græci χελώνην vocant, quadrupes eſt ouipara, & ſanguine prædita. Recētiores quidā, vt Albertus & interpres Raſis, teſtudinē pro limace ineptiſſimè ponunt interdum. Anxiè ab eruditis id quæſitū, in piſcitij decuriam veniántne teſtudines. Et non venire forſan liquidò valet comprobari, ac primum ratione principij, quoniam vti gallinæ oua ædunt, colore ac ſubſtantia & cortice ferè eadem. deinde nec generatio eſt diuerſa, quum perfricatione piſces naſcantur. Spirant quoq;, quod piſci non contribuit Ariſtoteles. ambulant item, ſquammas non habent, ſed oſſa, Cælius. ¶ Sed cum tria ſumma teſtudinum genera ſint, primum terreſtre, ſecundum quod in dulcibus

De nominibus variis diuerſarū linguarum.

aquis, tertium quod in marinis degit, dicam prius de iis quæ apud authores in genere ſcripta repeto, ita vt cuiuis ex iſtis generibus accõmodari poſſint: deinde priuatim de ſingulis. ¶ שבלול, *ſchablul*, Hebraicè limacem ſignificat, vt mihi videtur, non teſtudinem vt quidam interpretatur, confundens fortè limacem cum teſtudine. Inſtar limacis defluentis (impij) abeant, (& fiant veluti) abortus mulieris, qui non videt ſolem, Pſalmo 58. Dauid Kimhi vocem *ſchablul* interpretatur לימציא id eſt limacem, cui conſentit R. Salomon in Pſalmum iam citatum ſcribens, & Abraham Eſra quoq;. Aliqui tamen ſpicam intellexerunt. Chaldaica tranſlatio habet תיבללא, *thiblela*. Arabica, לשמעת, *liſemat*, ſi rectè ſcribo. Septuaginta κηρὸς, id eſt cera, vt & Hieronymus, qui tamen in altera trãſlatione vermem reddit. Quidam impetum aquæ interpretantur, teſte Munſtero. Dauid Kimhi (vt idem ſcribit) reptile eſſe ait, quod contegit ſe in medio teſtæ qua veſtitur, & incedendo diſſoluitur, (ſoluti humoris ſui veſtigia poſt ſe relinquit.) hoc reptile ſi contuderis, & impoſueris vlceri, præſentaneum dicitur eſſe remedium. Verbum quidẽ מס, *mas*, vel מסס, *maſas*, apud Hebræos, non ſimpliciter diſſolui, ſed liqueſcere ſeu liquefieri ſignificat: quod limaci magis quàm vlli animalium conuenit. nam & aliâs facilè liqueſcit: & ſale tacta, ferè tota in humorem ſoluitur. Auicenna tamen limacem vocat *halzun*, neſcio an Arabica an Perſica voce. teſtudinem verò *ſelhafe* lib. 2. cap. 698. חומט, *homet*, Leuitici vndecimo teſtudinem aliqui transferunt: ego lacertum videri hac voce ſignificari, pluribus aſſerui in Lacerto *A*. קיפוד, *kipod*, quoq; Hebraicam vocem, non teſtudinem, vt aliqui ineptè exponunt, ſed omnino erinaceum deſignare ſuo loco oſtendi. *Kauken* & *ſalabhaſe* Arab. Teſtudo. Auicẽna. *Halachalie* apud Albertum, (vel Auicennam potius ex quo ille deſumpſit) vbi Ariſtotelis animalium hiſtoriæ caput ſextum libri noni interpretatur, teſtudo eſt, *ladach* ciconia: ipſe ſtultiſſimè equos & equiceruos interpretatur. ¶ Teſtudo Italicè vocatur *teſtuma*, *teſtudine* vel *teſtugine*, *tartuca*, *cuſuruma*, vt Scoppa docet. alibi etiam *tartocha* & *coforona* lego. Teſtudines (inquit Braſſauolus Ferrarienſis) *gallanæ* à nobis, ab aliis *tartugellæ*, à nonnullis *biſcæ ſcutellariæ* vocantur, (id eſt ſerpentes ſcutati.) *Tortucam* vocant aliqui ſerpentem ſcutatum, Albertus. Taurini ſerpentem *cuppariam* à *cuppa*: alij Itali ſerpentem *ſcutellariam* a ſcutella. nos Galanam, Græcæ vocis veſtigio, quaſi χελώνην. Iul. Scaliger. Teſtudo, *gágado* Luſitanis: *galápago* vel *tartúga*, reliquis Hiſpanis. *Tortue*, Gallicè, vel *tartue*. *Tortuca*, id eſt teſtudo, Syluaticus. vſurpant enim hoc nomen tanquam Latinum recentiores quidam barbari ſcriptores, Albertus & alij. Neocomenſes circa Sabaudiam, qui lingua Gallica vtuntur, vocant *boug coupé*, id eſt rubetam truncatam. quoniam retracto in teſtam capite, truncata videtur. Germani Schiltkrott vel Tällerkrott, id eſt rubetam teſta ſcuti aut orbis effigie intectam. & Flãdri eodem ſenſu Schiltpadde. Angli *ſchelcrabb*, id eſt cancrum ſcutatum ſeu teſtaceum ſed nimis generali nomine, vel *torteyſe* ſiue *tortoys* & *a tortouſe*. Aliqui Germanicè Gſchertzenfider: nimirum quòd pedes earum quodammodo alas referant, præcipuè marinarum. Vox ζαβάθιν in Demetrij Conſtantinopolitani de accipitribus libro, niſi teſtudinem, vt coniicio, ſignificet, ignota mihi eſt.

B.

Teſtudinũ genera tria. Teſtudinum genera, vt dixi, tria ſunt, edendo omnia: Chelonophagi tamen Indiæ gens, non à quibuſuis, ſed marinis tantum edendis hoc nomen inuenit. Quibus in regionibus hæc animantia abundent, vide in *E*.

De teſtudinis teſta. ¶ Teſtudo, quòd teſta tectum hoc animal, Varro. Quæ oua pariunt, pennas habent, aut ſquamas, aut corticem, aut teſtam, vt teſtudines, Plinius. Gaza ex Ariſtotele transferens, In teſtudine (inquit) apparet, quàm durus & rigidus cortex (φολίς) ſit quo tegitur, & in crocodilo. firmior enim oſſe euadit. Memini audire tam firmam eſſe hanc teſtam, vt à plauſtri etiam ſuperinuecti rotis non comminuatur. Palladius corium teſtudinis dixit, Marcellus Empiricus tegumen, Plinius operimentum, putamen, & ſuperficiem. Teſtudo operculum habet teſtaceum, & inter cortice intecta (φολιδωτὰ) numeratur, Ariſtot. Græci chelonium vocitant, & generali nomine *oſtracon*, vt in *E*. dicam. Germani ſua lingua ſcutum, vnde & animal ipſum rubetam ſcutatam vocant, vt Nicander χελύνην ἀσπιδόεσσαν. Tortuca (inquit Albertus) ſcuta duo gerit, vnum in dorſo, alterum in ventre: quæ quatuor initiis coniunguntur. Arbores quæ corticem tenuem & ſiccum habent, intrinſecus autem carne ſicca conſtant, ſanæ diuturnæq; ſunt, nec facilè putreſcunt: ſic & animalia, vt teſtudines, & quidquid eiuſmodi eſt, Hippocrates in libro de humoribus. Aliqui γῆρας, id eſt ſenectutem vocant, vt Ælianus, negans teſtudinem exuere ſenectam: & Suidas in Φολιδωτὸν Γῆρας οὐκ ἐκδύεται ὡς οὐδὲ ἡ χελώνη.

Deſcriptio teſtudinis. ¶ Teſtudini pellis (cutis) ſcabra vt lacertæ, Albertus. ¶ Tortuca caput habet & caudam ſerpentis: quòd ſi magna fuerit, habet etiam ſcutum in capite, Albertus. Pacuuius teſtudines cognominat domiferas, capite breui, ceruice anguinea, aſpectu truci.

Palpebræ. ¶ Quadrupedes quæ oua pariunt, vt teſtudines, crocodili, inferiore tantũ palpebra conniuent, ſine vlla nictatione, propter prędu-ros oculos, Plin.

Pulmo. ¶ Teſtudo quamuis prægrandem pulmonẽ & ſub toto tegumento habeat, ſine ſanguine tamen habet, Plin.

Venter. ¶ Ventrem vnum & ſimplicẽ, vt & reliquæ ouiparæ quadrupedes, Ariſtot.

Iecur. ¶ Teſtudinis iecur vitiatum eſt, vt reliquum corpus eius praui tẽperamenti, Ariſtot.

Lien. ¶ Perexiguum habet lienem, Idem & Plin.

Renes. *Veſica.* ¶ Teſtudo ſola ex corticatis renes habet. Genus tamen teſtudinis, quam lutariam vocant, & veſica & renibus caret. fit enim propter eius mollitudinem tegminis vt humor facilè

facilè diffletur, Aristot. (Id tamen negat Rondeletius.) Oua parientium testudo sola renes habet, quæ & alia omnia viscera, Plin. Sola ouiparorum (vel corticatorum) vesicam habet, Idem, & Aristoteles: qui etiam causam huius rei adfert lib.3. de partibus cap.8. Testudinum fœminæ singularem habent vtriusq; excrementi foras pertingentem meatum, quanquam vesicam obtineant, Aristoteles. ¶ Testudini testes intus adhærent lumbis, Idem. ¶ De vulua testudinis, vide supra in Lacerto *B.* *Testes.* ¶ Oua durioris testæ, & bicolora ædit, quale ouum auium est, Aristot. Oua eius dicta ventri subdita sunt, vide in Echinis. *Oua.* ¶ Cauda ei infra duo (dorsi & ventris) scuta procedit, serpentinæ similis, Albertus. *Cauda.* Et rursus, Inter duo scuta exeunt quatuor pedes tortucæ, qui videntur pedes lacertarum, cum quinque digitis & vnguibus.

C.

Testudo amphibia est, Stephanus Aquæus. Geminus similiter (vt fibrorum) victus in aquis terraq; & testudinum, Plinius 32.4. *Testudo amphibia.* Sed forsan distinctius agendum erat. nam castor vnus & idem amphibius est. testudo verò terrestris, aquatica & marina, tria genera sunt diuersa: ex quibus terrestres, non rectè amphibiæ dici posse videntur, cæteræ possunt. nam cum in humore degant, respiratione tamen indigent: & in terra dormiunt, & propter partum foris morantur. ¶ Testudineum incessum de tardissimo dicimus. *Gressus tardus.* Pacuuius testudinem tardigradam dixit. Chamæleonti motus piger admodum vt testudinis est, Arist. ¶ Senectutem testudo non exuit, Ælian. ¶ Abruptum & perexiguum sibilum ædit, Arist. *Sibilus abruptus.* Oua parientibus sibilus, serpentibus longus, testudini abruptus, Plin. Sibilat altius quàm serpens, Albert. ¶ Testudines ideo incredibiliter timent & oderunt maritos suos, quòd haudquaquam eis similiter vt cæteris bestiis iucundus coitus sit, imò maximum dolorem eis affert. *Coitus.* nam maris os & durum, & aculeatum, & inflexibile fœminam intolerabili doloris sensu afficit. Quamobrem dentibus inter se pugnant, quod hæc infestum coitum effugere contendat, ille inuitam tandiu conuellit, quoad robore victam subegerit, & tanquam longi belli præmium ceperit, & pulchram rapuerit in bello puellam. Earum coitus terrenorũ canum, & vitulorum marinorũ similis est, Gillius. Quadrupedũ ouiparæ eodem coëunt modo quo ea quæ animal generant, mare superueniente, vt testudo tam aquatilis quàm terrestris, Aristot. Testudines omnes salaces esse magnopere compertum est, Volaterranus ex Ælian. ¶ Testudo animal est ouiparum, Aristot. Oua gallinarum ouis similia parit, & in terra effossa reponit, donec ad calorem Solis exeat pullus, Albertus. *Oua.* Testudines & crocodilos dicunt cum in terra partum ediderint, obruere oua, deinde discedere, ita & per se nascuntur, & educantur, Ælianus. Idem de testudine marina fertur.

¶ Testudinis iecur vitiatum est, vt reliquum corpus eius praui temperamenti, Aristot. de partib.3.12.

D.

Sunt qui subtilitatem animi constare non tenuitate sanguinis putent, sed cute operimentisq; corporum magis aut minus bruta esse; vt ostrea & testudines, Plin.

¶ Perdici hostis est testudo, Ælianus & Philes. *Testudo hostis perdici & simiæ.*

¶ Simia quantum oderit testudinem, aut potius limacem, scripsimus in Simia *D.*

E.

Vt olera animalia infesta non generent, in corio testudinis omnia semina, quæ sparsurus es, sicca, Palladius. *Vsus ex testudine.*

¶ Testudinum testæ in laminas dissectæ, operibus intestinis ornandis adhibebantur, ex quouis, ni fallor, earum genere, vt ex sequentibus authorum locis apparebit. *Ex testis.* Testudinum putamina secare in laminas, lectosq; & repositoria his vestire, Carbilius (*Caruilius*, vetus lectio) Pollio instituit, prodigi & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenij, Plinius, qui plura de hoc Caruilio scribit lib.33. Nam fictili (olim) aut lignea, aut vitrea, aut ærea denique supellectili vtebantur: nunc ex ebore, atq; testudine, & argento, &c. Celsus ff. de supell. leg. Testudines terrestres in operibus chersinæ vocantur, Plinius. Et alibi, Luxuriæ placuit materiem & in mari quæri. Testudo in hoc secta: nuperq; portentosis ingeniis principatu Neronis inuentum, vt pigmentis perderet se, plurisq; veniret imitata lignum. Sic lectis pretia quæruntur, sic terebinthum vinci iubent, sic cedrum pretiosius fieri, sic acer decipi. Modo luxuria non fuerat contenta ligno, iam lignum emi testudinem facit. Cum homines adhuc frugi essent, *nemo curabat Qualis in Oceani fluctu testudo nataret, Clarum Troiugenis factura ac nobile fulcrum,* Iuuenalis Sat. 11. Quàm in testudineo lecto culcitra plumea in die dormire, Varro apud Nonium Marc. Testudineum hexaclinon, opere testudineato factum. nam id antiquis summo in pretio fuit, quod opus Carbilius Pollio primus instituit. *Et testudineum mensus quater hexaclinon, Ingemuit citro non satis esse suo,* Martialis lib.9. Plato dixit κλίνην πυξίνην· οὐδ' ἂν καὶ ἐλεφαντίνην εἴποις, καὶ χελώνης, καὶ σφενδάμνου, Pollux. Chelonophagi orientales populi testudinibus (marinis) vitam agunt, vnde nomen. Earum quoq; testa vasorum vice & nauium vtuntur, domos eadem sibi contegentes Chelonophagi in Carmaniæ angulo sunt, testudinum superficie casas tegẽtes, carne vescentes, Plin.6.25. Hæ adeò in Indico mari magnę sunt, vt singularum superficies habitabiles casas integant, Plinius & Solinus. Strabo lib.16. tantas alio in loco reperiri scribit, vt Chelonophagi in eis nauigent. Sed hæc de marinis tantum testudinibus, quarum insignis est magnitudo, intelligi possunt. Vide infra in Testu-

dine marina *E.* In Rhaphtis emporio iuxta mare rubrum, plurimum est ebur: καὶ χελώνη διάφορος μετὰ τὴν Ἰνδικὴν, Arrianus in Periplo. Insula Oceani vltima ad ipsum orientem Solem, testudinem fert omnium circa rubrum mare locorum optimam, Idem. Et rursus, Insula Serapidis in eodem mari testudinem multam & eximiam habet. In mari rubro paruæ quædam insulæ testudines proferunt quæ ad Emporium exportantur, Arrianus in Periplo. Mosyllon locus ad mare rubrum χελωνάρια pauca habet, Ibidem. Et alibi, Ptolemais ἡ τῶν θηρῶν, emporium est ad mare rubrum, quod habet χελώνην ἀληθινὴν καὶ χερσαίαν ὀλίγην: καὶ λευκὴν μικροτέραν τοῖς ὀστράκοις, id est testudinem veram, & terrestrem paucam: & candidam, testis (ὀστράκοις) minoribus. Et rursus, Dioscoridis insula in mari rubro, testudinem fert veram, & terrestrē & candidam. plurimam verò excellentem & maioribus testis. item montanam prægrandem, ostraci, id est testæ crassissimæ: ἧς τὰ παρὰ τὴν κοιλίαν μέρη μὲν τὰ ἐγχρήζοντα, τομὴν οὐκ ἐπιδέχεται, καὶ πυρρότερα ὄντα. ὁλοτελῶς δὲ τὰ εἰς γλωσσόκομα, καὶ πινακίδια, καὶ μαγίδια ἐγχρήζοντα, καὶ τοιαύτην τινὰ χρείαν κατατέμνεται. In Lybiæ desertis curruum magnitudine visendas aiunt testudines. Noctu procedunt in pastum, adeò lento gressu, vix vt mutare locum videantur. Interdiu subductæ sub sua testa non videntur. Narrant fabulam. Appetente nocte, viatori locum aliquem à feris tutum captanti oculis, visam testudinem quam tumulum ratus (musco enim obsita erat) conscendit, atq; in excubiis aliquandiu fuit. Somno deinde oppressus, vbi noctis & quietis idem finis fuit, & ille sese aliis in locis (processerat enim illa) esse intellexit: percepta bestiæ facie admirationem cum scientia nouæ naturæ commutauit. Iul. Scaliger.

F.

De cibo & alimēto ex testudinibus.

Amazones lacertis ac testudinibus & id genus bestiis vescebantur, Cælius. Tortucæ caro est tardæ digestionis, & generat choleram nigram, Rasis. Caro testudinum inter carnem quadrupedum & piscium ambigit, Stephanus Aquæus & Baptista Fiera. Testudines insigniter nutriunt vt docuit Conciliator, Cælius. Qui citò obesare voluerint equos, tortucas cum pabulo molli decoquūt, vnde equis magna sed falsa pinguitudo accedit, Albertus. Aloysius Cadamustus Nauigationū suarum cap. 40. de insula quadam Noui orbis scribens, Erant ibi (inquit) testudines innumeræ, quibus pro tegmento natura vastissimas testas dederat, magnitudinis tantæ, vt pro clypeo non ineptè sufficerent. Nostri itaq; esculentis huiusmodi oblectati plurimum, exenteratis testudinibus multijuga eduliorū genera parabant, asserentes eis aliâs se solitos vbertim vesci, & cum'primis in sinu Argino, qui huiusmodi testudinibus scatet: hortabāturq; vt ego eis vesci vellem. Esitaui igitur cibum inibi insuetum, vt cōplura experirer. visus est non insuauis. albicat enim caro hæc, nec multum est absimilis vitulinis carnibus: si fragrantiam & saporem spectes, Hæc ille: Videntur autem de marinis tantum intelligenda hæc verba. Obseruatum nobis de testudine illud quinto Halieuticôn ex Oppiani interprete: Testudine, inquit, si quis vescatur degluuiátve πλησμίως, multum inde iuuari: Si verò μὴ πρὸς κόρον, læsionem fieri manifestam, enata inde parœmia, χελώνης κρέας ἢ φαγεῖν ἢ μὴ φαγεῖν, testudinea carne aut vescendum, aut non omnino vescendum. Paucitas strophos facere narratur, id est tormina: copia verò detergere atq; expurgare, Cælius. Ἢ δεῖ χελώνης κρέα φαγεῖν ἢ μὴ φαγεῖν, senarius prouerbialis à Demone quodam, vel (vt alij) Terpsione vsitatus: in eos qui negotium aliquod subeūt quidem, sed nimis cunctantur. (sic enim emēdo vitiosam Suidæ & Apostolij lectionē, vt legā, ἐπὶ τῶν ὑποδυόντων μὲν τὸ πρᾶγμα, στραγγευομένων δέ.) quoniam hæ carnes si parcè sumantur, ventrem torqueant: sin copiosius, purgent. Conuenit hic trimeter (inquit Erasmus) in eos, qui negotium susceptum frigidè ducunt, neq; explicantes, neq; relinquentes. Sunt qui putent hoc dictum ab authore Terpsione profectum esse: quorum est Athenæus lib. 8. declarans hunc primum præcepisse de gastrologia: æditis regulis per quas liqueret à quibus esset abstinendum, quibus contra vescendum. Inter quas erat & hæc de testudine, Ἢ φαγεῖν ἢ μὴ φαγεῖν. Addunt testudinis carnem si modicè edatur, ventris tormina facere: rursum si copiosè, lenire. Nam pleræque res sunt, quas si facias acriter, plurimum conducunt: sin ignauiter, officiunt. Plinius testudinem decisis pedibus, capite, cauda, & intestinis exemptis, reliqua carne ita condita vt citra fastidium sumi possit, inter hydropis remedia ponit. Simili modo decoctam, antidotum esse scribit, aduersus fastidium aut cruditatem ex melle obortam, authorem citans Pelopem. Eodem sanè modo serpentes etiam edendi parabantur, vnde apparet veteribus nisi remediorum gratia, hunc cibum, vt ranarum quoq;, ferè inusitatum fuisse. Aristoteles certè testudinis iecur vitiatum esse scribit, vt reliquum corpus eius praui temperamenti. Testudines in cibo ætate nostra multum appetuntur, & inter delicias quidem: quod miretur aliquis, cum Apicius deliciarum omnium pater, nullam earum in scriptis suis mentionem fecerit. Videtur sanè cibus ex eis insalubris nec sine periculo, à quo ferè ipsa natura nos absterrere debebat, quæ adeò deforme & vel ipso aspectu aduersum nobis hoc animal (capite & cauda, serpentibus simile: pedibus, lacertis) produxit. Hoc etiam illi qui his scilicet deliciis fruuntur, fateri videntur, multis illis & variis condimentis quæ adhibere solent, tanquam sine illis vel non placeret hic cibus, vel noxius foret. Nam quod ad morbos quosdam commendatur, hoc ipso conuincitur, eam pro medicamento potius quàm alimento homini datam. Hoc intelligens Oppianus lib. 5. de piscibus, modicum eius vsum nocere dixit inductis torminibus, copiosum iuuare ac ventrem subducere, Hæc ferè Steph. Aquæus in libello Gallicè ædito de testudinibus, ranis, &c.

Prouerb. χελώνης κρέας ἢ φαγεῖν ἢ μὴ φαγεῖν.

Ait

Ait autem se non simpliciter hunc cibum damnare, sed nimiam vel curiosam eius & in deliciis affectationem. Porrò locum quem citat ex quinto Oppiani de piscibus, ego nusquam reperio. nihil enim aliud eo in libro Oppianus, quàm de capiendis testudinibus marinis docet. quare vel interpretem in quintum de piscibus Oppiani, ex quo etiam suprà quædã à Cælio descripta retuli: vel Athenæi octauum dicere debuit. Sed de cibo è singulis testudinum generibus, terrestri, aquatico & marino, in singulorum historia dicetur.

G.

Remedia ex testudine tota. Remedia ex testudine tota. Leonellus Fauentinus remedio cuidam ad phthisicos carnem testudinis admiscet, aut eius loco pulpam phasiani cancrorúmve. Hydropicis medetur testudo decisis pedibus, capite, cauda, & intestinis exemptis, reliqua carne ita condita, vt citra fastidium sumi possit, Plin. Ciconiarum, echinorum, & testudinum carnes ceu proprietate quadam articulorum doloribus conuenientes, non damnarem, Manard. 18. 4. Vrticæ semen Apollodorus affirmat salamandris contrarium esse cum iure decoctæ testudinis: item aduersari hyoscyamo, & serpentibus & scorpionibus, Plini. Si ex melle syncero (non venenato) fastidium cruditásve quæ sit grauissima incidat, testudinem circuncisis pedibus, capite, cauda, decoctam, antidotum esse autor est Pelops, Idem. Testudo (terrestris, Demetrius) & lacerta in cibo faciunt vt accipitres citius mutent pennas, Crescentiensis. Falconibus malè affectis, ranam aut testudinem, &c. in cibo dari iubet Albertus. Puluis tortucæ in collyrio adhibitus cæcitatem inducit per albedinem quæ prouenit in oculis, Rasis. Quòd si in lebetem balnei tortuca proiiciatur, quotquot illic balneantur, obcæcabuntur, Idem. *Ex cineribus.* ¶ Si pili iumentorum tardius creuerint, viuam testudinem supra sarmenta combures, & cineres eius in nouum cacabum mittes, additis vnciis tribus aluminis crudi, medullæ ceruinæ quod sufficit, & vino infuso decoques, & diebus plurimis impones, reuocare pilos creditur, Vegetius artis veterinariæ 2. 63. & Pelagonius cum Hippiatris Græcis cap. 55. Tortuca cremata & trita cum albumine oui, aut lacte asinæ, si ventri, vberibus, aut femoribus mulieris illinatur, fissuras abolet, Rasis. Vide in terrestri infra.

Ex sanguine. ¶ Sanguis testudinis ad remedia colligitur hunc in modum, vt docetur in libro vulgari Nicolai Præpositi, ex Bulcasi de præparat. medicamentorum. Testudinem aquæ (non exprimit dulcísne an marinæ. sed parum interesse puto, cum terrestris etiam testudinis sanguis in vsu sit) supinam pone in paropside, & abscinde caput eius subito, & sanguinem effluentem collige, & cum coagulabitur, tege paropsidem cum cribro ex setis vel ex panno lini, & expone Soli donec desiccetur, & serua. Vide infra in Testudine marina. Plinius testudinis terrestris sanguinem farina excipi iubet, & pilulas inde fieri, quæ cum opus sit in vino dentur contra venena serpentium. Testudinis tum marinæ tum terrestris sanguinem venenis resistere legimus. Testudinis sanguis cum aliis quibusdam miscetur pro medicamento aduersus scorpiones & morsu noxias feras apud Galenum lib. 2. de antidotis. Testudinis sanguis exiccatus cum syluestri cumino potus, mirabiliter facit contra viperæ morsum, Aetius. Vide in Marina. Cimicem cum sanguine testudinis vtiliter illini morsibus quos serpentes inflixerint, aliqui prodiderunt. Aduersum malidem, sic dictum morbum pestilentem in bubus: Paribus casiæ myrrhæq; & thuris ponderibus, tantundem sanguinis marinæ testudinis miscetur, cum vini veteris sextariis tribus, & ita parua res (*per nares*, legendum) infunditur. Sed ipsum medicamentum pondere sex vnciarum diuisum, portione æqua per triduum cum vino dedisse sat erit, Columella & Pelagonius in Hippiatricis Græcis cap. 4. vbi sic legitur, *τούτου τοῦ βοηθήματος τὰς δύο οὐγγίας εἰς βία ποιήσας, προσένεγκε ἐπὶ ἡμέραις τρισί.* Sanguinem marinæ testudinis colliges, & cum vino per os dabis: quam quia inuenire difficile est, vulgarium testudinum prodesse æstimant. quod vtrum bene opinentur vsus viderit. Nam authores de terrestri (*marina*, legerim) testudine tractauerunt, Vegetius, &c. vt in Boue *C.* recitauimus. nam medicamentum cum casia, myrrha & thure, hic absque testudinis sanguine infundit. Vide infra in terrestri testudine *G.* Porrigini depellendæ, *Prodest & tarda demptus testudine sanguis*, Serenus. Vide infra in Marina. Ad defluuium capillorum & ophiasin, *Nonnunquam variant maculæ, paruisq́ parumper Orbibus aspersum ducit noua vulnera tempus*, &c. *Tu testudineo mala permulceto cruore*, Idem. Vide in Terrestri. Ad achôras, Apollonius (citante Galeno lib. 1. de compos. sec. loc.) testudinis sanguine caput illini iubet. Sed hoc pharmacum, inquit Galenus, curiosum & superuacaneum est, neq; vnquam tẽtaui eius periculum facere. Ignem sacrum, cuiuscunq; generis testudinum sanguine illini quidam iubent: item capitis vlcera, & verrucas, Plin. Vt pili alarum adolescentium non nascantur, euulsis illis, illinãtur loca sanguine ranarum vel testudinum, mixto cum ouis formicarum, vel cum oleo stellionis, Elluchasem. Collyrium cum sanguine tortucæ factum excæcat, & similiter sternutationes cum eodem factæ, Rasis. Arnoldus de Villanoua sanguinem testud. per se vel cum vino potũ, aduersus epilepsiam commendat. Rasis non simpliciter, sed agrestis (id est terrestris) testudinis sanguinem in hoc morbo laudat. Vide infra in terrestri & Marina quoque. Praxagoras in Epilepsia, cum accessionem viderit cõmoueri, deprimit partes quæ fuerint in querela, & sanguine testudinis aut aliis quibusdã defricat, quod ipsum facientem Cælius Aurelianus reprehendit. Aliqui sanguinem testudinum lethargicis illinunt, Plin. Testudinis sanguis diu ore contentus, dentes (motos) corroborat, Galenus Euporist. 2. 12. Vt vino non

ſæpius ſit vtendum: Teſtudinem viuam ablue vino bono iuſto tempore (aliquandiu:) & accipe do ſanguine, ac illum cum vino miſceto, daque clam bibendum menſura calicis dimidij mane ieiuno diebus tribus, & videbis diuinam vim, Nicolaus Myrepſus.

Ex teſta. ¶ Teſta teſtudinis ſicca & trita, vel etiam cõbuſta, fiſtulis immiſſa, ſanat eam prius mortificatam, Arnoldus de Villanoua in Breuiario 3.21. Teſtudinis tegumen concrematur, eiuſq; fauilla ex vino & oleo temperata, vlceribus pedum vtiliter inducitur, Marcel. Vt pili cicatricibus equorum renaſcantur, cinerem è teſtis auellanarum vel teſtudinũ cum vetere bombycino vſtarum, permiſce cum oleo & inunge, Raſis. Ad hæmorrhoides, Teſtudinis teſta ſuffita bene facit, Galenus Euporiſt. 3.197. ¶ Cheloniæ lapides geſtati cum radice pæoniæ compote (epilepſiam fortè) ſummè ſanant, Kiranides, ſtatim poſt facultates teſtudinis paluſtris.

Ex felle. ¶ Fel teſtudinum anginis, & in ore infantium nomis prodeſt: naribus inditum, comitiales erigit, Dioſcor. & Raſis. Auribus (lego, *Naribus* ex Dioſcor. & Auicenna) inſtillatum, epilepticos iuuat, Arnold. de Villan. Valet ad cola (fortè collyria:) Illitum prodeſt ad præfocationem (nimirum anginam: Vetus interpres habet *ſcrophulas*,) Auicenna. Cum melle optimo mixtum & diu agitatum, mirè caliginem tollit, ſi oculi inde aſſiduè circumlinantur, aut ſubtiliter ſuffundantur, Marcellus. Vide in Teſtudine terreſtri *G.*

Ex pede. ¶ Pes tortucæ poſitus ſuper pedem podagrici, dexter ſuper dextrum, & ſiniſter ſuper ſiniſtrum, expellit podagram. Et ſimiliter manus eius, dextra dextræ hominis chiragrici, ſiniſtra ſiniſtræ impoſita, ſanat, Raſis & Conſtantinus in libro de incantatione.

Ex vngue. ¶ Teſtudinis vnguis in maxillaris dentis exeſi foramen coniectus, multum proficit, Galenus Euporiſt. 2.12.

Ex fimo. ¶ Quidam promittunt teſtudinum omnium fimo panos diſcuti, Plinius.

Ex ouo. ¶ Ouum teſtudinis valet ad tuſſim infantium, Auicenna. Eraſiſtratus non iniuſta reprehenſione eos inceſſit, qui incognitas ad hunc vſum (ad remedia morſuum venenatorum) facultates conſcripſerunt, vt elephanti fel, oua teſtudinis, &c. Dioſcorid.

H.

Etymologia teſtudinis & Synonyma. ¶ *a.* Teſtudo, animal dictum quòd teſta tegatur, vt ait Varro. *Candelabra*, id eſt teſtudo, Syluaticus. *Palmuſirich*, id eſt teſtudo animalis, Idem. Celon, id eſt teſtudo, Idem: voce corrupta à Chelone. Χελῶνα aliqui vocant teſtudinem marinam, Heſychius & Varinus, nimirum à recto χελάν. ¶ Χέλυς, idem quod χελώνη animal, id eſt teſtudo (vt grammatici docent) vſurpatur ab Oppiano. Χιλεὺς, teſtudo, Heſychius & Varinus. Κλεμμὺς, & Σφραγὶς, pro teſtudine, apud eoſdem. Καλλίχριτα, χελώνην, οἱ δὲ φώκην, Iidem. Χραμαδοῖλαι, teſtudines, vel canes pigerrimi, vel cochleæ, Heſychius & Varinus. omnibus quidem iſtis tarditatis nota conuenit. Teſtudines paruas Arrianus χελωνάρια vocat.

Ænigma de teſtudine. ¶ Epitheta. Amphion apud Pacuuium ænigma hoc protulit: Quadrupes, Domiporta, tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera, Capite breui, ceruice anguinea, aſpectu truci, Euiſcerata, inanima, cum animali ſono. (Crinitus 11.7. hos verſus ſic citat: Sanguine caſſa, domiporta, terrigena traditur, Quadrupes, tardigrada, agreſtis, &c.) Quod, cum hoc obſcurius dixiſſet Amphion, reſponderunt Attici, Non intelligimus, niſi apertè dixeris. Tum ille vno verbo reſpondit, teſtudinem eſſe. Huius ænigmatis meminit M. Tullius, & Tertullianus Septimius. Hæc tria quidem, euiſcerata, inanima, cum animali ſono, ad teſtudinem citharam pertinent, quam primum ex exiccata teſtudine Mercurius inueniſſe dicitur. Quidam non rectè de cochlea hæc interpretati ſunt, (vt Crinitus,) Gyraldus in libro ænigmatum. Citatur autem hoc Pacuuij ænigma apud Ciceronem de diuinatione, & Tertullianum in libro de pallio. Idem me admonet alterius ſimilis, quod Moſchopulo tribuitur huiuſmodi:

Ξείνης εἰμὶ φύσεως ζῶον, πνέω δίχα πνοιῆς,
Οἷσιν ὑφ' ἡγεμόνεσσιν ὁδοιπορέω τὰ πρόσθεν,
Λευκόχροος κατακεύθεται οἰχνή τε κλειστή τε.
Ἡμιθύον, εἴως λευκὴ κοιλίη ἔνδον ἔπεστιν.
Ὀφθαλμοῖσιν ἀριπρεπὲς εἶδος ἔχουσα τότ' ἤδη
Ἄφθογγον δέ τ' ἐόν γε, πολυθρόον ἐξεφάανθην.

Δοιά μοι ὄμματ' ὄπισθε παρ' ἐγκεφάλῳ ἐπέασιν,
Κυανέην ἐπὶ γαστέρα βαίνω, ἧς ὕπο γαστὴρ
Ὄμματα δ' οὐ πάρος ὄψεται οἱ γόμφοι οὐδὲ πορείης
Αὐτὰρ ἐπὴν αὐτήν γε κορεσσαμένη φαίνηται
Δέρκεται ὄμματ', ἐπειγομένως δὲ μνώομ' ὁδοῖο,

Hoc eſt, *Animal peregrinæ naturæ, ſine ſpiritu ſpiro, geminis oculis retro iuxta cerebrum, quibus ducibus antrorſum progredior. Super ventre cæruleo pergo, ſub quo venter latet albus, apertus & clauſus. Oculi non aperiuntur, neq; progredior, donec vẽter intus albus* (vacuus) *eſt. Hoc ſaturato, oculi apparent inſignes, & pergo ad iter: Et quanquam mutum varias edo voces.* Sic de Mercurio inuentore teſtudinis Nicander, Αὐδήεσσαν ἔθηκεν ἀναύδητόν περ ἐοῦσαν. ¶ Sed redeo ad epitheta. Tarda teſtudo, Serenus. Sunt & apud Textorem teſtudinis epitheta, ſanguine caſſa, minax, tumida. Sed teſtudinem ſanguine carere falſum eſt, & apud Ciceronem lib. 2. de diuinatione cochlea ſanguine caſſa dicitur. ¶ Ὀστρακόνωτος, apud Suidam. Κρατερόρινος, in oraculo quod Crœſo datum Herodotus lib. 1. deſcribit. Ἀσπιδόεσσα, κραταιὴ, marinæ teſtudinis epitheta apud Oppianum, vt terreſtris βραχεῖα, de quauis teſtudine vſurpari poſſunt. Φερέοικος, χελώνη, Etymologus & Varinus. Sunt qui φερέοικον interpretentur cochleam, alij inſectum maius veſpa: alij animal ſimile muſtelæ, glandiuorum, Heſychius & Etymol. Χελώνη ῥικνὰ, Chercidas apud Stobæum.

¶ Teſtu-

Homonyma.

¶ Testudines (inquit Nonius) loca dicuntur in ædificiis camerata, ad similitudinem aquatilium testudinum, quæ duris tergoribus sunt & incuruis. *Tum foribus diuæ, media testudine templi*, Vergil. 1. Æneid. Caius Titinnius primò ante testudinem constitit: deinde apud consulem causam atque excusationem præferre cœpit, Sisenna apud Nonium. Nunc hoc vel honestate testudinis, vel valde boni æstiuum locum obtinebit, Cicer. ad Quint. fratr. lib. 3. *Nec varios inhiant pulchra testudine postes*, Vergilius Georg. 2. de agricolis. Testudo (vt peristylum tectum tegulis, aut rete) fit magna, in qua millia aliquot turdorum ac merularum includere possint, Varro: Qui etiam testudinem & cameram pro eodem accepisse videtur. Testudo ex duobus arcubus constat in centro se secantibus. Quatuor enim arcuatæ pilæ inuicem transuersæ & crucem configurantes testudinem absoluunt, Budæus in Pandect.

Testudines loca camerata.

Testudo machina bellica

Testudo, machina bellica. erat autem materia tabulatis, & coriis cilicinis aut centonibus, & aliis quæ difficulter comburi possunt, contexta. Hæc intrinsecus habet trabem, quæ vnco præfigebatur ferreo, & falx vocabatur, ab eo quòd incuruata esset, & de muro extraheret lapides. Retro enim ducebatur trabs funiculis suspensa, vt reducta impetuosius feriret. ideoque & testudo dicta à similitudine reptilis, quòd caput nunc exerat, nunc reducat. Hoc etiam instrumentum arietem appellant, ab eo quòd aries fronte pugnet. Cæsar 5. belli Gallici, Reliquisque diebus turres ad altitudinem valli, falces testudinesque, quas iidem captiui docuerant, parare ac facere cœperunt. Vergilius 2. Æneidos, *Obsessumq́ acta testudine limen.* Et libr. 9. *Cùm tamen omnes Ferre libet subter densa testudine casus.* Cum proximè ante dixisset, *Accelerant acta pariter testudine Volsci.* Aliqui hic testudinem, continuatam scutorum seriem, curuatam in formam testudinis, interpretantur, vt Gulielmus Budæus: qui & sequentes Liuij & Cæsaris locos similiter exponit. Galli testudine facta, conserti stabant, Liuius 10. ab Vrbe. At milites legionis septimæ testudine facta, & aggere ad munitiones adiecto, locum ceperunt, Cæsar 5. belli Gall. Sed in iam citato Vergilij loco similiter interpretari non placet, *cum acta testudo*, vt proximè dixerat, de ea quæ continutaa scutorum serie fit, accipi non possit, sed de instrumento tantum quod in parietes agitur & impellitur. Si quis tamen de alia atque alia testudine, quanquam in proximis versibus, poëtam loqui contenderit, non admodum reluctabor. De testudine machina, quæ & testudo arietaria dicitur, plura attuli in Ariete *a.* & in Oryge *a.* Vide etiam mox inferius in χελώνη.

Testudo lyra.

¶ Testudo quoque lyra dicitur. quoniam Mercurius Apollinis citharam de testudine sicca meditatus est, vt Aratus & Higinus referunt. Hinc Horatius illum curuæ lyræ parentem nuncupauit, & per apostrophen ad citharam, inquit: *O decus Phœbi, & dapibus supremi Grata testudo Iouis, ô laborum Dulce leuamen.* Lyram quæ postea in cœlum translata est, vt Grammatici scribunt, Mercurius in Cyllene monte Arcadiæ ex reperta testudine effecit: inde Orpheo traditam dicunt. Alij putant concessam Orpheo ab Apolline, post repertam citharam. interfecto Orpheo Musæ in cælo lyram collocauêre. Alij esse lyram Arionis Citharœdi omnium primi. Aliqui dicunt Mercurium (inquit Higinus) cum primum lyram fecisset, septem chordas instituisse, ex Atlantidum numero, quòd Maia vna ex illarum numero esset, quæ Mercurij est mater. Deinde postea cum Apollinis boues abegisset, deprehensus est ab eo: & quò sibi facilius ignosceret, petenti Apollini vt dicere liceret se inuenisse lyram, concessit, &c. *Ipse caua solans ægrum testudine amorem*, Vergilius 4. Georg. de Orpheo: vbi Seruius, Periphrasis (inquit) est citharæ, cuius vsus repertus est hoc modo. Quum regrediens Nilus in suos meatus varia in terris reliquisset animalia, relicta etiam testudo est. quæ cum putrefacta esset, & nerui eius remansissent extenti intra corium, percussa à Mercurio sonitum dedit, ex cuius imitatione cithara est composita. Mercurius lyram fecit Apollini pro bubus. nam cum Apollo pro mercede seruiret Admeto, boues eius pascebat: quos suffuratus est Mercurius, & deprehensus dedit ei pro redemptione (ἀντὶ λύτρας, lego ἀντὶ λύτρου) citharam, quam & chélyn dicunt, ex chelona, id est testudine ab ipso fabricatam. vnde lyra dicta est, quasi lytra (redemptionis pretium pro bubus,) Scholiastes Nicandri. Dicitur & pars citharæ, testudo. Quocirca & in fidibus testudine resonatur, aut cornu: & ex tortuosis locis & inclusis soni referuntur ampliores, Cicero 2. de Nat. Testudinem organum, testudinis animalis formam habere docet idem Cicero de diuinatione, Budæus. Acuta testudo, Martialis lib. 13. Blanda, Claud. 8. Paneg. *Tuq́ testudo resonare septem Callida neruis*, Horatius Carm. 3. 11. *O testudinis aureæ Dulcem quæ strepitum Pieri temperas*, Idem Carm. 4. Et in libr. de Arte poët. *Saxa mouere sono testudinis.* Cyllenæa, eburna, Apollinea, arguta, querula, vocalis, epitheta testudinis musici instrumenti apud Textorem. Pacuuius in ænigmate quod supra recensuimus, testudinem euisceratam inanimam cum animali sono, dicendo, non animal, sed organum musicum intellexit. Plura vide mox inferius in Chelona & Chely vocibus Græcis. Testudines maiores, aptæ sunt ad compingendas lyras, Vide infra in Testudine terrestri *E.*

Testudo pro testa.

¶ Testudo aliquando simpliciter pro testa accipitur. *Iste licet digitos testudine pungat acuta, Cortice deposito mollis echinus erit*, Martialis lib. 13.

Testudo nomē tumoris cuiusdā caluariæ.

¶ Testudo nomen est tumoris cuiusdam caluariæ apud recentiores medicos, vt docuimus in Talpa *H. a.*

Testudineatus.

Testudineatus, adiectiuum, quod concauum & incuruum est, testudinis more. Et inter se accliues testudineato tecto, more tuguriorum, inarescentem ficum à rore, & interdum à pluuia defendāt, Columel. lib. 12. Sed & testudineatum in vsum venisse, Plin. lib. 33. Apud Vitruuium testudinatum legitur

quinq; syllabis, quod magis probo, lib. 6. cap. 3. Est autem id vnũ inter quinque genera cauædiorum. Testudineus, adiectiuum, quod est testudinis. Testudineus gradus, gressus, vel incessus, id est tardus, Plautus Amphitr. Testudineum, opere testudineato factum: vide in *E.* A testudine fit verbum testudinare, quo vtitur Politianus: *Qua cauus exesum pumex testudinat antrum.*

Testudinare.

Varia huius vocis (χελώνη) significata.

¶ Χελώνη, cithara. fit enim ea ex testudinum putaminibus, Hesychius: sed non suo loco. Authores quidem tum Græci tum Latini, chelyn potius quàm chelonem, musicum instrumentum appellant, vt mox apparebit. Χηλώνη, machina bellica, Hesychius & Varinus: malim χελώνη, cum & Latinè testudo dicatur, vt supra explicatum est. Χελῶναι & κριοὶ inter machinas bellicas à Polluce numerantur. Suidas interpretatur χελώνην, εἶδος πολεμιστήριον: ἐξ οὗ αἱ χελῶναι καὶ χωστρίδες πολιορκητικὸν μηχάνημα καὶ κριοί. Idem & παρατάξεως, id est aciei militaris quandam speciem chelónem vocari ait. ea fortè fuerit, quam continuata scutorum serie fieri, & Latinè quoque testudinem dici, supra scripsi. ¶ Χελώνη, scabellum, Τὸ ὑποπόδιον, καὶ πελοποννησιακὸν (addiderim, νόμισμα, de quo infra dicemus,) Hesych. & Varin. Ζηλοτυπήσασαι αἱ Θετταλαὶ γυναῖκες, τὴν Λαΐδα τὴν ἑταίραν ξυλίναις χελώναις ἐφόνευσαν τύψασαι ἐν τῷ ἱερῷ τῆς ἀφροδίτης πανηγύρεως οὔσης. ὕστερον δὲ ἱερὸν ἐποίησαν ἀνοσίας ἀφροδίτης. ἐπειδὴ αἱ γυναῖκες ἐν τῷ ἱερῷ ἀνόσιον τετολμήκασι φόνον, Suidas. qua verò significatione χελώνη hîc accipi debeat, tacet. mihi quidem ὑποπόδια accipi posse videntur. Eandem historiã Athen. refert lib. 13. Χελώνη, trópis, id est carina nauis, propter figurã incuruã, Hesych. & Varin. Cauũ pedis in vngula equi, Græci χελιδόνα vocant, vel χελωνίδα, quod Ioachimus Camerarius vir eruditus Latinè etiam testudinem nominare voluit. Καταυλούμενος πρὸς χελωνίδος πολυκρότου ψόφον, Posidonius apud Athenæum alicubi, vt nos obseruauimus. Sed rursus alibi (lib. 5.) eiusdem Posidonij verba sic citat, καταυλούμενοι πρὸς χελιδόνος πολυκρότου ψόφους: qui locus an de equinæ vngulæ parte intelligi debeat, dubito. Μαρμαρέης δ᾽ ἑλίκεσσι κατεσφήκωντο χελώνης, Tryphiodorus de vngulis equi Durij. Chelonia vtrinque suculam continent, à similitudine testudinis dicta. Chelonium enim tegumentum est testudinis animalis, cuius similitudinem habent chelonia, id est retinacula quibus intra tigna sucula retinetur, Budæus in Pandect. Vtitur hac voce Vitruuius 10. 2. vbi Philander Scholiastes, Chelonia (inquit) sunt veluti vmbilici aut ansæ quæ adpinguntur, id est affiguntur arrectariis, (den stöcken der häspleu,) in quas ceu in armillas, coniecti sucularum (axium) cardines versantur, atque adeò ipsæ totæ (suculæ:) dicta sunt chelonia, à similitudine tegumenti chelonæ, id est testudinis quadrupedis, quod similiter chelonion vocatur. Celonia autem (κηλώνια, Vide in Ciconia *H. a.*) apud Aristotelem Mechanicorum quæstione 28. sunt machinæ iuxta puteos ad hauriendam facilius aquam, alteram partem prægrauante pondere. Tollenones, nisi fallor, vocauit Plinius lib. 18. cap. 2. & Sex. Pompeius, Hæc ille. Chelonia sunt in ratione tollendorum onerum, quæ in quadris tignorum, quo loci diuaricantur, figi solent, vt in ea coniiciantur sucularum capita, vt versentur facilius, proximè capita vectibus infixis, Cælius. Testudines in organis ad id collocatæ sunt, vt corpora quæ restituuntur, paulatim & minimè concussa extendantur. quemadmodum enim testudines animalia lento gradu procedunt, ita machinæ quibus illa referuntur, Oribasius in libro de machinis cap. 4. vbi & differentias testudinum instrumentorum indicat. Νῶτον πρῶτον ὑπ᾽ αὐχένι κείμενος, τὸ μὲν ἔγκυρτον χελώνιον ὀνομάζεται, τὰ δὲ ἑκατέρωθεν ὠμοπλατῶν πτερύγια, &c. Pollux lib. 2. Camerarius sic vertit: Infra ceruicem est tergum: atque huius gibbera pars, chelonion, quasi testudunculam dicas, vtrinq; iuxta omoplatas, pterygia nominantur, id est alæ, quæ fortasse scapulæ sunt, inquit ille: ego pedes potius dixerim, quos in Testudine marina etiam Nicander pterygas nominat. Alius quidam ex Polluce vertit, chelonion summam partem dorsi esse iuxta ceruicem. Chelonium, tegumentum est testudinis animalis. Eius autem integumenti similitudinem habent chelonia, id est retinacula, quibus intra tigna sucula retinetur, Budæus. Χελωνίδος, οὐδὸς (τοῦ ὁδοῦ, Suid.) τῆς θύρας τῆς σκηνῆς, Hesych. & Varin. Chelichelone (inquit Pollux lib. 9.) ludus est puellaris, similis illi quem *Chytran* vocant. Sedet enim puella aliqua in medio chelóne, id est testudo dicta. aliæ verò circa eam subinde currentes interrogant: Χελιχελώνη (Χέλει χελώνη, duabus dictionibus, quarum prior terminatur per ει diphthõgum, vt habet Eustathius in Odyss. φ. Ἔστι δὲ ἐν τούτοις τὸ χέλει προσακτικὸν δῆθεν, παρηχούμενον τῇ χελώνῃ, Idẽ.) τί ποιεῖς ἐν τῷ μέσῳ; Chelichelone quid rei in medio facis? Respondet illa, Ἔρια μαρύομαι (ἤγουν κλώθω) καὶ κρόκην μιλησίαν. Deduco lanas velleris Milesij. Tum rursus illæ, Ὁ δ᾽ ἔκγονός (ἔγγονος, Eustath.) σου τί ποιῶν ἀπώλετο; Sed filium tuum quæ causa perdidit? Hæc verò, Λευκᾶν ἀφ᾽ ἵππων εἰς θάλασσαν ἅλατο. Equis ab albis in mare se præceps dedit.

Chelichelone ludus.

Chelonia gemma.

¶ Chelonia gemma, oculus est Indicæ testudinis, vel portentosissima magorum mendaciis. Melle enim colluto ore impositam linguæ, futurorum diuinationem præstare promittunt, quintadecima Luna & silente tota die: decrescente verò, ante Solis ortum, cæteris diebus à prima in sextam horam. Sunt & chelonitides testudinum similes, ex quibus ad tempestates sedandas multa vaticinantur. Eam verò quæ sit aureis guttis, cum scarabeo deiectam in aquam feruentem tempestates tueri, Plin. 37. 10. Cheloniæ lapides gestati cum radice pæoniæ compote (fortè, epilepsiam) summè sanant, Author Kœranidum. Chelonites gemma est purpurei coloris & varij, quæ dicitur in corde testudinis inueniri. Sunt enim quædam maximæ testudines, habentes domos, quæ sunt vt veræ margaritæ, & nitentes, Albertus (lib. 2. de fossilibus, vbi etiam addit negare aliquos hunc lapi-

lapidem ab igne corrumpi) apud Syluaticum. Georg. Agricola Chelonitidas gemmas interpretatur, Kleine krottenstein, hoc paruos lapides boracis siue rubetæ. ¶ Brontia gemma capitibus testudinum similis, & cum tonitruis cadit, vt putant: & fulmine tacta restinguit, si credimus, Plin. Fortè à figura foris curua conuexaque, intus caua: qualis chelonij, id est testudinis testæ est. Vide supra in Rubeta. Chelonitides (inquit Georg. Agricola) ex eo quòd testudinum similes sint, intus enim cauæ, nomen inuenerunt. eas Germani vocabulo cōposito ex rana rubeta & lapide nominarunt, quòd ipsis persuasum fuerit ipsas in capite huius animantis venenati nasci. ex his quædam nigræ sunt, quædam fuscæ, & aliqua sui parte candidæ. nigris in caua conuexitate interdum sanguineæ & candidæ guttæ, interdum aureæ. omnes oculi figura extuberant, sed non omnes sunt cauæ. cum tamen vtræq; sint eiusdem generis, rarò sunt lupinis maiores, sępius minores, Sic ille. Nuper quidam, vir alioqui diligens, chelonitas vocauit lapides quosdam cochleis & strombis figura similes, quod nō probo. nihil enim testudo cum istis præter testæ duritiem commune habet. nos eos lapides conchitas potius aut strombitas nominabimus. de quibus suo loco inter aquatilia dicetur. *G.* ¶ Χελωνίας, ἡ ποικίλη κανθαρίς, Hesych. & Varinus, id est cantharis varia. quanquam masculini generis est, vt cantharus subintelligatur. *Chelonitides lapides.*

¶ Χέλυς, musicum instrumentum Polluci. Leui canoram verberans plectro chelyn, Seneca Troa. *Pulsatur manibus Phœbea chelys*, Ouidius ad Pisonem 35. Chelyn Grammatici Græci partim lyram, partim citharam interpretantur, vt Hesych. & Suidas. Χελυσσόντα λύραις. χέλυς ἡ κιθάρα. ex testa enim testudinis cithara fit, Hesych. Chelys, id est lyra organum, aliquando chordas habebat lineas. Dicta est autem lyra quasi lytra, quòd Mercurius eam è testudinis testa fabricârit, vt solueret iram Apollinis ei propter furtum irati, εἰς λύσιν μήνιδος, Varin. Χελοῦς etiam & χελεῖς, haud scio quàm rectè, apud eundem & Hesychium pro cithara, vel organo musico exponuntur. Quidam in Lexico Græcolat. chelyn propriè latiorem testudinis planitiem significare scripsit. Χελώνη, labia, alij citharam interpretantur, & testudinem, & lyram, & machinam bellicam, Hesychius. Etymologus author est χελώνην & citharam hac voce apud Æoles significari. Idem chelyn citharam dictam scribit, quoniam ex chelonæ pelle à Mercurio facta sit. Ὡς χέλυν Ἑρμάων, κιθαρίν ὡς ἁδὺς Ἀπόλλων, Bion in Bucolicis. Sed de musico instrumento huius nominis, vide plura superius in Græca voce Χελώνη, & Latina testudo. Χέλυς etiam pro machina (bellica) accipitur, Hesychius. Quare apparet tria hæc vocabula χελώνη, χέλυς, & χελώνη, plerasque significationes habere communes. Ἠ λιγυρὴν φόρμιγγα χελυκλόνον Ἑρμάωνος, Orpheus in Argonauticis. Χέλειον, testæ instar induratum testudinis putamen, Hesychius & Varinus: apud quos ἀποστρακωμένον legi debet, per ω magnum in secunda syllaba, non per ε breue. Ἑρμείης. σαρκὸς γὰρ ἀπεγνόσφισε χέλυον Αἴολον. ἀγκῶνας δὲ δύω παρετείνατο πέζαις. Nicander in Alexipharmacis. Hermolaus Barb. etiam & Cælius χέλυον legerunt per ypsilon, in penult. ego per ει malim. Χέλειος νῶτος, ὀστρακώδης, id est tergum testaceum, Hesych. & Varinus. Fiunt enim frequentia adiectiua in ειος per ει, per υ non item. Χέλυς etiam pectus significat, vnde verbum χελύσσεσθαι, ferè pollens idem quod apud nos expectorare, Hermolaus. Ξηρὰ δ' ἐπιλλίζων ὀλοῇ χελύσσεται ἄτῃ, Nicander: lambda propter carmen geminato. Hesych. interpretatur βήσσειν, id est tussire: Scholiastes διὰ χέλυος, τουτέστι τοῦ στήθους τὴν ἀναφορὰν τῶν ἐρυγμάτων ποιεῖν, id est eructare. Ἀναχελύσσεται καὶ ἠρυγγάνει θαμινὰ πνεύματα, Hippocrates. Galenus in Glossis ἀναχελύσσεσθαι, ἀναξηραίνεσθαι interpretatur, id est resiccari, etsi codices impressi ἀναξαίνεται habent, qua voce præcedens etiam ἀναχαίνεται exponitur ab eo. Cornarius vertit, resoluitur, refricatur: & ἀναχελύσσεται (sic enim legendum, non ἀναχελίσκεται vt codices excusi habent) similiter. Varin. Ἀναχελύσσεσθαι legit, (nisi librarij error sit, si error est, potest enim hoc verbum formari à χελώνη, quæ vox idem quod χέλυς est) & rectè interpretatur ἀναξηραίνεσθαι. Videtur autē non simpliciter significare resiccari, sed sicca vel arida tussi laborare. Sic & χελίσκιον (melius per ypsilon in antepenult. vt Varinus habet) ξηρὸν, id est tussicula arida apud Hippocratem legitur, cum nihil humoris in os tussiendo aut screando deriuatur. Χελύσσουσαι, natās, διαπλέουσαι, νηχόμεναι. καὶ γὰρ οἱ νηχόμενοι τοῖς χείλεσι τὸ ὕδωρ παραλείχουσι. Χελύσσειν (Varinus non rectè Χελόνειν habet,) βήσσειν, καὶ χελύσσειν (malim χελύσσειν) ὁμοίως, Hesych. Χέλυσμα, lignū quod carinę (ζόπη, lego ζόπιδι) affigitur, ne atteratur aut labefactetur inter trahendum, Varin. Sed & ipsa carina chelóne dicitur, vt supra annotauimus. Quod sub carina sternitur, ne illa atteratur, chelysma quasi corium & tegumentum nomen habet, Cælius Calcagninus. Theophrastus lib. 5. de hist. plant. cap. 8. nauium partes, & quæ quibus materia conueniat, describens, χέλυσμα etiam nominat, quod ex ligno robusto fieri oporteat, Gaza testudinem vertit. Labrum superius inueni qui chelynen dici arbitrentur: quanquam alij in ambitu positam partē eo vocabulo intelligere malunt, vnde chelynidæ (apud Etymologū) nuncupentur, quibus ea grandior portio est, Cælius. Labeones Latinè dixeris. Μύσταξ ῥωμαίοις τῆς ὑπερώας χελύνης κατάκοσμος, Etymologus. Ego labium simpliciter, siue superius siue inferius, χελύνην vocari puto. nam si superius tantū significaret, non opus foret superioris vocabulū adiici. Εἰς τὴν ὑπερῴαν χελύνην οἶστος Μηδικὸς ἐνερρίζωτο, Aristophanes citante Suida. Item in Vespis, Πᾶς (aliàs Στὰς) ἀνὴρ παρ' ἀνδρ' ὑπ' ὀργῆς τὴν χελύνην ἐσθίων: vbi Scholiastes (& Varinus) ἀντὶ τοῦ τὰ χείλη. οἱ γὰρ ὀργιζόμενοι ἐνδάκνουσι τὰ χείλη. Χελυνὴ, χεῖλος, καὶ μέρος τῶν ἱερείων, Hesych. & Varinus.

Chelys musicum instrumentum. Χελώνη. Χέλειον. Χελύσσειν. Χελυνὴ.

Χελωύιον, labellum, Etymologus: & idem quod χελώνιον, teste Hesychio. Ruellius ex Hippiatricis Græcis cap. 34. & 108. χελωύια, labra trãstulit. Χελωύαν, χιλῶν, (fortè χειλῶν.) & Χελωῦαι, χῆλαι, (fortè χήλη, aut χηλαί, id est vngulæ. nam χελώνη alioqui pars est ὁπλῆς, id est vngulæ solidæ. chela verò vngula bisulca est.) Hesych. *Χελωνάζειν.* Χελωνάζειν, χλευάζειν, Hesychius & Varinus, id est irridere, subsannare. *Χελών.* Χελὼν, piscis è mugilum genere apud Athenæum, nimirum à labiorum magnitudine. Nicander χελείας labitula serpentium vocauit, παρὰ τὸ χείλεσθαι ἐν αὐταῖς τοὺς ὄφεις, vt Scholiastes annotauit.

Testudo nummus Peloponnensium. ¶ Icon. Lego (apud Pollucem lib. 9.) Pelopõnensium nummum fuisse quendam ab incusa animalis forma chelónen, id est testudinem nuncupatum. Nam obolum Eupolis callichelonum appellauit, veluti testudinem dicas pulchram. Hinc emanauit illud, Τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικῶντι χελῶναι. Quod est, Virtutem ac sapientiam testudo superat, Cælius. Χελώνιον, τὸ ὑποπόδιον, καὶ Πελοποννησιακὸν, (addiderim νόμισμα,) Hesych. Varinus. Καλλιχέλωνος obolus insculptam habebat testudinem, Hesychius & Varinus. Erasmus carmen ex Polluce iam recitatum prouerbiale facit, quo velut ænigmate innuatur, pecuniam longè plus posse, quàm aut virtutem aut sapientiam. Consimili figura (inquit) dictum & illud multas noctuas sub tegulis latitare, & bos in lingua. *Testudo secreti ac silētij symbolum.* ¶ Testudo apud veteres secreti ac silentij symbolum fuit. Hoc enim argumento Eliensibus Phidias Venerem fecit, quæ testudinem calcaret, opertius implicatiusq; commonstrans, esse muliebris decoris ædes custodire ac silentium, (silentium ac tardum & lentum sermonem, Step. Aquæus,) Cælius è Plutarchi nuptialibus præceptis, vnde & Stobæus citat. *Venus testudinem pede calcans.* Iuxta forum Eleorum templum est Veneris Vraniæ, id est Cœlestis, cum simulachro deæ quod Phidias partim ex ebore partim ex auro fabricauit, cuius pes alter testudini insistit. Cæterum in crepidine nemoris ibidem, Venus est Pandemos, id est popularis, quæ capro æneo insidet, Pausanias in Eliacis. Τῷ τῆς ἀφροδίτης ἐν Ἤλιδι ἀγάλματι Φειδίας τὴν χελώνην παρέθηκεν, ὡς τὰς μὲν παρθένους φυλακῆς δεομένας, ταῖς δὲ γαμεταῖς οἰκουρίαν καὶ σιωπὴν πρέπουσαν, Plutarchus in libro de Iside. ¶ Chelonium inter cyclamini nomenclaturas apud Dioscoridem reperio.

Chelonitæ insula. ¶ Chelonitæ insula in rubro mari, gentile similiter, Stephanus. Chelonates promontorium Achaiæ, quod Ptolemæo Chelonita dicitur, Idem. Post Cyllenem Chelonatas est promontorium, signum ex tota Peloponneso maximè in occasum protensum, Strabo lib. 8. Et rursus, In medio Chelonatæ à Cyllenæ spatio Penius effunditur.

Superstitiosa. ¶ *b.* Chorus Vesparum Aristophanis aculeos cuidam minitatur his verbis, Ἀλλ᾽ ἀφίει τὸν ἄνδρ᾽: εἰ δὲ μὴ, φήμ᾽ ἐγὼ Τὰς χελώνας μακαριεῖν σε τοῦ δέρματος. osseum enim testudinum tergus aculeis vesparum pungi non potest. Volaterranus testudinis conuexum dixit pro testa eius.

Prouerbia ex testudine desumpta. ¶ *e.* Aliqui tradunt, incredibile dictu, tardius ire nauigia, testudinis pedem dextrum vehentia, Plinius. Si quis posuerit dorsum tortucæ euersum super ollam, non bulliet olla, Rasis.

¶ *f.* Ὀσμὴ μ᾽ ἐς φρένας ἦλθε κραταιρίνοιο χελώνης Ἑψομένης ἐν χαλκῷ ἅμ᾽ ἀρνείοισι κρέασιν, &c. Oraculum Crœso Delphis responsum, Suidas in Κροῖσος ex primo Herodoti.

¶ *h.* Troglodytæ testudines consecrarunt, Gyraldus. sed hoc de marinis intelligendum.

Aquilã testudo vincit. ¶ PROVERBIA. Aquilam testudo vincit, Vide infra in terrestri. *Testudinē equus insequitur.* Testudinem equus insequitur: conueniet vti cum rem præposterè & absurdè geri significamus: finitimum illi, Testudinem pegaso comparas: &, Citius testudo leporem præuerterit, Erasmus. Vide in Equo inter prouerbia. Testudines edendæ aut non edendæ. Vide superius in *F.* Ipsi testudines edite qui cepistis: Αὐτοὶ χελώνας ἐσθίετ᾽ οἵπερ εἵλετε: In eos iacitur, qui posteaquam incõsultè quippiam adorti sunt, aliorum implorant auxilium, quos suo negotio admisceant. Parœmiam ex huiusmodi quodam apologo natam existimant. Piscatores aliquot iacto reti, testudines eduxerunt. Eas cum essent inter se partiti, neque sufficerent omnibus comedendis, Mercurium fortè accedentem inuitarunt ad conuiuium. At is intelligens se nequaquam humanitatis gratia vocari, sed vt eos fastidito cibo subleuaret, recusauit, iussitque vt ipsi suas testudines ederent, quas cepissent, Erasmus. *Prius testudo leporem præuerterit.* ¶ Prius testudo leporem præuerterit, Πρότερον χελώνη παραδραμεῖται δασύποδα, de re neutiquam verisimili, Erasmus. Æsopus fabulatur quòd testudo leporem cursu vicerit, vt pigros ad laborem impelleret, & veloces (ingeniosos) à torpore deterreret, Io. Tzetzes. *Quàm curat testudo muscas.* ¶ Quàm curat testudo muscas, Ὅσον μέλει τῇ χελώνῃ μυιῶν. Suidas ex authore nescio quo refert hæc verba, Τῷ δὲ Ἀγαμέμνονι τῆς Θερσίτου παῤῥησίας ἧττον ἔμελεν ἢ χελώνῃ μυιῶν τὸ τῆς παροιμίας. Testudini nihil nocere possunt muscæ propter testam qua munita est. Cõfine illi, Non curat culicem elephantus. Lepidius erit ad res animi detortum, Animus virtute ac philosophia munitus, nihil plus timet fortunæ incursum, quàm testudo muscas, Erasmus. Huc pertinet quod superius in *b.* recitaui ex Vespis Aristophanis. Refertur à Suida in Χελώνη.

Testudinē pegaso cõparas. ¶ Testudinem Pegaso comparas, Χελώνην Πηγάσῳ συγκρίνεις: de rebus nequaquam inter se conferendis. Pegasus equus erat volucer, si fabulis credimus, testudine nihil tardius, Erasmus. *Testudines vincũt sapiētiam & virtutē.* ¶ Testudines vincunt sapientiam & virtutem, Vide supra in *a.* inter icones. *Domus amica, domus optima.* ¶ Domus amica, domus optima: Οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος. Nusquam commodius, nusquã liberius, nusquam lautius homini viuere contingit, quàm domi. Quidam per iocum detorquent ad testudinem, de qua fertur apologus huiusmodi. Iupiter cum animantium omne genus ad nuptias rogasset, venissentq; reliqua, præter vnam testu-

testudinem (nam hæc peracto conuiuio tum demum aduenit,) Iupiter admirans percunctatus est, quid nam illi fuisset in mora. Atq; illa respondit, Οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος. Iratus ille, iussit vt quocunque iret, domum suam secum circũferret. Ad Apologum allusit M. Tullius in Epist. quadam ad Dolobellã: Hæc loca venusta sunt, abdita certè, & si quid scribere velis ab arbitris libera, sed nescio quomodo οἶκος φίλος. Itaque me referunt pedes in Tusculanum. Huc adscribendum quod refert Plutarchus in vita T. Flaminij. Is dehortans Achaicos ne sibi vindicarent insulam Zacynthiorum, dicebat, κινδυνεύειν ἂν ὥσπερ αἱ χελῶναι πορρωτέρω τὴν κεφαλὴν τῆς Πελοποννήσου προτείνωσιν. Id est, Periculũ ipsis fore, quemadmodum testudinibus, si longius à Peloponneso proferrent caput. His non dissimilia T. Liuius de bello Macedonico libr. 6. vbi sic loquitur Quintius: Si vtilem possessionem eius insulæ censerem Achæis esse, autor essem S.P.Q.R. vt eam vos habere fineret. Cæterũ sicut testudinem, vbi collecta in suum tegumen est, tutam ad omnes ictus video esse: vbi exerit partes aliquas, quodcũque nudauit, obnoxium atq; infirmum habere: Haud dissimiliter vobis Achæi clausis vndique maris, quod intra Peloponnesum est, termino, ea & iungere vobis, & iuncta tueri facile: si semel auiditate plura amplectẽdi hinc excedatis, nuda vobis omnia quæ extra sint, & exposita ad omnes ictus esse, Hæc omnia Erasmus. Τοῦ τὰς ῥικνὰς χελώνας ἀμνάμονα, Οἶκος γὰρ ἄριστος ἀλαθέως καὶ φίλος, Cercidas in Hemiambis apud Stobæum in sermone de Tranquillitate.

¶ Mulieris famam, non formam vulgatam esse oportere, emblema Alciati.

Alma Venus quænam hæc facies, quid denotat illa Testudo, molli quam pede diua premis?
Me sic effinxit Phidias, sexúmq; referri Fœmineum nostra iussit ab effigie.
Quódq; manere domi, & tacitas decet esse puellas, Supposuit pedibus talia signa meis.

DE TESTVDINE TERRESRTI.

Testudinis terrestris putamen tantum hoc tempore habuimus.

A.



TESTVDO terrestris est, quæ nec in dulci nec in salso humore degit, nec in cœno & paludibus, sed locis siccis. Recentiores aliqui parum Latini vocauerũt etiã syluestrem, campestrem, agrestem & nemoralem. Græci χελώνην χερσαίαν. Sunt & terrestres, quæ ob id in operibus chersinæ vocantur, Plinius. Nicander οὐρείην dixit, Oppianus οὐρεσίφοιτον, id est montanam. Videntur autem montanæ cæteris terrestribus maiores fieri. Vide infra in *E.* Galli *tortue des boys*, id est testudinẽ syluarum appellant. Sed conuenient ei eadem nomina quæ supra in Testudine simpliciter retulimus.

B.

Testudines terrestres in Africæ desertis reperiuntur, Plin. In quadam Libyæ parte (in Mauritania) in campis testaceorum multitudinem esse dicunt, Strabo lib. 17. Terrenæ testudines apud Indos gignuntur magnitudine maximarum glebarum, quæ in altis arationibus terræ non difficilis excitãtur, bene penitus intrante aratro, & sulcum facillimè proscindente, & glebas in excelsum excitante. Eiusmodi testudinum genus aiũt testas exuere: ac sanè easdem ab agricolis sic ligonibus abstrahi, quemadmodum vermes ex verminosis locis, Ælianus de anim. 16.4. Parthenius mons Arcadiæ testudines exhibet, Pausanias. Et rursus, Soron & alia querceta Arcadiæ, ingenti magnitudine testudines alunt. ¶ Terrestrium testudinũ tergus luteo & nigro colore pulchrè distinctis spatiis variare vidi, ferè instar pellis salamãdræ. Testudines quas nos marinas dicimus, albo cortice tectas, & nigris quibusdam signis vermiculatas, ex mari non sunt, sed maritimis nemoribus & sabulosis. nostra autẽ nemora & fouearum aquæ nigras faciunt, Brassauolus. Σαρκὸς γὰρ ἀπονόσφισε χέλειον Αἰόλον, Nicander de testudine à Mercurio reperta. ¶ Terrestres quadrupedes ouiparæ, vt lacerti, testudines, &c. pulmonem habent exiguum & siccũ, sed aptũ ampliari ac extumescere cum inflatur, Aristot. Vrina earum ad remedia quædam commendatur. Hanc Plinius aliter quàm in vesica dissectarum inueniri posse non arbitratur. Testudo tam aquatilis quàm terrestris, habent in quod meatus contingant, & quo per coitum adhæreant, Aristot. Pulmonem ac ventrem habent ita, vt omne genus terrestre ouiparum, Idem.

Vbi reperiantur. *In Africa.* *In India.* *In Arcadia.* *Descriptio testudinis terrestris.*

C.

Testudines terrestres testæ elegantioris, amant agros in quibus fruges consitæ sunt, vt audio, nimirum quòd frugibus vescantur: nam & domi quidam eas cistis inclusas farina nutriunt. Cochleas quoq; & lumbricos ab eis edi aiunt. Sunt & montanæ. Arrianus in insula quadam maris rubri *Cibus.*

Cunila. χελώνην ὀρεινὴν haberi ſcribit. Nicander teſtudinem montanam κυτισονόμον cognominat, quòd cytiſum depaſcatur: non enim probo Scholiaſtæ interpretationem, non ad cytiſum ſed cytinos mali Punicæ flores, hanc dictionem referentis. Teſtudo cum viperam ederit, mox cunilam (origanum) edit: quod cum ita ſæpius factum animaduertiſſet quidam, cum guſtata cunila viperam teſtudo repeteret, herbam euulſit, quo facto teſtudo interiit, Ariſtotel. in hiſtoria animalium, & in Mirabilibus: & Zoroaſtres in Geoponicis 15. Teſtudo cunilæ quam bubulam vocant paſtu, vires contra ſerpentes refouet, Plinius. Ælianus vel ipſe, vel deceptus eius interpres Gillius, origanum & cunilam tanquam diuerſa remedia teſtudini aduerſus viperæ eſum memorat. Teſtudo cum origanum ederit, viperam præclarè contemnit. Quòd ſi eius facultatem non aſſequatur, comeſa ruta contra hoſtem armatur. Iam ſi vtriuſq; facultate caruerit, à ſerpente exeditur planeq; conficitur, Ælianus. Cunila bubula ſe muniunt teſtudines cum ſerpentibus pugnaturæ, quidamq; in hunc vſum panacem vocant, Plinius. Teſtudines terreſtres ſunt in Africæ deſertis, qua parte maxime ſitientibus harenis ſqualent, roſcido (vt creditur humore viuentes: neq; aliud ibi animal prouenit, Plinius. ¶ Teſtudo tum marina tum terreſtris in dorſum inuerſa, ad priſtinum ſtatum redire non poteſt, Oppianus.

Latitatio hyeme. ¶ Omne hybernum tempus teſtudo intra terram abdita manet immobilis: cuius naturam non ignorantes homines, eam ineunte hyeme terræ operimento obducunt: poſt vero hyemem ibi locatam ac ſitam, vbi terra obruerunt, reperiunt, ſine cibo totam hyemem traduxiſſe:

Coitus. ¶ Quadrupedes ouiparæ pedeſtres, eodem coëunt modo quo ea quæ animal generant, mare ſuperueniente: vt teſtudo tam aquatilis quàm terreſtris: habent verò in quod meatus cōtingant, & quo per coitum adhæreant, Ariſtot. Teſtudines montanæ ex ventis concipiunt, vt & coturnices, Scholiaſtes Nicandri vbi poëta κυτισονόμον teſtudinem cognominârat, quaſi ipſe legerit κυϊσονέμου, aut ſimilem quandam vocem, ἀπὸ τοῦ κύειν ἐκ τῶν ἀνέμων. Ex terrenis teſtudinibus mas ad venerem inflammatiſſimus eſt. Demoſtratus fœminam humi ad coitum ſtratam ait ſupinam iacere, deinde expleto coitu, propter teſtæ magnitudinem cum ſe conuertere non queat, eſcam paratam à marito relinqui cum aliis animalibus, tum aquilæ: (Vide ſupra in Teſtudine in genere *D.*) vnde fit, vt mares eas ad coitum ideo illicere non poſſint, quòd fœminæ magna moderatione libidines contineant, & ſalutem voluptati anteponant. At enim mares mirabili quadam natura illecebram amatoriam, & omnis metus obliuionem afferētem fœminis iniiciunt: neq; tamen huiuſcemodi illecebræ ſunt cantiunculæ, quales Theocritus, paſtoritiæ luſionis compoſitor, nugatur: ſed occulta herba, cuius neq; ille nomen ſe ſcire dicit, neq; alium cognoſcere confitetur. itaq; mares eam ore continentes, ad libidinem fœminas alliciunt: & quæ antea fugiebant, nunc exardeſcunt ad coitum, & nullo de ſe timore afficiuntur, Ælian. 15. 19.

Oua. ¶ Oua non modo incubare ſolo aſpectu dicitur, ſed etiam ad excluſionem perducere, Gillius. Sed authores de marina tantum hoc ſcribunt, vt in eius hiſtoria dicetur. Aliqui è vulgo putant quòd oris ſpiritu afflando, ea maturet. ¶ Teſtudo latibulis tegitur, ſenectutem verò non exuit, Ælianus. Et alibi, Teſtudines terrenas apud Indos aiūnt teſtas exuere.

D.

Teſtudinis hoſtes, Serpētes, Aquilæ. Teſtudo contra viperas & ſerpentes pugnat. Vide in *C.* ¶ Aquilæ vt morbis quibuſdam occurrant, teſtudines comedunt, Oppianus in Ixeuticis. Teſtudines terreſtres fœminæ in coitu ſupinæ iacent, quo peracto cum ſe conuertere nequeant, prēda cum aliis animantium, tum aquilæ relinquuntur, Ælianus. Χελωνοφάγοι ἀετοί τινες, Heſych. & Varinus. Tertium aquilarum genus anatariam vocant, &c. ingenium eſt ei teſtudines raptas frangere è ſublimi iaciendo: quæ ſors interemit poëtam Æſchylum, prædictam fatis (vt ferunt) eius diei ruinam, ſecura cœli fide cauentem, Plinius: & Suidas in Χελώνη, vbi Æſchylum, ſic oppreſſum annorum quinquaginta octo fuiſſe refert. Sotades apud Stobæum hoc ei ſcribenti accidiſſe ait.

Qua ratione aquilæ teſtudines raptas frangant. Æſchylus à teſtudine ex alto deiecta intereptus. Terrenas Teſtudines à ſe comprehenſas ex alto deiicientes aquilæ ad ſaxa allidunt, & ex contrita Teſtudinum teſta extractam carnem exedunt, conficiuntq;. Itaq; Eleuſinius Æſchylus tragicus poëta de vita migraſſe dicitur. Cum enim is in ſaxo ſedens (in agro aprico ſedens annos natus octo & quinquaginta, quòd tabulati ruinā metueret, quam ei oraculum prædixerat, Gyraldus) ex conſuetudine inſtitutoq; ſuo & philoſopharetur, & ſcriberet, eius caput à pilis nudum, aquila ſaxum eſſe arbitrata, teſtudinem, quam in ſublime extulerat, in idipſum deiecit, & ſine aberratione ictum dirigens, virum interfecit, Ælianus. De Æſchylo interempto ab aquila anataria, meminerunt Valerius Maximus lib. 9. & Gellius lib. 13. & lib. 7. Idem hoc verſiculo Sotades teſtatus eſt: Αἰσχύλῳ γράφοντι ἐπιπέπτωκε χελώνη.

E.

Vſus ex teſtudine. Teſtudines aliqui in hortis alunt, vt purgent eos à cochleis & lumbricis. ¶ Parthenius mons Arcadiæ teſtudines exhibet, ad compingendas lyras aptiſſimas, Pauſanias. Arcadum querceta ingenti magnitudine teſtudines exhibent, ex quibus lyras conficeres, æquales illis quæ ex Indica teſtudine componuntur. Idem in Arcadicis. Et rurſus, Soron & alia querceta Arcadiæ, ingenti magnitudine teſtudines alunt, ex quibus lyras conficeres, æquales illis quæ ex Indica teſtudine componuntur. (Sed de teſtudine muſico inſtrumento diximus ſupra in Teſtudine in genere *H.a.*) Dioſcoridis inſula in mari rubro fert teſtudinem veram, & terreſtrem, & albam: & plurimam excellentem, ac teſtis maiotibus.

ioribus.montanam quoq; maximam,& teſtę craſſiſſimæ, Arrianus. Vide ſupra in Teſtudine in genere cap.5. Sunt & terreſtres, quæ ob id in operibus cherſinæ vocantur, Plin.& 32.4. Geminus, inquit, ſimiliter (vt fibrorum) victus in aquis terraq;,& teſtudinum, effectus quoq; pari honore habendi, vel propter excellens in vſu pretium, naturæq; proprietatem. Vide mox in *G.* ab initio.

F.

Eſus teſtudinis terreſtris.

Tortuca terreſtris magis eſt tẽperatæ carnis quàm aquatica. neutra tamen eſt venenoſa: ſed vtraq; in cibo multum impinguat. Dicunt tamen quidam quòd ſi quis ſuper renes mortuæ tortucæ calcauerit, veneno inficitur, Albert. Teſtudines aquaticæ meliores ſunt quàm terreſtres, pro equis qui cum ſatis pabuli abſumant non proficiunt, Laur. Ruſius. Terrenæ teſtudines in India maximæ gignuntur, eædemq; non amaræ vt marinæ ſunt: ſed & ſuaues & pingues habẽtur earũ carnes, Ælian. Amputato capite pedibuſq;, ex iure in cibo ſumuntur contra morbos quoſdã, vt mox in *G.* referetur.

G.

Remedia ex teſtudine terreſtri.

Geminus ſimiliter (vt fibrorum) victus in aquis terraq;,& teſtudinum, effectus quoq; pari honore habendi, vel propter excellens in vſu pretium, naturæq; proprietatem, Plinius: Videtur autem ſentire, effectus in re medica ſiue ex terreſtri, ſiue ex aquatica teſtudine eoſdem haberi: & teſtudinem amphibium animal non minus celebre eſſe quàm fibri ſint, cùm non ad remedia tantum diuerſæ eius partes, ſed etiam ad ornatiſſima opera tegumentum tum terreſtris tum aquaticæ requiratur. Oua ſanè teſtudinis vel marinæ, vel terreſtris ſimiliter, contra ſalamandræ venenum commendantur: & ius coctum ex ſuilla pingui cum teſtudine vtrauis, authore Nicand. Et pro ſanguine marinæ teſtud. vulgarium ſanguinem prodeſſe exiſtimãt quidam, (vt ex Vegetio citauimus in teſtudine in genere.) Quare etiam cætera remedia ex eis ferè indifferentia eſſe aliquis ſuſpicetur. Aquilæ teſtudines pro medicamento vorant, Oppianus Ixeuticis. Teſtudines aquaticæ meliores ſunt quàm terreſtres, pro pro equis qui ex pabulo ſatis copioſo parum aut nihil proficiunt, Ruſius cap.156. Vide paulò ante in *F.* Idem Ruſius cap.165. teſtudines ad tuſſim ſiccam equorum laudans, ſic ſcribit: Teſtudines abiectis capitibus, caudis, pedibus & inteſtinis in aqua coques donec carnes ab oſſibus ſeparẽtur, & aqua bene pinguis fiat. Hac aqua equum potabis, ita vt aliud nihil bibat antequam eam abſumpſerit. Carnes ſi quæ remanſerint, mixtas cum annona equo in cibo dabis. hoc facies donec equum videas curatum. Et quamuis terreſtres teſtudines bonæ ſint, aquaticæ tamen præferuntur. Idem cum limacibus facere potes. Amatus Luſitanus pro puella quadam ventriculi eroſione chronica cum deſtillatione capitis & tuſſi ingenti ſicca, inter cætera tale remedium præſcribit. Teſtudines nemorales duæ bulliant in aqua feruentiſſima, demptis corticibus: deinde lauentur vino, ac poſtea aqua hordei vel roſacea: tandem interanea pulpamenta dicta, cum infra ſcriptis rebus coquantur. Rec. florum boraginis, capillorum Veneris, ſem. melonis, lactucæ ana vnc. ſemis. Radicum petroſelini, boraginis, ana ℥.j. tragacanthi, gummi Arabici, amyli. glycyrrhizæ ana drach. ſemis. Pinearum mundatarum, amygdalarum albarum, piſtaciorum mundatorum, ana drach. duas. Bulliant in libris ſex aquæ ad conſumptionem mediæ partis, & colentur. Huius decocti quinque vncias cum vna ſyrupi violacei quotidie ieiuna bibat. Syrupum quendã de teſtudinibus terreſtribus cum aliis remediis parandũ Guaynerius deſcribit in curatione febris hecticæ: Item liquorẽ ex capo gallóve, aut iiſdem teſtudinibus aut limacibus deſtillandum. Teſtudo terreſtris vſta tota, & cum melle ſumpta, vetuſtiſſima leucomata continuò purgat, & dolores nubeculaſq; illita ſanat, Author Kœranidum. Teſtudinem captam ex aridis locis (alij teſtudinem ſimpliciter nominant) accipitri da in cibo. ſic enim pennas citius mutabit, & pulcriores habebit, Demet. Conſtantinop. ¶ Terreſtrium carnes ſuffuſionibus propriè, magiciſq; artibus refutandis, & contra venena ſalutares produntur. Plurimæ in Africa. Hæ ibi amputato capite pedibuſq; pro antidoto dari dicuntur: & ex iure in cibo ſumptę, ſtrumas diſcutere, ac lienes tollere: Item comitiales morbos, Plin. ¶ Teſtæ crematæ cinis cum vino mixtus chimetla ſanat: & cum butyro vetere ſolutus, carbunculos curat, Author Kœranid. Tegumenti cinis vino & oleo ſubactus, pedum rimas vlceraq; ſanat, Plin. Raſis teſtudinis ſimpliciter cinerem cum albumine oui aut lacte aſinino, fiſſuras in ventre, vberibus & femoribus mulierum ſanare prodidit. Squamæ è ſumma parte deraſæ, & in potu datæ venerem cohibent. Eò magis hoc mirum, quoniam totius tegumenti farina accendere traditur libidinem, Plin. ¶ Sanguis teſtudinis terreſtris additur acopis quibuſdam arthriticis Aſclepiadæ apud Galenũ de compoſ. medic. ſec. genera lib.7. Et apud Aetium lib. 12. cap.44. teſtudinum decem ſanguis acopo ex rubetis adiicitur. Vide in Rubeta *G.* Teſtudinum terreſtrium decem ſanguis apud Galenum de compoſ. medic. ſec. genera lib.7. (vnde Actuarius etiam mutuatus eſt) miſcetur Acopo Piſcatoris primo: ſecundo verò ſimpliciter teſtudinum plurium ſanguis cum rubetis quinque, &c. Teſtud. terreſt. ſanguinem epotum tradunt prodeſſe comitialibus, Dioſcorid. Raſis, & author Kœranid. Auicenna in eundem vſum cum vino bibi iubet: & alibi caputpurgium ex eo fieri. Vide ſupra in Teſtud. ſimpliciter. Sanguis earum claritatem viſus facit, ſuffuſioneſq; oculorum tollit: (Non igitur veriſimile eſt quod apud Raſim legitur, collyrium cum ſanguine tortucæ factum excæcare. Et contra ſerpentium omnium, & araneorum & ſimilium, & ranarum venena auxiliatur, ſeruato ſanguine in farina pilulis factis, & cum opus ſit in vino datis, Plin. Sed de ſeruando ſanguine teſtu-

Ex carnibus. *Ex teſtarũ cinere.* *Ex ſanguine.*

dinum ſimpliciter, diximus ſupra in Teſtudine in genere, initio cap. 7. Sanguis teſtud. terreſt. potus, ab echidna vel ſcorpione percuſſos, ſummè adiuuat, Author Kœranid. (Alij teſtudinis ſimpliciter, alij marinæ, ad eoſdem ferè vſus commendant.) Cum ſpolio ſerpentis & aceto ſolutus, dolores aurium & vſturas ſanat: Inunctus capiti alopeciam denſat, & furfures abſtergit, Idem. In teſtudine ſimpliciter, ſanguinem eius ad capillorum defluuium, ophiaſin & achôras, à quibuſdã prædicari ſcripſimus. Galeno curioſum & ſuperuacaneum hoc remedium non placet. Vide infra in Marina. ¶ *Ex iecore.* Teſtud. terreſt. iecur tritum in peſſo naturalibus imponito, aduerſus vteri ſtrangulatum, Galenus Euporiſt. 2. 72. ¶ *Ex felle.* Felle teſtudinum terreſt. cum Attico melle glaucomata inungi prodeſt: & ſcorpionum plagæ inſtillari, Plin. Cum melle cicatrices & leucomata ſummè ſanat, Author Kœranidum. Si miſceatur fel tortucæ agreſtis cum pari melle, & hoc collyrio illinatur aliquis triduo, mane ter, & nocte ter, conferet hoc aquæ in oculo coeunti, (ſuffuſioni,) Raſis. Vide ſupra in Teſtudine in genere. Fel agreſtis tortucæ permixtum lacti mulieris, ſi deſtilletur in nares vel aures à quibus fluit ſanguis, confert, Raſis. ¶ *Ex vrina.* Vrinam earum aliter quàm in veſica diſſectarum, inueniri poſſe non arbitror: & inter ea quoque eſſe quæ portentoſa magi demonſtrent aduerſus aſpidum ictus ſingularem, efficaciorem tamen vt aiunt cimibus ammixtis, Plinius. Vide in Marina *G.* ad finem. ¶ *Ex ouis.* Oua durata illinuntur ſtrumis & vlceribus frigore aut aduſtione factis. Sorbentur in ſtomachi doloribus, Plin. Oua teſtudinis marinæ aut terreſtris cocta, proſunt contra ſalamandram, Dioſcorid. Nicander in Alexipharm. ſimpliciter teſtudinis oua commendat. Καὶ ὤεα θιβρὰ (ab igne adhuc feruida) χελώνης Ἀλθαίνει. Oua teſtud. ſyluestris aiunt prodeſſe comitialibus, & ad tuſſim infantium non ſine experimento laudantur, Auicenna. Author Kœranidum marinæ oua in cibo ſumpta lunaticos ſanare ſcribit.

H.

a. Epitheta. Οὐρείη & κυπισῳνόμος, Nicandro. Τραχεῖα & ὑρεσίφοιτος, Oppiano. Vide ſupra in Epithetis Teſtudinis in Genere.

c. Bœus ſcribit ex Gerano (muliere quondam inter Pygmæos inſigni in gruem mutata) & Nicodamante, teſtudinem terreſtrem natam eſſe, Athenæus.

e. Teſtudinem muſicum inſtrumentum Mercurius fabricaſſe dicitur reperta Teſtudine in Cyllene monte Arcadiæ, (nimirum terreſtri:) vel in littore decreſcente Nilo, (nimirum aquatica.) Vide ſupra in Teſtudine in genere *H.a.*

h. Teſtudines Parthenij Arcadiæ montis, accolæ tum ipſi verentur capere, tum peregrinos tollere non patiuntur: Pani enim ſacras eſſe arbitrantur, Pauſanias.

PROVERBIVM. Aquilam teſtudo vincit. Diogenes Laertius in vita Menedemi Philoſophi, ex Achæi poëtæ Satyra, cui titulus Omphale, refert hos ſenarios: Ἡλίσκετ' ἄρα γε καὶ πρὸς ἀσθενῶν ταχύς, Καὶ πρὸς χελώνης ἀετὸς ἐν βραχεῖ χρόνῳ. Hoc eſt, *Captus aliquando eſt celer ab imbecillibus, Et aquila tempore in breui à teſtudine.* Eoſq; ait vſurpare ſolitum Menedemum in illos, qui ſecum in ciuilibus honoribus contenderent. Accipi poteſt per ironiam: aut ſimpliciter, vbi quis potentiorem arte vincit, aut quod viribus non poteſt, aſſiduitate conficit, Eraſmus.

DE TESTVDINIBVS QVÆ IN AQVA dulci viuunt ſiue paluſtri ſiue fluente.

A.

TESTVDO aquatica nominatur à Marcello Empirico, quod nomen commune videri poteſt ad omnes teſtudines quæ in aquis degunt, vel marinis vel dulcibus: & his ſiue fluentibus ſiue ſtantibus: & fortè etiam lutarias, quæ non tam in aqua quàm in cœno paludum degunt. *Quatuor teſtudinũ genera.* Plinius teſtudinum genera quatuor numerat. Sunt enim (inquit) terreſtres, marinæ, lutariæ, & quæ in dulci aqua viuunt. Has quidam è Græcis *emydas* appellant. *De Emyde.* Gaza Ariſtotelis de animalibus librorum interpres teſtudinem lutariam & murem aquatilem pro vno genere accipit, Ariſtotelis *emyde*, quod non probo: deceptus fortè, quòd codices quidam Plinij in loco iam recitato, ſic legant: lutariæ, quæ in dulci aqua viuunt, &c. Sed ſic tria tantum genera eſſent, cùm Plinius diſertè genera quatuor ſtatuat. Muris quidem nomen pro teſtudine, non quauis, ſed aquatili aut marina apud Plinium vſurpatur, imitatione vocis Græcæ vt coniicio, μῦς, cuius genitiuus eſt μυὸς, ſi rectè μῦδες in Lexico Græcolatino vulgari legitur. mihi quidem non placet, vt neq; ὠμὺς & ὠμύδες per *o* magnum, quas voces in Græcorum Lexicis non reperias. Author Kœranidũ tamen ὠμὺς legit & Ariſtoteles lib. 3. de partibus cap. 9. Ἐμὺς verò per epſilon ſcribi placet, quod à librariis fortè alicubi omiſſum eſt, aut in ω mutatũ. Ἐμὺς, ζῶον ἐν λίμνῃ καὶ ἐν πηγῇ γενόμενον. οἱ δὲ χελώνην τὴν ἔχουσαν οὐράν, Heſychius & Varinus. Apud Galenum de compoſitione ſec. locos, lib. 2. cap. 2. ἀμύδα per alpha legitur, in verbis Archigenis. interpretatur autem χελώνην λιμναίαν, id eſt teſtudinem paluſtrem ſeu lacuſtrem. & ſimiliter Euporiſton 1. 9. Author Kœranidum de tribus duntaxat generibus ſcribit, terreſtri marina, & paluſtri quam vocat *emyda.* Mydæ de genere teſtudinum à colore luteo dictæ, quæ in aquis inueniuntur, vt inquit Plinius, Niphus.

Niphus. Sed apparet illum myde pro *emydes* legisse apud Plinium 32. 4. vbi codices antiqui *emydas* habent, recentiores aliqui *emydas*, (minus rectè.) item Aristoteles ac Theophrastus, teste Hermolao Barbaro. Et rursus in eiusdem libri caput vndecimum: Tria (inquit) inuenio in mari quæ μὺς dicuntur: primum testudines sunt, ideoq; non μύες in plurali sed μῦδες & ἐμύδες vocantur. (Atqui Oppianus dicit μυῶν γένος in genere plurali de testud.) Genus hoc aquatilis mus, & lutaria testudo à Theodoro, marinus mus à Plinio quandoque lib. 9. vertitur. alterum inter pisces. tertium inter ostrea pro mytulo, Hæc Hermolaus. Sed marinus mus Plinij marina testudo est, (distinctius hæc tradidimus in libro de piscibus.) non ἐμὺς, id est palustris aut dulcis aquæ. Et non in plurali tantum numero ἐμύδες, sed in obliquis etiam singularibus ἐμύδος, ἐμύδι & ἐμύδα rectè dici asseruerim. Iam quòd Niphus ait mydas à luteo colore dictas, propter Græcæ linguæ imperitiam eum somniasse puto. Amphibia quædam propter victum aquas relinquunt, vt phoca ϗ ὁ μῦς, Theophrastus in libello de piscibus. Marinum genus μυῶν, id est murium, pro testudinibus marinis, Oppianus lib. 1. de piscatione nominat: nisi fortè species diuersas esse vult, genus autem vnum: Χελώνην enim postea seorsim nominat. In Casinate fluuius appellatur Scatebra, frigidus, in quo, vt in Arcadiæ Stymphali, enascuntur aquatiles musculi, Plin. quæ verba de muribus viuiparis accipio, qui & alibi in Arcadia aquatici esse traduntur, vt in Quadrupedum viuiparorum historia in Mure aquatico scripsimus. Quod si quis testudinem lutariam ad verbum Græce reddere velit, χελώνην πηλαμύδα dixerit: & per aphæresin ἀμύδα. Vtcunq; est, siue *e* siue *a* siue *o* primam syllabam facias, id potius placet quàm monosyllabum μῦς, homonymiæ vitandæ causa. Μῦς enim, id est mus aquatilis etiam viuiparus est, & mus siue musculus piscis: & genus ostrei, Gaza mitilum vertit. Μύες, id est mures dicuntur tum domestici mures, tum marini, Hesychius. per marinum verò an testudinem vel piscem vel ostreum intelligat, quærendum. Nemora nostra & fouearum aquæ testudines nigras producunt, Brassauolus Ferrariensis. Testudinum tertium genus in cœno (vnde lutarias superius appellauit) & paludibus viuentium. Latitudo his in dorso pectori similis, nec conuexo incurua calice, ingrata visu, Plin. Et mox, Ex quarto genere testudinum quæ sunt in amnibus, &c. sanguis instillatus crebrò, capitis dolores sedat. Has superius simpliciter in aqua dulci degere dixerat. Nam in lacubus frequentius quàm amnibus aut fluuiis reperiri puto, nisi qui fluuij admodum magni sint, ita vt aqua circa ripas eorum stagnet. Idem remedium aduersus capitis dolorem emydi siue lymneæ, id est lacustri testudini Archigenes attribuit. Itaq; testudinum genera quatuor esse apparet, & lutariam ab emyde diuersam, quod Gaza & alij quidam non animaduerterunt. Marinæ etiam testudines, authore Plinio, circa Phœnicium mare stato tempore in amnem Eleutherum se recipiunt. Testudines India in Gange fluuio fert maximas. ¶ Testudinem fluuialem Lusitani *cagado* vel *gagado* vocant, cæteri Hispani *galapago* Itali *gaiandre de aqua*. Sed nomina testudinis in genere, supra nobis enumerata, huic etiam attribui possunt.

B.

Testudines Heluetia etiam in lacubus quibusdam habet: Tigurinus quidem ager in exiguo lacu iuxta Andelfingam pagum. In Gange fluuio Indiæ testudines nascuntur, quarum testa non minori magnitudine sit, quàm dolium capax viginti amphorarum, Ælianus duobus in locis, interprete Gillio. Et rursus, Testudinis Indicæ & fluuiatilis testa, non minor est quàm scapha iustæ magnitudinis. decem enim leguminum modios capit. Nicolaus Damascenus prodit, Antiochiæ sibi visos Indorum legatos, qui Cæsari Augusto inter cætera munera testudinem fluuiatilem trium cubitorum attulerint, Gillius. Sunt & in Nilo testudines, Æliano teste. ¶ Aquatilium tegumenta plura sunt: alia corio & pilis teguntur, vt vituli: alia cortice, vt testudines, Plinius. Testudini quæ in cœno & paludibus viuit, latitudo in dorso est pectori similis, nec conuexo incurua calice, ingrata visu, Idem. Mus aquatilis (*Emys*) tegmen habet testaceum, & inter operta cortice recensetur, sicut & testudo, Aristot. Lienem perexiguum habet, Idem. Testudo sola ex corticatis renes habet. genus tamen testudinis quam vocant lutariam (emyda, id est in dulci aqua degentem) & vesica & renibus caret. negat hoc Rondeletius. fit enim propter eius mollitudinem tegminis, vt humor facilè diffletur, Aristot.

Vbi reperiantur testudines aquaticæ.
In Heluetia.
In Gãge.
In Nilo.
Descriptio.

C.

Mures aquatiles dicti parere educareq; solent in sicco, prorsus tamen ab aquæ natura disclusæ viuere nequeunt. In humore etiam intereunt, nisi interdum respirent. non secus & marinæ testudines, Aristot. In terra scrobe effossa dolij amplitudine pariunt oua, quæ deserunt terra obruta, dieq; tricesimo repetunt, refossaq; aperiunt, fœtumq; continuò ducunt in aquam, Idem. Oua testudinum in sicco maturãtur, Plinius. Testudo mas in coitu superuenit: Vide in Terrestri *C.* Aquatiles testudines ortæ extra aquam, simulac primum niti possunt, aquam persequuntur, Gillius.

Partus.
Ouorum exclusio.
Coitus ratio.

D.

Testudines, cancri & crocodili, futuram Nili inundationem præsentientes, in loca Nilo inaccessa oua transferunt, Ælianus.

F.

Ad cibum præferendæ videntur amnicæ aut lacustres iis quæ in cœno & paludibus diuersantur.

Vide ſupra in Terreſtri.

G.

Remedia ex Teſtudine aquatica. *Ex cinere.* *Ex ſanguine.*

Accipiter nimium carnoſus & obeſus, attenuabitur cibo teſtudinis aquaticæ, Demetrius Conſtantinop. Teſtudines aquaticæ ad tuſſim ſiccam equorum commodant, Vide ſupra in Terreſtri *G.* ex Ruſio. ¶ Cinis huius teſtudinis cum ceroto roſaceo illitus, igne combuſta, eryſipelata, calidasq; podagras ſummè ſanat. Idem cinis inſperſus omnem ſanguinis eruptionem ſiſtit, & narium & plagarum, Author Kœranidum. ¶ Ad capitis dolorem, Teſtudinis lacuſtris, quam quidam amyda vocant, ſanguis ſincipiti inſtilletur, Archigenes apud Galenum ſecund. locos, 2. 2. inter amuleta. vbi Galenus, Hoc (inquit) ſi verum eſt, inter pharmaca & cum diſcrimine referri conueniebat: niſi ſanè hoc vult quòd omnem capitis dolorem iuuet, idq; omni temporis occaſione. Idem remedium inuenio in Euporiſtis Galeni 1.9. non ad quemuis capitis dolorem, ſed ex ebrietate tantum ac Solis æſtu obortum. Teſtud. paluſtris, quæ dicitur emys, ſanguis hemicraneam & omnem capitis dolorem ſanat, illitus fronti, Author Kœranidum. Et rurſus, Capiti illitus veteres cephalalgias ſanat, & eos qui nocuum quid ſumpſerunt, (potus nimirum, vt terreſtris etiam & marinæ.) Teſtudinum quæ ſunt in amnibus ſanguis inſtillatus crebro, capitis dolores ſedat: item ſtrumas. Sunt qui teſtudinum ſanguinem cultro æreo ſupinarum capitibus præciſis, excipi nouo fictili iubeant, Plinius. Suffuſiones oculorum emendat teſtudinis marinæ fel cum fluuiatilis ſanguine, & lacte mulierum, Plinius.

Ex pinguedine.

¶ Ex eodem genere teſtudinum quæ ſunt in amnibus diuulſarum pingui cum aizoo herba tuſo, admixto vnguento & ſemine lilij, ante acceſſiones ſi perungantur ægri, præter caput, mox conuoluti calidam aquam bibant, quartanis liberari dicũtur. Hanc teſtudinem quintadecima Luna capi oportere, vt plus pinguium reperiatur: verum ægrum ſextadecima Luna perungi tradunt, Plin.

Ex Hepate & felle.

¶ Fel emydos illitum, omnem caliginem abolet. Hepar potum phthiſicos ſanat, Author Kœranid. ¶ Ad iſchiadem phyſicum remedium: Teſtudinis aquaticæ crus præcide, & phœnicio inuolutum ex ea parte qua quis iſchiadem patitur adpone, potenter remediabitur, Marcellus Empiricus. Vide ſupra in Teſtudine terreſtri ſimpliciter.

Ex teſtudine paluſtri.

¶ Ex hac quoq; teſtudine quæ in paludibus viuit, aliqua contingunt auxilia. Tres nanq; in ſuccenſa ſarmenta deiectæ, diuidentibus ſe tegumentis rapiuntur. Tum euulſæ carnes earum coquuntur in aquæ congio, ſale modicè addito. Ita decoctarum ad tertias partes ſuccus paralyſin & articularios morbos ſentientibus bibitur. Detrahit item fel pituitas, ſanguinemq; vitiatum. Siſtitur ab eo remedio aluus aquæ frigidæ potu, Plinius.

H.

a. Mydia inſula, quæ etiam Delos dicitur, Stephanus. Sed fortè hæc nihil ad mydes ſiue emydas teſtudines.

Superſtitioſa quædam de teſtudine paluſtri.

e. Grandini creditur obuiare, ſi paluſtrem teſtudinem dextra manu ſupinam ferens vineas perambulet, & reuerſus eodem modo ſic illam ponat in terra, & glebas dorſi eius obiiciat curuaturæ, ne poſſit inuerti, ſed ſupina permaneat. Hoc facto fertur ſpatium ſic defenſum nubes inimica tranſcurrere, Palladius. Teſtudinem muſicum inſtrumentum Mercurius primum fabricaſſe dicitur inuenta teſtudine in littore decreſcente Nilo: Vide ſupra in Teſtudine in genere *H.a.*

DE TESTVDINE MARINA.

A.

Nomina diuerſa. *Mus marinus.* *Miles.*

TESTVDO marina, à Plinio etiam mus marinus appellatur: & Albertus quoq; murem marinum rectè teſtudinem interpretatur. Vide ſupra in Teſtud. aquæ dulcis *A. Asfulhaſch*, id eſt teſtudo marina, Syluaticus. Luſitani *tartarugam* vocant. Cæteræ gentes nuncupare poſſunt generali teſtudinis nomine, adiecta tantum differentia marinæ, vt Germani ein Meerſchiltkrott. Tortuca maris eſt id quod vulgus militem vocat, nigerrima, Albertus. *Barchora* (vide ne corruptum ſit nomen ab oſtracodermo) animal eſt duræ teſtæ, ſub quo tortuca maris, cum aliis quibuſdam ſpeciebus continetur, Idem. Et mox, Hoc animal piſcatores Germaniæ & Flandriæ militem vocant, eò quòd gerit ſcutum

Zytyron.


& galeam. *Zytyron* animal maris eſſe dicunt, quod antiqui (fortè aliqui) militẽ vocauerunt. magnum eſt ac fortiſſimum. Anterius quaſi armati militis figuram præfert. Caput enim ceu caſſide galeatum eſt ex cute rugoſa & dura. & à collo eius veluti ſcutum dependet, longum, durum & firmum, valde cauum inferius. Venæ enim & nerui quaſi de collo eius & de ſpondylis procedunt, quibus hoc ſcutum alligatur, forma triangulum. Anteriora crura ei quaſi brachia longa ſunt, perquam valida & bifurcata, quibus validiſſimè pugnat. Captum vix niſi malleis opprimitur. Apparuit hoc animal in mari Britannico, & eſt de genere tortucarum, Albertus.

Teſtudines cornigeræ apud Troglodytas.

B.

Troglodytæ teſtudines cornigeras habent, vt in lyra, annexis cornibus latis, ſed mobilibus, quorum in natando remigio ſe adiuuant: Celtium genus id vocatur, eximiæ teſtudinis, ſed raræ. Nanq; ſcopuli præacuti Chelonophagos terrent. Troglodytæ autem ad quos adnatant, vt ſacras adorant, Plinius.


DE TESTVDINE MARINA.



Plinius. Codices quidam Plinij *Celtinum* habent. Hermolaus *celetum* non celtium scribi posse iudicat. Et rursus in castigationibus capitis decimi lib. 9. Fuit (inquit) quando chelytium genus putauerim scribẽdum, ἀπὸ τῆς χέλυος, quę vox & testudinem significat & pectora, quasi magnas & pectorosas intelligi voluissent. Vtcunq; celetas credo testudines dicẽdas, hoc est κέλητας, quæ vox equitũ genus significat apud Græcos. nam & cancrorum est genus quoddam ἱππέας Aristoteli. itemq; formicarum alterum, quas Plinius pennatas vocat, à velocitate omnia, quoniam remigio, inquit, cornuum adiuuant se natando, ceu equites videri possint, non pedestres vt chersinæ a terra nominatæ, Hæc ille. Et rursus in Glossematis, Et nauigia quædam, inquit, celetes appellantur, authore Polluce: vti mirũ ne sit testudinum quoque id genus celetes vocatũ fuisse. ¶ De alijs quibusdam generibus, *barchora*, & *Zytyron*, vide in *A*. ¶ Tortuca maris similis est terrestri, nisi quod in magnitudinẽ excrescit, ita vt aliquando octo cubitorum inueniatur, & & scutum dorsi eius quinque cubitorum, Albertus. Scutum eius octo vel nouem pedum inuenitur, Idem. Testudines tantæ magnitudinis Indicum mare emittit, vt singularum superficies habitabiles casas integant: atq; inter insulas rubri præcipue maris nauigent his cymbis, Plinius. Nymphes author est, apud Troglodytas testudinum tegmẽta ea esse magnitudine, vt sex modios Atticos singula capiant, Ælianus. Qui incolunt Taprobanam insulam, (Thraciæ populi, obscuri quidã hic legunt) marinas testudines capere gaudẽt; quarũ tanta est magnitudo, vt superficies earum domum faciat, & numerosam familiã non arcte receptet, Solinus. Taprobanę insulę tecta aiunt non ex ligno facta, sed ex integumentis maximarũ testudinũ, quę in eo mari procreantur. Vniuscuiusq; superficies integrũ tectum pręstare potest. Nam singulę testæ ad quindecim cubitorum magnitudinem procedũt, vt sub eis nõ pauci habitare queant, ac nimirum vehementissimos solis ardores defendant, & prolixã vmbram efficiãt; sicq; ad perferendos imbres resistũt, vt melius quam omnes tegulę pluuiarũ vim repellãt. Neq; enim sic eas habitatores, quemadmodũ tegulas fractas sarcire habent necesse, nam totum tectum ex solida testa constat, vt suffosso saxo & cauernoso & natiuũ tectũ efficienti similis esse videatur, Ælian. Incolę Sumatrę (id est Taprobanę) ędes humiles ex lapidib. construũt, loco imbricum piscis tartarucæ pelles succedũt: mittit .n. eum piscem (inepte & improprie piscẽ vocat) pelagus Indicũ. Nam illic agẽs vidi adeo vastum belluæ corium, vt pondo librarum centũ triumq; esset, Ludouicus Roma. Ad Taprobanã Testudines marinæ tam sunt grandes vt vna centum tria pondo pependerit, Iul. Scaliger. De Chelonophagis & earum testudinibus vide in *F*.

De m... ga... ne te... num ... rinarum

ALTERA FIGVRA TESTVDINIS MARInæ a Valerio Cordo miſſa.



Deſcriptio teſtudinis marinæ.

¶ Marinæ teſtudines præter magnitudinem & pedes terreſtribus ſimiles ſunt, Pauſanias. Nigerrimæ, Albertus. Cornu (corium) habent in capite ſicut tortuca agreſtis: & hoc circundat caput ad modũ galeæ, Idem. Scutum eius quodãmodo de quinq; aſſerib. cõpoſitũ videtur, Idem. Teſtudini marinæ lingua nulla, nec dẽtes, ſed roſtri acie cõminuit omnia. Poſtea arteria & ſtomachus denticulatus callo, in modũ rubi ad conficiendos cibos, decreſcẽtibus crenis quicquid appropinquat ventri. Nouiſſima aſperitas vt ſcobina fabri, (tã modicis ſcilicet eminẽtijs,) Plinius. Et rurſus, Dentes ei non ſunt, ſed roſtri margines acuti ſuperna parte inferiorẽ claudente pyxidũ modo. oris duritia tanta vt lapides cõminuant. Oppianus tamẽ libro primo De piſcatione mures marinos contra homines etiã certare ſcribit, duritia tergoris & crebris dẽtibus fretos, forte ipſos roſtri margines dentium nomine appellans. Oculi teſtudinis marinæ longè lateq; fulgorem iaculantur: quorum pupillæ candidiſſimæ ac ſplendidiſſimæ cũ exiſtant, eruuntur, vt vel auro includãtur vel monilibus imponantur, Ælianus. an lapides Chelonitę potius? ſed ij non ſunt albi. ¶ Teſtudo marina, Rondeletius, omnis teſtudo. ſola ex quadrupedibus ouiparis renes & veſicã habet, magnitudine ad cęterarum partiũ rationem. Similes bubulis renes ei omnino adhærent, quaſi ex multis exiguis conſtituti, Ariſtot. ¶ Pedes vt phocæ habent, Pauſanias. ad ambulandũ ineptos, quippe alæ videntur quibus pro remis vtũtur, Braſſauolus. ¶ Crura longa, & digitos & vngues fortiores habẽt quã leo, Albert. Pedes quatuor multorum digitorum, caudam inſtar ſerpentis, Idem.

C.

Teſtudines marinæ amphibiæ.

Mures marini in petris & arenis degunt, Oppianus. Teſtudines marinæ ne viuere quidem poſſunt diſcluſæ ab aquę natura. intereunt autẽ in humore, niſi aliquãdiu (per interualla) ſpirent: parere tamen educareq; ſolent in ſicco. ſic & lutariæ teſtudines, Ariſtot. Vituli marini ſpirant ac dormiunt in terra: itẽ teſtudines, Plinius. Paſtũ egrediũtur noctu, Idem. Et 9.19. Exeunt in terram & qui marini mures vocantur. ¶ Summa in aqua nonnunquam obdormiſcunt, & ſonum ſtertentes ædunt, Plinius. Conchulas petunt. habent enim os omniũ robuſtiſſimũ. quicquid nanq; in os ceperint, ſiue lapidem, ſiue quoduis aliud, perfringunt ac deuorant. exeunt etiam in terrã, & paſcunt herbam,

herbam, Ariſtot. In mari viuunt conchylijs, tãta oris duritia, vt lapides cõminuant, Plinius. Piſciculos paruos venãtur,& his aliquãdo ligatis filo deceptę capiuntur, Albertus. *Cibus earum.* In Attica rupes ſunt maritimæ quas Sceleſtas vocant. Accola enim ipſarũ Sciron, quoſcunque cõprehendit, peregrinos in mare ibi præcipites dedit. Teſtudo autem ex ſcopulis vt pronatauit, abiectos eo dicitur rapuiſſe, Pauſanias in Atticis. ¶ Fœminam aiunt coitum fugere, donec mas feſtucam aliquam imponat aduerſæ, Plinius. *Coitus.* Teſtudo marina diu in terra viuit, & illic coit, Oppianus. In terrã egreſſæ in herbis pariũt oua, auium (anſerum, Albertus. auium cortaliũ, Solinus ni fallor) ouis ſimilia. eaq; defoſſa extra aquas, & cooperta terra, ac pauita corpore (aliàs pectore, vt Albertus quoq; legit) & cõplanata, incubãt noctib. Plinius & Ariſtoteles. *Incubitus ouorum.* Teſtudo oua durioris teſtæ & bicolora ædit, quale ouũ auium eſt: eaq; defoſſa & cooperta terra ac pauita & complanata (epicroto) incubat, crebrius repetens: fœtumq; ſequente anno excludit, Ariſtot. Cælius Rhodiginus epicroton terrã interpretatur pauitam & cõplanatã vbi incubet teſtudo. ſed quæuis plana & pauita terra inſtar areæ, rectè epicrotos dicetur, qualis etiã apta eſt equorũ curſibus. *Partus.* Mus marinus in terra ſcrobe effoſſa parit oua, & rurſus obruit terra. triceſimo die refoſſa aperit, fœtumq; in aquã ducit, Plinius. Idem Ælianus ſcribit, & ita per ſe naſci ac educari. *Educationis cura.* Alibi tamen, Teſtudinũ (inquit) amor circa curam fœtuũ ſuorũ ex eo perſpicitur, cũ parturiunt, ex aqua egrediuntur, atq; in arido ex ſeſe ſecundũ mare oua pariunt, quæ cum vel ad incubanda infirmæ ſint, vel diu in terra verſari nõ poſſint, ea primũ leui & molli arenarũ cumulo obruunt, deinde notã pedibus imprimunt, qua poſt reuerſionẽ locũ recognoſcunt. Alij vero dicunt fœminam triginta dies oua perſeuerare cuſtodire, eandemq; interea à mare nutriri: poſteaq; libenter & promptè ſic ſuos fœtus, tanquam aurũ defoſſum homines, refodere, Hæc ille in hiſtoria anim. In Varijs, verò lib. 1. cap. 6. Tantũ (inquit) habent rationis, vt quadraginta dies numerare poſſint intra quas fœtus compactis ouis in animalia iã euadit. Tunc redeuntes ad eundem locũ, terram ſoboli repoſitæ iniectam effodiunt, & illam iam ſequi valentẽ ſecũ abducunt. Teſtudo marina (inquit Plutarchus) mari egreſſa haud procul, ſabulo primum deponit oua, mox harena tenuiſſima molliſſimaq; obruit, ac vbi iã contumulauit probè, pedibus, vt alij putant, inſculpit ſignatque locũ cognobilẽ ſibi reddens: vt alij, ab ipſo reſupinata marito fœmina, teſtæ propriẽ characterẽ ſphragidemq; inſcribit. iam quod longe mirabilius eſt, præſtituto die quadrageſimo (nã hoc interuallũ ad maturitatem oua perducendi iuſtum eſt) redit, ac ſuum quæque theſaurũ agnitum lõge quàm illos auri argentiue loculos homines, alacrius lætiusq; recludit. Ouorũ numerus maximus eſt. nã ad centena pariunt oua, Ariſtot. & Plinius. centũ vel amplius, Albertus. ad ducenta numero, Cicero 2. de Nat. Educant fœtus annuo ſpacio. Quidam oculis ſpectando quoq; oua foueri ab ijs putant, (quod falſum eſt, Albertus,) Plinius. Læuo Hiſpaniolę lateri ad meridiem portui Beatæ proxima inhæret inſula, Altus bellus appellata. *De teſtudinibus in ſula Hiſpaniola.* Mira ferunt de huius inſulæ belluis marinis, ſed de teſtudinibus præſertim. Magno ancili ſcuto inquiũt eſſe grãdiores. Quo tẽpore genitalis & improbus eas furor exagitat, è mari prodeunt. Egeſta in profundam ſcrobẽ arena, ter & quater centũ oua dicitur in ſcrobem demittere. Genitali vulua iã exhauſta, remittit arenæ tantũ, quantum ad oua cooperienda ſufficiat, reditq; ad marina paſcua, de ſobole nil ſolicita. Ad ſtatutos illi belluæ procreã læ a natura dies, pullulat, vti è formicario, teſtudinũ multitudo, ſolo calore Solis ſine parẽtum adminiculo generata. Anſerina ferè oua inquiunt æquare magnitudinem, Petrus Martyr lib. 9. Oceaneæ Decadis 3. ¶ Teſtudo marina tres homines inuadere non dubitat. reſupinata verò inualida reddi tur, quod ſurgere nequeat, Albert. *Robur harum teſtudinum.* Mus marinus etſi nõ ita magnus, præcipuè tamẽ animoſus eſt, vt auſit etiã contra homines pugnare, & contra alios piſces, duritia tergoris & crebris dentibus fretus, Oppianus. Et alibi, Teſtudini marinę non auſit aliquis temerè obuiare in vndis. ¶ Caput marinæ teſtudini abſciſſum non continuò moritur, ſed & videt, & ſi ante oculos ei manus obuerſetur, illos claudit: & paulò etiã propius ſi manũ admoueas, mordet, Ælianus. *Vis vitalis.* ¶ Laborant plerunq; & intereunt quoties innatantes ſiccantur Sole. deferri enim in gurgitẽ facilè nequeunt, Ariſtot. *Interitus.* Vide mox in E. Si quandoq; egrediuntur ad Solem, ſcutũ dorſi exiccatur, quod poſtea niſi diu remolliatur, pro arbitrio flectere non poſſunt, Albertus.

D.

Mures marini adeò animoſi ſunt vt auſint etiã contra homines certare & alios piſces, Oppianus, vt in C. retuli. Verum hoc fortè non ad animum eorũ referri debet, ſed potius ad naturã virium ſuarum robur ſentientem, quæ quantumcunque poteſt ad corporis ſui conſeruationem experitur.

E.

Capiuntur multis quidẽ modis, ſed maxime euectæ in ſumma pelagi ante meridiano tẽpore blandito eminẽte toto dorſo per trãquilla fluitãtes: quę voluptas libere ſpirandi, in tantũ fallit oblita ſui, vt ſolis vapore ſiccato cortice, nõ queãt mergi, inuitæq; fluitẽt opportunæ venantiũ prædæ. *De modo teſtudines marinas capiendi.* Ferunt & paſtũ egreſſas noctu, auideque ſaturatas laſſari: atq; vt remearint matutino, ſumma in aqua obdormiſcere: id prodi ſtertentiũ ſonitu, tũq; leuiter capi. Adnatare enim ſingulis ternos, a duobus

in dorsũ verti, a tertio laqueũ inijci supinæ, atq; ita ad terrã à pluribus trahi. In Phœnicio mari haud vlla difficultate capiuntur, vltroque veniunt stato tempore anni in amnẽ Eleutherũ effusa multitudine, Plinius. Testudines marinę sæpe nocẽt piscatorib. laniatis retibus, vnde & ipsæ & pisces alij euadunt. Capiuntur autẽ facilè, si quis natando aliquã subiens inuertat, vt supina sit & pedibus erectis: neq; enim ad suũ statum redire potest. itaq; à piscatoribus aut percutitur ferreis telis, aut alligata fune attrahitur quò voluerint. Sępe etiã radijs Solis exiccata eius testa, cũ mergere se amplius nequeat, facilè à piscatoribus capitur, Oppianus. In insula quadã maris rubri nauiculę paruę monoxylæ sunt, quibus vtuntur πρὸς ἁλίαν καὶ ἄγραν χελώνης. Ἐν δὲ ταύτῃ νήσῳ καὶ γυργάθοις αὐτὰς ἰδίας ἁλιεύουσιν, ἀντὶ δικτύων καθιέντες αὐτοὺς περὶ τὰ στόματα τῶν πεθράχων, Arrianus in Periplo. ¶ De marinis testudinibus quod ad ornatũ & casas tegẽdas, vide supra in Testudine simpliciter *E.* Testudines tantæ magnitudinis Indicũ mare emittit, vt singularũ superficies habitabiles casas integãt, atq; inter insulas rubri pręcipuè maris nauigẽt his cymbis, Plinius: Vide etiã supra in *B.* ex Solino & Æliano. & mox in *F.* in mentione Chelonophagorũ. Cũ exirem è Damiata (id est Pelusio) vt viderẽ mare (inquit author innominatus, qui iter Hierosolymitanũ Italicè perscripsit) inueni mercatorẽ quẽdã cũ plurimis testudinibus, inter quas erat testa (*chera* Italicè scribitur) vna tres vlnas longa. Test superiores perquam validę sunt, quamobrem emuntur a Sarracenis in vsum scutorum: nullo enim ferro cõcedũt. nã cũ ex eis vni altus securis ictus inflictus esset, (vt vidi,) nihil tamẽ resoluebatur, sed rũpebatur securis, Hæc ille. Historia prodit, id in Cæsarũ familia peculiarius seruatũ, vti domus paruuli testudineis abluerẽtur alueis: & inde Clodio Albino factũ imperij præsagiũ. nã eo recens nato, testudo magnitudinis visendæ ab piscatore patri est allata. quã is homo impense litteratus, ad pueriles destinauit excaldationes, Cælius. Testudinis marinæ oculi longè lateq; fulgorem iaculantur: quorũ pupillæ candidissimæ ac splendidissimæ cũ existant, eruuntur, vt vel auro includantur, vel monilibus imponantur: quamobrem mulierum admiratione plurimi æstimantur, Ælianus.

De vsu ex his testudinibus percipiendo.

F.

De alimento ex testudine marina.

De alimento ex testudine marina vide nonnihil supra in Testudine simpliciter. Testudinis marinæ carnem vitulinæ comparant sapore, Petrus Martyr. India habet genus hominum, qui non alia quã testudinis carne viuũt, hirsuti omnia facie tenus, quæ sola leuis est. Iidẽ corijs pisciũ vestiũtur, Chelonophagi cognominati, Solinus. Chelonophagi testudinũ testis contegũtur, quę adeò magnæ sunt vt vel in eis nauigent, Strabo. In Oceano insulæ sunt iuxta continentẽ numero plures, sed paruæ humilesq;. Inter has magnus habetur testudinum numerus, quę eo confugiũt ob maris tranquillitatẽ. Noctu in profundo cõmorantur intentæ cibo. Die inter insulas diuertẽtes iacẽt, respicientes ad Solẽ, inuersisq; nauiculis piscatoriis aspectu similes: excellunt.n. magnitudine pręcipua inter marinas cõchas. Barbari insulas incolẽtes, interdiu paulatim ne sentiãtur, versus testudines natãt. Eas adorti, quidam ab vno latere ad terrã premũt, quidã ab altero sursum leuãt, quo reddãt resupinas, ne vertere se, neve effugere queant. Tũ lõga reste per caudã ligatas, nãdo ad terrã deducũt. in insula expositis, omnia interiora, paruo tẽpore ad Solẽ adusta comedunt. Testa, quæ cõcaua est, tũ veluti cymba ad continentẽ nauigant, tũ pro aquæ receptaculo, tũ pro tẽtoriis vtũtur, quib. natura admodũ opitulata est, vt vna res vario vsui accõmodaretur. Cibo enim, vase, domo, naui, vitã illorũ adiuuãt, Diodorus Siculus lib. 4. de fabulosis antiquorũ gestis. Testudines terrenę in India nõ amaræ vt marinæ sunt, sed & suaues & pingues habẽtur earũ carnes, Ælianus. Prouerbium, ipsi testudines edite qui cepistis, supra inter prouerbia ex testudine in genere explicatum est.

G.

Remedia ex Testune marina.

Testudinũ marinarũ carnes ammixtæ ranarum carnibus contra salamandras præclarè auxiliãtur. neq; est testudine aliud salamãdrę aduersius, Plinius. Nicander ad idẽ remediũ laudat suillã coctã cũ carne testudinis marinæ. Et rursus, Contra salamandras vel succũ decoctæ bibisse satis est.

Ex cinere.

¶ In alopeciis cutẽ replet muris marini cinis cũ oleo, Plin.

Ex sanguine.

Testudinis marinæ sanguinẽ antidotis quibusdã cõtra morsus venenatos adiici obseruaui, vt apud Scriboniũ Largũ cap. 177. in antidotũ Marciani. Pręparatur autẽ, vt docet Aetius lib. 13. cap. 24. hũc in modũ: Testudinẽ super ligneũ aut fictile vas supinã reclinato, eiusq; caput statim ãputato, & leuata ipsa sanguinẽ supposito vase excipito, & cõgelatũ deinde per harũdinẽ in multas partes secato, atq; operculi vice cribrũ vasi superponito, & ad Solẽ locato: (Vide supra in Testudine simpliciter *G.*) siccatũ vero reponito, ac vtitor ad viperę morsum drachmis duab. exhibitis, ex poscę cyatho vno: sequẽti deinde die sicci sanguinis drachmas quatuor cũ aceti cyathis duob. dato: & 3 deinceps, sanguinis drachmas octo, ex aceti cyathis trib. Eadẽ habet Ægineta lib. 5. cap. 24. sed quędã paulò aliter: Sãguine (inquit) arido vtere ad morsos a vipera vt dictum est (nihil autẽ in mentione morsorũ a vipera dixerat, quã dandũ eis hunc sanguinem cũ cymino syluestri) drachmas duas ꝓpinãdo cum aceti duobus cyathis: tertio vero die drachmas duas cum aceti cyathis tribus vt codex noster impressus habet, sed mutilus (vt apparet) & ex Aetio restituendus. Testudinis marinę sanguis omnibus feris est remedium, & omnis feræ morsus & aspidis magnificè sanat, author Kœranidum. Et rursus, Iuuat percussos ab echidna & potus & illitus vlceri. cum pultibus conditus & potus, sanat eos qui nocuum aliquid sumsperũt. Sanguis testudinis marinæ cum vino & leporis coagulo cuminoque contra serpentium

morsus & hausta rubetæ venena conuenienter bibitur, Dioscorides. Apud Aetium idem remedium contra ranam rubetam inuenio. Ægineta testudinis marinæ sanguinem aridum cum cymino syluestri morsis à vipera dari iubet: aut coaguli leporis hinnulive tres obolos per se. Auicenna hunc sanguinem cum coagulo, nulla cumini mentione facta, contra morsus venenosos, & contra venenum ex herbis quibusdam lactariis, celebrat. Nicander in Theriacis ad quosuis serpentium morsus sanguinis huius amputato capite excepti, defæcati & arefacti drachmas quatuor, cumini syluestris drachmis duabus admiscet, & coaguli leporis drachmæ dimidiæ. Inde drachmam ex vino propinat. Ad viperarum morsus Dorothei Heliæ remedia, descripta à Galeno lib. 2. de antidotis: Testudinis marinæ exiccati sanguinis drachmæ (duæ) ex aceto potæ commendantur: Inter composita verò id quod ab Apollodoro compositum est, & à Sostrato laudatum, ac omnibus qui ab eo acceperunt, quod ex sanguine testudinis constat, ita habet: Cumini syluestris seminis acetabulum, testud. marinæ sanguinis aridi drachmas quatuor, statêres duos coaguli hinnuli, sin minus, leporini, tres: hœdini sanguinis drachmas quatuor: omnia mixta vinoq; optimo excepta, reponito: in vsu magnitudinem oliuæ sumens, conterito: ex vino quàm præstantissimo cyathi dimidium potui dato: si medicamentum reuomat, rursus oliuæ dimidium, sicuti prædictum est, exhibeto: ac rursus si eiicit, tertio fabæ Ægyptiæ instar porrigito, quemadmodum dictum est prius. Sed de remedio testudinis marinæ contra pestilentem morbum in bobus, vide supra in Testudine simpliciter. Sanguine testud. marinæ alopeciarum inanitas & porrigo, omniaq; capitis vlcera curantur. Inarescere autem eum oportet, lenteq; ablui, Plinius: & Serenus qui hanc vim testudini simpliciter adscribit: alij terrestri. Alopeciis testud. marinæ sanguinem illine. ex laudatissimis enim hic est, Archigenes apud Galenum sec. locos & Galenus Euporiston 2.86. Atqui Crito apud eundem lib. 1. de compos. sec. locos, marinæ testud. sanguinem pharmacis pilos disperdentibus addi scribit. Instillatur & dolori aurium cum lacte mulierum. Quòd si dentes per annum colluantur testudinum sanguine, immunes à dolore fiunt, Plinius. Anhelitus discutit, quasq; orthopnœas vocant: ad has in polenta datur, Idem & author Kœranidum. Aduersus comitiales morbos manditur cum polline frumenti. Miscetur autem sanguis heminis tribus aceti hemina vini addita his, & cum hordeacea farina, aceto quoq; admixto, vt sit quod deuoretur fabæ magnitudine. Hæc singula & matutina & vespertina dantur, dein post alquot dies vespera. Comitialibus instillatur ore diducto, his qui modicè corripiantur. Spasmo cum castoreo clystere infunditur, Plinius. Serapion pro epilepticis ordinat quæ specialiter passioni congrua medicamina nuncupauit, & inter cætera medicamento cuidam testudinis marinæ sanguinem admiscet, Cælius Aurelianus, non probans hoc Serapionis remedium. Et rursus, In Epilepsia bibendum dant aliqui lac asininum cum sale, vel sanguine testudinis marinæ aut humano, Idem, hoc quoque improbans. Ad comitialem iumentorum consulunt aliqui in nares infundi testudinis marinæ sanguinis dimidiam cotylam cum pari aceto, & vino pari, admixta liquoris Cyrenaici drachma, Absyrtus in Hippiatricis Græcis 109. Vide supra in Testudine simpliciter, & in Terrestri quoq;. Hippocrates lib. 1. de morbis muliebribus glandem seu medicamentum subdititium describit, quod recipit Testudinis marinæ cerebrum & crocum Ægyptium: & salem Ægyptium: nec exprimit eius vim. videtur tamen factum vt aperiat vterum, fortassis & fœtum immortuum extrahat. ¶ Fel efficacissimum esse creditur scorpionis marini, & callionymi piscis, marinæq; testudinis, & hyænæ, &c. Dioscorid. *Ex felle.* Et paulò post, Testudinis fel anginis, & puerorum vlceribus quæ pascendo serpunt, medetur. Comitialibus in nares vtiliter inditur. Caprino felli (inquit Galenus 10. 13. de medic. simplicib.) simile fermè est vrsinum & bubulum. taurinum verò validius est istis, sed inferius felle hyænarum, vt hoc rursus imbecillius est quàm fel callionymi, & scorpij mar. & testudinis marinæ. Fel testudinum (inquit Plinius) claritatem oculorum facit: cicatrices extenuat, tonsillas sedat, & anginas, & omnia oris vitia: priuatim nomas ibi: item ardentium testium. Naribus illitum comitiales erigit, attollitq;. Idem cum vernatione anguium aceto ammixto, vnicè purulentis auribus prodest: Quidam bubulum fel admiscet, decoctarumq; carnium testudinis succum, addita æquè vernatione anguium: Sed diu in vino testudinem excoquunt. Oculorum quoque vitia omnia fel inunctum cum melle emendat. suffusiones etiam marinæ fel cum fluuiatilis sanguine & lacte mulierum. Capillus inficitur felle, Hæc Plinius. Ad suffusos prima ferè omnium compositionum est, quæ ex fœniculi succo, & hyænæ felle ac melle Attico constat. quidam verò etiam caprinum fel addiderunt. Verum postea alius aliud fel ammiscuit, alius galli, alius viperæ, alius testudinis marinæ, Galenus libr. 4. de compos. sec. locos. Ælij Galli remedium ad suffusiones: Fellis testudinis marinæ drachmas octo, mellis Attici tantundem, fellis taurini drachmæ duæ, &c. apud Galenum de compos. sec. locos 4. 7. inter liquidas oculares compositiones Asclepiadis. Et mox 4. 8. ex Archigene aliud ad suffusiones præscribit huiusmodi, Fellis testud. marinæ partem vnam cum Attico melle quadruplo illine. Fel ipsum etiam per se sufficit cum aqua illitum. Ad auditus grauitatem ex Apollonio apud Galenum de compos. sec. locos: Senecta anguium cum felle bubulo, aut caprino, aut testudinis marinæ, aut callionymi diluta vtitor. Idem ferè locus à Plinio expressus est, his verbis: Senectus serpentium feruente testa vsta instillatur auribus rosaceo admixto, contra omnia quidem vitia efficax, sed

contra graueolentiam præcipuè: aut si purulentæ sunt ex aceto, melius cum felle caprino, vel bubulo, aut testud. marinæ. ¶ Medicamentum quod puerperij purgamenta expurgat: Testudinis marinæ hepar viride adhuc viuentis, in lacte muliebri terito, & cum vnguento irino ac vino subigito & apponito, Hippocrates libr. 1. de morbis mulieb. ¶ Testes marinæ testud. sumpti multum prodesse traduntur morsis à Serpentibus, Dioscorides 6. 59. Item oua testudinis aliqui ad eundem vsum commendant, Ibidem. Et inter remedia aduersus salamandram, Prosunt etiam (inquit) oua testudinis marinæ aut terrestris, cocta. Vide in Terrestri supra. Oua eius assa (aliâs esa) lunaticos sanant. Author Kœranidum. ¶ Vrina quoq; eius sexus pota, morsos ab aspide vel echidna sanat, Idem. Vide in terrestri. ¶ Medicamentum quod infunditur vtero si non concipiat mulier: Lac mulieris masculum alentis grana mali punici recentis terito, ac succum exprimito: & testudinis marinæ partem inter anum & pudendum comburito ac terito. & hæc in pudendum muliebre infundito, Hippocrates de morbis muliebr. lib. 1.

Ex hepate. Ex testibus. Ex ouis. Ex vrina.

H.

χέλυδρος testudo marina. χελών. ὠμύς.

a. Χέλυδρος est testudo marina, ὡς παχύδερμον διὰ τὸ γῆρας, Varinus. Etsi verò chelydros propriè colubrum significat, vt inter serpentes dicemus: fortassis tamen pro testudine aquatica accipi potest, vt sic dicatur quasi χέλυς ἔνυδρος; sed authorem non habemus. Χελῶνα aliqui marinam testudinem vocant, Hesychius & Varinus. Omys (ὠμὺς) marina quæ *hybenbras*: aliud autem est *hymbros*, tenue animal quod in cibum venit, menida vocant, Kiranides libr. 1. litera vltima. Ibidem ὠμύδα scribit à quibusdam sic vocari, quòd in humeris magnam vim habeat. nam ὦμος est humerus. Videtur autem mænida piscem, & emyda siue omyda quadrupedẽ ouiparam confundere. nam quod animal tenue esse scribit ac spinas habere, pisci conuenit: cætera testudini.

¶ Epitheta. Χέλυς κραναὴ, de marina, Oppianus: sed cuiuis testudini conuenit vt κραναὴ, id est aspera dicatur. Βροτολοιγὸς, Nicander in Theriacis: fortè quòd contra homines pugnare audeat. Εἰναλία χέλυς, Eidem. Ποντιὰς χελώνη, Crates Comicus apud Athenæum. Ἁλιονδάκος, χελώνη θαλασσία. Oppianus. Μυῶν χαλεπὸν γένος, περὶ πάντων θαρσαλέοι νεπόδων, Oppianus. Reliqua epitheta communia testudinum generi supra retulimus.

¶ Apud Chelonophagos insulæ tres sunt deinceps, quarum vna testudinum appellatur, Strabo.

¶ *c.* Ἣ ταχινῇσι (aliâs ἄκρῃσι) διαπλώει πτερύγεσσι, Nicander de marina testudine, id est, Quæ celeribus (aliâs *summis*) natat pedibus.

¶ *e.* Ἀθαλασσία λεπὰς, Callias Mitylenæus in Oda apud Alcæum. vbi Aristophanes pro λεπὰς legit χέλυς: & Dicæarchum ait non rectè λεπάδα legisse. addit etiam pueros his ori applicatis (insertis) vti pro fistulis per ludum, vt etiam tellinis alibi, Athenæus. Kiranides lib. 1. litera vltima, de omyde, id est testudine marina, multa superstitiosa adfert, indigna relatu.

¶ *h.* Troglodytæ testudines cornigeras habent. Celtium genus id vocatur eximiæ testudinis, sed raræ. Nanq; scopuli præacuti Chelonophagos terrent: Troglodytę autem ad quos adnatant, vt sacras adorant, Plinius. Circa Trœzenem olim polypos & testudinem marinam attingere nefas erat, Athenæus ex Clearcho.

DE TESTVDINIBVS RVRSVS EX BELLONIO.

OVIPARORVM amphibiorum quadrupedum naturam habent omnes ferè testudines. Hæ verò etsi præter aliorum, quos descripsimus, aquatilium quadrupedum morem, concha longè durissima contegantur, quia tamen lacertosi generis esse nemo negauerit, post crocodilorum species iure describendas esse duximus.

Marinarũ testudinum duæ species.

Marinæ testudines duorũ sunt discriminum, longæ ac rotundæ, ambæ litorales. Longæ tamen magis pelagiæ, quæ (vt & reliquæ omnes) dum paulum in aqua steterunt, per eius summũ tantisper caput exerunt, dum externo aëre (quod & vitulis marinis accidit) pulmones, quos carnosos & sanguineos habent, saturauerint. Testudines enim in mari per nares spiritum trahere necessarium fuit, cum branchiis careant, vesicam quoque vt & reliqua quadrupeda terrestria habent. Omnibus itẽ testudinibus hoc est peculiare, vt mortuæ sicut & delphini supinæ fluctuẽt. Mares planam subtus testam, fœminæ concauã habent.

Testudines rubri maris.

Oblongas testudines omnium maximas in portu Torræ rubri maris ciuitatis frequentes vidimus, quarũ testæ vanni bene magni longitudinem ac latitudinem exæquant. Caput habebant admodũ solidum, atq; os ita durum, vt vel crassissimos asseres eroderẽt. Proinde omnes edules sunt, atq; optimi gustus, (sed Græcis per religionem his non licet vti,) fluuiatilesq; præter magnitudinem omnino imitãtur, quemadmodũ & marinæ rotundæ ad terrestres ac nemorales ipsa forma accedunt. quarũ plurimas in foro Veneto me vidisse memini, calice conuexo, multis tuberculis elato, inæquali tegmine, in gyrũ crenato, duro, rigidoq;, vtrinq; decliui, ac cataphracti clypei modo in rotunditatẽ desinente: cauda breuiore, capite admodum duro, rostro aquilino, ferè osseo, dentibus & lingua carẽte, adunco, cuius margines cultelli in morẽ secare possent.

Testudines fluuiales.

Fluuiales testudines, Aristoteles hæmydas (emydas) vocat, quas à cheloniis secernere videtur: ob id (ita enim puto) quod lato neq; ita cõuexo dorso appareant. Græci ποτάμια χελώνια vocauerunt.

Plinius

Plinius Lutarias teſtudines appellare maluit,quod luto ac cœnoſis paludibus oblectentur: à marinis teſtudinibus ipſa tantum teſtæ vaſtitate diſtant. Sunt enim harum,quemadmodum & marinarum, quædam longæ,aliæ etiam rotundæ, Bellonius. Atqui nos teſtudinem lutariam à fluuiatili diuerſam eſſe ſuo loco oſtendimus.

Montanas teſtudines Græci ὀρεινὰς, noſtri nemorales,alij terreſtres appellauerunt, omnium longè delicatiſſimas,ac magis ſalubres:quamobrem à medicis in reſumptiuo victus genere,hecticis, & maraſmo ac tabe laborãtibus præcipi ſolent.offerunt autem eas capitibus ac pedibus ablatis, vel furno,vel teſta exaſſatas: vel cum pineis, piſtaciis & ſaccharo ſubactas, ex quibus alimenti genus conficiunt quod tortugatum nominant.Multæ ſunt in Thracia, Macedonia, & apud noſtros Linguoſcythonicos,quarum forma ad marinas rotundas,ſola magnitudine dempta accedit. *Montanæ.*

Inauditum antiquis teſtudinis genus apud Turcas è longinquis regionibus allatũm vidi: cuius teſta rara eſt ac pellucida, chryſolithi colorem mentiens, ex qua Turcæ cultellorum manubria efformant,tanti pretij,vt etiam clauis aureis exornare non dedignentur,Bellonius. *Inauditũ teſtudinis genus.*

DE TESTVDINE POLYPODE.

INSVLA ab Iambolo reperta in Oceano verſus meridiem animalia producit, magnitudine quidem parua, ſed natura & ſanguinis virtute admirabilia. Corpore ſunt rotundo ac teſtudinibus ſimili, duabus lineis inuicem per medium tranſuerſis, in quarum cuiuſlibet extremo ſit auris & oculus,vt quatuor oculis videant,totidemq́; audiant auribus. Vnicus venter atq; inteſtina,in quæ comeſta confluunt.pedes circumhabent plures,quibus in vtranque partem ambulant. Huius beluæ ſanguis mirabili aſſeritur virtute. Omne enim corpus conciſum dum ſpirat, hoc tinctum ſanguine cohæret,Io.Boëmus.

FINIS LIBRI DE QVADRVPEDIBVS OVIPARIS.



CONRADI GESNERI TIGVRINI MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE PROFESSORIS in Schola Tigurina, Historiæ animalium Lib. V. qui eſt de Serpentium natura.

EX VARIIS SCHEDIS ET COLLECTANEIS EIVSDEM COMPOSITVS PER *Iacobum Carronum Francofurtenſem.*

ADIECTA EST AD CALCEM, SCORPIONIS inſecti Hiſtoria à D. Caſparo Vuolphio Tigurino Medico, ex eiuſdem Paralipomenis conſcripta.

ACCESSERVNT INDICES NOMINVM SERpentium *ſecundum diuerſas linguas: & ante illos enumeratio eo ordine quo in hoc volumine continentur.*



TIGVRI

IN OFFICINA FROSCHOVIANA.

M. D. LXXXVII.

NOBILITATE, PIETATE,

PRVDENTIA ATQVE ALIIS VIRTVTIBVS PRAESTANTISSIMO VIRO D. HORATIO Palauicino, Domino suo colendissimo, S. D.

IN omni scientiarum ac disciplinarum genere ij non mediocri laude & commendatione digni videntur, qui huc non minimam suorum studiorum atque laborum partem contulerunt, vt ex obseruationibus quas ex variorum authorum lectione collegerunt, atq; ex ea cognitione quam usu, experientia & exercitatione sibi compararunt, corpus quoddam conficerent eius scientiæ quam tractandam susceperunt, vnde alij eiusdem scientiæ studiosi quæuis ad eam pertinentia minimo cum labore depromere possent, ac ea in alijs authoribus ijsq; varijs et multiplicibus conquirendi difficultate et tædio subleuarentur. Cùm enim vita hominum sit breuißima, sitq; necesse multos annos in legendis & euoluendis authorum monumentis consumere, accidit sæpe vt bona ac potißima ætatis pars elapsa sit, antequam ad eam cognitionem quis perueniat, quæ ad facultatem scientiæ alicuius assequendam necessaria sit. Qui ergò huius tùm temporis tùm laboris hominum iacturæ consideratione moti, quò viæ, vt ita dicam, compendium ad scientiarum cognitionem viris studiosis pararent, ea quæ hinc inde in varijs authoribus de singulis scientijs vel doctrinis earúmue partibus legerunt & obseruarunt, in vnum volumen congesserunt, vt minimo cum sumptu & labore, ea quæ alioqui magno ipsis constarent, alij consequi possent, hi sanè de omnibus ijs qui discendi cognoscendiq; veri desiderio tenentur, optimè meriti esse iure existimantur. Id autem multi in multis & varijs disciplinarum & scientiarum generibus tentarunt & præstare conati sunt, quorum & labores vtilißimi & monumenta maximo in pretio non immerito habentur. Atque vt cæteras scientias omittam, de quibus singulis differere nimis prolixum foret, vtq; ad scopum nostrum propius accedam, in ipsa philosophia naturali, quæ in rerum natura constantium contemplatione versatur, quæq; inter omnes philosophiæ humanæ partes pulcherrima, iucundißima, præstantißima atque vtilißima est, illud quod alios in alijs disciplinis tentasse diximus, omnium optimè ac ingeniosè præstiterunt, inter veteres quidem Plinius, qui totius vniuersitatis descriptionem ex omnibus omnium antiquitatum scriptis in vnum corpus collegit, quiq; se naturalem illam suam historiam ex exquisitis centum authoribus confecisse scribit, adiectis etiam plurimis rebus quas aut ignorauerant, aut postea inuenerat vita: Inter recentiores vero D. Conradus Gesnerus medicus ac philosophus Tigurinus, vir incomparabili ingenio ac studio indefesso, qui quod Plinius in toto, id ipse in singulis naturæ operibus, si superuixisset, præstare constituerat, idq; initio ab animalibus sumpto, quorum descriptionem ita prosecutus est, vt si per Dei voluntatem diutius viuere illi datum fuisset, animalium historiam omnium perfectißimam atque absolutissimam, ex omnium ferè qui extant authorum tam veterum quam recentium scriptis contextam haberemus. Iam enim historiam perfectorum animalium quatuor voluminibus comprehensam in lucem ædiderat, opus sanè eiusmodi quod omnes lectores in viri illius doctrinæ, laboris, ingenij & industriæ admirationem rapiat: restabat imperfectorum animalium historia, nempe Serpentum & Insectorum, quam eodem ordine persequi instituerat, quæq; proculdubio & iucundissima & vtilissima omnibus philosophiæ naturalis studiosis fuisset. Sed hunc tam optatum & absolutum ipsius laborum fructum abstulit nobis immaturus eius obitus, quem si ad tempus aliquod differre Dominus voluisset, haberent sanè omnes quotquot rerum naturalium earundemq; causarum cognitionis studio tenentur, quo summopere gauderent. At cum Domino aliter visum fuerit, patienter ferendum est, idq; vnum dolorem nostrum lenire debet, quòd ante obitum materiam ad opus illud quod susceperat perficiendum & absoluendum necessariam ita parauerat, vt nihil præter dispositio-

nem & οἰκονομίαν operis adornandam poſteris ſuis reliquerit. Inuenta eſt enim in Geſneri Bibliotheca, quam ſibi D. Caſparus Vuolphius Tigurinus Medicus, paulò ante quam ex hac vita in cœleſtem emigraret magno ære ſuam fecit, ingens & varia ſuppellex chartarum et ſchedarum, quibus continebantur obſeruationes illæ, quas hinc inde ex varijs authoribus conquiſitas collegerat, vt ex ijs reliquas operis ſui inſtituti partes de Serpentibus & inſectis contexeret. Hanc ſuppellectilem cum à D. Vuolphio D. Froſchoueri interceßione, quum alijs ille negotijs diſtraheretur, ex pacto ſibi comparaſſet chariſſimus affinis meus Robertus Cambierus, ac vndiq; virum aliquem idoneum conquireret, qui hæc Geſneri collectanea in eum ordinem componeret quem ipſe Geſnerus in prioribus tractatibus ſeruauerat, iacturamq; morte illius acceptam aliquomodo ſarciret, inter cæteros me etiam compellauit: ac quamuis me excuſarem, quod ſentirem me huic labori prorſus imparem, eumq; hortarer vt aliquem alium & doctiorem, & in his ſtudijs magis exercitatum ſibi compararet, qui & melius & facilius id præſtare poſſet, tamen cùm eius nuſpiam ſibi copiam fieri diceret, ac rogando inſiſteret, efflagitationibus ſuis tantum effecit vt aliquid tentare decreuerim, ac ſucceſſu temporis eò progreſſus fuerim, vt tandem non ſine maximo tædio et labore hunc tractatum de ſerpentibus ad finem perduxerim. In quo quidem quid conſequutus ſim, aliorum eſto iudicium, quantum verò laboris et moleſtiæ mihi conſtiterit, nemo credat qui expertus non fuerit. Hoc vnum affirmare poſſum nullum adhuc, quod ſciam, fuiſſe nec eſſe, qui ſerpentum hiſtoriam tam exquiſito ordine, nec tam perfectè & enucleate conſcripſerit: nec dubito hunc meum laborem viris doctis & ſtudioſis, quorum animi ab odij & inuidiæ felle purgati fuerint, gratum fore: Zoilos illos, qui omnium labores Theonino dente arrodere, atque ex aliorum inſectationibus laudem ſcientiæ venari conſuerunt, non multum moror: ſatis eſt mihi viris bonis & ſinceri iudicij placere: Quibus ſi omnibus in rebus non ſatisfecero, ſpero ipſos mihi æquiores fore, cum perpenderint, quanti fuerit laboris hoc opus, quamq; difficile ſit in tanta rerum varietate atque opinionum diuerſitate omnibus ſatisfacere, aut nulla in re hallucinari. Ex Geſneri collectaneis conſcriptum eſſe hunc librum iam dixi: multas tamen obſeruationes ex varijs authoribus à me ipſo conquiſitas atque hinc inde collectas, iſtis Geſneri collectaneis adiectas eſſe, ac propterea hunc librum ex parte meum aſſerere non vereor. Cùm enim hunc tractatum quàm perfectiſſimum reddere conarer, ex omnibus quos mihi comparare potui authoribus, præter eos quorum mentio facta erat in ſchedis Geſneri, corraſi quæcunque ad hunc ornandum, amplificandum & illuſtrandum facere poſſe videbantur. Si quod volui, omni ex parte aſſequi non potui, ſaltem conatum eſſe, atque aliorum ſtudia pro meo modulo iuuare voluiſſe, aliqua in parte laudis meo iudicio ponendum eſt. Cæterùm quid tibi, inquiet aliquis, cum hoc ſtudij & ſcribendi genere? &, vt ait ille Terentianus, Tantúmne eſt ab re tua otij tibi, aliena vt cures? Cui ego reſponſum velim me hæc à meo ſtudio meaq; vocatione aliena non exiſtimare: ſiquidem hic præcipuus eſt Theologiæ finis, vt homines ad veram veri Dei cognitionem perducantur. Huius autem cognitionis conſequendæ medium primum ac generaliſſimum eſt, ipſius naturæ rerumq; naturalium ſeu creatarum contemplatio, ex qua in admirationem & cognitionem Dei eſſe progreſſum docet Dauid Pſalmo 19. vbi cœlum enarrare gloriam Dei, & opera manuum eius annunciare ipſum canit: & Paulus Rom. 1 qui patefactum omnibus dicit quod de Deo cognoſci operæpretium erat, quia inuiſibilia eius ad æternam vſq; eius virtutem & diuinitatem, à creatione mundi & rebus conditis intellecta omnes ad vnum conſpiciunt. Et ſanè nulla eſt res creata et natura conſtans ex qua ſplendidiſſimæ gloriæ Dei ſcintillæ emicare non cernantur, & in qua conſpicua ſummæ Dei potentiæ, ſapientiæ & bonitatis veſtigia non appareant. Quamuis autem ea quæ rudiſſimi cuiuſq; idiotæ oculis ſe ingerunt Dei gloriæ tum in cœlo tum in terra documenta, mirificam eius ſapientiam ſatis teſtentur, ita vt nullus cauſari poſſit ſe vlla inſcitia impediri quominus artificij ſatis ſuperq; peruideat in Dei operibus, vnde in opificis admirationem prorumpat, ij tamen, qui vt ad reconditiora illa penetrent, quibus propius obſeruandis aſtrologia, medicina, & tota phyſica ſcientia deſtinata eſt, liberales illas artes vel imbibunt vel etiam deguſtant, ſine dubio harũ ſubſidio adiuti, longe altius prouehuntur ad introſpicienda

diuinæ sapientiæ arcana: atque ut Dei prouidentia explicatius eis se profert, ita in eius gloriam conspiciendam animum eorum par est aliquanto sublimius assurgere. Itaq; cum ij qui docendi munere funguntur in Ecclesia, cæteris praire debeant in considerandis Dei operibus atq; in eius maiestate, & gloria quæ in ijs relucet contemplanda et obseruanda, quis eos reprehendere iure poßit, siquando philosophiæ naturalis studio sese applicantes, altiora naturæ secreta scrutari conentur, ut hoc subsidio freti & Dei gloriam clarius perspicere, & eius maiestatem in ijs relucentem alijs certius explicare queant? Imò quis Theologi, pastoris uel doctoris munere in Ecclesia ritè perfungi queat, qui physicæ prorsus ignarus fuerit, cùm ad multorum locorum sacræ scripturæ intelligentiam hæc scientia prorsus necessaria sit? In serpentum historia quæ in hoc opere tractatur, multa sanè obseruari queunt, quorum notitia nòn tantum Theologis, sed & Christianis omnibus utilißima est, atq; ad gloriam Dei illustrandam ac celebrandam permultum facere potest. Nam ut silentio prætercam quæ in cæteris omnibus rebus creatis pariter obseruari queunt, nempe miram illam & potentiam & sapientiam Dei, quæ tum in ingeniosa & artificiosa corporum, & membrorum ipsorum serpentum compositione & structura, tum in conuenienti naturalium actionum, facultatum, ingeniorum & morum distributione relucent, quæq; stupidißimos quosq; in diuinæ gloriæ admirationem rapiunt, quis illam antipathiam serpentis ad hominem perpendens, eiusq; causas inquirens, non statim peccati eiusq; causæ tum efficientis tum instrumentalis pulchrè magnoq; cum fructu admoneatur? Vnde enim factum ut serpens, qui cum cæteris animantibus ad usum hominum conditus erat, iam & homini ipse & illi homo infensißimus sit, atq; alter in alterius perniciem coniuret: nisi quòd hic serpens organum sese præbuit sathanæ, hosti iurato generis humani, ad seducendum hominem, atq; à Dei sui obedientia auocandum, unde totius generis humani exitium est consecutum? Hinc inimicitiæ illæ implacabiles, hinc illud bellum internecinum, hinc odium illud sanctum Ecclesiæ aduersus antiquum serpentem diabolum & eius sobolem. Quarum rerum meditatio pijs omnibus tum fructuosa tum necessaria est. Quid, quòd quot sunt genera serpentum, tot pestes in hominum perniciem armatas conspicimus, annon id de iustitia diuina, peccata nostra sic persequente & uindicante, nos commonefacit? Bonitas uerò & clementia eius quanta sese nobis in eo exerit, quòd etiamsi pro merito hominum, has pestes ipsis in peccatorum uindictam suscitarit, eos tamen auxilio & remedijs aduersus ipsarum uenena non destituerit, sed unicuiq; serpentum generi ac ueneno particularem medelam opposuerit, quam uel arcana inspiratione uel experimento homini patefacere dignatus est, ne homo harum ferarum malignitate uictus succumberet? Quid, quod ipsis etiam serpentibus aduersus suos morsus & uenena remedia indidit? siquidem capita & exta eorum morsibus imposita auxiliari dicuntur: Theriaca uerò, quæ omnibus uenenis, tum morsu illatis, tum in cibo uel potu sumptis, aduersari & mederi dicitur, ex genere serpentis omnium perniciosißimo nempe uipera conficitur. Quis ergo non miretur hanc Dei prouidentiam, quæ mala bonis ita temperauit & miscuit, ut iudicij seueritatem bonitatis clementia superare merito dicatur? Harum & similium rerum considerationem & cognitionem, quis non Christianis omnibus, non tantum iucundißimam sed et utilißimam esse fateatur, ac proinde quis pius eum qui in horum contemplatione & illustratione uersatus fuerit meritò reprehendere queat? Nobis sanè in conscribendis ac legendis eiusmodi historijs propositum esse debet, non tantum scire quæ cuiusq; rei sit natura, sed et naturæ authorem nosse, eius uirtutes prædicare & gloriam celebrare, ac uniuscuiusq; rei ingenium & naturam ad sui institutionem referre. Ad hunc scopum collimare debent quicunque cum fructu in hoc studiorum genere uersari uolunt, atque etiam ad eum, totum hunc meum laborem retuli, omnesq; qui hunc tractatum legerint referre cupio et hortor. Hæc autem cùm ita sint, nemo, ut opinor, iure mihi uitio uertet, quòd aliquam partem temporis succisiui, quod mihi à serijs occupationibus & negotijs ad uocationem meam pertinentibus liberum supererat, in hac scriptione impenderim, nec me quicquam à meo munere alienum hac in re suscepisse ullus merito dixerit, cùm nihil magis sit Theologum & Christianum, quàm admiranda Dei opera contemplari, describere & prædicare.

Epistola Nuncupatoria.

Hunc autem meum laborem, vir nobilissime ac præstantissime, tibi dedicare ac consecrare volui, tùm vt sub tui nominis auspicio felicius in lucem prodiret, tùm vt hoc testimonio meam erga te obseruantiam comprobarem. Duo autem in primis fuerunt, quæ me impulerunt vt hoc meum opus tibi nuncuparem, nempe primum, raræ illæ atque eximiæ dotes, quibus te Deus cumulatissimè ornauit, & quæ omnium bonorum, qui te norunt, animos tibi arctissimè conciliant. Nam vt omittam quæ dici poterant de generis tui nobilitate, qua inter tuos ciues longe emines & excellis, & quæ inter exteros etiam te spectatissimum reddit, pietatem veram, virtutum omnium summam, quæ te patria terrena extorrem, at patriæ cœlestis ciuem æternum effecit, nemo pius est qui in te non agnoscat, amet atque exosculetur. Prudentiam verò qua in rebus politicis es præditus, & quæ te in eum gradum euexit, vt etiam in extera gente muneribus amplissimis & honorificentissimis dignus iudicatus fueris, omnes mirantur & suspiciunt. Ille præterea, ex ore tuo fluens dicendi lepos & venustas, ita eos qui te loquentem audiunt afficit, vt non plebeiorum modò, sed & summorum & potentissimorum hominum fauorem & gratiam tibi conciliet. Quid verò dicam de ingenij tui acumine, iudicij perspicacitate, animi temperantia, sobrietate, modestia & alijs virtutibus, quarum nomine te omnes boni suspiciunt & venerantur? quas quidem prædicandas relinquo ijs qui te propius & familiarius norunt, quiq; maiore dicendi facultate pollent, ne forte meæ eloquentiæ tenuitas, tuarum virtutum fulgori & splendori officiat. His autem tot tantisq; dotibus & virtutibus ornatum, quis non iudicet amore, studio & cultu dignissimum? Alterum verò quod me tibi specialiter obstrictum impulit, vt hoc meæ in te beneuolentiæ & obseruantiæ testimonium pro mea tenuitate offerrem, fuit illa tua summa humanitas & liberalitas, qua in me hominem antea tibi ignotum, atque etiamnum prorsus immeritum, vsus es tum, cùm in his regionibus serenissimæ Reginæ Angliæ legatum apud aliquos illustrissimos Germaniæ principes ageres: quæ tua humanitas tanta fuit, vt me tibi in perpetuum deuinxererit. Quare vt gratum erga te animum meum testarer, hoc qualecunque opus tibi nuncupare constitui, quod esset meæ in te fidei & obsequij pignus certissimum ac perpetuum: quod, vt pro tua humanitate placido & sereno vultu accipias, rogo, nec tàm muneris qualitatem ac pretium (quod exiguum esse agnosco) quàm donantis animum & voluntatem respicias oro. Quod si tibi gratum probatumq; esse perspexero, spem magnam faciet mihi, fore vt hoc opus cæteris viris doctis & pijs iucundum necnon vtile futurum sit. Denique Deum Opt. Max. bonorum omnium largissimum authorem & datorem, ardentissimis votis oro, vt amplitudinem tuam, facultatesq; omnes saluas & incolumes quam diutissimè conseruet, teq; sanctis suis benedictionibus abunde locupletet. Vale. Francofurti ad Mœnum, Calendis Augusti, Anno 1587.

T. A. obseruantissimus
Iacobus Carronus.

CASPARVS

CASPARVS VVOLPHIVS TIGVRINVS MEDICVS D. IACOBO CARRONO FRANCFORTENSI AMICO SVO S.



ccep nuper, vir doctiſsime, tuas amantiſsimas literas, ſimulque hiſtoriam de Serpentibus, quam tu ex Conradi Geſneri viri clariſſimi, vndecunque conquiſitis obſeruationibus, ingenioſè admodum, & pro eiuſdem arbitrio ac voluntate optima, hoc eſt naturali methodo, adornaſti. In qua quidem concinnanda perficiendaq;, quantum tibi operę et laboris conſtiterit, ego teſtis eſſe poſſum, qui etiam ipſe in huiuſmodi nonnullis cum ratione diſponendis, idem ſim non raro expertus. Et vt verum fatear, eorum lectione mirificè ſum oblectatus, tum quia hactenus in hoc argumento nihil tale extare adhuc viderim, tum verò ſummopere gauiſus ſum, quod in eum inciderint hæc paralipomena, quę obſcuram alioquin ſpem, cæcamq; expectationem præ ſe ferebant, per quem in lucem è tenebris reuocata, nunc in doctorum manibus ſplendeſcere inciperent. Geſnerus ſanè noſter, prò vt erat non ſolùm ingenio ad inueniendum excogitandumq; celeri & acuto, verum etiam animo ita erudito, vt ſemper inde aliquid, quod delectare poſſet, promeret: ſi hanc, vt illi animo propoſitum erat, de ſerpentibus reliquisq; inſectis, atq; adeò de tota natura hiſtoriam, eo modo, quo iam prius perfectorum animalium quatuor voluminibus comprehenſam deſcriptionem cœperat, perficere contexendo per Dei voluntatem potuiſſet, haberemus ſanè omnes, quotquot rerum natura conſtantium, earundemq; cauſarum cognitione tenentur, quo ſummopere gauderemus. Sed quid facias? ea rerum humanarum facies, ea eſt conditio, vt deſideria noſtra, ſolatiaq; in diuerſum ferè ſemper conuertantur, nec vnquam ſinat, ijs integris, quæ vtiliora nobis, noſtriſque commodis aptiora videntur, perpetuò frui. Vtcunque verò acerbus admodum doloris huius ſenſus ſit ac videatur, viciſſim grata ea conſolatio nos ſuſtentare poteſt, quod neque hæc quæ huc faciebat nobis perierit materia, nec etiam deſint viri docti & ingenioſi, qui cum laude & commodo publico, in ea excolenda illuſtrandaque ſtrenuam operam ponant. Proinde tibi quoque vir ornatiſſime, plurimum debebunt docti homines, quique diſcendi cognoſcendiq; veri ſtudio ardent, quod per te, quæ iam hominum vſibus elapſa amiſſaq; penitus videbantur, recuperarint. In perficiundo hoc opere, tantum videris conſequutus, vt neque totius οἰκονομίαν, neque ſingulorum membrorum συντάξιαν reprehendere merito quiſquam audeat. Nec neceſſe erat, meum ſuper ea re aduocare iudicium. Ego is non ſum, nec tantum mihi arrogare auſim, vt de aliorum laboribus iudicium ferre vel poſſim vel debeam. Proinde quod mihi liberam cenſendi mutandique poteſtatem facis, id potius abs te factum agnoſco, beneuolentiæ erga me tuæ abundantia quadam, qua motus, neſcio quam doctrinæ & eruditionis exiſtimationem mihi tribuis, quàm vt ita neceſſe eſſe vel tibi ipſi videatur. Artifices, noui, vt de ſuis operibus bonorum ac peritorum iudicium libentiſſimè ſubeunt, deque eorundem ſententijs, meliora eadem facere in poſterum ſtudent operamque dant: ita quoque non faci-

lè ineptas imperitorum cenſuras ferunt. Hac ipſa de cauſa mihi penitùs ab omni cenſura temperare ſtatuiſſem, niſi me argumenti ſuauitas nouitaſque ad diligentiorem lectionem pellexiſſet. Sed pauca ea, quæ obſeruatione mea deprehendere potui, eo animo à me ſeorſim annotata obſeruatáque intelligas velim, vt cum parui momenti ſint, tuo penitùs iudicio vel admittenda vel reijcienda, viciſſim remittam. Vale vir doctiſſime & me viciſſim ama. Dat. Tiguri Auguſti 30. Anni 1586.

ENVMERATIO SERPENTVM, EO ORDINE QVO IN HOC VOLVMINE DESCRIBVNTVR.

INDICES NOMINVM OMNE GENVS SERPENTIVM IN DIVERSIS LINGVIS. I. LATINORVM II. GRAECORVM. III. ITALICORVM. IIII. HISPANICORVM. V. Gallicorum. VI. Germanicorum. VII. Anglicorum. VIII. Gothicorum. IX. Hebraicorum, Arabicorum. X. Turcicorum. XI. Polonicorum, &c.


LATINA ET GRAECA ANTIQVIS RECEPTA TVM QVAEdam *recentioribus solum vsurpata, quamuis Barbara, Latinis tamen literis, vel etiam terminationibus scripta, &c.*

Ange

Index.

F I N I S.





CONRADI GESNERI TIGVRINI HISTORIAE ANIMALIVM LIBER V. QVI EST DE SERPENTIBVS.

HISTORIA DE SERPENTIBVS GENERALIS.

A.

SERPENTIS nomen apud scriptores & communiter & propriè accipi solet. Communiter accipitur nō solùm pro serpentibus propriè vocatis, verumetiam pro scorpionibus & araneis, vt est apud Cornelium Celsum pro lacertis: inuenio etiam et Plinium & Apuleium appellasse pediculos serpentes, vbi scribunt: Pherecydem Syrum, Pythagoræ præceptorem, serpentibus perijsse, quē tamen constat pediculis esse enecatum. Propriè serpens accipitur pro animali sanguineo, pedibus orbato & ouiparo. (nam hoc proprium est serpentum oua parere.) Sic definit Aristoteles serpentes in lib. de gener. animaliū & alibi, & Galenus in libro de Theriaca ad Pisonē, vt cum nos etiam loquimur de serpentibus, de ijs loquamur qui sine pede sunt & ouiparis, Mercurialis. ¶ Angues aquarum sunt, serpentes terrarum, dracones templorum, Seruius in secundum Aeneidos. ¶ Serpens nonnumquam vnam speciem significat, Plinius lib. 29. serpentis oculorum dexter adalligatus, contra epiphoras prodest, si serpens viua dimittatur. Nec aliter apud Græcos ὄφις pro vna specie, scilicet vipera accipitur: vt apud Oppianum de Murenæ & serpentis coitu, id est viperæ, Vuottonus. ¶ Serpula à veteribus dicebatur quam nos serpentem dicimus, Festus. In odoriferis syluis serpentes siue serpulas, vt veteres loquebantur, reperiri frequētissimas traditum est, Cœl. Rhodigin. ¶ Anguis quamuis propriè illud serpentum genus significet (si Seruio credimus) quod in aquis degit: frequentissimè tamen etiam de terrestribus dictum inuenitur: latet anguis in herba, Calepinus. Draco etiam sæpissimè pro quouis serpente apud authores probatos sumitur, Pierius. Hebraicè נחש nachasch serpens dicitur. Item שפיפון schephiphon. Munsterus scribit schephiphon esse speciem serpentis à נשב sibilando sic dicti, vt dicit Rabbi Salomon. Pagninus verò vult à mordendo sic dictum, à radice שפה, quæ mordere vel contundere significat. תנין Serpens aut draco & piscis magnus, vt draco: vt sunt cete, balænæ, Pagninus. Thaninim & Chaldaicè Thaninaiah dracones & serpentes, Paulus Fagius. Vtitur hac voce Moses Exod. 7. vbi dicitur coràm Pharaone mutasse virgam in serpentem. Chaldaicè חויא cheueia דרקון darcon seu draco idem quod nachasch, id est serpens, Munsterus in trilingui dictionario. Arabicè Haie serpens dicitur apud Auicennam. Haie seu hadaie est nomen commune omnibus serpentibus, Andreas Bellunensis. Testuh, id est, serpens, syluaticus, alias Tenstu dicitur. Agestim, id est serpens, Idem. Apartias & Atussi, Idem. Græcè ὄφις: hodie vulgò in Græcia ὀφίδι vocatur. Germanicè *ein schlang*: ab angue, per apocopen vltimæ, & more Germanico sch, præposito. Gallicè vn serpent. Italicè serpe & serpente. Hieronymus Massarius in quadam epistola scribit scorzo & scorzone apud Italos esse nomina generica ad omnes serpentes, qui repunt ac dentibus feriunt. Hispanicè, sierpe. *Nomina. Serpens. Serpula. Anguis.*

Serpentum alij terrestres sunt alij aquatiles: quanquam maxima pars sit terrestris, exigua verò aquatilis, scilicet fluminum incola. Sunt etiam maris indigenæ serpentes terrestribus similes, Plinius. Thaninim sunt duplices, terrestres & aquatiles. Qui in aquis degunt ingentes pisces sunt, sic dicti, quod formam quandam draconum siue serpentum referunt, Hoc Hebræi. P. Fagius. *Generalis serpentum diuisio secundū loca.*

B.

¶ Megasthenes scribit in India serpentes in tantam magnitudinem adolescere, vt solidos hauriant ceruos taurosq́. Metrodorus circa Rhindacum amnem in Ponto, vt superuolantes, quanuis altè perniciterq́ alites, haustu raptas absorbeant, Plinius. Serpentes multos & malos in India esse scribit Strabo. Item serpentes paruos Indicos venenosissimos. Insulas Indiæ occidentalis serpentes nutrire, sed minime noxios scribit Pet. Martyr. In regni Morfili montibus serpentes magni in maxima versantur multitudine, Paulus Venetus. Ex parte septentrionali regni Indiæ longum & magnum est desertum, vbi & serpentes & animalium diuersitates reperisse dicitur Alexander imperator, Hatthonus de Tartaris. ¶ In Aethiopia aiunt tantam anguium vim conuenire conuoluiq́ in gyrum inuicem, vt montis speciem procul aspicientibus reddant, Pierius. ¶ Habet Numidia infinitam scorpionum atq́ serpentum copiam, quorum morsibus venenosis multi quotannis interfecti inueniuntur, Leo Africanus. ¶ Apud Afros *Quibus in regionibus reperiantur serpentes.*

ad Occidentem reperiuntur ſerpentes ſupra modum grandes, Herodotus. Africa ſerpentibus adeo fœcunda eſt, vt mali huius meritò illi potiſsimum palma detur, Solinus. ¶ Pharus inſula olim (vt teſtantur Aegyptij) multis diuerſiſq; ſerpentibus plena erat, Aelianus. ¶ Elymaidis ora infeſtatur ſerpentibus, quos flumina deportant, Plinius. ¶ Serpentes vndique gentium conuenæ à verno ſtatim die (nimirum æquinoctij verni) ad Caſpias portas confluunt, Solinus. Per Caſpias portas ſerpentum multitudo, niſi hyeme tranſitum non ſinit, Plinius.

¶ Serpentum frequentia nomen fecit Ophiuſæ inſulæ, Textor. ¶ Candei ſerpentibus veſci aſſueti, neque alia regio fertilior earum, Plinius. ¶ Hierichuntij ſerpentes pingues ſunt, &c. Suidas. ¶ Ad paludem, quæ iuxta Epheſiam metropolim exiſtit, aiunt cauernam eſſe ſerpentium plenam maximorum, Aelianus. ¶ Serpentum genera magis peſtifera maximè æſtuoſis locis gignuntur. Italia frigidioreſq; regiones hac quoq; parte ſalubritatem habent, quod minus terribiles angues edunt, Cornel. Celſus. ¶ Seruius ait Oſcos populos dici vbi plurimum ſerpentes abundant, in Campania quippe, Pierius. ¶ In Lombardia & agro Ferrarienſi ſerpentum magna copia eſt, Scaliger. ¶ Arbitrantur plurimi in ſolis regionibus calidis habitare ſerpentes, ob connatam frigiditatem eiſdem animalibus inhærentem, tum quod calore magis multiplicentur ac citius incrementum ſuſcipiant: ſed reuera frigida illa Europæ pars in Septentrione etiam peſsimos habet & enutrit ſerpentes, licet quoad naturam veneni debiliores quàm ſint Africani, Olaus magnus. ¶ In Botnia quæ eſt cis mare Liuonicū & multitudinem & magnitudinem eam ſerpentum eſſe aiunt, vt cum illis paſtores perpetua bella gerant, Scaliger. Aruernorum montes ſerpentes etiam habent, Idem ¶ In Heluetiæ montibus maximos à venatoribus ſerpentes conſpici certum eſt, de quibus mirabilia referunt legati qui aliquando Badenam veniunt ad comitia. Operæpretium eſſet hæc omnia ex viris ſpectatæ fidei cognoſcere. Geſnerus.

De regionibus à ſerpentibus deuaſtatis & deletis.

M. Varro author eſt in Italia Amyclas à ſerpentibus deletas, Plinius. Serpens quidam inhabitabilem Salaminē faciebat, Lycophron. Neuri, Scythiæ populi, vnà ante Darij expeditionē ætate coacti fuerant ſolum vertere propter ſerpentes: nam ſerpentum cùm magna vis ex ipſorum ſolo eſt edita, tùm maior ſupernè è locis deſertis ingruerat, quibus vſq; adeo infeſtati fuerunt, vt relicto ſuo ſolo cum Buditanis habitauerint, Herodotus.

De ſerpentum magnitudine.

In nauigatione maris rubri Alexander dicit ſe ſerpentes vidiſſe longitudine quadraginta cubitorum & craſſitudine pro recta longitudinis portione, Aelianus. Porus Indorum rex Auguſto dona miſit, viperas ingentes, ſerpentem decem cubitorum, teſtudinem trium cubitorum, & perdicem vulture maiorem, Strabo lib. decimoquinto. In India adoleſcunt ſerpentes ad tantam magnitudinem, vt ſolidos hauriant ceruos tauroſq;, Textor. Circa Rhyndacum amnem Bithyniæ conterminum angues naſcuntur immanes, neq; ob magnitudinem modò, ſed ob id etiam mirabiles, quod vbi in alueum eius æſtus ſolemq; fugerunt, emergunt atq; hiant: ſuperuolanteſq; aues, quanuis altè & perniciter ferantur, abſorbent, Mela, quod & Plinius ex Megaſthene ſe accepiſſe ſcribit, vt ſupra diximus. Serpentes Indici maximi, Solinus. Serpentum Megalaunæ triginta cubitorum longitudinis meminit Pauſanias. Gellius ſcribit, Tuberonem in hiſtorijs ſcriptum reliquiſſe, bello primo Punico, Attilium Regulum conſulem in Africa caſtris apud Bagradam flumen poſitis, prælium grande atq; acre feciſſe aduerſus vnum ſerpentem, in illis locis ſtabulantem, inuſitatæ immanitatis: eumq; magna totius exercitus conflictatione, baliſtis atq; catapultis diu oppugnatum. Eiuſq; interfecti longum corium pedes centum & viginti Romam miſiſſe. Eiuſdem meminit Plinius lib. 8. Apud Sciratas (Scyritas vocat Plinius) ſerpentes maximi naſcuntur, quorum alij greges pecorum rapiunt & vorant, alij ſanguinem tantum exugunt, Aelianus. In Macra loco ſic nuncupato Poſsidonius ſcribit, mortuam ſpectatam fuiſſe ſerpentem iugeri longitudine, tanta craſſitudine, vt ex vtraq; parte aſtantes equites ſe inuicem intueri non poſſent, tanto autem hiatu, vt hominem equo inſidentem reciperet. Exuuiarum ſquammam quamlibet clypeo maiorem fuiſſe, Strabo & Gillius. Volat. lib. duodecimo capite de locis nuper repertis, allegat ſerpentes mille paſſuum longitudine, qui certo anni tempore armenta & paſtores ipſos totaliter deuorant. In regno Senegæ, ſerpentes denum pedum menſuram excedunt, tantæq; ſunt vaſtitatis, vt integras capras hauriant, nec lancinent, ſolidè deuorantes, Aloyſius Cadamyſtus, Gillius, Cardanus & Scaliger. In Hiſpana inſula inuſitata magnitudine excellunt, ſed tantopere innocentes, vt omnino haud noceant quicquam. Ad Calecuthum in tantam amplitudinem procedunt, vt maximorum ſuum ſimiles efficiantur, excepto capite, quod vaſtius exiſtit, ac nimirum quod earum vſus omnibus interdictus ſit, ideo earundem tanta eſt vis. Errore enim implicatus Calcuthi rex, adeò acri interdictione eas tuetur, vt eum qui ſerpentem confecerit, non minus acerba quàm ſi hominem interfeciſſet, morte mulctetur, Gillius.

De ſerpentum colore.

Serpentium colores variare pro locorum diuerſitate ſcribit Nicander: Longo caput extulit antro, Cæruleus ſerpens, horrendaq; ſibila miſit, Ouid. tertio Metamorph. Quod ad ſerpentes attinet, vulgatum eſt colorem pleroſq; terræ habere qua occultentur, Plinius.

Genus ſerpentum nulla euariat ratione, & omnia ferè proxima lacertis ex terreſtri ouiparo genere

Serpentum descriptio vniuersalis. genere habere species, si pedes ijs demas, longitudinem addas: quippe quod intectũ cortice sit, & prona supinaq́; perinde atque lacerti habeat, sed testibus caret, nec alio modo quàm pisces meatus duos coeuntes in idem, & vuluam longam ac bifidam habet. Cętera interna eadem sunt serpentibus quæ lacertis. Verùm omnia earum viscera propter longitudinem & angustiã corporis, longa arctaq́; habentur, ita vt dignosci præ suæ figuræ dissimilitudine non queant. Arteria namq; longa admodum est, atq; etiam gula longior. Arteriæ origo ita iuxta os ipsum posita est, vt esse sub lingua videatur: & quidem videtur linguæ præminere, quoniam lingua contrahitur, nec vt cæteris manet. Lingua autem ipsa tenuis, longa & atri coloris est, atque si extrahas, porrigi longius potest. Peculiare præter cæterorum linguas serpentibus & lacertis est, vt summa eorum lingua bifida sit: sed præcipuè serpentum, quippe quæ tenuissimis quibusdã quasi capillamentis discreta vibretur. Ventriculum serpentes velut intestinum laxius habent, canino similem, tum intestinum longum, tenue & ad exitum vsq; vniforme. Cor arteriæ postremæ adhæret exiguum, sed longum & renum speciem referens: quamobrem videri interdum potest minus mucronem suum dirigere ad pectus. Pulmo deinde adnectitur simplex, fibrosus, fistulosus, prælongus, longeq́; à corde sepositus. Iecur item longum & simplex: sed lien exiguus rotundusq́; vt lacertis. Fel similiter atq; in piscibus habetur: natricibus enim adnexum iecori est, cæteris intestino magna ex parte adhæret. Dentes exerti omnibus sunt. Costæ totidem, quot dies mensem integrum complent: singulis enim tricenæ. Euenire serpentibus idem quod pullis hirundinum nonnulli aiunt: oculis enim serpentum laceratis subnasci alios referunt: caudę etiam lacertis atq; serpentibus amputatæ renascuntur, Aristoteles. Hæc etiam vis & natura ad serpentium nationem pertinet, cor quidem vt in gutture habeant, fel autem ad intestina, testiculos ad caudam possideant: longula sanè oua & mollia pariant, in dentibus venenum gerant, Ælianus.

Oculi. ¶ Serpentium oculi parui, Cornarius. Anguibus vniuersis hebes visus est. Rarò in aduersum contuentur, nec frustra, cum oculos non in fronte habeant sed in temporibus, adeo vt citius audiant quàm aspiciant, Isidorus. Serpentium catulis & hirundinum pullis si quis oculos eruat, renasci tradunt, Plinius.

Palpebræ. Palpebræ sunt nulli animantium, nisi quibus & in reliquo corpore pili: sed quadrupedibus in superiore tantùm gena, volucribus in inferiore: & quibus molle tergus, vt serpentibus, & quadrupedum quæ oua pariunt, vt lacertæ, Plinius. Aues & serpentes & quæcunq; ex quadrupedibus sanguinis compotes ouiparæ sunt, foramina quidem narium ante os habent, sed non ita explanata, vt nares appellari possint, nisi spirandi officio, Aristoteles. *Nares.* *Aures.* Pennatorũ animalium buboni tantum & oto plumæ velut aures, cæteris cauernæ ad auditum. Simili modo squamigeris atq; serpentibus, Plinius. *Dentes.* ¶ Dentium tria genera: serrati, aut continui, aut exerti. Serrati pectinatim coeuntes, ne cõtrario occursu atterantur, vt serpẽtibus, piscibus, canibus, &c. Plin. Quibusdam dentes sunt in os vergentes ne excidant cibi, nullum habentibus retinendi adminiculum: similes aspidi & serpentibus. Sed duo in superna parte dextera læuaq́; longissimi, tenui fistula perforati vt scorpionum aculei, venenum infundentes. Non aliud hoc esse quàm fel serpentium, & inde venis sub spina ad os peruenire, diligentissimi authores scribunt. Quidam vnum esse eum: & quia sit aduncus, resupinari, cum momorderit. Aliqui tunc decidere eum, rursusq́; recrescere, facilem decussu, & sine eo esse quos tractari cernimus, Idem. Paulò ante quædam de lĩgua ex Aristotele allata sunt, quæ huc etiam pertinent.

Lingua. ¶ Ad saporum gustatum serpentes & lacerti linguam habent longam & bifidam: atq; ita longam serpentes, vt ex paruo longè protrahi possit. Bifida & parte extrema capillamenti tenuitate est, propter suæ naturæ cupediam: duplex enim voluptas ijs capitur, quasi duplicem sensum gustandi habeant, Aristoteles. Lingua tenuissima serpentibus est & trisulca (bisulca potius secundum Aristotelem) vibrans, atri coloris, & si extrahas prælonga, Plinius. Lacertis & serpentibus lingua extrema parte pilosa (id est oblonga & exilis instar pili), Plinius. Vide in Lacerto.b. Lacerta linguam dicitur habere pilosam, sed non habet: imò sunt dentes parui vt pili, & est bifida, sicut lingua serpentis, Albertus. Nullum animal in tanta celeritate linguam mouet vt serpens, adeo vt triplicem linguam habere videatur cum vna sit, Isidorus. *Gula.* ¶ Cum voracissimæ sint serpentes, & longam & tenuem habent gulam, seseq́; humo excitant, seq́; celsas & erectas constituunt, extrema cauda nitentes, vt in aluum procliuior delabatur cibus, Ælian. *Collum.* Serpens collum minime sed proportionale colli habere videri potest, Aristot. *Pedes.* Caret pedibus genus omne serpentum, vt pisces, Idem. *Cauda.* Caudæ præter hominem & simias omnibus ferè animalibus, & oua gignentibus pro desiderio corporum, amputatæ, lacertis & serpentibus renascuntur, Plinius. Serpentes venenum in cauda habere, inde id ad os deriuari in vesicam quandam, quæ tenera & fragilis sit, & quoties mordent frangatur. Agyrtas hanc vesicam eis frangere, vt veneno careant: sed idem rursus intra 24. horas à cauda ad vesicam illam oris recolligi scribit Neapolitanus. *Cortex.* Animalia quadrupeda non pennata, quæ oua pariunt, cortice omnia muniuntur. Cortex hic loco squammæ similis potest appellari. Sanguineum quod pedibus careat ex natura genus serpentum est, idq́; intectum cortice est, Aristoteles. Quæ animal pariunt, pilos habent: quæ oua, pennas aut squamas aut corticem, aut testam, vt testudines: aut cutem puram.

Coſtæ. Dorſum. Pulmo. vt ſerpentes, Plinius. Coſtæ ſerpentibus triginta, Plinius. Serpentium dorſum piſcium more compleri apertum eſt, Idem. Serpentibus natura oſſium ſpinacea eſt præterquam magnis: robur enim eorum validiora exigit firmamenta, eadem qua & viuiparis ratione, Idem. Serpentibus & piſcibus omnia ſimilia ſunt, niſi quod pulmo ſerpentibus datus eſt, quoniam terra vtantur: piſces eo carent, & branchias vice pulmonis ſortiuntur, Idem. *Lien. Fel.* Quidam lienem putant ineſſe oua parientibus, item ſerpentibus admodum exiguum, Plinius. Serpentum pars maxima fel toto inteſtino prætextum habere cernitur, Ariſtoteles. Serpentum pars maxima eodem modo fel habere cernitur quo piſces, Idem. Fel ſerpentibus portione maximè copioſum & piſcibus, Plinius. *Exta.* Exta ſerpentibus & lacertis longa, Idem. Serpentes propter corporis formam quæ longa eſt & anguſta, ſpeciem quoq; viſcerum habent prolixam & cæteris animalibus diſsimilem, vt quam ad ſui corporis opificium quaſi formulam effigiatam ſortiantur, Ariſtoteles. *Teſtes.* Serpentes nulli teſtes habent, vt nec vllum animal quod pedibus caret, Idem. Piſces & ſerpentes teſtibus carent, ſed meatus continent binos, qui de ſepto exorti, latus ſpinæ vtrumque perreptant, coeuntq; ſupernè in vnum, atq; ita ad oſtium excrementi finiunt, Idem. *Vulua.* Tendit ſerpentibus vulua prolixior, modo corporis exorſa inferius, vno continua meatu, deductaq; in latus ſpinæ vtrumq;, quaſi duplex meatus vſq; ad ſeptum, in qua oua ordinatim gignuntur, & edi inde non ſingulatim ſed ſerie continente ſolent, Idem. *Veſica.* Serpentes veſica carent, vt etiam cætera quæ penna aut ſquamma aut cortice integuntur (præter teſtudinem) tum propter humoris aſſumpti exiguitatem, tum quia quantũ excrementi contrahitur, in ea ipſa (ſcilicet vel pennas vel ſquammas vel corticem) inſumatur per carnem laxiorem difflatum & euaporatum, Idem. Libet hic adijcere deſcriptionẽ ſerpentis, quam Io. Gregorius Macer Szepſius poeta optimus, qui ſerpentem diſſecuit, ſua manu ad Doctorem Geſnerum ſcripſit anno 1562. quæ ſic habet. Anno 1558. Serpens ſatis groſſus, longitudine ſemiorgyiali, cum in gramine recubaſſem, iuxta me collum efferre, & ſtrepitu accedere cœpit, quem ego interficiens ligno fortiter affixi, & cutem primò ſatis aſperam detraxi. Erat inter cutem & carnem ſubtilis ſed pinguiuſcula membrana, quę tamen cum ipſa cute deſcendit. Vbi ad locum excrementi, qui ſub aluo eſt, ſicuti & in piſcibus, excoriando ventum eſt, grauiſſimo odore fæces humana excrementa ſuperarunt. Detracta cute membra interiora ſtatim patuerunt: quę cum colligerem, partim auibus partim piſcibus communia eſſe, quædam & propria ſerpenti videbam. Nam trachea arteria longitudine quatuor aut amplius digitorum paruis & gracilibus circulis tornata ad pulmonẽ deſcendebat, cui cor & veſicula fellis adhærebant. Poſtea longo ſatis ductu in formam hepatis Lucij piſcis eius hepar extendebatur: deinde abdomẽ ſiue pinguedo candida & ſatis ſubtilis, longitudine dodrantali hepati & inteſtinis aderat. Inteſtina à faucibus vſque ad excretionis locum more inteſtinorum piſcium deſcendunt. Infra hepar vtrinq; iuxta inteſtina neruoſa vena longo ductu deſcendebat, cui aderant inhærentia oua, ita quidem pelliculis albis tecta, vt in gallinis videmus, ſed ſitu diſtincta, quod longo ordine ducerentur: numerus in quolibet latere erat triginta & duorũ ouorum: lingua bifida acuta, ſed non venenata quantum potui attendere. In corde itaq; & pulmone & trachea arteria, cum auibus conuenit. In hepate, inteſtinis & abdomine cum piſcibus, in loco veſiculæ fellis & ouorum diſpoſitione ab vtriſq; diſſidet.

C

Sibilus. Ex ijs quæ linguam habent & pulmonem alia longum ſibilum edunt, vt ſerpentes, Ariſtoteles. Oua parientibus ſibilus, ſerpentibus longus, teſtudini abruptus, Plinius. Quod ſtrident vlulantq; feræ, quod ſibilat anguis, Lucanus lib. 6. ῥοίζει πελώριον, id eſt immenſum ſibilabat, Apollon. de ſerpente cuſtode velleris aurei. ¶ Serpentes pollent tactu, Cœl. Rhodig. ¶ *Cibus.* Cum ſerpens ad ſeducendos primos parentes noſtros diabolo ſeſe organum præbuiſſet, Deus dixit illi: Quoniam hoc feciſti, maledictus es præ omni iumento, & præ omni beſtia agri: ſuper ventrem tuum gradieris, & puluerem comedes cunctis diebus vitæ tuæ, Gen. 3. Serpenti panis erit puluis, Eſaiæ 65. Lingent puluerem ſicut ſerpens, Micheæ 8. Serpentes omniuori ſunt, vt & reliqua cortice intecta animalia. Nam & carnem edunt & herbam, Ariſtoteles. Cum ſerpentes carniuoræ ſint, quicquid ceperint ſucco exucto reliquum totum per meatum ſui ſeceſſus emittunt. Accipit ſerpens vndelibet quod datur, ſiue auis ſiue bellua: oua etiam deuorat, ſed cum acceperit reducit, & vſq; eò retractat, quod partem nactus poſtremam è directo conſtituat, tum colligit ſe, in breueq; contrahit, vt quod inditum ſupra tenetur, in vnum extento corpore deducatur, quod propterea ita facit, quia gulam tenuem habet & linguam, Idẽ. Serpentes pingueſcunt ouis, ſpectanda quidem draconum arte. Aut enim ſolida hauriunt, ſi iam fauces capiunt, quæ deinde in ſemet conuoluti frangunt intus, atq; ita putamina excutiunt: aut ſi tenerior eſt catuli adhuc ætas, orbe apprehenſa ſpiræ, ita ſenſim vehementerq; præſtringunt, vt amputata parte ceu ferro, reliquam quæ amplexu tenetur, ſorbeant. Simili modo auibus deuoratis ſolidis, cõtentione plumas & oſſa reuomunt, Plinius. Serpentes inſectis omnis generis veſcuntur, Bellonius. Cibus ſerpentum ſeptentrionalium æſtate herbæ, carnes & aues ſunt, quarum pennas & plumas poſtea euomunt: demum ſi poſſunt, lac & vinum vel modicam aquam bibunt, Olaus magnus. ¶ Serpentes omnium maximè animalium vel cupediæ dediti ſunt: ſed deſiderium

derium iis quoque bibendi exiguum, & reliquis quibus pulmo fungosus est, qualem omnia habent quæ oua pariunt, & quibus parum sanguinis est. Serpentes vini incontinentes etiam sunt: proinde viperas aliqui vino cum fictilibus ad sepes disposito venantur: ebriæ enim capiuntur, Aristot. Serpentes, cùm occasio est, vinum præcipuè appetunt, cùm alioqui exiguo indigeant potu, Plin. Serpentes omnes delectantur vino & facilè ingrediuntur vasa vbi sit vinum, quod postmodum venenant, Mercurialis. Serpentum genera omnia bibere, vbi sint aquæ, patet ex Archemori Cadmi historia, Scaliger. Serpẽtes, lacertę & similia, quod sine potu viuere possunt, nulli dubium est. Afros hæc animalia, in ea parte Africæ in qua nunquam pluit, onum mandere affirmare aiunt, qui vel apud nos vermis quidam multipes aterque gignitur, sese in orbem conuoluens: hunc autẽ locis illis multum admodũ nasci, naturaque esse humidum narrant, Theoph. Diu & serpentes & phalangia viuere possunt sine cibo, Aristot. Eædem minimo & penè nullo cibo vtuntur, cum asseruantur inclusæ, sicut aranei quoque, alioqui suctu viuentes. Ideo nullum interit fame aut siti venenatum: nam neque calor his, neque sanguis, neque sudor, quæ auiditatem naturalem sola augent, Plinius. Serpentes decem menses sine cibo viuere possunt, modo aliquando paulum aquæ illis præbeatur, Bellonius. Si serpentes calidi sunt qui fit vt integros tres aut quatuor menses, id est, toto illo tempore quo delitescunt, absque cibo viuunt? Annon in serpentibus id quod in quibusdam mulieribus vsu venit, quæ cùm plenæ sint humore pituitoso & crasso, & calorem naturalem (proportione tamen huic humori respondentem) valde imbecillum habeant, longo tempore absque nutrimẽto degunt? Annon hæc est ratio, quam omnes philosophi de serpentum cibi abstinentia omnimoda protulerunt? Ob hoc natura illis carnem & pellem solidiorẽ & crassiorem suppeditauit, ne calor natiuus tam facilè in illis euanesceret, sed in corpore permanens, vitæ pabulum præberet, Greuin. lib. 1. de venenis. Potus.

¶ Serpentem apertis oculis dormire scribit Philes his versibus: Somnus.

> Ὅπως καθεύδει, καὶ δοκεῖ πάλιν βλέπειν,
> ὄφις τε καὶ πτὼξ, καὶ θυμοῦ πλήρης λέων;
> ἐπιπέταται γὰρ ἡ χλαμὺς τῶν ὀμμάτων
> ἄλλου τινὸς χιτῶνος ἁπαλωτέρου
> φρουροῦντος αὐτοῖς, ὡς διόπτρας, τὰς κόρας. **Id est,**
> *Quomodo dormit, & simul cernere videtur,*
> *Serpens & lepus & animosus leo?*
> *Circumtegitur enim chlamys oculorum*
> *Alia quadam tunica molliore*
> *Custodiente ipsis pupillas, velut dioptras.*

Serpentes dormituri sæpe caput in fimum bubulum inserunt, reliquam corporis partem non: putant nimirum caput tutum fore, Incertus.

¶ Serpentem stercus vt plurimùm bene olet propter siccitatem naturalem. Sunt & quibus spiritus procul adeo reddet vt Moschus videatur, atque hi in Orientali India inter Calecuthum & Canonor, Cardanus de subtil. Bonus excrementorum spiritus odor.

¶ Loca in quibus vt plurimum inueniuntur serpentes, sunt caulæ, casæ rusticæ, & scopuli, aut exiguæ valles, colles, prata quæ prope lucos & syluas cæduas sunt, Greuinus in lib. de venenis. In odoriferis syluis serpentes, siue serpulas, vt veteres loquebantur, reperiri frequentissimas traditum est & scribit bibliotheces 4. Diodorus, Cæl. Rhodig. Videtur (licet rarò) mirum spectaculum in Aquilone, quomodo profundè sub radicibus arboris betulinæ manent serpentes: quorum multitudo suo afflatu calorem in radicibus exeitat, vt folia huius arboris semper durante hyeme viridia permaneant. Quocirca gens naturæ secreta ignorans, arborem sacram putat, quasi magno numini consecratam. Nec multum dissimile asserere videtur Solinus cap. 40. in quadam Africæ gleba non sine miraculo lucum virere vndique secus agris arentibus. Hyeme tamen in cauatis arboribus, vel rupibus serpentes latent, pro cibo somno vtentes, Olaus Magnus. Loci in quibus versantur.

¶ Serpentes mensibus quatuor frigidissimis latent: nec per id tempus quicquam comedunt: cæteræ quidem serpentes cauernas subeunt terræ, sed viperæ sub saxis conduntur, Aristoteles. Latibulis teguntur, Lacertus, Salamandra, Testudo, Crocodilus, Serpens, Plinius. Serpens latet hyberno tempore, æstiuo prodit, Textor. Serpentes quemadmodum quædam alia animalia natura frigida, vbi hyemem appropinquare viderint, in cauernis suis se recondunt, ibique per quadrimestre spatium, quod id tempus ferè omnium sit frigidissimum, habitant semimortui veluti, quousque sol aërem excalefaciens, suumque calorem omni generi animantium communicans, eis nouam quasi vitam restituit, Greuinus. Sciendum item chias (χειάς) dici serpentum latibula: vocant & εἰλεὺς, Cæl. Rhodig. Latere serpentes diu possunt exiguo contenti cibo, quod norunt circulatores qui eos in pixide lignea circumferunt commodissimè modico furfure apposito, Cardanus. Latent hyeme.

Serpentes hyeme non lædunt, æstate pessimi, Galenus. Tutò serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore: non desunt tunc illi venena, sed torpent, Seneca, epist. 5. Per æstatem ser- Hyeme non lædunt æstate maximè noxi.

pentes maximè sub caniculæ feruore cum vehementer æstuant, furorem præ se ferre videntur, adeo vt ne exiguo quidem momento quiescere possint, Galenus de locis affectis, lib. 2.

Natura frigidi sunt. ¶ Serpentes omnes tactu quàm frigidissimi esse perhibentur, Incertus. Serpentibus neque calorem, neque sanguinem neque sudorem inesse scribit Plinius lib. 10. cap. 72. Galenus item lib. de Ther. ad Pis. 8. manifestè credit serpentes omnes esse frigidi temperamenti. Idem sentit Rasis. 35. contin. 3. Contrà verò Auicenna 6. quarti tract. 3. cap. 21. miratur inuentos esse homines qui crediderint serpentes esse frigidæ temperaturæ. In ijs quos Gallia profert maximum inesse frigus experimur, si manibus tractentur, idq; in media etiam æstate: quod bona fide affirmare possum, &c. Greuinus, in libro suo de venenis cap. 1. vbi multis rationibus ostendit & probat serpentes natura frigidos esse contra Mattheolum qui contrarium affirmare videtur. Eandem sententiam confirmat Mercurialis lib. 1. de morbis venenatis & venenis his rationibus: vna est quia omnes qui venenantur à serpentibus, frigore quodam mirifico statim tenentur: altera est, quia hæc animalia, vt dicebat Aristot. 38. de hist. anim. latent quatuor mensibus in cauernis non alia ratione, nisi quia cùm frigidi temperamenti sint, non possunt sustinere aëris frigus, & propterea in latebras terræ vbi calor est, se recipiunt: tertia est, quòd si summa æstate serpentes omnes tractentur, nemo est qui sensu ipso non experiatur, hæc animalia summè frigida esse: quarta, cùm omnis animalium calor sit in sanguine locatus, exiguo autem sanguine prædìti sint serpentes, quis non videt eos necessariò frigidos esse? Hactenus Mercurialis. Serpentum vda sunt corpora, adeò vt quacunq; eunt, viam humore designent, Isidorus.

Motus. ¶ Conuolutim serpere dicitur serpens, à Galeno de anatom. administrat. libro 6. 2. Εἰλυσπᾶσθαι de serpentum & vermium motu dicitur qui sese in arctum colligentes & posteriora attrahentes, progrediuntur. Quod eleganter Virgilius expressit de serpente loquens, tractu se colligit anguis. Thes. græc. ling. De ijsdem dicitur etiam ἕρπειν, id est, serpere, & Εἰλῦσθαι, id est volui & reptare. Quæ pinnis aut non amplius binis aut nullis, vt serpentes, vtuntur, quaternis ea quoque notis nihilominus mouentur, flexus enim quaterni his aguntur aut bini cum pinnis binis, Aristot. Deus serpenti postquam mulierem decepisset, dixit: quia fecisti hoc, maledictus eris præ omni animali. Super ventrem (seu pectus) tuum gradieris, &c. Genesis 3. Vestigia serpentum talia sunt, vt cùm pedibus carere videantur, costis tamen & squamarum nisibus erepant: quas à summo gutture vsque ad imam aluum parili modo dispositas habent. Squamis enim quasi vnguibus, costis quasi cruribus innituntur. Vnde si in qualibet corporis parte ab aluo vsque ad caput ictu aliquo collidatur, debilis reddita cursum habere non possit, quia vbicunque ictus ille inciderit, spinam soluit, per quam costarum pedes & motus corporis agebantur, Isidorus. Serpens non extenditur nisi moriens, Erasmus. Serpentes eodē natant modo quo in sicco reptant, Aristot.

Ortus. ¶ Anguem ex medulla hominis spinæ gigni, accepimus à multis, Plin. Hominis mortui spinæ medullam putrescentem in serpentem conuerti aiunt, exoririq; feram, & serpere animantem immanissimum ex mansuetissimo. Atque bonorum honestorumq; hominum reliquias requiescentes non modo quietem pro præmio, sed etiam eorum animas bona, quæ toties attestata sunt à sapientibus, habere, malorum verò hominum spinas post è vita excessum talia monstra parere. At id aut est totum fabulosum, aut si adhibenda ei fides sit, præmium meo iudicio dignum suis moribus malus retulerit, qui serpentis pater efficitur mortuus, Ælianus. Serpentes ex hominum cadaueribus medijs medullis gigni, sicut apes ex bubus gignuntur, ex equis fuci, ex asinis crabrones scribit Plutarchus, Textor. Ex humano cadauere serpentem gigni tradidêre rerum naturalium scriptores, Pierius. Sunt qui cùm clauso putrefacta est spina sepulchro, Mutari credant humanas angue medullas, Ouid. lib. 15. Metamorph.

In Ægypto mures ex terra & imbre nascuntur, & in alijs locis ranæ serpentesq; & similia, Macrobius. Auicenna asserit serpentes ex mulierum præcipuè capillis concipi, quòd productiores sint, humectioresq; natura, Cæl. Rhodig. Nicander in Theriacis arbitratur venenata morsuq; oblædentia ex Titanum sanguine, hoc est Typhoei esse concepta. Acusilaus autem scribit id genus animalia ex Typhonis cruore propagata. Apollonius verò Rhodius in Alexandriæ constitutione, ex Gorgonis guttis sanguine stillantibus, Idem. Virgilius fimeta subdio concauo loco, & qui humorem colligat, stramento intecta, ne in sole arescant, palo è robore depacto fieri iubet, ita fore ne innascantur his serpentes, Plinius.

Coitus. ¶ Quæ pedibus carent, & longo sunt corpore, vt serpentes & murenæ, ijs coitus circumplexu mutuo supinarum partium agitur. Et quidem serpentes ita circumuolutæ sibi ipsæ cohærent, vt vnius serpentis bicipitis corpus totum esse videatur, Arist. Coeunt serpentes complexu mutuo, propter ineptam sui corporis formam ad applicandum. Cum enim exigua quadam sui parte coniungantur, nequeunt præ nimia prolixitate adaptari: cumq; membris, quibus amplectantur, careant, pro ijs agilitate corporis vtuntur, complexuq; mutuo sese obuoluentes expediunt Venerem, Idem. Rursus in terrestribus oua pariunt serpentes. Coeunt complexu, adeò circumuolutæ sibi ipsæ, vt vna existimari biceps possit, Plin. Cum inter se coeunt serpentes, odorem

rem exhalant grauissimum, Ælianus. Serpentes & pisces testibus carent, sed binos meatus o[illegible] tinent, qui fœtifico semine cum coeundi est tempus implentur, & lacteum omnes emittunt hu morem. Colligunt hi sese in vnum caput, quemadmodum in auium genere vnitur quod sub[illegible] at. Hoc ergo inseritur atque in locos & receptaculum tenditur fœminarum, Arist. ¶ Exp[illegible] dum aliæ animal pariunt vt viperæ & cartilaginea: aliæ ouum, vt piscium genus ac cæteræ ser pentes, Idem. Cæteræ serpentes (præter viperam) oua pariunt foris contexta ad monilis, id est, ornamenti muliebris, quod ambit collum, similitudinem, incubant quæ pepererint, in terra, & fœtum sequente excludunt anno, Aristot. Plinius. ¶ Murænas in sicco littore elapsas vulgus coitu serpentum impleri putat. Huius opinionis fuit Oppianus lib. 1. Alieuticῶν. Plinius scribit Licinium Macrum tradere murenas tantùm fœminini sexus esse & concipere è serpentibus: ob id sibilo à piscatoribus tanquam serpentibus euocari & capi. Id etiam D. Ambrosius & complu res antiquorum tradunt: cui opinioni Athenæus refragatur authoritate Andreæ, qui de his quæ falsò creduntur, librum edidit, P. Iouius de piscibus lib. 1. Vide plura in historia Viperæ.

¶ Sunt in Asia genera serpentum, quos ore parere hominum opinione receptum est, Alcia tus, forte de Amphisbæna intelligit.

¶ Anguina senectus, siue vt Plinius nominat, Vernatio, serpentium exterior similis mem branæ cutis, quam primo vere inter duos lapides, vel alias huiusmodi res exuunt, vulgò Ger man. vocatur ein schlangen haut & schlangenbalck: Græcè γῆρας, ὄφεως δέρμα, σύφαρ λεβηρὶς, Latinè, Anguina pellis, Senectus: Spolium vel exuiæ serpentis. Arabicè Geluc vel genlut, id est corium serpentis, Syluat. Fulcalhaileb spolium serpentis, Idem. Item Alchalha & Selachalna ie, Italicè Spoglia delle serpi: Hispanicè Pelle de la culebra, Mattheolus. Reuirescunt serpentes pelle sequestrata, quam nunc senium nunc senectutem appellat Plinius, Leberida Græci. Au thor tamen libro tertio est Strabo cuniculos à quibusdam Leberidas dici. Anguium porrò co rium dixit Callimachus in Hecale etiam Syphar. Cœl. Rhodig. Nonnulla ex ijs quæ conduun tur exuunt id quod senectus vocatur: quòd cutis vltima est & primi ortus operculum, Aristot. Cortice intecta magna ferè sui parte secessus suo tempore latent, & exuunt senectutem ea quibus cutis mollis, nec prædura & testacea quidem est, qualis testudini, sed qualis stellioni, lacer to, & præcipuè serpentibus est. Exuunt enim hæc omnia, tum vere cum egrediuntur, tum etiam autumno. Vipera etiam exuit tam vere quâm autumno. Cum serpens exuere incipit, ab oculis primùm detrahi aiunt, ita vt obcæcari videatur ijs qui rem non intelligunt, tum caput exuitur; glabrum enim hoc omnium antequam reliquum corpus apparet: atque vna ferè nocte & die se nectus tota exuitur, à capite orsa ad caudam, & cute altera intus subnascente ipsa remouetur. Vt enim fœtus inuolucro secundarum, quo contentus prodierit, exuitur: sic ista senectute de tracta renouatur, Idem. Anguis hyberno situ membrana corporis obducta, fœniculi succo im pedimentum illud exuit, nitidusque vernat. Exuit autem à capite primùm, nec celerius quàm v no die ac nocte, replicans, vt extra fiat membranæ, quod fuerat intus. Idem hyberna latebra vi su obscurato, marathro herbæ sese affricans, oculos inungit ac refouet. Si verò squammæ obtor puere, spinis iuniperi se scabit, Plinius. Ineunte vere, cum senectutem serpens exuerit, tum e tiam visus hebetudinem, tanquam oculorum senectutem, abijcit: quo ex morbo, admotis ad ma rathrum oculis, liberatur: nam ex eius hyberna in latibulis obscuris mansione, oculos hebetes & præstrictos frigoribus calefaciens marathrum purgat, atque acres & acutos efficit, Ælianus. Serpentes vere senectam exuunt, & degustato fœniculo velociores ac perspicaciores fiunt, Ni cander. Vanum esse opinor canis ortu angues candidos membranam exuere, quoniam neu trum in Italia visum est: multoque minus credibile in tepidis regionibus tam serò exui, Plinius. Neque vere tantùm exuit anguis, verumetiã autumno, & pro locorum temporumque conditione: æstate etiam Aristotele hoc asserente, licet id abneget, Plinius Pierius. In Septentrione tempo re veris fricatione serpentes cutem exuunt inter saxa, Olaus magnus. Senectutem fertur ser pens exuere, quod in angusto foramine (cui per vim se impenetrat) veterem deponat pellem, Textor. Ob siccitatem etiam arida cutis exuitur vere ab ipsis, vocantque senectam. Contingit e nim illis quod & hominibus elephantiasi laborantibus, scilicet vt ex vapore corrupti humoris cutis siccetur & eleuetur. Ob id vere exuunt illa diuturna fame siccati, Cardanus de subtil. Ver nationem serpentum non tam esse pellem quàm sordes quasdam in corpore musci instar colle ctas existimat Greuinus lib. 1. de venenis. Fœniculum nobilitauere serpentes, gustatu (vt dixi mus) senectam exuendo, oculorumque aciem succo eius reficiendo, Plin. Visum longo situ amis sum serpens fœniculo recuperat, Textor. Fœniculum illud quo serpentes affricant oculos, illud esse fœniculi genus existimat Mercurialis lib. 1. de venen. morb. & venenis, quod Florentini ap pellant baccatum, atque pro venenato habent.

Senecta Vernatio Anguina

D.

Serpens erat calidior omni bestia agri quam fecerat Iehoua. Gen. 3. Estote prudentes, sicut serpētes. Matth. 10. Ioh. Tzetzes Chil. 9. cap. 263. hoc sensu hæc verba à Domino prolata ait: Ser

De serpentis astutia

uate capita vestra, quemadmodum serpens qui insidijs petitus vapulansq; ad mortem omnimodo caput suum abscondit, sic nos à tyrannis & impijs cruciati, caput seruate mihi, fidē vestram, & ne Deum negetis vsq; ad ipsam mortem. Poterit præterea aliquis rhetoricè hoc dictum illustrando, seruanda iubere capita, hoc est authores (αὐθέντας) & dominos nostros, nec illos decipere aut fallere dolis sacrilegis. Hæc Tzezes. De astutia serpentis passim à scriptoribus hoc adducitur, quod petitus totum corpus obijcere periculo soleat, modò caput illæsum seruet, quo seruato, facilè etiam læsus curatur, Fagius. Idem in exegesi sua super priora capita Genescos. 4. cap. Quidam Hebræorum dicunt, serpentem primùm recto corpore incessisse, atque humanis affectibus etiam præditum fuisse, indeq; astutia cuncta superasse animantia. Serpentes quidam ob id putant dici sapientes, quod longissimè cernant. Dracones certè Græcè à δέρκω vocantur. Hæc ille. In naturalibus bonis, quæ nobis & irrationalibus animantibus videmus esse communia, viuacitate quadam sensus serpens excellit. Vnde & legitur in Genesi; Serpens autem erat sapientior omnibus pecoribus terræ. Dicit autem Plinius, Si creditur, quod serpentis caput etiam si cum duobus euaserit digitis, nihilominus viuit. Vnde & totum corpus obijcit pro capite ferientibus, Isidorus. ¶ Animantium aliæ sunt illiberales, perfidæ, insidiosæq; vt serpentes. Aristoteles. οἱ μικρογένυες κακοὶ, μάλιστα δὲ ὠμοὶ καὶ ἐπίβουλοι, καὶ γὰρ οἱ ὄφεις τοιοῦτοι, id est qui paruis sunt genis, mali & maximè crudeles & insidiosi sunt. Serpentes enim tales sunt. Adamant.

¶ Implacabilem furorem diuinæ literæ per serpentem voluminibus implicatum, & qui linguis micet ore trisulcis (ita enim describitur irritatus) expressere. Psal. 58. Furor eorum serpentini furoris instar, &c. Incomparabilis porrò est in angue furor, qui simul ac se læsum sentit, ita ve sanè furit, vt nunquam absistat, donec venenum intulerit, aut præ rabie exanimetur, vt ait Euthymius, Pierius. ¶ Quin & affectus indicia sunt etiam in serpentibus immitissimo animalium genere, Plinius. ¶ *Storge.* Serpentium oua aiunt iniecta igni matrem ad se etiam eminus odore allectam vocare. Id Funckius iurat se Lostorfij vidisse, cum ouum vnius in fornacem proiectum esset, mox matrem ipsam cum festinatione accessisse sibilantem (odore nimirū percepto) & fornacem ingressam esse, licet astantibus ad eum quibusdā viris, à quibus partim baculis occisa est, partim igne læsa. Dubitari possit, an hoc per στοργὴν acciderit, an quod odore illecta fuerit. Nam & alioqui fertur, si serpens vratur, in sylua alicubi, alios etiam accedere, siue sibilo tantùm, siue etiam odore allectos. ¶ *Serpentũ præsensio, pestis, famis, ruina, &c.* Canes, boues, sues, capræ, serpentes & bestiæ aliæ cum impendentem pestem, tum verò terræ motum, & cœli salubritatem, & frugum fertilitatem præsentiunt: neq; tametsi ratione carent, ab eorum quæ sibi aut salutem, aut perniciem afferre queunt, intelligentia aberrant, Ælianus. Quinq; ante diebus quàm Helice funditus euerteretur, qui in ea erant mures, mustelæ, serpentes & verticillæ, cæteraq; eiusmodi ex eo loco exierunt. Idem.

Sympathia cũ alijs animantibus. Serpentium morsus non petit serpentes, Plinius, Textor. Sed iam serpentum maior concordia, scilicet, quàm hominum inter se, Iuuen. Sat. 15. Serpens cum vulpe amicè viuit: ambo enim cauernis gaudent, Aristot. Cum monachi quidam subinde ægrotarent, nec mali causam intelligere possent, audiuerunt tandem à rustico operario, qui catum monasterij cum serpente ludentem viderat. Non erat autē letale hoc venenū, quia lætitia serpentis ex ludo veneni vim remittebat. Nec mirum, cum mures etiam cum serpentibus colludant. Pongettus. Mira referuntur de anguillis, quomodo à serpentibus audiantur & liberentur. Quidam monachus narrabat talem historiam: se cum puer esset voluisse anguillam magnam in quendam locum deferre: cum autem in quandam syluam venisset, anguillam sibilasse, ac statim aliquot serpentes sibilo excitatos accurrisse, se verò expauefactum fiscellam, in qua erat anguilla, deposuisse, ac inde aufugisse: cum verò mox reuerteretur, ac fiscellam denuo auferre vellet, anguillam non fuisse amplius repertam, cum tamen fiscella adhuc bene vincta & clausa esset. Hæc sæpe retulit nobis D. Rodolphus à Vuil monachus Capellensis: an sibilent tamen anguillæ, nescio, cum pisces muti sint: fortassis serpentes sibilantes tantùm audiuerat. Similes ferè siue historias siue fabellas multas audiui, Incertus. Fœniculum anguibus gratissimum, Plinius. Hedera serpentium frigori gratissima, vt mirum sit vllum honorem habitum ei, Idem. Hederam amant serpentes, Textor.

Antipathia cum homine. Deus alloquens serpentem, postquam hominem seduxisset, inter alia dixit, Ponam inimicitias inter te & ipsam mulierem & inter semen tuum & semen eius: ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum, Genes. 3. Hoc simpliciter significat, hostile semper fore dissidium humano generi cum serpentibus, quale hodie cernitur. Fit enim arcano naturę sensu vt ab ipsis abhorreat homo. Proinde quòd quibusdam serpentes sunt in delicijs inter prodigia reputandū est. Cæterum tale odium fore denunciat, vt sibi vltro citroq; molesti sint: serpentem hominibus infestum fore, & homines vicissim perdendis serpentibus fore intentos. Serpentum genus homini est inimicum. Est enim vetus inter illos & nos dissidium, & irreconciliabile, futurumq; donec meminerimus illius inauspicati pomi, Erasmus. ¶ Fauorabile verbum Isidorus de natura serpentum profert, quòd hominem nudum & dormientem nunquam lædant: idq; mihi in

pueritia

pueritia & adolescentia serpentibus sine læsione sæpissimè congredienti contigit, Olaus Magnus. ¶ Ad primos ortus Euphratis quædam serpentes nascuntur hominibus externis, non item indigenis inimicissimæ, atque vsque eo infestæ, vt eos morte mulctent, Ælianus. In Syria angues circa Euphratis maximè ripas, dormientes Syros non attingunt: aut etiam si calcati mordere, non sentiuntur maleficia, alijs cuiuscunque gentis infesti, auidè & cum cruciatu exanimantes: quamobrem & Syri non necant eos, Plinius. Quædam animalia innoxia indigenis, aduenas interimunt, sicut serpentes parui in Tirynthio, quos terra nasci proditur, Idem.

Quidam serpentes indigenis innoxij, externis verò infesti.

¶ Omnibus hominibus contra serpentes inest venenum, feruntq; ictas saliua vt feruentis aquæ contactum fugere. Quòd si in fauces penetrauerit, etiam mori, idq; maximè humani ieiuni oris, Idem. Ophilius scribit serpentes rumpi, si quis in hiatū earum expuat, Idem. Est vtiq; vt serpens, hominis quæ tacta saliuis, Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa, Lucretius. Animaduertendum est naturam ostendisse nobis ieiuni hominis sputo serpentem necari posse. Causam philosophi perscrutantur, aiuntq; fieri hoc ob magnam inter vtrumq; animam contrarietatem: Serpens siquidem frigida & sicca est corporatura, homo autem calida & humida: hinc alterum alterius visu tactuq; exhorrescere, humanoq; sputo tactum anguem æque fugere, ac si feruentem in aquam incidisset. Id si penetrarit in fauces, etiam extingui, Pierius. Serpentes saliua hominis interimit, Cælius Calcag. lib. 1. epistolarum. ¶ Troglodytarum genus hominum, quod ex habitandi & viuendi ratione nomen duxit, serpentibus idcirco formidabile est, quod eas huiusmodi hominum natio exest, ac in cibo consumit, Ælianus. ¶ Crates Pergamenus in Hellesponto circa Parium, genus hominum fuisse tradit, quos ophiogenes vocat, serpentum ictus contactu leuare solitos, & manu impositavenena extrahere corpori. Varro etiam nunc esse paucos ibi, quorum saliuæ contra ictus serpentum medeantur. Similis & in Africa gens Psyllorum fuit, vt Agatharcides scribit, à Psyllo rege dicta, cuius sepulchrum in parte Syrtium maiorum est. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, vt cuius odore sopirent eas. Mos verò liberos genitos protinus obijciendi sæuissimis earum, eoq; genere pudicitiam coniugum experiendi, non profugentibus adulterium sanguine natos serpentibus. Hæc gens ipsa quidem prope internecione sublata est à Nasamonibus, qui nunc eas tenent sedes: genus tamen hominum ex his qui profugerant, aut cum pugnatum est, abfuerant, hodieq; remanet in paucis. Simile & in Italia Marsorum genus durat, quos à Circes filio ortos ferunt, & ideo inesse ijs vim naturalem eam, Plinius. Quorundam hominum tota corpora prosunt, vt ex his familijs quæ sunt terrori serpentibus, tactu ipso leuant percussos suctuq; modico. Quorum è genere sunt Psylli, Marsiq; & qui Ophiogenes vocantur in insula Cypro, ex qua familia legatus Exagon nomine, à consulibus Romæ in dolium serpentium coniectus experimenti causa, circummulcentibus linguis miraculum præbuit. Signum eius familiæ est, si modò adhuc durat, vernis temporibus, odoris virus. Atque eorum sudor quoque medebatur, nō modò saliua, Idem. Agatharcides dicit, in Africa Psyllorum gentem esse, & nihil quidem ad viuendi rationem à reliquis hominibus differre, veruntamen cum alijs nationibus peregrinum eorum corpus comparatum admirationem habere: non enim venenatas bestias quæ vel ictu vel morsu venenum relinquunt, eis quippiam nocere posse, neque aut serpentis morsu, aut phalangiorum mortiferis vulneribus vt cæteros homines affici, &c. Ælianus. Sunt qui dicant, quod quemadmodum Psylli apud Cyrenaicam regionem naturalem quandam vim habent contra serpentes, sic et Teutyritæ contra crocodylos, Strabo. Psyllorum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, ex cuius odore sopirent eas, Textor. Sicut contra serpentes Psyllis Marsisq; inter homines natura veneni repugnantiam dedit: sic apibus etiam, vt quamuis venena portantes oreq; fingentes ipsæ non moriantur, Plinius. Durat in Marsis etiamnū gens à filio Circes orta, quos esse domitores serpentium constat, Idem. Marsi populi in Italia vim habuerunt naturalem contra serpentes & venena, Textor. Iphiogenes, id est, anguigenas populos esse docet Strabo, qui ob familiaritatem quandam cum serpentibus eorum ictibus medebantur. Horum alios in Hellesponto, alios in Cypro insula habitasse testatur Plinius. Ad Parium genus hominum fuit quos Anguigenas vocauere, & cognationem quandam cum serpentibus habere crediderunt: quorum mares proditū est, serpentum morsibus fuisse remedio, si eos cōtinuo attigissent. Auctorem gentis heroem quendam tradidere ex serpente immutatum, vt est antiquitas fabulosa. Vis ea aliquandiu in gente mansit, quemadmodum in Calabria fama est de ijs qui ex progenie scilicet Pauli appellantur: nam & hos mederi serpentū morsibus affirmant, Æneas Syluius.

Saliua hominis serpentibus exitialis.

Troglodytæ serpentibus formidabiles.

De Psyllis Marsis & alijs populis quorum vis naturalis serpentibus inimica.

¶ Terra serpentem homine percusso non amplius recipit, pœnasq; etiam inertium nomine exigit, Plinius. Iam porrò serpentem, quæ hominem interfecerit, Indi (permultis in hanc rem testibus Libycis & Ægyptijs Thebarum incolis vtentes) dicunt, idcirco subterraneā latebram (quia terra suis ipsa sedibus eam non amplius recipiat, atq; quasi gremio suo in exilium eijciat) ingredi nequire: sed postea errare, vagari, & pluribus iactatam miserijs, æstiuo & hyberno sub dio ærumnosum omne ætatis tempus degere: neq; amplius à coniugibus adiri, neq; ab ijs quos ex se procreauerit, parentem agnosci. Ergo pœnas, diuina prouidentia vindice, etiam rationis expertia, ob cædes hominum factas, dependunt, Ælianus.

Serpentem homicidam exulare.

Antipathia cū animantibus. *Accipitre.* *Aquila.*

¶ Accipitres serpentibus & venenatis bestijs inimicissimi sunt: nec enim ipsos serpens vllaue alia mala bestia latere potest, Ælianus. ¶ Aquilam ferunt vbicunque viderit ex alto serpentem magno mox stridore oppressum laniare, & postquam extracta de visceribus venena decerpserit, adhuc (forte, suctu) faucium deuorare, & virus quod inerat extinguere, veneno calore decocto, Incertus. Aristoteles videtur dicere vulturē cum dracone pugnare, quod non est verum, sed neque aquila omnis cum dracone pugnat. Sed quoddam aquilæ genus est paruum quod venatur serpentem quendam, qui draco generali vocabulo nominatur. Aquila etiam cum tyro (vipera) & dracone pugnat pro animalibus quæ aliquando venantur, dum altera alteri prædam auferre conatur, Hæc Albertus.

Vtq; volans altè raptum cum vulua draconem
Fert aquila, implicuitq; pedes, atque vnguibus hæsit:
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisq; horret squammis, & sibilat ore,
Arduus, insurgens: illa haud minus vrget adunco
Luctantem rostro, simul æthera verberat alis. Vergilius 11. Æneid.

Ælianus lib. 7. de animalibus cap. 37. recitat historiam elegantem de aquila à serpente tantum non superata atq; ab homine seruata. Decem, inquit, & sex viri frumentum in area perticis excutientes in maximis solis ardoribus, cùm ardentissimè sitirent, vnum ex suis, vt aquam de proximo hauriret fonte, miserunt: Is messoriam falcem in manibus habebat, & in humeris situlam gestabat. Vbi verò ad fontem venit, offendit Aquilam quam strictissimè cauteq; serpente circumplicatam, iam iam proximam vt strangularetur. In eam enim Aquila inuolauerat: veruntamen nō compos voti & insidiarum in ea ipsa expugnanda euaserat, neq; pullis escam attulerat: sed spiris illius ceu laqueis circumuenta, vicina erat ad pereundum non ad perdendum. Agricola vt vidit serpentē falce dissecuit, & vinculis Aquilam vnde effugere non poterat, exoluit, quomodo autē Aquila liberatori suo gratiam retulerit dictum est in lib. de auibus in Aquila. Aquilæ & ciconiæ nunquam nidos construunt, quin lapides illis imponant: aquila aëtiten, ciconia lychniten dictum: propterea quòd facē adhibent, vt oua fætum producant, & serpentes nidis nō appropinquent, Philostratus in vita Apollonij. In regni Morfili montibus serpentes magni in maxima versantur multitudine, quibus vescuntur aquilæ albæ, Paulus Venetus.

Araneo.

¶ Librat araneus se filo in caput serpentis porrectæ sub vmbra arboris suæ, tantaq; vi morsu cerebrum apprehendit, vt stridens subinde, ac vertigine rotata ne filum quidem desuper pendentis rumpere adeo non fugere queat: nec finis ante mortem est, Plinius. Araneus homini domesticum est animal, exitiale verò serpenti, adeo vt forte conspicatus sub arbore serpentem apricantem, filo se libret, & aculeum mediæ infigat fronti, tam acri vulnere, vt serpens dolore rotans sese in gyrum, tandem emoriatur, Erasmus in dialogo de Amicitia.

Basilisco. *Buteone.* *Bufone.* *Cato.*

¶ Serpentes alios Basiliscus solo sibilo interimit. ¶ Angui hostis est Buteo, Aristot. ¶ Bufones à serpentibus deuorari aiunt. Addunt superstitiosiores ab illis inde venenum quæri, Scaliger. Catus serpentes etiam & bufones interficit, sed non comedit: & læditur veneno, nisi aquam statim super bibat, Albertus.

Cancris.

¶ Nihil æque aduersari serpentibus quàm cancros, suesq; percussas hoc pabulo sibi mederi: cum sol sit in cancro, torqueri serpentes (Thrasillus author est) Plinius. Ad paludem quæ iuxta Ephesiam metropolim existit, aiunt cauernam esse serpentium plenam maximorum, qui vt magnum acerbitatis virus habent in mordendo, ita tametsi ex cauerna prodeuntes vsq; ad proximam paludem serpunt, tamen natando traijcere conantes, vt in oppositam ripam exeant, cancrorum qui eas extensis forcipibus comprehensas interficiunt, metu deterrent: itaq; conquiescunt, atq; à transmittendo se sustinent, cancrorum custodias formidantes, & pœnarum metum exhorrescentes: ac nisi mirabili naturę dono paludis ripas cancri incolerent, & tuta illic omnia præstarent, dudum pestiferis serpentium morsibus incolę perijssent. Ælian.

Ceruo.

¶ Elephantorum anima serpentes extrahit: ceruorum item vrit, Plinius. Et alibi. Ceruis est cum serpente pugna, inuestigant cauernas, nariumq; spiritu extrahunt renitentes. Serpentes hauriunt & spiritu narium extrahūt de latebris cauernarum, Solinus. Oportet eos qui ceruos venantur æstatis tempus cauere, quod videlicet eo tēpore viperis ac serpentibus cerui vescantur, atq; ideò siticulosi sint, Simeon Sethi. Serpentibus exitio esse ceruos nemo ignorat, vt siquæ sunt, extractas cauernis mandentes, nec verò ipsi spirantesq; tantum aduersantur, sed membratim quoque, Plinius. Serpentes à ceruis capiuntur, Plutarchus. Oribasius hoc modo semen ab vtero attrahi scribit, quo serpentes à naribus cerui. Mirifico quodam munere naturæ ceruus serpentem funditus vincit, neque enim ipsum, tametsi hostis in latebram abditus, effugere potest. Etenim ille naribus suis in serpentis cauernam incumbens, vehementissime inspirat, & spiritu suo quasi amatorio quodam alliciens, extrahit, inuitumq; profert, ac nimirum procumbentem illam mandere ingreditur: quod hyeme facere maxime solet, Ælianus. Huius rei ratio agitatur in lib. 1. historiæ animalium, in historia cerui: nempe quomodo ceruus narium spiritu attrahat serpentes: quo in loco cum Æliano non esse sentiendum dicit Gesnerus, qui videtur hanc vim philtro comparasse, ac si ita à cerui spiritu traheretur serpens, vt à magnete ferrum, à

succino

succino paleæ. Oribasio verò potius astipulandũ, qui eam vim confert cum ratione qua attrahitur semen à matrice, ita vt serpens attrahatur à ceruo, non emittente eoq; implente latibulum, sed potius aerem latibuli quantũ potest exhauriente, vt respiratione suctu eo euacuato serpens sequatur, non aliter quàm vinum aut alius liquor canali immisso, & aere extracto. Vide plura ibidem. Qui Geoponica Greca collegit, lib. 19. cap. 5. Xenophontem testem adducit, quod ceruus spiritu suo serpentem ceu vertigine affectam ad se adducat & rapiat attrahendo, cerui & ζόρκες deuorant serpentes, Nicander. Grammatici Græci ἔλαφον, id est ceruum etiam inde appellari volunt, quasi ἔλοφον, διὰ τὸ ἕλκειν τοὺς ὄφεις καὶ ἀναιρεῖν διὰ τῶν μυκτήρων, quoniam serpentes naribus trahat & occidat: vel, ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν τοὺς ὄφεις, hoc est à serpentibus abigendis. Nam cum latent serpentes, cornu saxo affricat, vnde odor excitatur eiusmodi, vt serpentes etiam è latibulis exigantur, Etymologus & Varinus. Mutuo inter se odio (vt Oppianus docet interprete Gyllio) omne serpentium ceruorumq; genus flagrat inexpiabili, serpentem ceruus longè lateq; inquirens, tandem in illius vestigia, longis flexionibus apparentia, iucundè peruenit, naribusq; ad cauernam admotis, ad pugnam pugnare nolentem ipsum attrahit. Serpens extracta, in altum tollit collum, & crepitu dentium horribilis est, & acerba sibila anhelat: contrà ceruus ridenti similis euestigio inaniter pugnantem, & cerui collum & crura circumplicantem, in sexcenta frusta lacerat. In Libycis finibus magna vis serpentum, ceruum (cum solus humi stratus iacet) vndiq; inuadit, & in eius pellem dentes configit, neq; cerui vlla pars est, quæ non serpentibus circunfusa sit; aliæ caput mordicus premunt, aliæ collum & pectus, ventremq; distrahunt, aliæ item vtrinq; circum latera versantes instant, nonnulli crura, aliæ dorsum depascuntur, aliæ ex inguinibus pendent hostiliter infixæ. Hic omnibus doloribus refertus, primum fugere tentat, & rugit, & quoquouersum se versat, sed magna turba circunsessus, non potest elabi, sed tamen ore dilaniat infinitam & bellicosam gentem, & cornibus insequitur. Illæ verò nihil remittunt, sed etiam ceruinis dentibus demorsæ, audacter incumbunt. Is aliàs dentibus dissecat, aliàs pedibus perdit, ac serpentum per terram permultus sanguis diffluit, eorumq; membra semicomesta ad terram abiecta palpitant, aliæ laceratæ in latera magno dentium robore inhærescunt, & sola capita à reliquo corpore abscissa cerui pellem adhuc pertinaciter retinent. Quum autem ceruus se ita affectum sentit, diuino quodam naturæ munere fluuium inquirit, vnde cancellos corripiens, medicinam sibi facit, confestimq; ferarum reliquiæ ex eius pelle excidunt, cicatrices autem obducuntur. Hucusq; Gyllius ex Oppiano. Etymologus & Varinus tradunt ceruos esu serpentum φυσικῶς καθαίρεσθαι, id est naturaliter purgari. *Cur cerui serpentes deuorent* Vermes in ventre ceruorum (vt in Hippiatricis Græcis legimus cap. 42.) innascuntur, et ruminantibus ijs ad fauces ascendunt, inhærentq;. Ceruus ita affectus loco non manet, sed circumcurrit; inuenit autem remedium: nam serpentibus deuoratis curatur. Plinius de ceruo narrat, quod cum sentit se grauari senectute, spiritu per nares è cauernis serpentes extrahit, &c. Et hoc ego verum esse non puto, Albertus. Ego ceruos in senectute tantum serpentibus vesci, neq; apud Plinium neq; alium authorem idoneum legisse memini. Cum se in infirmos sensere, spiritu narium serpentes è cauernis extrahunt, ac superata veneni pernicie, illorum pabulo reparantur, Isidorus. Ceruus senio grauis, ex crescentibus pilis & cornibus, serpentem naribus haurit, mox hausto æstuat veneno: vnde fontem ad bibendum ardentissimè desiderat, quo poto pilos & cornua deponit, Glossa in Psal. 41. cuius initium est: Quemadmodum desiderat ceruus fontes aquarum, &c. Vincentius Belluacensis à ceruis serpentes edi scribit, vt caligini medeantur oculorum. Et alius quidam author obscurus, quem physiologum vocant: Ceruus (inquit) sicubi serpentem esse cognouerit, aquam ore haustam in cauum effundit, mox spiritu suo serpentes extractos pedibus conculcans interimit. Ceruorum autem duo sunt genera: vnum quod extracti spiritu serpentis collum vtrinq; calcans, ita enectum vorat: quo deinde veneno intumescens, aquas petit & euomit. Interim verò dum tumet, pilos mutat & cornua abijcit. Alterum genus inuentum serpentem occidit, & à victoria statim ad montana pascua se recipit, Hæc ille.

¶ Alexander Myndius dolore & molestia cibi inopia, à chamæleonte ad hunc modum serpentem affici ait: *Antipathia cũ Chamæleonte.* mordicus scilicet illum bene latam festucam & validam tenentem, sub eaq; perinde se vt sub clypeo versantem contra hostem serpentem venire: serpentem verò quia festucæ latitudinem circumplecti non possit, Chamæleontem dentibus configere non posse: itaq; hunc ab ipsa confici exediq; nequire: membra enim vt illius reliqua serpens mordeat, non tamen ea in ipsius carnem penetrare potest, tanta nimirum pellis firmitate & robore existit, nihil vt prorsus serpentis morsus sentiat, Ælianus. Democritus scribit Chamæleontis cauda serpentes sopo rari, Plinius. ¶ Ciconiæ in Thessalia maximè immunes sunt, quod serpentes insectantur, Solinus. *Cum Ciconia.* Ex libro de naturis rerum, Ciconiæ serpentium exitio tantus est honor in Thessalia, vt capitale fuerit occidisse ciconiam, sicut & hominem. Multifariè nanq; serpentibus insidiatur, eosque comedit, & alia venenata, nec tamen moritur. Serpente ciconia pullos nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta, Iuuenalis. Ciconiæ bellum assiduè cum serpentibus est, Pierius. Serpentes & ciconiæ sæpe se mutuum perimunt. Serpentes enim ciconiæ collum sæpe implicant, & ita eã strangulant, ciconiæ caput serpentis rostro tenentur. Et aliquando sic reperiuntur, Incertus.

In Italia (vt fertur) cum serpens quidam ad nidum prorepens ciconiarum pullos deuorasset, & alteram deinde sequentis anni fœturam similiter perdidisset, ciconiæ tertio demum anno reuersæ nouam quandam auem & prius non visam (quæ breuior quidem ciconijs erat, sed rostrum magnum & acutum ensis instar à capite exerebat) secum adduxere, indicata nimirum ei fœtus calamitate sui, suis pollicitationibus vllis siue verbis, vt opem ferret, inuitatam. Auis hæc nondum absoluto ciconiarum fœtu, cõiuncta eis non erat: pullis verò iam exclusis, cùm parentes ad comparandum pullis auiq; custodi victum longius auolarent, ipsa nidum non deseruit, vt serpenti obsisteret. Serpens igitur paulò post progressus è latibulo, pullos aggreditur, & licet ab aue custode rostro impeteretur, non statim recessit, sed erectus corpore, caudæq; innitens, se opponebat: Et secundò iam ictus, spiris inuoluere custodem frustra moliebatur, vtcunq; plurimis se flexibus insinuaret: nam facile euadebat auis in sublime se recipiens. Sic dum ille perdere, hæc seruare pullos annituntur, plurimis tandem ille vulneribus confossus iacuit: at non impune: auem enim in conflictu dentibus venenatis adeò læsit, vt omnes ei pennæ defluerent, Oppian. in Ixeuticis.

Cum dorcade. ¶ Δορκὰς (id est caprea) captat serpẽtes, Plin. Cerui & ζόρκες, id est, dorcades deuorant serpentes, Nicander.

Cum Elephãte. ¶ Elephantorũ anima serpentes extrahit: ceruorum item vrit, Plinius. ¶ Æthiopes asserunt, reperiri apud se serpentes tanta magnitudine, vt non solum boues ac tauros, cæteraq; eiusdem molis animantia, sed elephantes quoque occisos vorent. Nam cum illis cõgressi, primùm cauda pedes illorũ multis nexibus complicant, ita vt nequeant moueri: deinde in caput assurgentes oculisq; tanquam fulgure incensis, elephantorum visum obumbrantes, ad terram deiectos comedunt, Diod. Siculus. Hæc pertinent propriè ad historiam Draconum, quorum perpetua est pugna aduersus Elephantos.

Cum Erinaceo seu Echino. ¶ Serpens & herinaceus (vt Oppianus refert libro de Piscatione secundo) mutuo inter se odio flagrant. Quamobrem si in latibulis occurrant, echinus mox in orbem se contrahit, vt prȩter spinas nihil emineat, irruens verò in eum serpens & spiris implicans, frustra mordet: & quo arctius illum circumuoluta premit, eò magis ipsa se aculeis infigit, & vulnerat: quibus vtcunque afflicta, non remittit tamen, donec emoriatur: aliàs quidẽ simul ambo pari casu intereunt: aliàs echinus euadens, serpentis immortui corpus aut carnes adhuc aculeis infixas gestat.

Cum gallinaceo genere. ¶ Gallinaceus fortis esto, vt attollentem minas serpentem vel aliud noxium animal interficiat, Columella. Edimus aliquando gallinas, in quarum ingluuie serpentes reperti fuissent, Rondeletius. Gallinam ferunt eo die quo ouum pepererit, à serpente lædi non posse, & tunc carnem quoque eius à serpente morsis remedio esse, Albertus. Qui serpentum canisùe dente aliquando læsi fuerunt, eorum superuentus gallinarum incubitus, pecorũ fœtus abortu vitiant, Plinius. Circa caueas gallinarũ incendendum est cornu, ne serpens accedat, Crescentiensis.

Hirundine. ¶ Hirundines à serpente conficiuntur, Oppianus. Coluber aliquando hirundinis nidum inuadit, vt pullos eius deuoret: ea (parens) primum auolat lugubriter canens: cum verò pullos iam perire animaduerterit, superato metu ad colubrum aduolat, & circa eius maxillas se voluit, donec ab eodem hoste conficiatur, Oppianus lib. 5. de piscibus.

Ibide. ¶ Pugnant Ibides nigræ cum serpentibus, Herodotus. Ibis Ægyptijs vtilissima est ad serpentes ac locustas bruchosq; delendos, Diodorus. Ibis apud Ægyptos sacra est, & amabilis & innocua, ideò quòd nidulis suis ad cibum suggerens oua serpentium, efficit vt rarescant mortiferæ pestes assumptæ, & ipsos etiam serpentes deuorat, Ammianus Marcellinus. Ibis inimica serpentibus, Simocatus. Ibis serpentum populatur oua, & pennatorum anguiũ examina ab Arabicis paludibus Ægyptum volatu petentia occurrens perdit, Solinus Ælianus. Serpentes omnes timere Ibidis pennas tradunt Ægyptij, Ælianus. Quilibet serpens Ibidis pennã nec intueri timet, si attigerit, obtorpescit: si comederit ventre dirupto moritur, Philes. Ibidis pennæ serpentibus aduersantur, Simocatus. Non mouebitur serpens penna Ibidis ipsi iniecta, Zoroaster in Geoponicis, & Florentinus Democritum citans authorem.

Cum Ichneumone. ¶ Ichneumones serpentes quoslibet in cibo appetunt, Bellonius. Vim debilem, & qui aliorum auxilio egeat significantes Ægyptij, ichneumonem pingunt: hic enim si anguem inimicum videat, non statim aggreditur, sed prius vocatis alijs ex sua specie: sic firmior præsidio, angui fit obuiam. Orus in Hieroglyph. 2. 31.

Cum Leone. ¶ Leo veneno serpentis occiditur. Eximia leonis pulchritudo per comantes ceruicis toros excutitur, cum subitò à serpente os pectore (tenus) attollitur: itaq; coluber ceruum fugit, sed leonem interficit, Ambrosius.

Cum Lacerta. ¶ Lacerta Ophiomachus à Græcis dicitur quod cum serpentibus pugnet, Calepinus. Lacerta animal est natura & homini amicum, & serpentibus inimicum. Erasmus qui eodem loco, nempe dialogo de Amicitia narrat quandam historiam de pugna lacertȩ cum serpente. Quodam, inquit, die vidi prægrandem lacertam & viridem in ostio caui decertantẽ cum serpente. Primùm mirabamur quid esset rei: nam serpens nobis non erat conspicuus. Italus admonebat in antro esse hostem. Paulò post venit ad nos lacerta velut ostendens sua vulnera, vt remedium flagitans, seq; tantum non tangi patiebatur: Serpens alterum latus penè totum eroserat, & ex viridi rubrum fecerat. Idem eodem in loco scribit, Lacertam vbi sensit serpentem insidiari homini, circumcursare per collum & faciem hominis, nec finem facere donec pruritu scalptuq; vnguium excitetur, ac ita ab hoste sibi caueat.

¶ Locusta

¶ Locusta cum serpente pugnat, Aristoteles 9.6. de histor. anim. Locusta Græcè ἀκρὶς est: Niphus dubitat an hoc in loco ἰκτὶς potius legendum sit, quanquam in suo codice ἀσπὶς habeatur. Ego verò ἀκρὶς, id est, locusta rectè legi puto, quũ sciam ophiomachum genus quoddam locustæ esse ab impugnandis serpentibus nominatũ. ¶ Serpentem cùm locusta impugnat, collum eius prehendit, quod complures viderunt, Aristoteles. Locustæ serpentem, cùm libuit, necant, singulæ, faucibus eius apprehensis mordicus, Plinius & Olaus magnus. ¶ Serpens mustelæ aduersarius est, quòd eadem in domo versantur. Victus enim ex eisdem appetatur necesse est, Aristot. Serpentem impugnat mustela, eum præcipuè qui mures venatur, videlicet ea causa, quia ipsa etiam mures persequitur. Idem. In terra serpentes persequitur mustela, Plinius. Mustela visa est frequenter cum serpente pugnare, Perottus. Mustela quoties dimicatura cum serpente est, rutam comedit: odor etenim eius herbæ infestus serpentibus est, Aristoteles. Perniciosa belua mustela est, perniciosa etiam serpens. Nam mustela cum serpente pugnatura, primum quidem rutam edit, deinde fidenti animo ad pugnam tanquam armis tecta procedit: Causa est rutæ odor serpentibus infestus, Ælianus, Gale. Muribus vescitur, & serpentes eisdem vescentes impugnat: quos cùm vicerit, deuorat, & postea rutam comedit pro antidoto veneni, Albertus & Isidorus. ¶ Ophiomachus auis est dimicans in serpentes, vnde accepit nomen, Io. Rauisius Textor. Non memini tamen apud vllum veterem scriptorem probatum Ophiomachum pro aue sumi, sed potius vel pro lacerto, vel pro locusta, vel etiam pro Ichneumone. Hesychio Ὀφιομάχος est ἰχνεύμων, & ἀκρίδων γένος μὴ ἔχον πτερά. Pro quo apud Suidam habetur Ὀφιομάχης, εἶδος ἀκρίδος μὴ ἔχον πτερά. Id est, genus locustę non habens alas. Mentio huius etiam fit Leuit. 11. καὶ τὸν ἀττάκην, καὶ τὰ ὅμοια αὐτῷ, καὶ τὸν ὀφιομάχην, καὶ τὰ ὅμοια αὐτῷ, καὶ τὴν ἀκρίδα, καὶ τὰ ὅμοια αὐτῇ. ¶ Pauo clamore suo serpentes deterret, & omnia animalia venenata depellit, nec de facili prope habitare audent, vbi vox illius frequenter auditur, Aut. de natura rerum. ¶ Serpens brumali sydere infirmior etiam à soricibus infestatur: quo argumento ante hyemem parat circa se, quibus vescantur illi & parcant, Cæl. Rhodig. ¶ Sui serpens aduersatur quia deuoratur ab ea, Aristoteles. ¶ Testudines cum serpentibus pugnaturæ cunila bubula se muniunt, Plinius. ¶ Ex volucribus in auxilio contra serpentes primum vultur est. Annotandum quoq;, minus virium esse nigris. Pennarum ex his nidore, si vrantur, fugari eas dicunt. Item cor eius alitis habentes, tutos esse ab impetu non solum serpentium, sed etiam ferarum latronumq́ ac regum ira, Plinius. ¶ Opimatum dicunt naturæ scrutatores, præcipuè Alber. lib. 26. de animal. vermem venenosum, qui cum serpente non viribus, sed audacia & astutia pugnat, atque eum adhærendo gutturi ipsius, mordendoq́ sine intermissione vincit: vnde etiam auelli haud poterit, donec eum interficiat. Idem facit vermis qui dicitur secundum Albert. spoliator colubri. Olaus magnus.

Cum locusta. *Cum mustela.* *Cum Ophiomacho aue.* *Cum pauone.* *Cum soricibus.* *Cum sue.* *Cum testitudine.* *Cum vulture.*

¶ Ebusi terra serpentes fugat, Colubraria parit, ideo infesta omnibus, nisi Ebusitanam terram inferentibus, Plin. Balearis & Ebusitana serpentes necat, Idem. Ebusos omnium animalium quæ nocent, adeò expers, vt nec ea quidem quæ de agrestibus mitia fiunt, aut generet, aut si inuecta sunt, sustineat. Contrà est Colubraria, cuius meminisse succurrit, quòd cum scateat multo ac malefico genere serpentum, & sit ideò inhabitabilis, tamen ingressis eam, intra id spatium, quod Ebusitana humo circumsignauerunt, sine pernicie tuta est, ijsdem illis serpentibus qui solent obuios appetere, aspectum eius pulueris, aliudue, quod verius, procul & cum pauore fugientibus, Pomponius Mela. ¶ In Creta nullos esse serpentes, lupos, &c. testantur Aristoteles & Plinius & Solinus. Theophrastum audio dicentem, Cretam lupis & serpentibus infestissimam esse, Ælianus. Idem scribit in Creta nullam maleficam bestiam neque gigni, neque aliunde deportatam viuere, quod quidem ipsum si quis vult experiri, venenatum animal quodpiam foris assumit, quod primum vt hanc terram attigit, statim perit. Itaque circulatores qui venantur in Africa serpentes, talia machinantur, ad mouendam hominum admirationem eas mansuefactas circumgestant, & simul ipsis terrę Africę quantum satis sit ad earũ vsum comportant, quod ipsum prouident, ne serpentes pereant, ob eamq́ causam cum ad hanc insulam peruenerunt, non prius feras bestias exponunt, quàm terram peregrinam, quam secum portant, substrauerint: ex quo fit, vt multitudinem imperitam congregent, atq; stupidam detineant, & tametsi eæ quidem sese incitant, non loco tamen se mouent, neque ex domestico & vernaculo puluere excedunt. Sin in externum & hosticum solum egrediantur, è vita quoque exeunt, Hæc Ælianus. Bellonius tamen lib. 1. singularium testatur se in Creta tres serpentium species reperisse, quorum prima Ophis, altera Ochendra (id est Echidna, vipera) tertia Tephloti (id est, Typhlinus seu Cæcilia) à rusticis vocabatur. Hoc quidem ipse confirmat, quod antiquitus ferebatur nullum animal venenosum in Creta reperiri. Siquidem & hos serpentes non esse venenosos existimat, sicut experientia comperit. Cùm enim persequeretur vnum ex ijs qui Ophis dicuntur, lapidem, sub quo delitescebat serpens, mouens, ab eo morsus est in manu ad sanguinem vsque, nec tamen vllum aliud incommodum quam cicatricem exiguam ex illo morsu retulit. ¶ Sardinia absque serpentibus est, sed solifugam habet, Solinus capit. 10. *Sardinia.*

De quibusdam terris serpentibus infestissimis. *Ebusos.* *Creta.*

¶ Britannica salutaris est contra serpentes, Plinius. Caret Britannia serpentibus, tribus ex *Britannia.*

caufis, nam pauci poſſunt generari ob frigus immenſum: quia verò optimè colitur, qui geniti ſunt exterminantur. Cùm autem ſemel illis vacua fuerit, non potuerunt aliunde aduenire, prohibente mari cum inſula ſit, Cardanus de ſubtil. Iulius verò Scaliger irridet & refutat has rationes, nec immeritò, cum & loca ſint multò frigidiora & cultiora, quæ ſerpentes etiam magna copia producunt. Ac videtur potius id loci naturæ tribuendum, ſicut de ſuperioribus dictum eſt.

Hybernia.

¶ Referunt Angli in Hybernia etiam nullum venenatum animal inueniri, ſi ſerpentes nauibus adferantur ſtatim mori. Item ſi terra ex Hybernia allata, ſerpentibus inijciatur, ſtatim extingui.

Antipathia ſerpentum cum plantis quibuſdam.
Fraxino.
Smilo.
Quercu.
Onochilo.
Nepeta.
Agno.

¶ Fraxini tanta vis eſt contrà ſerpentes, vt ne matutinas quidem, occidentéſue vmbras quàm ſunt longiſsimæ, ſerpens arboris eius attingant, adeò ipſam procul fugiat. Experti prodimus, ſi fronde ea gyro claudatur ignis & ſerpens, in ignem potius quam in fraxinum fugere ſerpentem, Plinius. Terra Aquilonaris vbi fraxinea arbore abundat venenatis his beſtijs caret, quòd & Plinius teſtatur, Olaus Magnus. Callimachus etiam canit in terra Trachinia arborem nomine Smilum naſci, ad quam appropinquantes, & eam contingentes ſerpentes, pereunt, Aelianus. Democritus ait ſerpentem mori quernis folijs iniectis, Conſtant. in Geopon. Eſt & alia, (ſcilicet Onochilos) huic ſimilis flore rubro, minor, & ipſa ad eoſdem vſus. Traduntq́ commanducata ea ſi inſpuatur mori ſerpentem, Plinius. Permultam ſerpentium fugam Nepeta & Agnos faciunt & longè lateq́ expellunt. In Athenienſium Theſmophorijs Atticæ mulieres Agni folijs cubilia ſubſternunt, quòd ſerpētibus ſit infeſta, & quòd exiſtimetur ab appetitione Veneris prohibere, vnde nomen traxiſſe videtur.

Libanotide.
Helenio.
Ruta.

Herba etiam Libanotis nuncupata ſerpentibus formidabilis eſt, Aelianus. Ægyptij tradunt Polydamnam vxorem Thoridis regis Ægyptij miſerantem Helenam in Pharum eam expoſuiſſe, & donauiſſe herbam ſerpentibus illic abundantibus aduerſariam: cuius ſenſus (vt ferunt) quàm primum perceptus eſt à ſerpentibus, illi paſſim in terram ſe abdiderunt: Helena verò herbā plantauit, quæ cum comprehendiſſet, ſuo tempore ſemen ſerpentibus inimicum protulit, & Helenium, vt harum rerum periti aſſerunt, appellata eſt, & in Pharo prouenit, Idem. Ruta præſertim Libyca ſerpentibus aduerſatur. ἐστὶ γὰρ ξηροτάτη, καὶ λειποψυχεῖν εὐθὺς τοὺς ὄφεις ποιεῖ· ὥσπερ κραιπάλην τινὰ καὶ σκοτοδινίας ταῖς ὑπερβολαῖς τῆς ξηρότητος τοῖς ὄφεσι παρεχομένη, id eſt, Eſt enim ſiccisſima, ac propterea facit vt ſerpentes ſtatim animo deficiant, quòd quaſi crapulam quandam & vertiginem ſiccitatis ſuę exceſſu ſerpentibus inferat, Simocatus. Serpentibus infeſtus eſt odor rutæ: propterea muſtela ſerpentem impugnatura rutam comedit, Ariſtoteles & Plinius.

Allio.

Ruſtici vaſa lactis in agro poſita allio circumlinunt, ne ſerpentes irrepant. Is odor enim deterret ſerpentes, Eraſmus.

Trifolio.

Serpentes in trifolio nunquam ſpectantur. Serpentes nunquam in trifolio aſpici ſcio, Ardoynus li. 1. Plinius. Obſeruatum eſt ſerpentes, & quibus venenum adeſt, in trifolio non habitare latere̓ue, quòd herba illis exitio ſit, vt illi cæteris. Ob id commodè in locis calidioribus ſeritur, Cardanus.

Anchuſa.
Selene.
Abſynthio.
Artemiſia.
Abrotono.
Flore vitium.
Cappari.
Betonica.
Galbano.
Therionarca.
Hyperdixi.

Dracontea pernecat ſerpentes, Arnoldus. Serpentes necat Anchuſa Onocheles, Dioſcor. Selene herba in Apæſanto monte naſcitur, cuius ſpuma illiti paſtores, οὐδὲν ὑπὸ τῶν ἑρπετῶν ἀδικοῦνται, id eſt, nullam à ſerpentibus iniuriam patiuntur, Plutarchus in Inacho flu. Si abſynthium, aut artemiſiam, aut abrotonum, circa ipſam habitationem plantaueris, eam quidem haud inuadent ſerpentes, Florentinus. Serpens nullus in vitibus inuenitur, quo tempore florent: abhorrent enim odorem illum, Ariſtoteles. Capparis interficit ſerpentes & vermes in inteſtinis, Auicenna. Serpentes incluſæ circulo betonicæ herbæ nequeunt exire, quin ſeſe interimunt flagellando, Plin. Galbanum ſerpentes oleo & ſpondylio miſto tactu necat, Idem. Therionarca alia quàm magica, & in noſtro orbe naſcitur, fruticoſa, folijs ſubuiridibus, flore roſeo: ſerpentes necat, Idem. Arborem quandam in Aſiæ partibus dicunt hyperdixim, quod contra dexteram ſonat, vocatam, cuius dulciſſimo fructu columbæ delectantur. Sunt autem ibi ſerpentes columbis infeſti: ſed arboris odorem & vmbram ſuſtinere non valentes, qui cum columbis inſidiantur, columbæ in arbore quærunt refugium & paſtum inueniunt, Albertus & Kiranides. ¶ Si quis ſalem Ammoniacum in ore liqueſecerit, deinde expuerit in os ſerpentis, morietur, Raſis.

E.

Quomodo capiantur ſerpentes.

Serpentum coria Amazonibus tegumentorum bellicorum vſum præſtabant, Pierius. ¶ Si fictilia vaſa ſalſuginoſa intra terram circa domum condantur, in ea quidem omnes reptiles beſtiæ inſilient: quas tu poſtea, quàm tutiſsimè obturans vaſa combures, Florent. in Geoponicis. Si vnum duntaxat ſerpentem habeas, foramen profundum in ſylua facito, prunam indito inijcitoq́ ſerpentem: ille mox vehementer igne cruciatus, cùm egredi nequeat, ſibilabit: tum alij ſerpentes, qui ad ſibilum accelerauerint, eodem illapſi peribunt. Serpentes capiunt agyrtæ quidam, vt audio, baculo quodam fiſſo, vt fiſſura quaſi forcipe iuxta caput apprehendatur, & in vas aliquod transferatur, Incertus. Serpentem ſi arundine contingas, à prima plaga non ſe commouet, torporeq́ conſtricta quieſcit; ſin iterum ac tertio plagam inflixeris, colligit ac confirmat ſeſe, Aelianus. Serpens ſi ſemel calamo percutiatur, interit. Si iterum, confirmatur, Cæl. Rhodig. Serpentes pennis vulturum ſuffitis eliciuntur ex cauis ſuis, Aelianus. Aegre extrahuntur ſerpentes præterquam læua manu, Plinius & Textor. Serpentem ſubintrantem cauernam ſuam,

suam, si sinistra quidē manu quis apprehenderit cauda, facilè eū extrahet: sin verò dextra, idem non poterit. Nō enim cedit trahenti, sed elabitur fugiens, aut certè abrumpitur, Const. in Geop. Huc libet adijcere historiam quandam quæ est apud Diodorum Siculum & apud Gyllium, de ratione qua captus est serpens ingens, qui ad Ptolomæum Ægyptij regem deductus est. Venatores, inquit, quidam regia munerum magnificentia incitati, communiter constituerunt viuam quampiam ingentem serpentem Alexandriam ad Ptolomæum in conspectum adducere: quorum consilium etsi multis difficultatibus affici videbatur, tamen bene atq; feliciter euenit: serpens enim longitudine triginta cubitorum secundū aquam stabulabatur, quæ cùm aliàs in orbem complicata & humi strata iaceret immobilis, in alias tamen animantes ad aquam venientes repentino impetu inuadebat, atq; ore ad cædem imminente nonnullas comprehendebat, alias cauda circumplicatas exsorbebat. Cùm autem eam longinquā venatores spectassent, & laqueis & catenis capi posse arbitrati essent: primū firmo animo & magna confidentia perrexerunt ad eam ire, deinde cum ad ipsam appropinquantes inspexerunt igneum oculorū fulgorem, squammarum asperitatem, strepitum quem faciebat dum mouebatur ingentē, dentes ex ore eminentes, horridum & trucem aspectum, exalbuerunt timore, simul & timide & pedetentim in illius caudam iniecerunt vincula, ad quorū contactum fera bestia magnis editis sibilis sese retorquēs, eum qui sibi propinquior esset vnum deuorauit, alium fugientem, & iam longinquum cauda exceptum interfecit: cæteri metu perculsi, fuga salutē adepti sunt. Veruntamen haud quaquam omiserunt inire nouam aliam huiuscemodi bestiæ capiendæ rationē: quòd sanè commodi spes, quæ ex illius comprehensione ostendebatur, metum vinceret. Cùm itaq; non vi, sed dolosa machinatione eam attentandā censuissent, primo robustis funibus rete beluæ capax confecerunt, pòst verò obseruato serpentis cubili atq; egressu regressuq; notato, simul & capto tempore, cum soleret exire, vt multa animalium cæde facta sese expleret, cauernæ aditū terra & lapidibus exaggeratis obstruxerunt: Deinde bestiæ à faciendis rapinis reuertenti iaculatores & funditores, tum equitum magnus numerus, tum tubicines, vt clamore tubarum ea obstreperetur, omnes se se quidem ostenderunt, sed certè aliorum exemplo ad cauendum periti, nulli accedere propius ausū fuerunt. Vbi verò se hac tanta multitudine circumfusam vidit, excelso capite, & horribili sibilo ingentem terrorem minitabatur: at enim & coniectione telorum eminus, & equorū conspectu, & latrantium canum multitudine, tum tubarum sono perterrita, ad soliti latibuli aditum sese impulit: quem posteaquam obstructum inuenit, non tantopere sęua extitit, imò verò consilij inops, armorum equorumq; strepitu, & tubarum sono obstupefacta, in rete incidit: ac vbi se irretitam sensit, non modò horribilem sibilum edebat, sed etiam dentibus rete lacerabat. Verum cùm eius robur multa verberatione fregissent, & dentes contriuissent, iam ad resistendū remollescentem & illaqueatam, Alexandriam ad regem adduxerunt. Hęc enim paulatim subducto cibo ita de viribus remiserat, vt ex immani feritate ad mansuetudinem traducta, singulari admiratione spectatores afficeret. Ptolemæus venatoribus persoluto pręmio, & dimenso alens cibo serpentem, externis ad se venientibus, mirificum spectaculum præbebat. ¶ Serpens, canis, simia & gallus gallinaceus, culeo parricidæ in mare præcipitando simul inseruntur. Vt enim simia homo non est, attamen videtur, sic qui proprium occiderit patrem. Serpens insidijs anteit, inimicissimus humano generi nō secus ac parricida. Canes omnes odisse videntur, solumq; hoc animal nulli penitus parcit, neq; proprio generi. Gallus insons huius culpæ, forsan ob gentis similitudinem adijcitur, quam maximè Romani oderunt, vel quod superbissimus sit. Præcipitatur in mare, velut omni indignus elemento, & cuius societate aër, terra aquaq; inficerentur: ob id culeo insuitur virgis sanguineis prius verberatus, Cardanus.

De ingenti serpente capto ad Ptolemæum adducto

F.

Troglodytæ Æthiopes serpentibus lacertisq; & alijs id genus reptilibus vescuntur, Herodotus lib. 4. Troglodytæ specus excauant. Hæ illis domus, victus serpentium carnes, stridorq; non vox, Plinius. Troglodytarum genus hominum quod ex habitandi & viuendi ratione nomen duxit, serpentibus idcirco formidabile est, quòd eas huiusmodi hominum natio exest, ac conficit, Aelianus. Troglodytæ serpentibus vescuntur, Mela. ¶ Candæi serpentibus vesci assueti, Plinius. Introrsus Candæi, quos Ophiophagos vocant, serpentibus vesci assueti, Idem. Pars Arabum, quibus asper est victus, angues edunt: nulla illis vel animi vel corporis cura, ac propterea Ὀφιοφάγοι nominantur, Solinus. Ophiophagi serpentibus vescuntur, Mela. ¶ In India atq; Æthiopia non solum innoxij serpentes multi, sed etiam esculenti, Scaliger. Serpentes magnos & innocuos insula in Oceano versus meridiem ab Iambolo reperta producit, quorum carnes miræ dulcedinis eduntur, Io. Boëmus. In Macino prouincia Asiatica serpentes assos pro delicijs haberi scribit Nicolaus Venetus, Æn. Sylu. in Asia. In prouincia Manzi vel India superiore serpentes maximi habentur, qui capti comeduntur inter summas delicias, Odoricus de foro Iulij. Paulus Venetus ait in prouincia Caraiam serpentum maximorum carnes vendi in cibum. Libenter enim, inquit, vescuntur ea homines. Serpentes apud Indos quosdam occidentales in delicijs haberi scribit Pet. Martyr Oceanæ decadis primæ lib. 3. & 5. quos popularibus comedere minus licet, quàm apud nos pauones aut phasianos, Iuanas illos serpentes vocant. Lau-

Populi serpentibus vescentes

Serpentes esculenti.

tiores dicuntur eſſe dapes illorum, quàm aut pauonis aut phaſiani, vel perdicis apud nos, ſed ſi aliter quàm vno modo condiantur, vti pauones & phaſiani, niſi lardo inuoluti verubus aſſentur, ſaporem perdunt. Euiſceratas à iugulo ad inguina, lotasq́ ac deterſas diligenter, & in gyrum poſteà in modum anguis dormientis in ſe recepti inſinuatas, in ollam ſui tantum capacem, pauliſper aquæ cum pipere inſulari ſuperiniecto comprimunt, tenuiter igne ex quodam ligno odorato minimè fumoſo ſuppoſito. Ex abdomine ſic ſtillato ius efficitur, vt aiunt, nectarium, nullumq́ eſſe epularum genus ouis ipſarum ſerpentum par ferunt, quæ per ſe & lenius coquuntur. Sic coctæ & recentes ſuauiſsimæ, & ſeruatæ per aliquot dies iucundiſsimæ ſunt. Huc vſq́ Pet. Martyr. ¶ Inueniuntur hodie quidam qui ſerpentes abſciſsis primum capite & cauda comedunt, Greuinus. Quodam tempore ſerpentum multitudo apud Lacones emergens, ſequentem portendit famem, quæ tanta extitit, vt Spartani ipſi annonæ caritate ſerpentes illos in cibum commutauerint, Io. Rauiſius Textor.

G.

Remedia quæ ex ſerpentibus percipi queunt

Conſtat contra omnium ſerpentum ictus quamuis inſanabiles, ipſarum ſerpentium exta impoſita auxiliari: eosq́ qui aliquando viperæ iecur coctæ hauſerint, nunquam feriri à ſerpente: Neq́ anguis venenatus eſt, niſi per menſem luna inſtigatus. Sed prodeſt viuus comprehenſus, & in aqua contuſus, ſi foueatur ita morſus. Quin & ineſſe ei remedia multa creduntur & ideò Æſculapio dicatur, Plinius. Ad leproſi curationem ſumatur ſerpens niger excoriatus, & ſepeliatur donec in eo fiat vermis, & extrahatur cum vermibus ſuis & exiccetur, & detur in potu illi, ſuper quem ſuperfluuit lepra ex eo tribus diebus, omni die pōdus ʒ.i. cum ſyrupo de melle, Auicenna. Ediſſe angues medios abſciſsis vtrinq́ extremis artubus aduerſus ſtrumas prodeſt, Plinius. Anguis editur contra ſtrumam, Celſus. Silentio præteriri non debet quod à quibuſdā memoriæ proditum eſt, nempe ſtrumis laborantes, ſicut & elephantiaſi, viperarum & ſerpentium vſu mirificè adiuuari, Ioh. Tagautius Inſtit. Chirurg. lib. 1.

Ex oculo. ¶ Serpentis oculum dextrum adalligatū contra epiphoras prodeſſe aiunt, ſi ſerpens viua dimittatur, Plinius.

Corde. ¶ Anguinum cor ſi mordeatur aut alligetur efficax habetur dentium doloribus medendis, Idem.

Iecur. ¶ Si quis guſtarit ſerpentis iecur, non amplius ab vlla ſerpente læditur, Idem.

Felle. ¶ In prouincia Caraiam maximi ſunt ſerpentes, quorum interfectorum fel extrahunt regionis illius incolę, quod magno vendunt pretio: nam eſt medicinale: vnde qui à rabido cane læſus fuerit, ſi vel modicum, quantum eſt pondus vnius denarij, de illo biberit ſtatim ſanatur. Et mulier in partu laborans ſi vel tantillum de hoc felle guſtauerit, acceleratur partus eius. Sic qui hæmorrhoidam aut ficū anus ſuſtinuerit, & locum illum ſecretum hoc perunxerit felle, poſt paucos dies à morbo liberatur, Paulus Venetus, lib. 2. cap. 40.

Semine. ¶ Serpentis ſemen remedijs ad ſuffocationem vterorum adhibetur ab Hippocrate.

Cinere. ¶ Ad ſtrumas & durities: ſerpentem mortuam & coniectam in ollam nouam, & gypſo probe oblitam, conijce in caminum vt comburatur: dein cinerem eius miſceto cum æquali fœnugręci portione, melleq́ Attico exceptum, probeq́ confectum illinito, Nic. Myrepſus. Ad ſtrumas valet anguium cinis ex oleo illitus, vel cum cera. Cinerem etiam bibiſſe in nouo fictili crematorum prodeſt: efficacius multo inter duas orbitas occiſorum, Plinius. Serpentis cum ſale in olla exuſtæ cinis, cum roſaceo in contrariam aurem infuſus dentium doloribus medetur, Idem. Ad morphœam vnguentum, ℞. cineris ſerpentis combuſti in olla noua & bene cooperta ℥ ij. litargirij, galbani, ammoniaci, oppoponacis, diſſolutorum in aceto aā. ʒ v. bullliant vſq́ ad aceti conſumptionem & coletur, tunc adde terebentinæ ℥ iij. thuris, maſticis, ſarcocollæ aā. ℥. iij croci ʒ. ij. ducendo cum ſpatila, donec infrigidetur.

Puluere. Valet etiam puluis ſerpentis combuſti ad fiſtulas, Olaus Mag.

Adipe. ¶ Ad ſtrumas valet anguinus adeps mixtus oleo, Plinius. Anguium adeps ærugini miſtus, ruptas oculorum partes ſanat, Idem, cui conſentit poëta cum ait: *Anguibus ereptos adipes ærugine miſce, Hi poterunt ruptas oculorum iungere partes.* Sterilitatem ob partus vexationem fieri certum eſt. Hanc emendari Olympias Thebana affirmat felle taurino, & adipe ſerpentium, & ærugine, addito melle, medicątis locis ante coitus, Plinius. Quum mulier genituram ſuſcipere nō poterit, neceſſe eſt membranam ſuperexcreuiſſe in oſculo vterorum: oportet igitur æruginem æris, & fel tauri, & ſerpentis adipē ſimul miſcere, & cum lana, &c. ſubditium facere, Hippocrates in lib. de ſterilibus. Serpentis adeps ex Thermis ſulphuratis Cameriaco vicinis huc ad nos mittitur, & magno venit, duodecim aſsibus noſtris ad vncias ſingulas, & interdum carius. Emplaſtro Vigonis Chirurgi ad tophos, & morbi Gallici ręcos cruciatus immiſcent: vtuntur & ad elephanticorum tubercula minuenda, cutemq́ læuigandam & attenuandam, Ex epiſtola cuiuſdam ad Geſnerum. Anguis nigri adeps additur vnctionibus morbi Gallici apud Mattheol. Pinguedinem ſerpentis aliqui addunt locis vbi pili renaſci debent.

Suffitu. ¶ Anguis inueterati ſuffitus menſtrua adiuuant, Plinius.

Oleo. ¶ Oleum de ſerpentibus conferens ad impetiginem & mollificationem ſtomachi. Sumantur olei Siſamini kiſt. iij. & ponantur in vaſe figuli, & ponantur in eo de ſerpentibus nigris (fortè carbonarijs, de quibus agemus in Myagro) à v. vſq́ ad x. & ſtringatur caput vaſis, vt decoquantur lento igne, donec in decoctione diſſoluantur, & auferantur ab igne, & dimittantur, donec infrigidentur, & aperiatur caput eius, & caueatur à vapore eius: quare dimittatur donec infrigidetur, & reſpiret, & auferatur

feratur

feratur ab eo vapor, & ponatur in vase, & administretur in epithemate quum ipsum est necessarium cum penna inunctum, Auicenna li. 5. tract. 10. Oleum ex serpentibus decoctis cum floribus herbæ paralysis fit, colligendo quod supernatat: podagricus feliciter eo inunctus fuit, Michael Alysius.

Præparatio serpentis. Recipe serpentem montanum, nigrum dorsum habentem, & album ventrem, & abscinde caudam vsq; ad locum vbi solet stercorare, deme caput in latitudine quatuor digitorum, residuum accipe & exprime sanguinem in aliquo vase, & conserua in vitro diligenter, postea excoria ad modum anguillæ, incipiendo à parte superiori & grossiori, & pellem pone super lignum & sicca, postea scinde per medium & conserua diligenter omnia prædicta. Carnes autem laua & pone in olla, & decoque in duabus partibus vini, & postea quam bene coctum fuerit, condias brodium cum bonis speciebus & sic comedatur. Si vis assare, assa, non tamen amburendo, sed assa vt possit puluerizari, & puluis manducetur in cibo propter horrorem serpentis: talis enim comestus, ab omni lepra futura præseruat, & præsentem pellit, iuuentutem & bonum colorem super omnes medicinas conseruat, & ab omni canitie custodit, oculos clarificat, à morbo caduco futuro præseruat. Caput purgat ab omni infirmitate graui, morbos & scabies & infirmitates similes supradicto modo comestus expellit, & omni homini in quocunque statu sit expedit, vt serpentem, quocunque tempore habere possit, comedat. Veruntamen solum serpens supradictus videlicet, alios nequaquam tangas, etiam comestus à surditate liberat. Item capita & caudas serpentum minutim incidas, & cum mica panis, vel auena, pullos vel anseres pascas, hi comesti cooperiunt lepram, & turpitudinem è corpore humano tollunt. Pellem autem exiccatam à parte interiori pone supra dentem, & dolorem mitigat, maximè ex causa calida. Item pellis eadem cum sputo lauata ex parte caudæ & supra apostema posita, & noli me tangere, citò frangit dolorem, mitigat, lenius putrescere facit & quasi nullam cicatricem dimittit: & mulieri in partu laboranti ligata super ventrem eam statim parere facit. Item pellis comesta & cocta idem facit quod serpens. Sanguis autem eius plus valet balsamo, & labia linita ex eo facit rubicunda: facies ex eo linita nullam maculam recipit, pulchram & rubicundam facit. Omnem scabiem corporis tollit, & fœtorem in dentibus & gingiuis, si eo inunxeris. Aruina serpentis omnem rubedinem, maculam, & infirmitates oculorum citò sanat, inuncta super palpebris oculos supra modum clarificat. Item pone eos in ollam vitreatã & imple eam butyro Maij, & tunc cooperi cum pasta (id est farina subacta) ita quod nõ euaporet per mediũ foramen missum à parte anteriori, & tunc ollam pone ad ignem, decoquito quasi per dimidium diem, postea butyrum cola per pannum, & quod remanet contunde in mortario, & iterum cola, & commisce similiter, post dimitte in frigidam, & tunc reserua in pixidibus argenteis vel aureis, quod non exhalet, & quanto magis antiquatur, tanto melius & ad 40. annos etiam melius efficitur. De isto vnguento infirmus patiens guttam (id est podagram) vel paralysim, in quocunq; loco vngat ad ignem frequenter, euadet absque dubio, & maximè de gutta. Hæc omnia desumpta sunt ex scripto cuiusdam innominati.

Quomodo præparandi serpentes ad medicinam.

Ceruus serpentium cibo intestinorum teredines pellit, Hippocr. Serpentium esu cerui lumbricos ab intestinis suis expellunt, Absyrtus. Hierocles medicamento cuidam ad stranguriam equi permiscet stercus lacertæ, στέαρ ἑρπετοῦ, id est, adipem serpentis (vt interpretor) sanguinem columbæ, &c. Equo pulsiuo dantur carnes & decoctio serpentum, Laur. Rusius. Serpentis adeps, &c. sanat pulmunculum vlcus malignum in dorso equi ex compressione, Idem. Serpentis vnguentum, id est, ex pinguedine eius collectum dum frusta serpentis in veru assantur, valde commendatur ad fistulas in equorum vngulis, Idem. Ad scabiem equorum: Anguem discindito, eiusq; adipem capiens ligno equi vngularum oras inungito, Galenus, & Rusius. Mutationem pennarũ in accipitre accelerant in cibo datæ, sanguisugæ, mures viui, lacerta viridis combusta carni alicui aspersa, pisciculi minuti fluuiatiles triti. Item serpens varius, qui inter alios minus habet veneni, & Germanicè huf vocatur (fortè anguis) hunc cum tritico coque, ex quo tritico & viru serpentis gallinam ciba & pota: & illius gallinæ carnibus refectus accipiter & pennas deponit, & morbum si quem habet expellet, Albertus.

Remedia quæ conferunt alijs animantibus.

Remedia ex senecta anguium.

Anguium membrana siue senectus vernatione eorum exuta, si affricetur oculis, claritatem facit, Plinius. Ad sugillata in oculis tollenda anguium senectam cum aqua marina tritam illine, Galenus. Senecta anguis si oculi confricentur singulo mane, negant omnino corripi hebetudine visus aut suffusione, Cardanus. Anguis senectã admiscent in oculares compositiones, Dioscor. ¶ Anguis senecta cocta in vino, auxilium est in aurium dolore si infundatur, Idem. Ad aurium dolores anguis senectam cum calicibus papaueris coquito & infundito, Archigenes apud Galen. κατ. τόπ. lib. 3. Senectus serpentium feruente testa vsta instillatur auribus, rosaceo admixto contra omnia quidem vitia efficax, sed contra graueolentiam præcipuè, aut si purulentæ sunt ex aceto, melius cum felle caprino, vel bubulo aut testudinis marinæ. Vetustior anno eadem membrana non prodest, nec imbre perfusa, vt aliqui putant, Plin. Ad grauitatem aurium cum senecta serpentium & aceto quidam includunt lanas, ante aqua calida collutas, Idem. Fel

testudinum cum vernatione anguium aceto admixto, vnicè purulentis auribus prodest: Quidam bubulum fel admiscent, decoctarumque carnium testudinis succum, addita æquè vernatione anguium: sed diu in vino testudinem excoquunt, Idem. ¶ Ad aurium omnia vitia, coque corium serpentis in oleo & impone, Theoph. Cum felle vitulino & aceto pari mensura serpentis senectus, id est exuuiæ decoctæ, & lanula madefacta medicamentum auriculæ insertum, maximè vtilitatis esse creditur, si prius feruenti aqua de spongia aurem foueris, Marcellus. Ad auditus grauitatem, senectam anguium aceto tritam instillato, Apollon. κ.τόπ. ¶ Serpentium senectam in aceto feruefactam aliqui dentium dolores curare scripserunt, Galenus. Senectus anguium in vino decocta, in dentium dolore auxilio est, si colluatur, Dioscor. Cæterùm in maximis dentium doloribus summè facit hoc: Anguis senectam exurito & cum oleo ad mellis solidi spissitudinem redigito, ac dentem præpurgatum ex eo integito, omniaque circumsita oblinito, itemque cauernis indito. Aut senectam anguis non vstam dentibus apprimito & excident, Archigenes. Anguinæ vernationis membrana cum oleo tedæque resina calefacta, & auri alterutri infusa, dolori dentium medetur, adijciunt aliqui thus & rosaceum, eadem cauis indita, vt sine molestia cadant præstat. Plinius. Anguis membranam vel inueteratam cum cera celerrime dentes euellere tradunt, Idem. ¶ Phthiriasen à toto corpore pota membrana senectutis anguium triduo inhibet, Idem. ¶ Ad colicam: spolium serpentis in vase æneo frigens cum oleo, quousque comburatur vel in carbonem vertatur, dissolue ipsum in illo oleo, & vnge ex eo cum tuo digito, Galenus eup. 2. Senectus anguium dysentericis & tenasmis in stanneo vase decoquitur cum rosaceo. Vel si in alio, cum stanno illinitur, Plinius. Senectus anguis cum oleo rosaceo decocta in vase stanneo, atque illita ventri, si tamen illic non sit exulceratio, tenesmo remedio est, Marcellus. Serpentis exuuiæ cum rosaceo decoquuntur in vase stanneo, & postea tritæ ventri cœliaci vtiliter illinuntur, Idem. Anguis senectam vulsis commendat idem Marcellus, si licio ijs alligetur. Serpentium senectus in pelle taurina adalligata spasmos fieri prohibet, Plinius. ¶ Ad internas & externas eminentias expertum, vt sua sponte decidant. Serpentis senectam scissam vt formam magni numismatis habeat, conijce in caricas, vt æger clàm ieiunus comedat, & post tres horas miraberis huius facultatem, Myrepsus. Sedis vitijs efficacissima est senecta serpentis ex aceto si rhagades sint, Plinius. ¶ Canis rabidi morsui prodest imposita membrana siue senectus anguium vernatione exuta, cum cancro masculo trita, Idem. ¶ Anguium senectus adalligata lumbis, faciliores partus facit protinus à puerperio remouenda, Idem. Fiat suffitus ex spolio serpentis, opopan. myrra, galbano, castoreo, sulfure citrino, rubea, stercore columbino vel accipitris. Si hæc omnia vel quædam eorum terantur, & cum felle vaccino conficiantur, & fumus inde per embotũ in vuluam recipiatur, fœtum viuum siue mortuum educit, Arnoldus in breuiario. Contra abortum: Puluis spolij serpentis, dosi drachmæ sumptus valet. Author additionis ad breuiarium Arnoldi. ¶ Verrucas sanat membrana senectutis anguium, Plinius. Senectam serpentis combure, & vnge: facit enim nasci pilos, Galen. eup. 2. Cicatrices ad colorem reducit vernatio anguium ex vino decocta, Plinius. Sed vt minus verum ita magis mirum crematam senectam, dum luna plena luminibus in prima Arietis parte fuerit, cineremque collectum si inspergatur capiti, somnia terribilia mouere. Si ex eo cum aqua diluto facies lauetur terribilem videri: si sub lingua teneatur sapientem & eloquentem: si sub planta pedis, gratiosum coram principibus ac magistratu, Cardanus lib. de subtil. Spolium serpentis pulueriza cum igne, cùm luna fuerit in augmento in primo gradu arietis, & talis puluis si ponatur super mensam in scutella lignea vel metallina, si inest venenum, dispergetur, puluis manebit, & si leprosus vtitur eo in cibarijs non augmentabitur lepra. Idem puluis in vulnus proiectus infra tertium curat, Incertus. ¶ Anguina pelle, & sale, & farre cum serpillo contritis vno die, deiectisque cum vino in fauces boum vua maturescente, toto anno eos valere quidam scripserunt, Plinius. Ad boum salubritatem nonnulli pellem serpentis obtritam cum vino miscent, Columella. Si pomus florem non continet vrinam veterem cum pari mensura aquæ temperabis, & ter per annum in radicibus infundes, vni arbori amphora ingesta sufficiet: vel corio anguis inuolues, Palladius. Vidi, inquit Galenus, capras lingentes tamarisci frondes & inueni eas sine splene: quasdam verò vidi lingentes serpentes pelle deposita, & post albescentes minus senescere. Serapion in lib. de simplici medicina.

CAPITIS SEPTIMI DE SERPENTE PARS II.

I. *De ratione effugandorum serpentum.* II. *De serpentum veneno & morsu.* III. *Methodus curandi eos qui ab ijs vel venenati vel morsi fuerint.*

De suffitibus serpentes expellentibus.

Ad hoc caput multa reuocanda sunt eorum, quæ de anthipathia supra dicta sunt. Galbanum, cerui cornu, caprinas vngulas & lilij radicem ad abigendas serpentes suffito, Galenus eup. 3. Serpentes propè omni austeritate fugantur, & nocentes spiritus innocentia fumi graueolentis exagitat. Vramus galbanum, vel cerui cornua, radices lilij, capræ vnguias. Hoc genere monstra

re monstra noxa prohibentur, Palladius. Propter serpentes qui plerunque sub præsepibus latent, cedrum vel galbanum vel mulieris capillos, aut ceruina cornua frequenter vramus, Idem. Ad effugandum venenosa animalia vniuersaliter: fiant suffumigationes sicut fumus ligni granati, quoniam ipse effugat venenosa. Et similiter radix lilij. Et virgæ granati sunt mirabiles in hoc. Et similiter galbanum. Et cornua & vngulæ, quæ finduntur, vt bouis. Et vngulæ quæ non finduntur, vt equi, & pili. Et serapinum, & assa, & folia lauri & grana eius. Et calamenthum, & secha. Et stramentum cum eis: & similiter nasturtium, & similiter cinis ligni pini, & propriè cum galbano, si fiat suffumigium ex opio, & nigella, & galbano, & cornu ceruino, & sulfure & cornibus capræ, Auicenna. De illis, quæ fugant serpentes ex suffumigationibus sunt cornua cerui, & radix lilij, & pyrethrum & sulfur, Idem. Suffitiones præseruantes, quæ incensæ vapore suo venenatas bestias abigunt. Viticis folia, bitumen, castorium, melanthium, cornu ceruinum aut caprinum, nasturtium, cardamomum, galbanum, propolis, peucedanum, panax, opopanax, conyza, cupressi aut cedri ramenta oleo imbuta, gagates lapis, sagapenum, polium, canchryos radix, filix, baccæ lauri, & similia graueolentia. Quum enim venenata animalia omnia angustos habeant meatus, quàm celerrimè replentur, & ab huiusmodi odoribus obturantur & suffocantur. Archigenes autem vngulæ caprarum & pili, inquit, suffitu fugant bestias venenosas. Procul enim per ipsorum odorem relegantur. Stratonis suffumigium: Galbani, radicis canchryos, cornu cerui, melanthij, cuiusque vnciam vnam. Omnia terito, & in pastillos cum aceto redigito, atque vbi vti velis, oleo madefacito, ac incensa per mediam domum suffito, aut in ipsum ferarum latibulum per infundibulum vaporem immittito. Aliud suffimentum, Scorpios deturbans & omne reptile ex ædibus exigens: Galbani, sandarachæ, butyri, adipis caprini, æquales omnium partes in pilulas redigito, & vt dictum est, suffito. Probè facit & pyrethrũ cum sulfure suffitum. Mirificè item Betonices suffimentum facit. Hactenus Aetius lib. 13. Suffitus rectè excitantur ex cornu ceruino, caprarum vngulis pilisue, lapide gagate, bitumine, bdellio, galbano, cupressi aut cedri rasura, melanthio, peucedano, viticis folijs, nepita, sagapeno, castorio, cachryos radice, cunila, aut ex reliquis grauiter olentibus aliquo, Ægineta.

Ceruinique graui cornu nidore fugabis:
Et sic cùm accendens gagatæ quandoque lapillum,
Quem consumentis non exedit impetus ignis:
Multifidam filicem crepitantibus inijce flammis,
Aut imas viridis libanotidos accipe fibras,
Tantundemque acris nasturci: his iunge duobus
Aequali capreæ iam iactum pondere cornu,
Aut exiccantem nares cerebrumque nigellam,
Interdum sulphur, fœdum quandoque bitumen,
Vt sumpta æquali pendantur singula parte.
Præterea graueolens candentibus indita prunis
Galbana, & ignitum faciens vrtica dolorem,
Dentatisque cedrum maxillis sectile lignum,
Omnibus inuisum serpentibus efflat odorem. Nicander in Theriacis.

Serpentes abiges qui adsunt, ex lilij radice, aut cornu ceruino, aut denique caprillis vnguibus suffimentum molitus. In summa verò vniuersas serpentes bestias explodes, si cyrenaicum succum, melanthium, galbanum, cornu ceruinum, hyssopum, sulfur, peucedanum, pyrethrum, caprarumque vngues conterens atque permiscens, ea omnia optimè leuigaueris, infundens illis acetum acerrimum, ac denique sphaerulas conficiens exiguas, eas in fumum redegeris. Reptilia siquidem exterminantur, vel sigillatim eorum singulis fumigantibus, Constant. ex Florentino in Geoponicis. Florentinus confirmat illic nunquam accessurum serpentem vbi adeps ceruina, aut radix centauri, aut gagates lapis, aut dictamnus herba, & aquilę aut milui fimus, mixta cum styrace in suffimentum fuerint adhibita: Ea quippe reptilia abigere, Idem. Cauendum ne pulli gallinarum à serpentibus afflentur, quorum odor tam pestilens est, vt interimat vniuersos: id vitatur sæpius incenso cornu ceruino, vel galbano, vel muliebri capillo: quorum omnium ferè nidoribus prædicta pestis submouetur, Columella.

Vis & mirificos cautus perdiscere odores,
Accensis quibus arcetur teterrima serpens,
Aut styracem vras, aut atri uulturis alam,
Vel neperam aut frondem rigidæ stirpemque myricæ. Qu. Serenus.

¶ Capilli mulieris si vrantur, odore serpentes fugantur, Plinius. Vt exitiosis serpentibus tecta liberentur, muliebres capillos aut ceruina sæpius vre cornua, quorum odor maximè non patitur stabulis prędictam pestem consistere, Columella. ¶ Venenata omnia accenso asini pulmone fugere tradunt, Plinius. ¶ Caprarum cornu vel pilis accensis fugari serpentes dicunt, Idem. Alij capræ occisæ carnem recentem hædorum pilo suffiunt, eodemque nidore fugant serpentes, Idem. ¶ Cornus ceruini odore fugantur, Plinius, Aelianus, Palladius, Rasis. Singulare

abigendis serpentibus odor adusto ceruino cornu, Plinius. Si quis cerui cornua in pulueres excidat, posteaq́ excisos in ignem pulueres conijciat, fumus inde nascens vndiq́ serpentes ne illius quidem nidorem sustinentes, fugat, Gyllius ex Aeliano. Cerui cornu suffiti nidore serpentes fugantur, Dioscor. Circa caueas pullorum incendendum cornu ceruinum, ne qua serpens accedat, quarum bestiarum ex odore solent interire, Varro. Ad effugandos serpentes: cornu ceruinum combure vbi fuerint serpentes, & fugabuntur, Sextus. Serpentes fugiunt odorem cornu cerui, si inde & vngue domus suffumigetur, Albertus. Cornu cerui facto incensu plurima insectorum pars fugiunt, Aristoteles. Medullam ceruinam incensam tecum habe, cum eadem suffumiga locum in quo es, & effugat serpentes, Sextus. Sanguine ceruino si vnà vrantur dracontium & cunilago & anchusa lentisci ligno, contrahi serpentes dicunt. Dissipari deinde si sanguine detracto adijciatur pyrethrum, Plinius. ¶ Creditur Chameleontis felle ignibus instillato serpentes fugari, Idem. ¶ Stercus crocodili (scilicet terrestris) aiunt per infundibulum suffitum, feras venenosas ex latibulis suis exigere, Aetius. Hyænæ adipe accenso serpentes fugari dicunt magi, Idem. Tauri cornu combures eo loco vbi serpentes fuerint, & statim fugient, Sextus. ¶ Ex volucribus in auxilio contra serpentes primum vultur est. Annotatum quoque minus virium esse nigris. Pennarum ex his nidore, si vrantur, fugari eas dicunt, Plinius. Vulturis pennas si comburas fugabis serpentes, Sextus. ¶ Fluuius est, nomine Pontus, in Medica & Pæonica regione, vt Aristoteles prodidit, in quo lapis inuenitur, cuius suffitu serpentes pelluntur, ac si quis aqua perfuderit, incendio conflagrat: sin ardentem flabello incendere velis, restinguitur, atque eius suffimentum odorem sulfure tetriorem emittit, in quod quidem ipsum etiam Nicander consentit, Aelianus.

Vel tu Threicium flamma succende lapillum,
Qui licet irriguis mersus tamen ardet in vndis,
Expressaq́, statim restinguitur vnctus oliua,
Hanc quem fluctisoni mittunt de littore Ponti,
Qui, rude vulgus, ibi vescentes carne magistri
Pascendi pecoris sua post armenta sequuntur. Nicander.

¶ Abrotonum serpentes substratu & nidore fugat, Dioscorid. Aron cum crematur, serpentes nidore fugat, Plinius. Summa Balsami probatio est vt lac coagulet. Syncerum si vratur fugat nidore serpentes, Plinius. Bitumen serpentes nidore fugat accensum, Idem. Σὺ δὲ ὄζεις καλαμίνθης ὄφεως ἐλαστικοῦ, Aristoph. Nidore enim serpentes fugat calamintha. Cedri scobe serpentes fugari certum est, Plinius.

Disce & odoratum stabulis accendere cedrum,
Galbaneoq́, agitare graues nidore chelydros. Virg. Georg. 3.

Ebuli quoque fumo fugantur serpentes, Plinius. Gagates fugat serpentes, Idem. Gith ex Græcis, alij melanthium, alij melaspermon vocant: incenso serpentes fugari reperio, Idem. Iuniperus vel maior vel minor accensa serpentes fugat, Idem. Lysimachiæ herbæ odorem fugiunt serpentes, Textor. Nasturtij semen vstum serpentes fugare tradit, Sextius, Plin. Nepeta quoq́ vires contra serpentes habet: Fumum ex ea nidoremq́ fugiunt, Idem. Serpentes abiges ex Peucedano suffimentum molitus, Democritus & Florentinus. Sabæi styracem vrunt ad serpentes fugandas, in odoriferis syluis frequentissimas, Plinius. Serpentes, si vratur ruta, nidorem fugiunt, Idem.

De substratis serpentes effugantibus.

Cautela mirabilis à venenosis animalibus: quando sternitur in circuitu dormitorij sisimbrium, & sceha iterum, & assa iterum, & laurus, est mirabilis in hoc, Auicenna. Iuxta vias & in domibus ab omni venenato animali præseruant substrata: abrotonum, conyza, dictamnum, vitex, echion, calaminthe, solanum, hastula regia, saluia, peucedanum, hypericum, polium, sampsucus, gentiana, origanus, ruta syluestris, serpillum, laurus, pulegium, cupressi aut cedri coma, aut ramenta, cardamomum, lysimachion, melanthium, bitumen: his addatur & gagates lapis, Aetius. Torum substernere ex hastula regia, nepita, vitice, pulegio, polio, cunila, bubula abrotono, expedit. At si toto huiusmodi toro vti non datur, stratis saltem imponenda sunt, Paul. Ægin.

Tunc iuxta virides sinuosi vorticis alueos,
Amnicolam nepetam per obesas collige ripas.
Aut tibi casta salix, pulchro quæ flore renidet,
Præbeat instrata securum fronde grabatum.
Sic quoq́, montanum polium, cuius graue spirans
Horret odor, nomenq́, suum quæ debet echidnæ
Herba, & ab Euxina quæ fertur origanus vrbs,
Quæcunq́, illarum decerpitur obuia, prodest.
Quin etiam multo per aprica cacumina flore
Ridens abrotonus, pecoriq́, ingrata petitum
Pabula serpillum, molli quod pascitur horto.
Præstat item exiguam circumlustrare conyzam,

Viticeasq́

Viticeasq́ comas, & spinosas anagyros:
Sic & punicea sectis ex arbore ramis,
Regalisq́ amplis licet hastæ frondibus vti.
Accipe item innocuo medicantem frigore strumum,
Atque inuisa pigris Scyra prima æstate bubulcis.
Hac ratione etiam densi coma pinastelli, &c. Nicander in Theriacis.

¶ Pelles eiusdem animalis (id est cerui) substratæ securos præstant à serpentũ metu somnos, Plin. In ceruina pelle si iacuerit, nullus ad hominem serpens accedet, Sextus, Serenus. Dicunt quidem ei qui facit sibi stratum ex corio leopardorum non approximat serpens, & similiter, si ex eis facit sibi coopertorium. hoc autem manauit, in cuius sermone non est fiducia, Auicenna. ¶ Feras & serpentes fugat absynthium substratum, Dioscorides. Si absynthium aut artemisiam, aut abrotonum, circa ipsam habitationem plantaueris, eam quidem haud inuadent serpentes, Constan. in Geopo. Abrotonum serpentes & substratu & nidorẽ fugat, Dioscorid. Heraclij communis vsus serpentes fugare, Plin. Hibisci folia serpentes abigunt, Idem. Nepetam substernere in metu obdormituris vtile est, Idem. Permultam serpentium fugam Nepeta & Agnos faciunt, & longe lateq́ expellunt. In Atheniensium Thesmophorijs Atticæ mulieres Agni folijs cubilia substernunt, quòd serpẽtibus sit infesta, & quòd existimetur ab appetitione veneris prohibere, vnde nomen traxisse videtur. Herba etiam Libanotis nuncupata serpentibus formidabilis est, Aelianus. Origani generum communis vsus serpentes fugare, Plin. Polium contra serpentes substernitur vel portatur, Idem. Punicæ ramulum ferunt bestias venenatas & serpentes arcere, & proptereà in stramentis & stragulis, &c. deponendum esse censent, Africanus in Geo. Serpentes fugant rutæ viridis folia, Dioscorid. Serpentes silerem fugiunt, baculumq́ rustici ex eo gerunt, Plin. Venenata fugantia, vitex, dictamnus, Dioscor. ¶ Aspersio loci ex aqua in qua solutum est sal ammoniacum, est ex eis à quo fugiunt serpentes, Auicenna.

Ceruina medulla, præter cæteras, serpentes inuncta fugat, Dioscor. Serpentes fugiunt ceruino elephantinoq́ adipe perunctos, Idem. Medulla cerui perunctos seuoq́ cerui aut hinuli fugiunt serpentes, Plin. Adeps elephantis, cum ex eo fit linimentum, fugat venenosa, Auicenna. Elephanti adeps contra venenata valet. Nam si quis eo inungatur, eiusue suffimento expietur, hæc ab illo aufugiunt longissimè, Aelianus. Erucis quæ in oleribus gignuntur, cum oleo peruncti, à venenatis bestijs feriri negantur, Dioscorid. Nicander, Serenus. Leonis adeps calidior est adipibus omnium animalium, & perunctus eo fugat omne animal, etiam serpentes, Albertus. Adipe leonis perunctos bestiæ fugiunt, Plin. Leonis sanguine si quis corpus linierit ab omnibus bestijs erit tutus, Sextus. Aiunt à serpentibus non feriri leporis coagulo perunctos, Plin. ¶ Nicander inter inunctiones præseruantes à morsibus serpentum numerat primo loco fructum seu baccas cedri, tritas & inunctas. Item conyzam cum peucedano & saluia & oleo admixto. Cunilaginis tribus folijs ex oleo peruncto homine, fugari serpentes aiunt, Plin. Tarentinus ei qui perfusus fuerit succo dracontiæ herbæ, ait non accessurum serpentem: neq́ eis etiam, qui raphani semine aut succo sese inungentes fricuerint, Constan. in Geop. Sunt qui perungant corpus è semine iuniperi in serpentium metu, Plinius. Laserem tritam cum conyza & peucedano & saluia coniungit, Nicander in Theriacis. Malua agrestis eandem vim habet, Idem. Succo baccarum lauri perunctos fugiunt venenata omnia, Plinius. Succum radiculæ seu raphani, perunctis eo manibus diligenter, facere vt tutus tractare posit serpentes, traditũ est: vel enim timent mordere, odorem acredinis sentientes, vel ipso etiam exanimantur, Cardanus. Contra serpentes ex oleo perungi saluia prodest, Plin. Vitis nigræ succus ex radice elicitus & illitus serpentes fugat, Plinius. Labula (anabula) id est genus tithymalli maioris, cuius lac expellit serpentes, Synon. ¶ Nicander in theriacis postquam simplicia quæ ad feras venenosas abigendas faciunt enumerauit, medicamenta quædam quæ illita ad homines à morsu serpentum præseruandos faciunt componit. Et primùm pastillos ad hunc modum format. Accipe duos ramulos abrotoni, nasturtij pondus vnius oboli, seminis dauci, quantum manu comprehendi potest: omnibus in mortario cum oleo vel cerui medulla contusis, pastillos finge, quos cum vsus necessitas incidit, rursus tere & inunge. Ad eundem effectum præstantissimum vnguentum, deinde eodem in loco describit. Duos serpentes accipe (viperas intellige) cum libidini indulgent, hoc est, sub finem Veris: præterea medullæ cerui drachmas triginta, vnguenti rosati vncias triginta sex, olei oliuarum crudi tantundem mixti cum ceræ nouem vncijs. Serpentes autem bulliant eò vsq́ dum caro ossibus separetur, quæ auferre oportet, quia venenosa sunt. Hactenus ex Nicandro. Qui tutiores esse volunt, ijs conuenit etiam ceratum corpori oblinere liquidius, ex cera, rosaceo, galbano modico, scobe ceruini cornu exigua, vel etiam æthiopico cumino, &c. Aetius.

De illitis serpentes effugantibus.

Cerui dentem gestans à serpentibus tutus erit, Serenus. Fugiunt & omnino dentem cerui habentes, Plinius. Cerui coagulum si omnino tractatum sit, eo die non ferit serpens, Idem. Mirè valere tradunt contra omnia venena & animalia venenata, ossicula quæ in ceruorum corde inueniuntur, Alex. Bened. Habentes dauci syluestris radicem, feriri à serpentibus negantur: aut qui ante gustauerit non lædi, Plinius. Dracunculum habentem serpentes fugiunt, Idem.

De gestatis serpentes effugantibus.

Onochilon (quam alij anchuſan vocant, alij onochelin) habentes à ſerpentibus feriri negantur, Idem. Tarentinus, ei qui perfuſus fuerit ſucco dracontiæ herbæ, ait non acceſſurum ſerpentem: neq; eis etiam qui raphani ſemine aut ſucco ſeſe inungentes fricuerint, imò ne illis quidem qui ea tantum ſecũ detulerint, Conſtant. in Geop. Gagates præter qualitates alias manifeſtas, hanc etiam peculiariter habet, vt (ſiquidem Oribaſio credimus) is qui ſecum fert, nec ſerpentes nec venena vereri debeat, Greuinus. Staphilini aut vt alij vocant paſtinacæ erraticę radicem geſtantes feriri à ſerpentibus negantur, aut qui ante guſtauerint non lædi, Plinius. Vulturis cor habentes, aiunt tutos eſſe ab impetu non ſolum ſerpentium, ſed etiam ferarũ, latronumq; & regũ ira, Plin. Si iecur exectũ tardo de vulture portes, Serenus agens de rebus ſerpentes fugantibus.

De ijs quibus ſerpentum cauernæ obturari debeant.

In venenatis animalibus quę intra domos reperiuntur, feruentem aquam in eorum luſtra ac latebras infundere expedit, & acidam muriam feruentem per inſtrumentum fuſorium, ſiphona Græci vocant, immittere, Aetius. Si aliquis neceſsitate quapiam coactus loco feris frequenti obdormiat, vbi potiſsimum ſalamandræ, aut phalangia aut ſerpentes aliqui abundent, horum ſubterraneas latebras allio in aqua detrito, aut aliqua ex herbis quas ſubſternendas diximus, obturare conuenit, Paul. Aegineta. Interens etiam aqua herbam tribolum, eamq; cauernis imponens, perſequeris ſerpentes, Conſtant. in Geop. Noſtri latibulis ſerpentium ſolent calcẽ viuam aquæ iniectam infundere.

De morſu & veneno ſerpentum.

Quando et quorum ſerpentum morſus ſunt periculoſiores.

Anguium ictus per loca plurimum differunt, Ariſtoteles. Serpentium morſus pro locorum varietate plurimum differunt, Idem. ¶ Omnium venenatorum morſus grauiores ſunt, ſi alterum ederit alterum, Idem. In eo genere omnia magis exitialia, ſi ſuum genus edêre antequam noceant, Plinius. ¶ Illud ignorari non oportet omnis ſerpentis ictum & ieiuni & ieiuno magis nocere. Ideoq; perniciofiſsimi ſunt cum incubant. Vtiliſsimumq; eſt vbi ex anguibus metus eſt, non ante progredi, quàm quis aliquid cibi aſſumpſerit, Celſus. Quilibet ſerpens periculoſus eſt obuijs cùm recens ſenectutem exuit, vel cum perſequentem ceruum fugit, Nicander & Aelianus.

Non mihi tum molles ſub dio carpere ſomnos
Nec dorſo nemoris libeat iacuiſſe per herbas,
Cùm poſitis nouus exuuijs nitidusq́; iuuenta
Voluitur, &c. Vergil. Georg. 3.

Accidit ſerpentibus diuerſitas non in ſpecie, ſed ſecundum conuenientiam in ſpecie vna quando diuerſificantur in maſculinitate & fœminitate: & maſculi quidem pauciores habent dentes, & plus veneni, & acutius, licet quidam dicant, quòd fœminæ ſint deteriores propter multitudinem dentium ſuorum: & iterum propter ætatem, quoniam ſenes deteriores ſunt iuuenibus propter corpus (vel, vt alij legunt, iuuenes deteriores ſunt ſenibus: Et ex parte corporis) nam magni deteriores ſunt paruis, curtis, quum ſpecies eorum eſt vna. Aut propter locũ, nam illi qui habitant loca inaquoſa, & montes, deteriores ſunt eis, qui habitant littora, & loca plurium aquarum. Aut propter diſpoſitionem ſuam in repletione, & vacuitate: nam illi qui de eis famelici ſunt, deterioris ſunt veneni. Aut propter paſsiones eorum animales: nam irati, & audaces deteriores ſunt eorum. Aut propter tempus: nam venenum eorum in æſtate eſt deterius, Auicenna, quem ſecutus Mattheolus in ſuis commentarijs in lib. 6. Dioſcorid. ſic ſcribit, Animalium ferarumq; virus, non in omnibus eſt idem, ſed in hoc vehementiſsimũ & omnium pernicioſiſsimum, adeò vt vna tantum hora hominem conficiat, in alio verò minus vehemens minuſq; lethale, vno vel duobus diebus interimens, in alio deniq; his longe imbecillius. Verum plerunq; euenit vt ab aliquo horum demorſi plus vel minus ſuperuiuant, quod aduerſis cauſis prouenit, ſiquidem in quorundam genere longe pernicialiores ſunt fœminæ quam mares, iuuenes quàm ſenes (quamuis non deſint, qui contrarium putent) adultæ quàm adoleſcentes. Quin etiam feræ omnes, & inſecta in montibus, & aridis locis inter vepres & ſaxa degentes, citius hominem perdunt, ijs quæ paluſtres, vliginoſosq; tractus incolunt. Citius præterea necant, quæ orientalem & meridionalem inhabitant plagam, quàm quæ ſeptentrionalem. Adhæc famelicæ depaſtis nocentiores ſunt, & irritatæ venenoſiores ſunt, quam dimiſſæ: quamuis omnium in vniuerſum ictus pernicioſiores ſint æſtate quàm hyeme, Hactenus Mattheol. Certũ eſt plures & noxios eſſe ſerpentes in frigidiſsima plaga ſeptentrionis, terreſtres ſcilicet, qui acrius aquaticos perſequuntur: & hi in terris manent, ac diuerſis nutrimentis minutarũ herbarum, in quibus acriorem veneni vim cognoſcunt, auidius reficiuntur, maximè in locis montoſis productarum: hiq; deteriores ſunt in lædendo homines veneno ſuo, quàm littorales aut riparij. Serpentes autem ieiuni ſatiatis ſunt crudeliores, ita & irati & prouocati, Olaus Magnus.

De veneno.

Venenum aut eſt immodica ſiccitas aut cum immodica ſiccitate coniunctum. Itaq; non omnes ſerpentes venenoſi, Cardanus. Fel venenum eſt ſerpentium, Plinius. Animalia quæ morſu venenant virus venenoſum geſtant in veſica quadam ſubtus linguam, qua rupta emanat quidam liquor ſaliuoſus, qui vbi corporibus infigitur, ea venenat, Mercurialis. Venenum ſerpentum in paruis cauernulis ſub dentibus latitat, Greuinus. Certum relinquitur, ſerpentes euomere virus

re virus exitiale, multiplici colore distinctum: quod eò nocentius, quo grauius irritati per calorem illud eijciunt. Nec percutiunt, cum natura frigidi sunt, nisi quando calescunt. Nam quando frigidi sunt, nullum tangunt. Percussus itaq; serpentum veneno, primum obstupescit: deinde vbi ipsum virus calefactum exarserit, statim hominem (nisi remedijs efficacibus occurratur) extinguunt, Olaus magnus. ¶ Mortuus quidam fertur cum se balneasset in aqua calefacta cum lignis excisis ex cauernis serpentum, Ponzettus. Haud procul Dertona Patauicinum quendam qui esset in venatione, & Hispanica lancea serpentem interfecisset, eum eiusq; equum morte deletos, audiui à fortissimo equite Antonio Lazaro, &c. Scaliger. Auicenna lib. 4. fen. 6. narrat de serpente quodam, quod is à milite hasta infixus virulentam vim per hastam transmisit ad manum, quam primum infecit, & deinde totum corpus corrupit. Ad huiusce rei comprobationem (inquit Matthiolus in lib. 6. Dioscoridis) illud sane compertum, habeo quod in agro Tridentino euenisse scio: nempe cum rusticus quidam suis esset in vinetis, paruum quendam collem sæpius ascendebat, vt ibi vuarum custodiam ageret. Hinc quadam die ad collis pedem, magnum & horrendum vidit serpentem, cuius capiti supernè hastam satis longam infixit, at dum fixam feram se hinc inde fortiter contorquentem, & hastæ circumuolutam, pro viribus teneret, magno statim tremore correptus est, quo maximè deterritus vociferans, viatores & circumstantes colonos ad se ire rogabat. Quam vociferationem audientes qui non longe aberant rustici, eò cursu velociter contenderunt, & ipsum ferè semimortuum inuenerunt. Cognita tamen ex occiso serpente sui infortunij causa, ad theriacam & alia antidota confugerunt, quibus eum ad vitam reuocarunt. Verumtamen duobus annis posteà is vniuersi ferè corporis stupore in lecto semper decumbens ægrotauit, & eo præsertim brachio, quo perniciosum animal occiderat. Serpentem qui occiderat paulo post febricitans 11. die obijt, Amatus. ¶ Venenum serpentis vt quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipuè vtuntur non gustu, sed in puluere nocent. Ideoq; colubra ipsa tota estur, ictus eius occidit, & si stupente ea (quod per quædam medicamenta circulatores faciunt) in os digitum quis indidit, neque percussus est, nulla in ea saliua noxa est, Celsus. De qualitate & temperamento veneni serpentum, magna est quæstio inter medicos, nempe num frigidum sit an calidum. *De temperamento veneni.* Asserit enim Auicenna, quem etiam sequitur Matthiolus, eorum venenum esse calidum, dicitq; errare eos qui frigidum esse existimant. Et illud, inquit, quod accidit vt frigeat morsus ab eis, est propter mortificationem veneni: calor enim innatus est qui calefacit corpus sua sparsione & inflammatione. Quum autem non est calor innatus, etsi inflammetur cor igne leni, non oportet tamen vt calefiant propter ipsum extremitates. Frigiditas inquit Mattheolus toti corpori ex ictu vel morsu adueniens, non vtique euenit ex veneni frigiditate, sed quod innatus calor ab extremis & vltimis corporis partibus ad cor se conferat, quodq; etiam veneno superetur & extinguatur. Huic opinioni tamen refragantur cæteri medici, eamq; copiosè refutant Greuinus & Mercurialis in tractatibus suis de venenis, quos consulere poterit, qui horum rationes amplius cognoscere voluerit.

Porrò venenatos morsus, ictus, punctúsue ijs sequentibus notis deprehendes. *Venenatorum morsuum indicia.* Vulnus infixum valdè dolet, punctionis & mordicationis sensus vehemens, in afflicta parte persentitur. Vulneris atq; affecti loci color perit ac mutatur: aut enim rubet & inflammatur, aut liuet & nigricat. Laborans grauibus angitur molestijs ac totus ardet: corpus totum eius ipsius qui vel demorsus vel ictus est, ita nonnunquam obstupescit, ac tandem (vt sic dicam) obdormitionem sentit, vt tangentem non sentiat, Ioh. Tagautius lib. 2. Instit. Chirurg.

Methodus curandi morsos à serpentibus.

Vt inflicti à rabido cane, sic omnes à pestiferis animalibus morsus, nisi per initia protinus rectè curentur, eo deueniunt vt summè perniciosi sint. Quæ igitur recta curatio est? venenum extrahere, quòd vnà cum ictu corpori percusso inhæsit: ideoq; ad cicatricem perducere, claudereúe quæ huiusmodi sunt, non accelerant: sed contra agunt, eaq; insuper minutim admodum sæpe concidunt: iam ijsdem quoq; quæ calida acriaq; sunt, quibusq; attrahi venenum siccariq; possit medicamentis ob eandem causam vtuntur, Galenus in libro de sectis ad tyrones cap. 7. ¶ Venena si hausta sint, crebris vomitionibus: si morsu impressa, scarificatione, affixis cucurbitulis, exuctu, carnis circumscriptione, nonnunquam amputatione extremæ partis, euocantur. Retinentur verò infusione, & impositu medicamentorum acrium cohibentur: hæc simul vtique arcere virus & eluere possunt. Restinguuntur & euacuntur meraciore potu, aut passo nulla aqua diluto, vel contrariorum esu, quę acrimonia sint prędita. Postremò deiectio alui, euocatus sudor, & alia quędam in commune auxiliantur. Verum enimuerò non lethiferam modò materiam, sed & magnitudinem, & tempus pro scopo considerare oportet. Etenim ab ijs remedia quamplurimum discrimen capessunt. A magnitudine quidem, cum nonnulla ex venenis, & virosis animalibus pericula minantur, alia putredines altas, aut exteriores excitant: alia vehementissimos dolores, aut cęcos cient: alia vix medicamẽtis cedunt, & magis minúsue molestias excitant. Oportet aũt ea quę pericula ferunt, peruicacioribus auxilijs expugnari, & minus infesta, mitioribus. Quippe absurdũ fuerit in grauioribus, segnioribus medicamẽtis homines in

discrimen adducere: in minoribus vero vehementium auxiliorum iniuria corpus lacessere. Finitio à temporibus in promptu est: hoc enim subito in pericula, & præsentes molestias adducit: illud vero sensim, & dilatans in diem longam aut breuiorem producit. Itaque in acutis quidem confestim multa simul auxilia repræsentari oportet: reliquis paulatim, Dioscorides.

¶ Methodus quam tradere institui in doloribus vniuersis qui vel ex animalium, medicamentorúmue noxa excitantur, duplicem indicationem habet, nempe eius quod dolorem creat vacuationem, atq; alterationem. Vacuant id tum calfacientia omnia, tum quæ citra calefactionem vehementer trahunt: veluti & cucurbitulæ, & caua cornua quædam, quibus nonnulli cucurbitularum vice vtuntur. Sunt autem & qui ore suo virus extrahunt: ægræ videlicet particulę admoti, ipsamq; labijs complexi. Huc sanè pertinet & cauterium, & medicamenta quę cauterijs similiter escharam efficiunt. Atq; hæc omnia totam eius quod infestat, substantiam exinaniunt. Alterum auxiliorum genus est eorum, quę qualitatem per contraria alterant: scilicet exhibentibus nobis, si vehementem calorem ęger vel in ipso demorso loco, vel in toto corpore sentiat, auxilia refrigerantia: sin frigus sentiat, calefacientia, Galenus lib. 13. methodi medendi.

¶ In medicinis quæ administrantur super morsiones venenosas intendendum est primùm, vt prohibeant penetrationem veneni in corpore: & illud fit aut cum ligamentis, & constrictione extremitatis, & prohibitione somni: vt moueatur calor innatus ad exteriora, & expellat, & de hoc capitulo est incisio membri morsi, aut cum medicinis, & causis attractiuis. Et propter illud stiptica nociua sunt eis, quoniam nihil magis iuuat quàm medicamen quod trahit venenum ad exteriora, & prohibet ipsum penetrare ad interiora: & propriè quando venenum est ad exteriora adhuc, & non spargitur, & huius quidem generis sunt ventosæ: & fortasse indiget incisione, si iam submersum & elongatur, & si possibile est missio vel impositio sanguisugarum. Suctio etiam quandoq; sufficit: & oportet vt sugens sit non ieiunus, imò iam comederit, & abluat os suum & habeat dentes iam (Bellunensis legit, non,) corrosos, & colluat os cum vino odorifero, & bibat ex eo aliquid, & teneat in ore suo oleum ros. aut oleum viol. Et cum fuerit in ore suo nocumentum, tunc expellat subitò, & quoties sugit tunc oportet vt expuat. Auicenna lib. 4. Fen 6. tract. 3. cap. 1. Aduersus quidem omnem animalis ictum, quod venenum vibrat, oris suctio conuenit, sugentem verò oportet ieiunum non esse, sed & cibum sumpsisse, & vino os abluisse. Posteà exiguum olei in ore continens plagam exugat. Locus ipse spongia fouendus, deinde scarificandus, sed vlcuscula altius imprimere expedit, quo virosa materies profundo euocetur. Circinatio autem carnis, & sectio, scarificatione longè potentius opitulantur. Namque ab ijs duo peculiaria præsidia fiunt: vnum quòd virus è loco tollitur: alterum, quòd eius veneni pars, quæ ad interiora grassatur, cum multo copiosoq; sanguine excernitur. Quod si locus sectionem non admittat, cucurbitulę cum largiori flamma affigendæ sunt, Dioscorides. Si contingat ab animante quopiam venenum iaciente percuti, huiusmodi remedijs communiter vtemur. Siquidem leuior sit plaga aut morsus posca calida eum proluemus, deinde verò locum ipsum exugemus. Verum qui exucturus est, prius os oleo colluat, ne inde lędatur, atque ita ore ad morsum admoto exugat & expuat venenum. Cauere etiam oportet, ne exulceratā aliquam internam oris partem habeat exucturus. Post hæc verò cinis aceto subactus pro cataplasmate imponatur, maximè autem ad hanc rem conducit, ex ficulneis lignis exustus, aut laurinis, aut lignis vitis, qui si non adsint, eo qui haberi potest, vtendum est, diligentia adhoc potissimum adhibita, vt inflammatio in loco excitetur, & materiæ ad morsum prouocentur. Quod si minus nobile sit membrum, & vehementior morsus, cucurbitam cum plurima flamma ad morsum adhibe, & vicinos locos circumcirca impactis vulnusculis scarificato: attrahetur enim vnà cum sanguinis & flatus attractione ipsius bestiæ venenum. Deinde à tepidæ largę haustu vomere iube: & sic deinceps pharmaca exhibe. Vigilans enim æger adseruandus est, ac desidens per totum curationis tempus, donec euidentem remissionem acceperint molestiæ concomitantes, Aetius lib. 13. cap. 10. Quod si feriri aliquem aut morderi à venenato animali contigerit, homo adhibendus est qui vulnus exugat: non tamen eum ieiunum esse oportet, verum etiam vino os colluisse, & oleum in eo continere. Deinde particulæ commorsæ, si admittit, cucurbitulam cum multa flamma adhibere oportet, sic vt vicinæ etiam partes scarificentur. Nam virus vnà cum sanguine & spiritu rursus ita extrahitur. Item exulcerata adurere ac crusta obducere, adeóque præcidere conueniet, si fera quæ momordit, letalis fuerit, qualis aspis, cerastes, vipera, similesq; aliæ sunt. At si venenum per corpus fuerit dispersum, sanguis statim dimittendus est, præcipuè si is qui percussus est, plethoricus existat, Ægineta. Serpentium quoque morsus non nimium distantem curationem (à curatione morsus canis rabiosi) desiderant, quamuis in ea multum antiqui variarunt, vt in singula genera anguium, singula medendi genera præciperent: atque alijs alia. Sed in omnibus eadem maximè, proficiunt. Igitur in primis super vulnus id membrum deligandum est: non tamen nimium vehementer, ne torpeat. Dein venenum extrahendum est: id cucurbitula optimè facit. Neque alienum est, antè scalpello circa vulnus incidere, quò plus vitiati iam sanguinis extrahatur. Si cucurbitula non est, quod tamen vix incidere potest, tum quodlibet simile vas, quod idem possit. Si ne id quidem est, homo adhibendus est, qui vulnus exugat.

exugat. Illud ne intereat, ante debebit attendere: ne quod in gingiuis, palatóue, aut alia parte oris vlcus habeat. Poſthæc is homo loco calido collocandus eſt: ſic vt id quod percuſſum erit in inferiorem partem inclinetur, Celſus. Membro quod animal momorderit venenoſum, adeò deligato, vt venenum ad partes principes penetrare nequeat, & cucurbitulis appoſitis ſuperponito calamintham, datoq; patienti de radice arthemiſiæ, vel theriaca, & quæ cordi vim afferant: Eiuſmodi ſunt bugloſſus, borragóue, meliſſus aut ipſarum flores, Fumanellus.

¶ Diſſecti gallinarum pulli, cum maximè tepent, percuſſo loco applicentur: nec deſunt qui hiſce tanquam diſcordia quadam naturali pugnantibus vtantur. Verùm huius rationem inire facilimum fuerit. Gallinæ enim calida natura præditæ ſunt, argumento, quod deuoratum inſigne virus conficiunt, & aridiſsima quæque ſemina conſumant. Item nonnunquam arenas lapilloſq; ingluuie ſua deuoratos diſſoluunt. Itaq; animantis admoti calore adiutus ſpiritus, ab icta parte impetum capeſſens exilienſq; ſecum venenum exigit, Dioſcorides. Optimè auxiliantur, ſi ſtatim in principio poſt cucurbitas plagæ imponantur animalia parua diſcerpta, & adhuc intus calentia, velut ſunt gallinæ, hœdi, agni, porcelli: venenum enim exugunt & dolores leniunt, Aetius. Cæterum locis affectis gallinæ, & magis galli gallinacei, aliáue animantia per medium diſſecta, calida imponi debent: nam virus transſumunt euocantq; & dolores mitigant. Gallinacei pulli ſpirantes adhuc & calentes, per medium diuiſi, percuſſæ parti impoſiti, magnopere auxiliantur: vtpote qui peſtilens ad ſe virus eliciant, Actuarius. Ad ſerpentum morſus. Columba inciſa & impoſita calida morſui, venena omnia rapit, & ſanare creditur, Sextus. Si neq; qui exugat, neque cucurbitula eſt, ſorbere oportet ius anſerinum, vel ouillum, vel vitulinum, & vomere. Viuum autem gallinaceum pullum per mediũ diuidere, & protinus calidum ſuper vulnus imponere: ſic vt pars interior corpori iungatur. Facit id etiam hœdus, agnúſue diſciſſus, & calida eius caro ſtatim ſuper vulnus impoſita, Celſus. Qui efficacius volunt mederi, occiſæ capræ aluum diſſectum cum fimo intus reperto ſtatim illigant, Plinius. Sunt qui gallinarum aut aliarum quarundam auium podicen vulneri admouent, ad virus exugendum: quod ſi quæ applicatæ fuerint volucres, moriantur, venenum extractum eſſe ſuſpicantur, Ioh. Tagautius Inſtit. chirurg. lib. 2. Ad diſcrimina ſuctionis vitanda, recentiores galli vel gallinæ ſedem plumis exuunt, & vulneri conſultiſsimè applicant, & demortuo primo, alterum ſubſtituunt, idq; tandiu proſequuntur, quouſq; vniuerſa veneni vis extrahatur. Cuius rei certum indicium habent, cum gallus poſtremò appoſitus non moritur, Matthiolus in Dioſcoridem. ¶ Contra virulentos ictus, vſtio expeditiſsimum eſt auxilium: vtpote cum ignis cætera viribus præſtet, ſimul quod virus domet, & ferri penitus non patiatur: ſimul quod pars ignem experta, poſtea non vulgare fundamentum curationi futuræ præbeat, manente diutius exulceratione. Animaduertendum ex eo tempore, cum cruſtæ decident, ne vlceris oræ coaleſcant, & cicatrice induantur: ſed ſi fieri poteſt ad multum, idq; præſtitutum tempus, vlcerationes, & ſordidas adhuc & inflammationem minantes prorogari conuenit. Quod inditum ijs ſalſamentum optimè præſtabit, & ſylueſtre allium detritum: item cepe, ſuccúſue præſertim Cyrenaicus, aut qui Medicus, aut Parthicus appellatur, Dioſcorides. Auicenna 6. quarti tract. 3. cap. 1. teſtatur Ægyptios medicos, in quorum regione venenata animalia ſunt plurima, ſolere in morſibus venenatorum animalium confugere ad ignem: quippe qui non ſolùm venena, verumetiam omnia mala expellit. Modus autem quo vtebantur igne in his caſibus, multiplex erat, vt habetur apud Auicennam eo loco: modò enim ferro candente, modò fune accenſo, modò oleo feruente: medicamentis etiam vſtorijs hoc agebant, Mercurialis lib. 1 de morbis venenatis. Candenti ferro (ſi patitur locus) vulnus adurendum eſt, aut cauſtico ſaltem medicamento ac vehementer exedente vtendum. Eiuſmodi enim vulnera omnia letalia ſunt, & præſentem ſæpe perniciem (ſi protinus non ſuccurritur) afferunt. Proinde & extrema illis (iuxta Hippocratis conſilium) adhibenda ſunt remedia: adeoq; vt membrum ictum vel morſum interdum præcidere ſeu amputare conueniat, Ioh. Tagautius Inſtit. chirurg. lib. 2. Si verò icta pars, vtpote extrema, ſectionem commodè non reſpuat, præſertim in omnibus ſerpentum ictibus, vt aſpidis, ceraſtæ ſimiliumq;, procul dubio amputanda eſt, Dioſcorides. ¶ Nec me fugit quid in Ægypto fieri ſoleat. Cum ſpicas Ægyptij metunt, ollam picis paratam habent, & appenſam faſciam: tunc enim maximè ſerpentum iniurias expaueſcunt, tum propter ſpicilegij tempus, tum quod opacis ſimul abditæ ſpeluncis & cauernis, denſoq; aruorum ceſpite deliteſcunt. Moleſtiſsima enim animalia & virus eructantia, Ægyptus in campis ferre conſueuit. Vbi ergo aut in pedem, aut partem aliam, morſum intulerunt, qui adſunt, faſciam in ollam picis conijciunt & ſtringunt, locumq; ſecantes, qua circumactus eſt laqueus, picem inſtillant: cumq; ſatis vulnus excepiſſe videtur, laqueũ reſoluunt, & cepis allijſq; illinunt, Dioſcorides. ¶ Percuſsis à ſerpente prodeſt alui deiectio, diffluens ſudor, vrina copioſè reddita, Idem. Venter adſtrictus citra dilationem per infuſum eluatur, & veſicæ quoq; cura habeatur, quò citra impedimentum lotium excernat, Aetius. Purgatio omnibus conueniet, deſudationes & theriace ex viperis aſſumpta, Aegineta. Omnia vrinam mouentia, quia materiam extenuant, vtilia ſunt, Celſus. ¶ Quin & à ſerpente, ac ſcorpione percuſſos coitu leuari produnt: verùm fœminas Venere ca lædi, Plinius.

¶ Rusticus quidam à serpente demorsus, mox intumescente pede sensit, paulatim veneni vim ad cor accedere: edoctus est à quadam anu pedem sub terra sepeliret, vulneri admota gallina in duas partes dissecta, gallinæ verò ranam apponeret, quæ sanguinem ex gallina exugens, venenum tandem quoq; attraheret. Cum igitur integra nocte pede sub terra sepulto mansisset, nihil autem alleuaretur, imò malum intenderetur, tandem ex consilio nobilis cuiusdam matronæ theriacam ex ceruisia melle admixto bibit, indeq; aliquot horis continuò euomens dolore superiorum corporis partiũ liberatus est, pedibus nihilominus tumidis permanentibus. Quem tumorem à sacerdote quodam admonitus, potu lactis capræ nigræ quantitate testæ vnius oui depulit, pede interim etiam in s.q. eiusdem lactis demerso: vnde effluxit materia fœtida, glutinosa, mucosa. Cum autem progressu temporis fortuitò in fluuio solis calore tepescente pedes lauaret, atq; in ripa sedens pedibus in fluuiũ demissis obdormiuisset (nesciebat quot horis ita mansisset) expergefactus videt flumẽ prope se hinc inde latè fœculentum, fœtidũ, conspurcatumq;, ex eoq; tempore semper optime valuit. ¶ Alia puella à serpente demorsa caseum recentem ex lacte capræ albæ paratum morsui imposuit, pedemq; affuso eiusdem capræ lacte defendit, sanitatiq; restituta est. Ex cuiusdam epistola ad Gesnerum.

¶ Si animal mordeatur à venenatis bestijs, generaliter curatio ista succurrit. Locus qui percussus est ante omnia fumigandus est succensis testis ouorum gallinæ, quę prius infundes in aceto, addito etiam cornu ceruino vel galbano. Post fomentũ loca ipsa scarificabis, & sanguinem ex his emittes: vel certè candenti ferro combures loca venenata qua pestis attigit. Obseruare autem debes, ne aut supra articulos aut neruosis in locis in quacunq; passione vnquã cauterium imponas. Adustis enim neruis vel articulis, perpetua debilitas consequitur. Sed diligenter considera, vt aut superius aut inferius pusillum quàm nerui aut articuli sunt, cum necessitas fuerit, apponas cauteria. Animal autẽ quod venenata bestiola tetigerit, expedit vt sudet, & calidis coopertorijs inuolutum deambulet, & farinam hordeaceam in cibo sumat, additis frondibus fraxineis & vitibus albis. In plaga autem mel atticum vel cyminum in vino veteri mixtũ calefactum oportet imponi: nonnulli stercus suillum recens & mel atticum cũ vino miscent, & calefactum quasi cataplasma inducunt, addentes vrinam humanam, Vegetius medicinæ lib. 3.

Nunc post vniuersalem huic malo medendi methodum, ad particularia descendemus remedia, eo ordine seruato, vt primùm ea quæ foris adhibentur commemorem, deinde quæ intrò sumuntur, & in vtrisq; composita medicamenta priusquam simplicia. Obseruandum autem est, multa hic remedia poni, quæ non tantum ad serpentum morsus pertinent, sed & ad omnium aliarum bestiarum venenatarum morsus vel ictus, vt scorpionis, stellionis, muris aranei & similium; cum tamen serpentes etiam spectent, ea hic in genere apponere libuit.

Composita remedia quæ morsui serpentum forinsecus adhibentur, hæc sunt.

Conuenientiora supra dictis auxilia sunt, quæ epithemata vocant. Imponatur sarmentitius cinis, aut ficulneus cum lixiuio stillaticio subactus, garo, & acri salsamento, Dioscorides. Cinis aceto subactus pro cataplasmate imponatur: maximè autem ad hanc rem conducit ex ficulneis lignis exustus, aut laurinis aut lignis vitis, &c. Aetius. Imponetur itaq; cinis brassicæ aut fici aceto mistus aut lixiuio aut garo, Ægineta. Confectio Hermetis valet ad morsum serpentium cum aqua altereuiabin, & liniatur super locum morsum, Auicenna. ¶ Quinetiam non desunt emplastra vehementissima & calidissima, quæ venenum elicere, expugnare & discutere possunt. Cuiusmodi sunt quæ ex sale, aut nitro, sinapi & cachrye componũtur, Dioscor. Præter opinionem facit ex viperis theriace Andromachi Emplastri modo imposita. Emplastra verò ad omnẽ venenosi animalis morsum conueniunt, ex dictamno apparata, omniaq; quæ attrahendi vim habent, qualia sunt & quæ ex sale & quæ ex Chamæleonis radice constant & aphroditæ appellata. Egregie autẽ hoc auxiliatur: Spumę argenti libram vnam, cerusæ libram vnam, resinæ pinus libram vnam, olei veteris libras tres, ceræ sexuncem, ammoniaci thymiamatis trientem, galbani trientem, cerusam, argenti spumam & oleum coquito, donec non inquinent manus: deinde liquefacta adijcito, vnito, & vtitor reposito ad omnem morsum, &c. Aetius. Emplastrum cognominatum Epigoni. Hic quidem cum in carcere ad mortem damnatus esset, propter hoc medicamentum dimissus est, quod imperatoris Marci filiam sanasset. Morsa enim cum in mamma esset à serpente, & omnibus medicis de illa desperantibus, sanata tamen est. Facit etiam ad omne vlcus recens & vetus ad eos qui morsi sunt ab homine, & ad omnium reptilium ferarumq; morsus, &c. Recipit autem squammæ æris, ammoniaci, aloes hepaticæ, æruginis rasilis, æris vsti, thuris maris, salis ammoniaci, aristolochiæ rotundæ, sing. vnc. s. seminis rapi scrup. 3. dracunculi radicis vnc. s. seminis artemisiæ scru. 9. ceræ puræ lib. 5. colophoniæ lib. 1. Olei veteris cotyl. s. Aceti acris coch. s. sinapi scru. 3. spodij scru. 9. aluminis scissilis, opopanacis, sing. vnc. s. Metallica tere cum aceto diebus tribus: liquabilia verò liquato. Arida insperge, & omnibus rite subactis & confectis vtere, Nicolaus Myrepsus. Emplastrum Ægyptium ana. 31. apud eundem Nic. Myrepsum commendatur ad morsus quadrupedum et serpentium venenatorum. Recipit autem lithargyri, ceræ, sing. vnc. 4. semis, ammoniaci vnc. 5. thuris, lanæ succi-

dæ com-

dæ combustæ, singulorũ vnc. semis. Squamæ æris, stagium 1. semis. Terebinthinæ vnc. 1. semis. Squamæ stomomatos, aristolochiæ longæ, sing. stag. 1. sem. ricini stag. 4. semis, olei veteris, vnc. 10. semis. Lithargyrũ, squamas & ricinum decoquito, donec digitos non inquinent. Dein liquabilia adijcito, arida verò terito. ¶ Oleum diuinum & expertũ ad omne venenum epotum & venenosorum animaliũ morsum, siue potu sumptum siue litum. Sume olei oliuarum lib. 1. flores & folia hyperici contusa, coquito horis tribus, et percolato, denuo flores & folia recentia coquito, & percolato, quibus & vice tertia, & prius peractis adijcito gentianæ, tormentillæ, vtriusque vnc. 1. vtrūq; prius coquito, percolato, vsuiq; seruato, Ant. Fumanellus. Matthiolus verò Senensis in commentarijs suis in Dioscoridem mirificè commendat oleum de scorpionibus, quod pulsibus extrinsecus patentibus illitum non tantum venenis per os sumptis succurrere, sed & cuiuscunq; venenati animalis morsibus singulari auxilio esse scribit. Eius autem olei conficiendi rationem præscribit in præfatione in 6. lib. Dioscoridis; quam hic describere minime necesse arbitrati sumus, quod nimis prolixa foret. Itaq; quicunq; eam nosse cupit, Matthiolum consulere citato loco poterit. ¶ Medicamentum obstans veneno & venenosorum morsui. Calcem viuam recentem tutam cum molli sapone & aqua capitelli commisceto, vtitorq;, Ant. Fumanellus. Summè facit ad omnem bestiæ venenatæ plagam, præterquam aspidis, calx viua cum oleo & melle crassitudine cerati imposita, Aetius.

Medicamenta simplicia, ad morsum serpentis foris imponenda, aut illinenda: eaq; literarum ordine.

Abrotonum contra ictus serpentum illinitur, Plinius. ¶ Locum morsum aceto calido foueri salutare, Dioscorides. Cõuenit acetum calidum superfundere, in quo nepeta sit incocta, aut acetum & aquam marinam, aut acetum cum muria, Ægineta. ¶ Adiantum impositum serpentium morsibus auxilio est, Dioscorides. ¶ Alcibij radicem & folia trita ad serpentis morsum imponi iubent, Plinius. ¶ Allium bestiarum omnium ictibus medetur, potu vel cibo vel illitu. Ad serpentum quidem ictus efficacissimè ex oleo illinitur, Idem. Serpentum morsibus imponenda allia cum melle, Aetius. Allium vstum, Idem. Allia modò minutissimè contrita illinuntur, modò cremata vulneribus inijciuntur, Dioscorides. ¶ Ari radix, Matthiolus. ¶ Arietis caro confert morsibus serpentum, Auicenna. ¶ Aristolochia contra serpentes (ἑρπετὰ) datur è vino acetoso (ἐν οἴνῳ ὀξίνῃ) bibenda, & morsui inspergenda, Theophrastus. ¶ Asclepiadis radices contra serpentum ictus non solum potu, sed & illitu medentur, Plin. ¶ Asphodeli folia quoq; illinuntur venenatorum vulneribus ex vino, Idem. ¶ Argemonia quoq; prodest, Celsus.

Balsaminum oleum longè pretiosissimum omnium contra omnes serpentes efficax, Plin. Bdellium contra serpentum morsus prodest, Matthiolus. ¶ Betæ siue candidæ siue nigræ radix recens & madefacta suspensa funiculo, contra serpentium morsus efficax esse dicitur, Plin. ¶ Morsibus imponitur betonica præcipuè, Idem & Celsus. ¶ Bitumen Syriacum, Mattheolus. Brassicam illitam serpentium ictibus prodesse inuenio, Plinius. Serpentum ictibus & sordidis vlceribus ac vetustis vel ipsam aquam brassicæ cum hordeacea farina prodesse aiunt: succum ex aceto vel cum fœnugræco, Idem. Brassicæ syluestris semen tostum auxiliatur contra serpentes. Radicum cinis serpentium morsus sanat, Idem. ¶ Bryoniæ radix, Matthiolus. Cinis vinaciæ, id est bryoniæ, est theriaca eius, Gul. Varign. ¶ Bulbi satiui ex aceto illinuntur contra serpentum ictus, Plinius. Bulbaceorum omnium radix, Matthiolus. ¶ Bupleuri semen ad ictus serpentum dari reperio, foueriq; plagas decocta ea herba, adiectis folijs mori aut origani, Plinius. ¶ Buselinon præualere aiunt contra serpentes potu & linitu, Idem.

Calamintha, Aetius. Calamintha in lotio locum foueri salutare, Dioscorides. ¶ Cantabrica, Celsus. ¶ Caprarum cornu vel pilorum cinerem potum vel illitum contra ictus valere tradunt. Caseum caprinum cum origano impositum vel seuum cum cera. Fimo quoq; caprarum in aceto decocto illini ictus serpentum placet, & recentis cinere in vino, Plinius. Recentem fimum caprinum cum fæce vini acetiue permiscens, loco læso superilliga, Nicander. Caprarum stercus cum aceto, Aetius. Fimum caprarum ex vino decoctum, Dioscorides & Ægineta. Si ponatur recens pellis capræ super loco, attrahit ad se venenum. Gul. Varign. ¶ Lactans caprifici succus Qu. Serenus. Caprificus aut lac eius, valet ad venenatorum ictus, Plinius, Varignan. Cedria, Dioscorides. Idem etiam facit succus extremitatum eius viridium, quando in vere colligitur & exiccatur & vsui reseruatur, Idem. ¶ Centaurion, Celsus. ¶ Cepæ, Idem. Cepæ cum sale, Aetius. Cepe cum polenta aut pane, Aegineta. Serpentum morsus succo ceparum inungunt, & omnia vlcera cum melle, Plinius. Purgamenta ceparum cremata in cinerem illinentes ex aceto serpentum morsibus, Idem. ¶ Chamædrys aduersus serpentum venena potu illituq; efficacissima, Idem, ¶ Chamæleonis radix, Matthiolus. ¶ Ciceris & cicerculæ farina (efficacius syluestrium) serpentium ictus sanat, Plinius. ¶ Auxiliatur contra serpentes & columbarum caro recẽs concepta & hirundinum: bubonis pedes vsti cum plumbagine herba, Idem. Conyza omnis, Matthiolus. ¶ Corchoro boum scabiem celerrimè sanari inuenio, apud Nicandrum quidem & serpentium morsus, antequam floreat, Plinius. ¶ Ad serpentum

Right-margin keywords: *Abrotonum. Acetum. Adiantum. Alcibium. Allium. Arum. Arietis caro. Aristolochia. Asclepiadis. Asphodelus. Argemonia. Balsamum. Bdellium. Beta. Betonica. Bitumen. Braßica. Bryonia. Bulbi. Bupleuros. Buselinon. Calamintha. Cantabrica. Capra. Caprificus. Castoreum. Cedrus. Centaurion. Cepæ. Chamædrys. Chamæleon. Cicer. Columba. Conyza. Corchorus.*

Cornu ceruin. Cucubalum. Cuminum. Cunila. Cupressus. Cyclaminum.

morsus: cornu ceruinum vstum, & ex aceto tritum illinito, Galenus eup.3. ¶ Cucubali folia trita cum aceto serpentium ictibus mederi dicuntur, Plinius. ¶ Cuminum syluestre ad serpentes cum oleo vtile est, Idem. ¶ Cunila bubula in vino bibitur contra serpentes, ac trita plagæ imponitur. Vulnera ab ijs facta perfricantur, Idem. ¶ Cupressi folia trita serpentium ictibus imponuntur, Idem, Serenus. ¶ Cyclaminum bibitur contra serpentes è vino acescente, & morsui inspergitur, Theoph. de hist. pl. 9. Cyclamini radix, Matthiolus.

Daucus. Dens hominis. Diasulphur. Dictamnum. Dracunculus.

Dauci syluestris radix percussis à serpente imponitur cum axungia, Plinius. ¶ Dentis humani contusi farina serpentis ictum sanari aiunt, Idem. Dentes hominis mortui triti aut vsti & superpositi, conferunt, Gul. Varig. ¶ Diasulphur confert ad puncturam serpentum, Auicen. Dictamnum herba ad serpentium ictus præcipua, qua se lacerti, quoties cum his conseruere pugnam vulnerati refouent, Plinius. ¶ Dracunculi radix elixa, contusa, & subinde theriaca, aut mithridatio, & oleo de scorpionibus subacta & illita, Matthiolus.

Elelisphacus. Elleborum. Elephanti fel. Erythrodanũ. Erica. Eruca. Euphorbium.

Elelisphaci herba per se imposita sanat serpentum morsus, Plin. ¶ Tridentina rura cùm iumentum aliquod à serpente initur, statim perforato ibidem corio, præstantissimo remedio Ellebori nigri radices in vulnus inserunt. Matth. ¶ Elephanti fel aliqui commendant tanquã auxiliare morsibus serpentiũ. Diosc. ¶ Erythrodani rami cũ folijs contra serpentes imponuntur, Plin. ¶ Erica, Matth. ¶ Erucę oleracę, Idẽ. ¶ Euphorbium contra serpentes medetur, quacunque parte percussa, vertice inciso, & medicamento addito. Plinius.

Fœniculum. Ficus. Fimum. Fraxinus.

Fœniculi radix, Matth. ¶ Fici virgulta cũ melle, Aëtius. ¶ Aduersus serpentũ ictus efficax habetur fimũ pecudis recens in vino decoctum illitumque, Plin. ¶ Fraxini folia contra serpentes succo expresso ad potum, & imposita vlceribus, opifera, ac nihil æquè reperiuntur, Idem.

Galbanum. Gallina. Gith. Gladiolus. Glans. Gobius.

Galbanum, Matth. ¶ Carnibus gallinaceorũ, ita vt tepeant auulsæ, appositis, venena serpentiũ domantur. Parthi gallinæ malunt cerebrũ plagis imponere, Plin. ¶ Gith ex Græcis, alij melanthiũ, alij melaspermõ vocant, medetur serpentiũ plagis & scorpionũ. Illini ex aceto ac melle reperio, Idem. ¶ Gladioli radix, Matth. ¶ Glandis cortex illinitur decoctus lacte vaccino serpentis plagæ, Plin. ¶ Gobius illitus contra serpentiũ morsus auxilio est, Dioscorides.

Halicacabum. Helenium. Hemerocallis. Hœdi pellis. Hordei farina. Hyssopus.

Halicacabũ, Matth. ¶ Helenij radix, Idẽ. Helenium contra serpentes ab Helena satũ, Hesy. ¶ Hemerocallis radix, Matth. ¶ Hœdorũ pelle vtuntur recente ad plagas à serpentibus inflictas, Plin. ¶ Farina ex hordeo ad serpentũ morsus in aceto decocta vtilis, Idem. ¶ Hyssopum putant serpentiũ ictibus aduersari, tritum cũ melle, sale & cumino, Plin.

Iris. Iberis.

Iridis radix & Iberis, Matth.

Laurus. Lapis serpẽtis. Lepidium. Laser. Lilium.

Lauri folia illita, serpentium venenis resistunt: maximè sepis, dipsadis & viperę, Plin. ¶ Lapis serpentis dicitur quod confert sua suspensione morsui serpentis, Auic. ¶ Lepidiũ, Matth. ¶ Laser, Aetius & Matth. ¶ Lilij radix, Idem.

Maris aqua. Marrubium. Mel. Melissophylõ. Menais. Milium. Morus. Myrica.

Maris aqua aut acida muria vulnus foueri salutare, Diosc. ¶ Marrubij folia semenque contrita prosunt contra serpentes, Plin. ¶ Mel à serpente percussis medetur, Diosc. & Plin. ¶ Melyssophylon, Aet. ¶ Pythagoras menaidem appellat, & nomine alio Corinthadẽ, cuius decocto in aqua succo, protinus sanari ictus serpentum, si foueatur, dicit, Plin. ¶ Milij farina cũ pice liquida, serpentiũ & multipedũ plagis imponitur. ¶ Folia mori trita, aut arida decocta, serpentium ictibus imponuntur, Idẽ. Myricæ semen cũ altilium nouo pingui furunculis imponitur. Efficax & contra serpentium ictus, præterquam aspidum, Idem.

Nasturtium. Nitrum.

Nasturtium, Matth. ¶ Nitrum contra canis morsum, addita resina, initijs cum aceto illinitur: sic & serpentium morsibus, Plinius.

Ocymum. Ophites. Origanum. Oua.

Radix syluestris Ocymi in vino contra bestiarum morsus est efficacissima, Idem. ¶ Omnes Ophitæ lapides contra capitis dolores & serpentiũ ictus prosunt, Diosc. Origani omne genus, Matth. ¶ Oua aduersus ictus serpentium cocta tritaque, adiecto nasturtio illinuntur, Plin.

Panaces. Pastinaca. Personina. Petroleum. Phu. Pisis salitus. Pityusa. Pix. Plantago. Polenta. Porri. Pseudanchusa.

Panaces Asclepium contra serpentium morsus prodest: hoc Æsculapius decerpsit iuxta ripam Melanis fluuij Bœotiæ, & percussum ab hydra Iolaum Iphicli filium hoc remedio sanauit, Nican. in Theriacis. ¶ Pastinacæ marinæ, singulæ binæue tritæ & cum vino potui datæ, & super vulnus impositæ prosunt, Celsus. ¶ Personina, Idem. ¶ Qui à serpente percussus, aut à fera me venenoso ictus fuerit sumat Petrolei semunciã & illinat & iuuabitur, ex libro germanico. ¶ Phu radix, Matt. ¶ Piscis salsus maximè vetustus, Aetius. ¶ Pityusæ folia in aceto decocta misto rutæ decocto serpentũ ictibus medentur, Plin. ¶ Pix liquida cum sale trito & feruente illita præsentaneo est auxilio, si iugiter innouetur, Dioscor. & Ægin. ¶ Plantago ad omnes bestiarum morsus pota atque illita prodest, Plin. Plantago cum sale, Aetius. ¶ Polenta, id est farina hordei tosta serpentium plagis illinitur, Plin. ¶ Porri, Diosc. Porra abunde cum sale, Ægineta. Tritis & illitis porri folijs sanantur serpentiũ morsus ex aceto, Plin. ¶ Pseudanchusæ folia ictibus serpentum imponuntur, Idem.

Rapum. Raphanum. Rosa. Rubia. Ruta.

Rapi semen illitum & potum in vino, contra serpentes & toxica salutare esse proditur, Plin. ¶ Raphani satiui in posca decocti, contra serpentium morsus illinuntur, Idem. Aut coctum raphani librumque tritumque ligare, Serenus. ¶ Tarentinus ait eos quos momorderit serpens, contactu radicis rosæ seruari, Constant. in Geopon. ¶ Rubiæ rami cum folijs contra serpentes imponuntur, Plin. ¶ Ruta satiua & agrestis, Matth.

Sagape-

Sagapenum, Idem. ¶ Sal aduersus serpentium morsus cum origano, melle, hyssopo adhibetur, Plin. ¶ Galenus dixit quod saphirus applicatus loco morsus confert. Gul. Varign. ¶ Sarmentitius cinis serpentum morsibus illitus ex aceto medetur, Dioscor. ¶ Scilla cruda siccatur, deinde conciditur, coquiturq́ in aceto, tum serpentium ictibus imponitur, Plinius. ¶ Constat contra omnium serpentium ictus quamuis insanabiles, ipsarum serpentium exta imposita auxiliari. Serpens prodest viuus comprehensus, & in aqua contusus, si foueatur ita morsus, Idem.

Quæ nocuit serpens, fertur caput illius aptè
Vulneribus iungi, sanat quæ sauciat ipsa,
Vt Larissea curatus Telephus hasta, Q. Serenus. Et dicunt: scindatur ipse serpens, & superponatur loco, sedat dolorem. Gul. Varign. ¶ Sinapi ad serpentiũ ictus tritum cum aceto illinitur, Idem. ¶ Silphium tritum inspersum, Aetius. ¶ Sisimbrium, Matthiolus. ¶ Smirnij radix, Idem. ¶ Sonchi radix morsibus serpentum illinitur, Plin. ¶ Sordes ex auribus humanis medentur: ac ne quis miretur, etiam scorpionum ictibus serpentiumq́ statim impositæ: melius è percussi auribus, Plin. ¶ Sparganij radix, Matthiolus. ¶ Staphisagriæ flos tritus in vino, contra serpentes bibitur. Quidam eam pituitariam vocant, & plagis serpentium vtique illinunt, Plinius. ¶ Staphilini, aut vt alij vocant, pastinacæ erraticæ radix, percussis imponitur cum axungia, Idem. ¶ Si bouem aut aliam quadrupedem, vel etiam hominem serpens momorderit, ad morsum stercus suillũ apponito, Cato. Suillum recrementum aceto coctũ, Aetius. ¶ Sulphur vrinæ admixtum, Matth.

Taurinum fel, Idem. ¶ Theriaca magna dicta alfaroch medetur puncturis serpentum, Auicenna. ¶ Thlapsi, Matthiolus. ¶ Aut Tithymallus atrox, vulnus quæ tuta perungat, Serenus.

Sunt qui Veratri nigri recentem radicem in vulnus figendam consulant: quod hæc (vt equidem me experientia cognouisse fateri possum) virus valentissimè extrahat, Matth. ¶ Verbenaca, Idem. ¶ Vespertilionis sanguinem cum carduo contra serpentium ictus inter præcipua laudant, Plin. ¶ Vettonica ex mero veteri etiã prodest, Idẽ. ¶ Sua cuiq́ vrina cinere ex ea subacto contra serpentium ictus prodest, Idem.

Sagapenum. Sal. Saphirus. Sarmentitius cinis. Scilla. Serpens. Sinapi. Silphium. Sisymbrium. Smirnium. Sonchus. Sordes auriũ. Sparganium. Staphisagria. Staphilinum. Stercus suillũ. Sulphur. Taurinum fel. Theriaca. Thlapsi. Tithymallus. Veratrum. Verbenaca. Vespertilio. Vettonica. Vrina.

Antidoti & medicamenta, quæ aduersus serpentum & bestiarum venenatarum morsus intra corpus sumuntur, iuxta literatum ordinem.

Adriani antidotus efficax contra desperatos venenatorum morsus describitur apud Nicol. Myrepsum num. 2. Plurimi (inquit) sapientum vim huius antidoti experientia inuenerunt. Narrant enim si gallo à serpente iaculante venenum demorso aliquid huius antidoti cum aqua tepida in os immiseris, cõfestim hunc restitui ac liberari. ¶ Aelij Galli antidotus, qua Cæsarem liberauit & Charmes vtebatur, ad ebibita morsuq́ illata venena faciens, describitur à Galeno libro 2. de antidotis cap. 7. ¶ Itẽ Ambrosia quæ dicitur Philippi Macedonis antidotus ad venena, omnium venenosorũ ictus, &c. describitur ab eodẽ Galeno eiusdem lib. cap. 48. ¶ Alia quoque Antidotus Mithridatis Athanasia cognominata, faciens ad venena & omniũ venenatorũ morsus eodẽ lib. describitur cap. 47. & à Nicol. Myrepso de antidotis num. 12.

Damocratis antidotus contra omnes serpentes apud Galenũ lib. 2. de antidotis recipit coaguli hinnuli ℨ j. cũ vini Salerni diluti mediocriter cyathis duobus. ¶ Antidotus, Diæmaton, id est ex sanguinib. appellata ad venena venenatorũq́ omniũ morsus, Gal. li. 2. de antidotis ca. 50.

Heraclydis antidoti 2. ad venenatarum bestiarum morsus & ictus facientes describuntur apud eundẽ Galenũ lib. eiusdẽ cap. 97. 99. Alia Hybristi Oxyrinchitæ cognomento ad omnium serpentium ictus reperta, atq́ ab Apollonio Memphite descripta, Ibidẽ cap. 107.

Antidotus ex terra Lemnia laudatur à Galeno in eodẽ lib. vt quæ exhibita accipientem tutum à venenis faciat, ac sic habet: Baccarum iuniperi drachmas duas, terræ Lemniæ drachmas duas & obolos duos. Hæc vbi in puluerem redegeris, oleo aut melle commiscebis, & repones, atq́ cum opus fuerit, ex aquæ mulsæ cyathis duobus quantũ est auellana dabis, Auicenna lib. 4. fen. 6. tract. 3. ca. 2. agens de ijs quę bibuntur super morsum serpentum, meminit etiam huius medicamenti, quod sic describit: Recipe baccarũ lauri aure. ij. terræ sigillatæ obulos duos: bibatur cum oleo: & sit dosis auellana vna in tribus cyathis aquæ mellis.

Mithrydatis Eupatoris antidotus ex scinco cognominata, faciens ad venena omniumq́ venenatorum materiã mortẽ inferentẽ, omniumq́ venenosorum animalium ictus describitur apud Galenum lib. 2. de antidotis cap. 51. Antidotus mithridatica contra omnia venena ab Andromacho descripta, Ibidẽ cap. 2. & à Democrate cap. 10. Vide etiam Aetium lib. 13. cap. 98.

In potu citra dilationem in omni virulenti animalis morsu, Theriacé Andromachi præbeatur aut Mithridatica & consimiles compositiones, Aetius lib. 13. cap. 10. Galenus lib. de theriaca ad Pisonẽ cæteris antidotis tam simplicibus quàm compositis ad virulentorũ morsus Andromachi theriacam prætulit his verbis. Theriaca est procul dubio apud vniuersos homines celebratissimum antidotum, tum quod pollicito neminem frustretur, tum ob ipsius actionis efficaciam. Siquidem nullum vnquam à feris, quæ hominem solent interimere, commorsum, hac statim epota perijsse memoriæ est proditum: nullus eadem præsumpta haud multò post morsu impetitus, belluæ veneno ceu illum superante interijt. ¶ Aelij Galli Theriaca qua vtor, optima ad scorpionũ ictus, & alia quę venenũ morsu relinquunt, Gal. lib. 1. de antid. cap. 59. Alia Antiochi

Theriacæ multiplices.

Philometoris Theriaca ad omnem morsum venenosum, Ibidem. cap. 122. ¶ Theriaca mirabilis, ℞. opij & myrrhæ, amborum an. ℥ j. & piperis ℥ j. ſ. radicis ariſtol. longæ & rotundæ an. ℥ iiij. vini ℥ ij. conficiantur cum melle & aqua erucæ, cuius doſis ſit aureus vnus cum decoctionibus bonis, Auicenna. Sunt quædam compoſitæ potiones, quæ mira remedia polliceri traduntur, vt & opij & myrrhæ ſinguli oboli, piperis ſicilicum: Ea melle excipiuntur, & inſtar Ægyptiæ fabæ dantur cum vino, Dioſc. ¶ Theriacæ aliæ diuerſarum compoſitionum ad morſum omnem venenoſorum animalium deſcribuntur ab Auicen. lib. 4. ſen. 6. tract. 3. cap. 2. ¶ Theriacæ compoſitio, medicaminis Antiochi aduerſus venenata animalia à Plinio deſcribitur lib. 20. cap. vlt. hoc modo: Serpylli duum denariorum pondus: opopanacis & milij tantundem ſingulorum, trifolij pondus denarij, anethi & fœniculi ſeminis, & aniſi, & ammij, & apij, denariorum ſenum, ſingulis generibus, erui farinæ duodecim. Hæc tuſa cribrataque vino quàm poſſit excellenti, digeruntur in paſtillos victoriati pondere. Ex his ſinguli dantur ex vini miſti cyathis ternis. Hac theriaca magnus Antiochus rex aduerſus omnia venena vſus traditur. ¶ Theriace aduerſus venena & venenatorum morſus. Bryoniæ, opopanacis, iridis illyricæ, roris marini radicis, zinziberis, ſingulorum drachmæ quatuor, ariſtolochiæ drachmæ quinque, lachrymæ thuris, rutæ ſylueſtris, ſingulorum drachmæ tres, farinæ erui drachmæ duæ: finguntur paſtilli vino, danturque ſinguli qui tres obolos pendeant, ex eodem vino, Ægineta. ¶ Sylueſtris rutæ ſeminis, gith, cumini Æthiopici, ariſtolochiæ, galbani, ſingulorum pares portiones tritæ, & cum erucæ ſucco ſubactæ, digerantur in paſtillos, qui drachmæ pondus æquent. Dantur ex ijs terni cyathi cum vino, Dioſc. ¶ Zenonis Laodicei theriaca deſcribitur à Galeno lib. 2. de antidotis cap. 62.

Zopyria antidotus quæ facit ad venena & reptilium morſus. De hac talia feruntur. Zopyrum per epiſtolam Mithridatem monuiſſe, vt antidotum hanc ita experiretur: accerſiret vnum è condemnatis, iuberetque primò venenum haurire, deinde hortaretur antidotum bibere: vel prius antidotum aſſumere, poſtea venenum bibere, idem vt percuſſis à ſerpentibus & in vulneratis à ſagittis toxico illitis faceret, hortatus eſt. Verùm omnibus ita peractis hominem contigit illæſum permanſiſſe, Gal. lib. de antidotis 2. cap. 49.

Matthiolus in præfat. in lib. 6. Dioſc. agens de antidotis contra venena, meminit inter alia cuiuſdã antidoti ſibi (vt ait) longo labore cõparatæ, cuius admirandas vires eſſe dicit. Eſt aũt aqua quædã quintæ eſſentiæ, ex multis ſimplicibus confecta: cuius deſcriptionẽ proponit eodem loco. Eam autem tanta virtute pollere ſcribit, vt quatuor drachmarũ pondere pota vel per ſe, vel cum pari odorati vini quantitate, vel ſtillaticię cuiuſuis aquæ ad cordis robur faciẽtis: vbi quis ictus vel demorſus à quocunque venenato animali, in tanto mortis diſcrimine verſaretur, vt vocem, viſum ac reliquos ferè ſenſus amiſiſſe, ægrum ingenti adſtantium admiratione à longo veluti ſomno excitet. Quod à ſe experimento compertum dicit. Qui antidoti illius confectionẽ ſcire cupiet, locum citatum conſulat. Eſt enim prolixior, quàm vt hic tranſcribi commodè poſsit.

Medicamenta ſimplicia quæ intra corpus ſumuntur à morſis à ſerpentibus aut beſtijs venenatis, literarum ordine.

Abrotonum. Abrotoni ſemen in vino potum, Dioſc. Plin. & Auicen. ¶ *Acorum.* Acoro vis tribuitur contra ſerpentes ſucco eius poto, Plinius. ¶ *Adiantum.* Adiantum cum vino confert morſibus ſerpentum, Auicen. Adiantum ſeu callitrichum ſerpentum venenis reſiſtit, Plin. ¶ *Agaricum.* Agarici oboli tres cum hydromelite poti, Dioſc. Agaricum, Auicen. Agaricum contra ſerpentes datur obolis quatuor contritum cum binis cyathis aceti mulſi, Plin. ¶ *Agnus caſtus.* Agni caſti fructus & grana, Auicen. Si etiam ſeminis agni caſti vſque ad ℥. 1. bibatur, confert, Gul. Varign. ¶ *Allium.* Allium confert morſui ſerpentũ quando bibitur cum vino, Auicen. Dioſc. & Ægineta. Ad ſerpentum quidem ictus allium potũ cum reſtibus ſuis efficaciſſimè ex oleo illinitur, Plin. ¶ *Alcibium.* Alcibij radicem & folia trita ad ſerpentis morſum imponi & bibi iubent: folia, quantum manus capiat, trita cum vini meri cyathis tribus, aut radicem drachmarum trium pondere cum vini eadem menſura, Idẽ. ¶ *Althæa.* Althææ ſemen, Auicen. Althæa aduerſus ſerpentes bibitur, Plin. Eius ſiccæ farina in vino item aduerſus ſerpentes bibitur, Idẽ. ¶ *Ampeloprasou.* Ampeloprason contra ſerpentũ ictus efficax, Idẽ. ¶ *Anagallis.* Anagallis bibitur contra angues ſucci drachma in vino, Idem. ¶ *Anchuſa.* Anchuſæ folia comeſta & potata, Dioſcor. ¶ *Andachocha.* Andachochæ ſemen in aqua & vino, Auicen. ¶ *Anethum.* Anethum, Dioſc. ¶ *Anthemis.* Vere medici Anthemidis folia tuſa in paſtillos digerunt: itẽ florem & radicẽ. Dantur omnia miſta drachmæ vnius pondere, contra ſerpentum omnium ictus, Plin. ¶ *Aparine.* Aparine efficax contra ſerpentes, ſemine poto ex vino drachma, Idẽ. ¶ *Aper.* Iecur apri recens ſi areſactum teratur, ex vino potum contra ſerpentum morſus auxilio eſt, Dioſc. Iecoris apri fibra illa potiſsimũm quæ prope fel & iecoris portas eſt, ex aceto vel potius vino pota contra ſerpentes auxiliatur, Nicander. Apri cerebrum coctum contritum cum melle ad ſerpentum morſus valet, Sextus. Apri cerebrum contra ſerpentes laudatur cum ſanguine. Iecur etiam inueteratum cum ruta potum ex vino. Itẽ adeps cum melle reſinaque, Plinius. ¶ *Arcion.* Arcion quidam perſonatam vocant, cuius folio nullum eſt latius, grandes lappas ferentem. Huius radicẽ decoctã ex aceto dant potui cõtra ſerpentes, Idẽ. ¶ *Arum.* Ari radicẽ cõtra ictus dari potu in vino nigro putãt vtile, Idẽ. ¶ *Ariſtolochia.* Ariſtolochię radix, Auicẽ. Dioſc. Ægineta. Ariſtolochia contra ſerpentes (ἑρπετά) datur è vino aceroſo bibenda, Theoph. Ariſtolochia rotunda cæteris venenis reſiſtit: longa verò aduerſus angues & venena drachmæ pondere ex vino bibitur, Dioſcor.

Ariſtolo-

Aristolochia rotunda contra serpentes laudatur, Plin. Aristolochiæ radicis drachma in vini hemina sæpius bibenda datur, Idem. Artemisiæ radicis succum ab animalis venenosi morsu abrepto, præbeto cum medio aquæ simplicis cyatho, quoniã expertũ est, Ant. Fumanellus. ¶ Asclepiadis radices torminibus medentur, & contra serpentum ictus, non solum potu sed etiã illitu, Plin. ¶ Datur ad serpentũ ictus succus Asparagi syluestris corradæ dicti decoctus, Idem. ¶ Nicander contra serpentes ac scorpiones Asphodeli vel caulem quem anthericon vocamus, vel semen vel bulbos dedit in vino tribus drachmis, Idem. ¶ Aster vel bubonium bibitur aduersus serpentes, Idem. ¶ Astragalus cum aceto potus, Dioscor. Ægineta.

Baccar auxiliatur contra serpentes. Plin. ¶ Balsami oleum, Auicen. ¶ Bauciæ syluestris semen, Idem. ¶ Betæ nigræ radicis succus expressus contra serpentũ ictus valet, Plin. ¶ Bitumen, Dioscor. Ægineta. ¶ Blattariæ datur denarij pondus in vino contra serpentes. Plin. ¶ Brassicæ syluestris semen tostum auxiliatur contra serpentes, Idem. ¶ Bryoniæ radix drachmæ pondere, Aëtius. ¶ Bupleuri semẽ contra serpentes valet. Radix contra serpentes datur in vino, Idem. ¶ Buselinon præualere aiunt contra serpentes potu & linitu, Idem.

Calaminthæ succus cum melle, Dioscor. Auicen. ¶ A bestijs venenatis, rabiosoq; cane demorsos sanat cancri interiorum cinis ex aqua semel ac bis potus, quantum manu capere potes. Galen. Eup. 3. Cancri cõtra serpentũ ictus medentur, Plin. Cancer fluuiatilis cum lacte, Auicẽ. Cancri fluuiales cocti aut assati (tosti vel elixi, Ægineta) comesti, Aëtius. Ceruus à serpentibus morsus cancros fluuiatiles quærit, Oppianus. Oua cancri medẽtur contra venenatos serpentiũ morsus, Albertus. ¶ Ad ictus serpentũ dicitur Cantabrica, Plin. ¶ Capillus veneris, Auicenna. ¶ Caprarum cornu vel pilorum cinerẽ potum vel illitum contra ictus serpentũ valere dicunt: item lactis haustus cum vua taminia, vel vrinæ cum aceto scillite, Plin. Ad serpentis morsum, Puluerem de cornu capræ & eius lac cum origano & cum vini cyathis tribus bibat, venenũ excutit, Sextus. Caprinum stercus adustum emplastratum & in potum datum, Auicen. Confert similiter stercus capræ cum aceto coctum & bibitum, Gul. Varign. Carduus & nondum doctis fullonibus aptus, ex illo radix tepido potatur in amni, Qu. Serenus. ¶ Castoreum est mirabile, Auicen. Castorij sextans, Dioscor. Castorei drachma .j. Aëtius, Ægineta. Castorei testes aduersus cæteras serpentes cum vino bibuntur, Plin. ¶ Centaurij maioris radix, drachma in vini albi cyathis tribus, Idem. ¶ Cepæ Dioscor. ¶ Cerui coagulũ ex aceto potum ab ictu serpentũ seruat, Plin. Aëtius. Ceruino ex fœtu commista coagula vino sumuntur, quæ res membris agit atra venena, Qu. Serenus. Testes quoq; eius inueterati, vel genitale maris salutariter dantur in vino, item ventres qui centipelliones vocantur, Plin. Naturę cerui siccatæ & corrasæ si drachmã vnã in sorbitione oui potaueris, omnis morsus serpentis apud te ĩnocuus fiet, Sextus. Cõtra morsus serpentiũ, virgula damuli vel cerui sicca, Halial. Sanguis ceruinus desiccatus & tritus sumptus, à venenatis bestijs morsos iuuare dicitur, Simeon Sethi. Ad serpentum morsus: calami radices, & cicer & baccas cupreßi & cornu Cerui combusta omnia tritaq; in vinũ misceto, & ex aceto ac porro propinato, Galen. Eup. 3. ¶ Chamæcyparissos herba ex vino pota contra venenũ serpentium omnium scorpionumq; pollet, Plin. ¶ Chamædris, Auicen. Chamædrys carpitur prægnans succo in petrosis, aduersus serpentiũ venena potu illituq; efficacißima, Plin. ¶ Chamæpitys, Aëtius, Ægineta. Chamæpitys tertia contra serpentes valet cum melle, Plin. ¶ Datur ex vino percußis Chelidonia, Idem. ¶ Chironij flos & semen potum illitũue ex vino & oleo contra serpentes medetur, Idem. ¶ Cinnamomũ, Auicenna, Ægineta. ¶ Clematis Ægyptia aduersus serpentes ac priuatim aspides ex aceto pota efficax, Plinius. ¶ Clinopodium bibitur ad serpentium ictus, etiam decoctus succus, Idem. ¶ Condrilla tusa cum radicibus tota, diuiditur in pastillos, contra serpentes, (eius radix cõtra serpentes epota valet, Ruellius) probabili argumento: Siquidẽ mures agrestes læsi ab his, hanc esse dicuntur, Idem. ¶ Conyza, Aëtius. ¶ Corrudæ succus decoctus datur ad serpentium ictus, Plinius. ¶ Cunila bubula contra serpentes in vino (vel aceto) bibitur. Hac testudines cum serpentibus pugnaturæ se muniunt, viresq; refouent: quidamq; in hunc vsum panacem vocant, Idem. Cupreßi pilulæ aduersus serpentium ictus bibuntur, Plin. Ægineta. ¶ Cyclamini radix cõtra serpentes omnes, Plin. Cyclaminũ bibitur contra serpentes è vino acescente, Theoph. de hist. pl. 9. ¶ Cynoglossos, caninas imitans linguas. Est alia similis ei, & quę ferat lappas minutas: eius radix pota ex aqua, ranis & serpẽtibus aduersatur, Plin. ¶ Cyperi radix aduersus serpentiũ ictus & scorpionũ præsertim remedio est, Idem.

Dictamnum, Aëtius, Plin. ¶ Dauci Cretici radicis ad serpẽtes vsus est. Bibitur è vino drachma vna. Datur & quadrupedibus percußis, Plin. ¶ Dracontij folia ex vino vel aqua contra serpentes dabant, Idem. ¶ Dracunculum maiorem percußis in potu prodesse aiunt, Idem.

Echij semen Matthiolus. ¶ Echini terrestris caro, Idem. ¶ Elaphoboscon contra serpentium omniumq; aculeatorum ictus valet. Quippe fama est hoc pabulo ceruos resistere serpentibus, Plin. ¶ Elichrysi coma, Matth. ¶ Endiuia syluestris, Auicen. ¶ Enula, Idem. ¶ Epipastidis siue Eliborines folia pota contra venena prosunt, sicut Erices contra serpentes, Plin. ¶ Equi coagulum ex vino potum, Matth. ¶ Erices foliũ aduersari serpentibus tradunt, Plin. Erica cum aceto, Dioscorides, Ægineta. ¶ Non defuère qui Erigerontis & alterũ genus facerent, nec quale esset demonstrarunt, contra serpentes in aqua bibendam dantes, Plinius. ¶ Eruum datur contra ser-

Artemisia. Asclepias. Asparagus. Asphodelus. Aster. Astragalus. Baccar. Balsamum. Baucia. Beta. Bitumen. Blattaria. Braßica. Bryonia. Bupleuros. Buselinum. Calamintha. Cancri. Cantabrica. Capillus veneris. Capra. Carduus. Castoreum. Centaurium. Cepa. Ceruus. Chamæcyparissos. Chamædrys. Chamæpitis. Chelidonia. Chironium. Cinamomum. Clematis. Clinopodium. Condrilla. Conyza. Corruda. Cunila. Cupressus. Cyclaminus. Cynoglossus. Cyperus. Dictamnum. Daucus. Dracontium. Dracunculus. Echium. Echinus. Elaphoboscon. Elichryson. Endiuia. Enula. Epipastis. Equi coagulum. Erica.

Eryngium.

pentum ictus ex aceto, Idem. ¶ Eryngij radix, Dioscor. Clara in primis aculeatarum erynge est siue eryngion cōtra serpentes & venenata omnia nascens. Aduersus ictus morsusq́; radix prius bibitur drachmę pōdere in vino: aut si plerumq́; tales iniurias comitatur & febris, ex aqua, Pli.

Ferula. Fiber. Fœniculum. Fraxinus. Fucus marinus.

Ferulæ radix denarij pondere in vini cyathis duobus bibitur aduersus serpentes, Plin. Aut ferulæ radix potatur in imbre Lyæi, Qu. Seren. ¶ Fibri testes serpentum venenis aduersantur, Dioscor. Contra venena ex aceto bibuntur, Idem. ¶ Medicinæ in satiuo fœniculo, ad scorpionū & serpentium ictus semine in vino poto. Plin. Fœniculi succus cum melle, Dioscor. ¶ Fraxini folia contra serpētes succo expresso ad potum, & imposita vlceribus, opifera ac nihil æquè repe riuntur. ¶ Nicander fuci marini folia aduersus serpentes in vino dedit, Plin.

Galbanum. Galline. Gentiana. Gladiolus. Glans. Glycysis.

Galbanum est theriaca venenis serpentū & scorpionum, Auicen. ¶ Gallinaceorū cerebrum in vino potum, Item ius ex his potum serpentum venenis medetur, Plin. Galli cerebrum cum aceto potum (alij, non cum aceto, sed cum condito) serpentis morsus adiuuat, Kiranides. Gallinarum & gallinaceorum cerebella in cibo, Dioscor. Cum coagulo, Matth. Gallinæ aut iura vetustæ, Qu. Serenus. ¶ Iis fere viribus (scilicet contra serpentem morsus) pollent (vt quidam recentiores fatentur) flosculi syluestres roseo colore micantes, quos nonnulli syluestres garyophyllos, Matth. ¶ Gentiana, Auicen. Gentiana præcipuè aduersus angues, duabus drachmis cum pipere & ruta, vini cyathis sex, siue viridis siue sicca. Plinius. ¶ Gladioli radix superior, Matth. ¶ Glans decocta resistit serpentium ictibus, Plin. ¶ Glycysidis seu pœoniæ vtriusque semen auxiliatur à serpente percusis, Idem.

Helenium. Heliochrysum. Heliotropium. Heraclium. Hermetis confectio. Hierabotane. Hippomaratrū. Hippopotamus. Hyacinthus.

Helenij radix bibitur contra serpentiū ictus ex vino, Plin. ¶ Heliochrysum cōtra serpentiū ictus bibitur, Idem. ¶ Heliotropiū serpentibus resistit ex vino aut aqua mulsa, vt Apollophanes & Apollodorus tradunt, Idem. ¶ Heraclij communis vsus serpentes fugare, percusis esui dare decoctum, Idem. ¶ Hermetis confectio confert ad venena mortalia quando in potu sumitur cum aqua Gentianæ, Auicenna. ¶ Hierabotane aduersus serpentes conteritur ex vino, Plin. ¶ Contra morsus serpentum præcipuum remedium ex coagulo hinuli in matris vtero occisi, Idem. ¶ Petridius qui ophiaca scripsit, & Miction qui rhizotomumena, aduersus serpentes nihil hippomarathro efficacius putauere: Sane & Nicander non in nouissimis posuit, Idem. ¶ Hippopotami testiculi drachma ex aqua contra serpentes bibitur, Plin. Nicander in Theriacis. Hippopotami testes exiccati ac triti contra serpentiū morsus bibuntur. Dioscorid. ¶ Hyacinthi semen contra serpentes cum abrotono datur, Plinius.

Intubus. Inulæ. Iris.

Intubus cum aceto, Dioscor. ¶ Inulæ radix venenatorum morsus abigit. Plin. ¶ Iris contra serpentiū morsus ex posca valet, Idem. Iuniperi folia cum pipere, Auic. Iuniperi baccæ, Matth.

Lac. Lactuca. Laurus. Lemonium. Leontopetalus. Leporis coagulum. Ligea. Ligusticum. Lilium. Lychnis.

Lac quoduis recens contra serpentū ictus infunditur. Plinius. ¶ Lactucarum Syluestrium succus serpentiū ictibus medetur in vino potus, Idem. Dicunt quod lactuca asini emplastrata & bibita multum confert, Guil. Varign. ¶ Baccæ lauri cum vino serpentibus resistunt, Idem. Decoctæ & deuoratæ, Dioscor. Ægineta. Succus earum prodest contra ictus & potus, Plin. ¶ Lemoniū datur denarij pondere in vino contra serpentes, Idem. ¶ Leontopetali radix aduersatur omnium serpentiū generibus ex vino pota, nec alia res celerius proficit, Idem. ¶ Leporinum coagulum cum vino, Dioscor. Aëtius, Sextus: Cum aceto, Plin. Dioscor. ¶ Ligeæ herbæ folia & ramuli ex aceto hausti, Empir. ¶ Ligustici semen, Matth. ¶ Lilij radices multis modis florem suum nobilitauere, contra serpentium ictus ex vino potæ, Plin. ¶ Lychnis quoque flammea illa aduersus serpentes bibitur è vino, semine trito, Idem.

Malua. Mandragora. Medica mala. Melanthium. Menta. Minyanthes. Mora. Mus. Mustela.

Maluæ hortulanæ decoctio, Auicen. ¶ Mandragora bibitur contra serpentes, & ante sectiones punctionesq́;, ne sentiantur. Ob hæc satis est aliquibus somnum odore quæsisse, Plin. ¶ Medica mala & eorum semen, Matth. Si bouem aut aliam quadrupedem serpens momorderit, Melanthij acetabulum, & quod medici vocant smyrnium conterito in vini veteris hemina. Id per nares indito, & ad ipsum morsum stercus suillum apponito. Idem homini facito si vsus euenerit, Cato. ¶ Menta sumitur & contra scolopendras & scorpiones marinos & ad serpentes, Plin. Mentastri folia illinuntur bibunturq́; aduersus scolopendras & serpentiū ictus drachmis duabus in vini cyathis duobus, Idem. ¶ Celebratis auctoribus contra omnia venena pro antidoto sufficere 25. grana eius quod minianthes ex eo appellamus tradi, Idē. ¶ Mororū succus aduersatur venenis serpentiū, Idē. Folia mori trita aut arida decocta, serpentium ictibus imponuntur. Ad idemq́; potu proficitur. ¶ Muris domestici ius potū, Auicen. ¶ Mustela sale inueterata est inter auxiliaria medicamenta morsuum quos inflixere serpentes. Commendatur imprimis exenterata, quæ sale siccescēs inueteratur: ex qua binas drachmas cū vino bibisse satis est, Diosc. Ægineta. Si mustelæ catulos vel ipsam mustelam recentem ad ignē torrens depilaris & exenteraris, ac sale condieris, & in vmbra siccaris, farinam inde detritā lima sumpseris contra morsus serpentium, præcipuum remedium experiere, Nicander. Mustelę morantis in domo ius cum vino, Auicenna. Mustelæ ventres vsq; ad stomachum suum quum implentur coriandro & exiccantur, Idem.

Nardus. Nasturtium. Nereus. Nux.

Nardus Gallicus aduersus serpentes duabus drachmis in vino succurrit, Plinius. ¶ Nasturtium Auicenna. ¶ Nerei flores & folia, hominum contra serpentium morsus præsidia, Dioscorides. ¶ Nux cum ficubus & auellanis cum gentiana, Auicenna.

Oleum

Oleum de oleandro & folia eius, Auicenna. ¶ Est herba proprio nomine Onochiles, efficax contra serpentes & radice & folijs aequae cibo ac potu. ¶ Opobalsamum cum vino aut lacte potum. D.M. datur cum lacte contra aconitum haustum, & ictus serpentum. Empiricus. ¶ Opopanacum, Auicenna. ¶ Origani decoctum cum vino potum. Dioscorides. Testudo à serpentum esu aegrotans, origano superingesto sanatur, Zoroaster in Geopon.

Oleum. Onochiles. Opobalsamū. Opopanacum. Origanum.

Paeoniae semen, Matthiolus. ¶ Paliuri radicis decoctum in vino potū serpentibus aduersatur, Plinius, Dioscorides, Aegineta. ¶ Panacem Aesculapicum valere aiunt aduersus serpentes si bibatur erasum, Theop. de hist. pl. 9. Panacis generum omnium radix è vino contra serpentes medetur, Plinius. Persolata quam Graeci arcion vocant ex vino bibitur denariorum duûm pondere contra serpentes, Idem. ¶ Inter primas celebratur peucedanum laudatissimū in Arcadia, mox Samothrace. Succus efficacissimus est, qui resoluitur amaris amygdalis aut ruta, bibiturque contra serpentes, Idem. ¶ Phalangitae folio vel flore vel semine auxiliantur contra scorpionum, phalangiorumque & serpentū ictus, Idem. ¶ Nicander Phyios thalassium, id est fucum marinum aduersus serpentes in vino dedit, Idem. ¶ Piper largius esitatū, Dioscorides, Auicenna, Aegineta. ¶ Sunt & seruatis Piscibus medicinae, salsamentorumque cibus prodest à serpente percussis, & contra bestiarum ictus, mero subinde hausto, ita vt ad vesperam cibus vomitione reddatur, Plinius. ¶ In nucum genere pistacia nota. Prodesse aduersus serpentium traduntur morsus, & potu & cibo, Idem. ¶ Platani pilulae in vino potae x. quatuor pondere omnibus serpentum & scorpionū venenis medentur, Idem. Platani virides pilulae in vino decoctae, Dioscorides, Aetius. ¶ Polemoniae radix in vino bibitur contra serpentes, Dioscor. Polemonij quod & philetерium dicitur drachma 1. Aëtius. Polemonia vel Phileteria radicis drachmis quatuor ex mero, Plin. ¶ Polium Aëtius. ¶ Polyrrhizon folia habet myrti, radices multas. Hae tusae dantur in vino contra serpentes: prosunt & quadrupedibus, Plinius. ¶ Porrorum coma priuatim ex pane, Dioscor. Porrorum succus cum melle, Idem, Aegineta. Succus porri sectiui ad serpentum scorpionumque ictus bibitur cum mero, Plinius. ¶ Pseudanchusa contra serpentes efficacissima potu foliorū vel seminis, Idem. ¶ Pulegium bibitur ad ictus serpentū decoctum, Idem. Pulegij succus cum melle Dioscorides. ¶ Pyxacanthi baccae contra serpentum ictus bibuntur. Plinius.

Paeonia. Paliurus. Panaces. Persolata. Peucedanum. Phalangites. Phyios thalassium. Piper. Pisci seruati. Pistacia. Platanus. Polemonia. Polium. Polyrrhizon. Porri. Pseudanchusa. Pulegium. Pyxacanthus.

Quinque foliū aduersus serpentes bibitur: & eius radix, quae spargeniō vocatur, ex vino albo.

Quinquefoliū.

Contra omnium serpentum venena pro antidoto sunt ranae, si ex sale & oleo decoctae edun tur, iusque earum itidem sorbeatur, Dioscor. Ranas (cum vino vel aqua vel aceto) coque & bibe, Nicander in Theriacis. Auxiliantur ranae elixae & comestae. Verum siqui earum esum auersentur, ranas donec vietae reddantur coquito, & iusculum ipsum ignaris absorbendum praebeto, Aëtius. Ranae fluuiatiles, si carnes edantur, iusue decoctarū sorbeatur, prosunt & contra leporem marinū & contra serpentes, Plin. ¶ Rapi semen illitum & potum in vino contra serpentes & toxica salutare esse proditur, Idem. ¶ Reubarbarum confert morsui vermium venenosorum & serpentis, Auicenna. ¶ Rheum Ponticum cum vino in potu vsurpatum, Empiricus. ¶ Rhododendri folia quadrupedum venenum, homini verò contra serpentes remedium, ruta addita è vino pota, Plin. ¶ Veteris Rhu decoctū, Aegineta. ¶ Roris marini drachma. 1. Idem. ¶ Rubiae radix ex vino potata. D.M. aduersus serpentum morsus, ramulos cum folijs è vino bibere prodest, Empiricus. ¶ Ruta, Dioscorides. Rutae syluestris semen cum vino, Aetius.

Ranae. Rapum. Reubarbarū. Rheum. Rhododendrō. Rhu. Ros marinus. Rubia. Ruta.

Salsamenta quàm acerrima, Dioscor. ¶ Saluiae drach. 1. Aetius. ¶ Sambuci folia serpentum ictibus resistunt in vino pota, Plin. Proderit & caulē cum vino haurire Sambuci, Qu. Serenus. ¶ Sardium, Aetius. ¶ Scordotis ex vino, Plin. ¶ Serapinū, Auicenna. ¶ Morsi potabunt Serin. Aegineta. ¶ Serpentina in puluerē ex vino hausta cochlearis mensura, à venenoso quouis serpente demorsos breui tempore sanat: neque ea solum valet aduersus virulentos ictus, sed etiā contra epota venena, Matthiol. ¶ Serpillum pinguius voluntarium, & candidioribus folijs ramisque aduersus serpentes efficax, decoctis in vino ramis folijsque, Plin. ¶ Seseli Aegineta. ¶ Sicyoniae radicis succus, Idem. ¶ Sideritis ex vino, Plinius. ¶ Quidam duo genera smilacis dixere. Alterū imortalitati proximū in conuallibus opacis, scandentem arbores comantibus acinorū corymbis, contra venenata omnia efficacissimis, in tantū vt accinorū succo infantibus saepe instillato nulla postea venena nocitura sint, Plin. ¶ Smyrnium, Aegineta. Smirnij radix prodest contra phalangia ac serpentes admixta cachry aut polio aut melissophyllo in vino pota, sed particulatim quoniā vniuersa vomitionem mouēt, qua de causa aliquando cum ruta datur, Plin. ¶ Sonchos albus bibitur contra serpentes Scorpionesque, Idem. ¶ Staphisagriae flos tritus in vino contra serpentes bibitur. Semen enim abdicauerim propter nimiam vim ardoris, Idem.

Salsamenta. Saluia. Sambucus. Sardium. Scordotis. Serapinum. Seris. Serpentina. Serpillum. Seseli. Sicyonia. Sideritis. Smilax. Smyrnium. Sonchos. Staphisagria.

Testudo magna & salita, Auicenna. Testudinis marinae testes sumpti multum prodesse traduntur, Dioscorides. Testudinis marinę sanguis cum vino & leporis coagulo cuminoque contra serpentium morsus conuenienter bibitur, Idem. Testudinis sanguis contra serpentium omnium venena auxiliatur, seruato sanguine in farina pilulis factis: & cum opus sit, in vino datis, Plinius. ¶ Teucria ex vino, Idem. ¶ Theriaca venenum est serpentū, Auicenna. ¶ Thlapsi. Matthiolus. ¶ Trifolium scio credi praeualere contra serpentium ictus & scorpionum, ex vino aut posca, seminis granis viginti potis vel folijs, & tota herba decocta, Plinius. Trifolij bitumen olentis radix drachmae pondere, Aetius. Trifolij semen, Aegineta. ¶ Trixago. Aetius.

Testudo. Teucria. Theriaca. Thlapsi. Trifolium. Trixago.

Verbenaca. Verrinum iecur. Vetonica. Vitex. Vitis alba. Vitis theriaca. Vrtica.

Verbenaca aduersus serpentes conteritur ex vino, Plinius. ¶ Verrinum iecur contra serpentes laudatur, exemptis duntaxat fibris, quatuor obolorum pondere, vel cerebrum in vino potum, Idem. ¶ Vetonica cum vino, Qu. Serenus. ¶ Viticis semen cum vino tritum & potum, Aetius, Ægineta. Viticis semina aduersantur venenis serpentium, maximè quæ frigus inferunt. Minor vitex efficacior ad serpentes: bibitur seminis drachma in vino vel posca, aut duabus foliorum tenerrimorum, Plinius. ¶ Vitis albæ radix numerosis vtilitatibus nobilis, contra serpentium ictus trita drachmis duabus bibitur, Idem. ¶ Apud Thasios vitis Theriace vocatur, cuius & vinum & vua contra serpentium ictus medetur, Idem. Vua theriace contra serpentium ictus estur: pampinos quoque eius edendos censent imponendosque, vinumque & acetum ex his factum auxiliarem contra eadem vim habent, Idem. ¶ Vrticæ semen aduersatur serpentibus, Idem.

Xylobalsamũ.

Xylobalsami fructus cum vino potatus. D. M. venenatorum ictibus auxiliatur, Empiric.

De quibusdam solo tactu vel suctu serpentũ ictus sanantibus.

Superius capite 4. sub litera D. meminimus quorundam populorum, quorum corporibus talem vim ingenitam scribunt veteres, vt solo contactu serpentum ictus sanarent: quales fuerunt Psylli & Marsi & qui Ophiogenes vocati sunt: sicut Plinius, Ælianus & Æneas Syluius testantur. Callias lib. decimo historiæ quam cõscripsit de Syracusano Agathocle, ait, cum quis à serpente morsus fuerit, si Lybicus vir natione, Psyllus siue euocatus siue fortuitò aduenerit, et plagam adhuc tolerabiliter dolentem viderit, solam saliuam ictui morsuiue inspuentem, dolorem mitigare & perstringere. Sin percussum offenderit ægerrimè dolentem, intra dentes permultam aquam haurire, & os suum primò ex ea colluere, post verò eam in poculum iniectam, vulnerato exsorbendam tradere. Quod si veneni acerbitas acrius inualescit, hunc ægrotanti nudo nudum accumbere, & proprio suo corpore morbi vim frangere, & malo hominem liberare. Hoc autem ita se habere idoneus testis etiam Nicander Colophonius fuerit, cuius versus adscribam:

Audiui Libycos Psyllos, quos aspera Syrtis
Serpentumq́; ferax patria alit populos,
Non ictu inflictum diro, morsúue venenum
Lædere: quin læsis ferre & opem reliquis,
Non vi radicum, proprio sed corpore iuncto. Et quæ sequuntur: Ælianus.

Proditur à Græcorum nonnullis, Vulcani antistites in Lemno aduersus ictũ serpentium medica valere virtute. Quo argumento Philoctetem apud Sminthei Apollinis aram ictu serpentis vulneratum, illuc medicinæ gratia esse missum. Cœl. Rhodig. Neque Herculis scientiã præcipuã habent hi qui Psylli nominantur (scilicet serpentum ictus suctu sanandi) sed audaciam vsu ipso confirmatam. Quisquis enim eorum exemplum secutus, vulnus exuxerit, & ipse tutus erit, & hominem tutum præstabit, Cornel. Celsus. Galenus libro de theriaca ad Pisonem testatur Marsos qui suo tempore extabant, contra serpentum venena, nullam vtique propriam habuisse facultatem, sed fraude quadam vniuersam decepisse plebeculam. Circulatores (inquit) hi nunquam congruo tempore viperas venantur, sed multò post vernationem, cum non amplius vigent. Captas autem ipsas crebrò sibijpsis assuefaciunt, & cibis non solitis enutriunt: imò carnes ipsis per mittentes, & continuè mordere cogentes, vt virus ex earum ore vacuetur efficiunt: quinetiam mazas quasdam obijciunt, quæ dentium foramina obstruant. Atque hac ratione morsus fiunt imbecilles, vt videntibus magnum sit miraculum, talis ipsorum ad fraudem parandam artificij imperitis. Hæc Galenus. Cæterum id fraudis doliue genus, nostro etiam tempore locum habet, in his præsertim circulatoribus & circumforaneis, qui ex diui Pauli stirpe (quod tamen planè mentiuntur) se prognatos prædicant, &c, Matthiolus.

De Serpentibus os dormientum ingredientibus.

Serpentes aliquando os dormientum ingredi dicuntur, vnde poëta de tempore quando serpentes conspiciuntur, Non mihi tunc libeat dorso iacuisse per herbam, Incertus. Interdũ clanculum adrepentes in os patens dormientis conijciunt sese & in stomachũ sese cõuoluunt. Tunc miser homo afflictissime viuit, nec est vllũ mali leuamen, nisi vt lacte alijsque gratissimis serpenti cibis alat hospitem. Remedium autem aduersus tantum malum est comesum affatim allium, Erasmus dial. de Amicitia. Referunt, quendam qui viperam dormiens deuorauerat fumo corij liberatum, illa refugiente fumum quem æger excipiebat (vt dicetur in Vipera) Cardanus.

Serpentis oua comesta quomodo remedio murænæ reddãtur innoxia.

Vir quidã Cissus nomine, Serapidis cultui deditissimus, petitus insidijs mulieris quam prius amatam, deinde vxorem duxerat, cùm oua serpentis deuorasset, angebatur & miserè affligebatur, ita vt à morte parum abesse videretur. Rogatus autem ab eo Deus, murænam viuam præcepit emendam, & manum viuario seu vasi, in quo seruaretur, immitendam. Paret ille, manum immittit: cui muræna mordicus inhæret: & cùm auelleretur, simul cum ea morbus etiam iuuenis illius euulsus est, Ælianus.

H.

a. Serpens à serpendo dicitur. Nomen est tam masculini quàm fœminini generis, generale ad omnia quæ serpunt citra vsum pedum: vel quæ tam exiguos habent pedes vt repere potius, quàm pedibus incedere videantur, Calepinus. Festus vult serpentes dici ex græco ἑρπετὰ, pro respiratione s litera posita vt ἕξ sex, ἑπτὰ septem. ¶ ὁ ὄσφις ὁ ὄφις κατὰ γλῶσσαν. Eustathius.

¶ Ἄργης

¶ Ἀργῆς ὁ ὄφις κατὰ γλῶσσαν, ὅθεν ἀργειφόντης κατά τινας ὁ ὀφιοκτόνος, Idem. Ἀργὰς quoque vel ἄργας paroxytonum, Hesychio dicitur ὄφις: vt Harpocration quoque annotat, Dores, maximè autem Argiuos, ἀργᾶν vocasse τὸν ὄφιν veluti Achæum in Adrasto. Timarchum tamen Rhodium scribere non κατὰ γλῶσσαν ita vocari τὸν ὄφιν, sed ἀργᾶς esse γένος τι ὄφεων quosdam verò draconis epitheton esse velle τὸ ἀργᾶς, &c. ¶ Δάκος propriè animal morsu aut ictu homini nocens, θηρίον ἰοβόλον ἑρπετὸν, vt Suid. exponit. Vnde Δάκετον pro eodem sumitur. ¶ Δερμηστὴς, vermis ὁ τὰ δέρματα ἐσθίων, serpens, Etymologus. Δίβαν, ὄφιν Κρῆτες καλοῦσιν, Hesychius. Idem eosdem nimirum Cretenses δίψατον ὄφιν vocare testis est. ¶ Κίναδος, θηρίον, ὄφις, Idem. ¶ Κνώδαλα propriè vocantur τὰ θαλάσσια, παρὰ τὸ κινεῖσθαι ἐν τῇ ἁλὶ; abusiuè autē nunc sic dicuntur, οἱ ὄφεις, & ab Oppiano vniuersa τὰ τῶν θηρίων γένη. Scholiastes in Nicandrū. ¶ Ὀφίδιον serpens pusillus anguiculus. ¶ Serpula apud veteres idē quod serpēs. Serpula serpserit, aut idem Messala pro serpens irrepserit, Festus. Ἔμβρυα dicuntur fœtus qui adhuc sunt in vtero. καλοῦσι δὲ τὰ τῶν ὀρνίθων, καὶ τὰ τῶν ὄφεων καὶ τῶν κροκοδείλων, Aelianus. Catuli dicuntur & serpentum fætus, vt apud Vergil.

Compositis nouus exuuijs, nitidusque iuuenta
Voluitur, aut catulos tectis, aut oua relinquens. Non. Marcellus.

¶ Epithe. Anguis seu serpens, frigidus: Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis, Vergilius. Squameus: Non illū squamea tutò aggreditur serpens, Politianus. Torto non squammea tractu signat humum serpens, Nemesianus. Tortus: Tortosque Ixionis angues, Vergil. Georg. 3. Cæruleus: Cæruleosque implexæ crinibus angues, Eumenides, Verg. Georg. 4. Afer: Velut illis Canidia afflasset peior serpentibus Afris, Horatius. Maledictus, Iosephus. Ater, Iuuenalis Satyr. 5. Sinuosus, Alciatus. Maculosus, reflexus, lubricus, intortus, maurus, martius, ferus, trux, tumidus, auidus, gorgoneus, venenatus, Lybicus, squallens, minax, implicitus, horridus, lætifer, atrox, horrendus, viridis, marsus, textilis, voluminosus, sibilans, squamosus, horribilis, retortus, veneniger, sæuus, squamiger, pestifer, teter, toruus, Textor. ¶ Ἀνίγρους ἑρπηστὰς vocat Nicander. Item ἀπεχθέα κνώδαλα γαίης, Idem. ψυχρὸς ὄφις, Theocritus. ἰοβόλος, Suidas.

¶ Serpentinus color, Cæl. Rhodig. fortè maculosus vt ophitæ marmoris. Serpentiger. Sphingasque & Harpyias, serpentigerosque Gigantes, Ouidius Trist. 4. Serpentipedes & anguipedes gigantes à poëtis etiam dicuntur, qua centum quisque parabat, Inijcere anguipedum captiuo brachia cælo, Ouidius 1. Metam. Sic autem dicti sunt quasi loripedes, quòd pedes tortuosus habuisse finguntur, sicut angues se tortuosos faciunt. Serpentigena, ex serpentibus natus. Vos serpentigenas in se fera bella dedistis, Ouidius. Serperastra sunt quæ discentibus ambulare infantibus, vt Varro significat, adhibentur alligata geniculis, ne vaciæ fiant vel compernes, Cæl. Rhodig. ¶ Anguineum cucumerem Columella vocat cucumerem agrestem.

Ὀφιακὸς Ad anguem seu angues pertinens. Ὀφιακὸς liber Nicandri de serpentibus conscriptus. Ὀφιοβόρους à Pythia dictos fuisse Spartiatas, testatur Plutarchus in lib. de orac. Pyth. quod scilicet quodam famis tempore serpentes vorassent. Ὀφιογενεῖς populi quidam dicti sunt, qui ob familiaritatem quandam cum serpentibus eorum ictibus medebantur, quasi à serpentibus originem ducerent: de quibus supra. Ὀφιόδηκτος, A serpētibus morsus. Ὀφιοειδὴς, serpenti similis. Ὀφιόπους γωνὴ, apud Suidam, id est repens, serpentis modo incedens: nam serpentes sunt ἄποδες. Ὀφιοφάγοι populi serpentibus vescentes de quibus supra. Ὀφιώδης serpentem referens vel serpentibus abundans. Ὀφιόνεος, Anguineus, Oppianus.

Icones. Visebatur in Delphis apud oraculum serpens qui singulari certamine videretur Apollinem prouocare, obseruatum à Plutarcho, Pierius. Hermupoli Typhonis simulachrum ostendunt, equum fluuiatilem, cui insistit accipiter serpentem impugnans. Per equum quidem demonstrantes Typhonem, per accipitrem verò vim & principatum, quo ille violenter sibi quæsito sæpe per improbitatem tum ipse turbari, tum alios perturbare sua sponte voluerit, Plutarchus in lib. de Iside & Osiride. In Scuto Herculis inter alia hæc picta erant: Ἐν δ᾽ ὀφίων κεφαλαὶ δεινῶν ἔσαν ἐπ φατειῶν: id est,

Bis sena hic videas stridentibus effera flammis
*Colla, venenato vultu maculosa, *draconum:* *id est serpentum
Tum magis offenso spirantia gutture virus,
Quam magis Alcides effuso sanguine pugnat, &c.

Clypeoque insigne paternum, Centum angues, cinctamque gerit serpentibus Hydram, Virg. 7. Æneid. de Auentino. Hippodromi picturæ cum cippo è tribus ceu serpētibus inuoluto, quorū capita prominent in sumo meminit Theuetus de Oriente cap. 17. Manethon Ægyptus author, quisquis ille fuit, ait Oscum, qui Tyrrhenis imperauit, insigne serpentis habuisse: Oscosque ait Seruius, populos dici vbi plurimum serpentes abundant, in Campania quippe, Pier. ¶ In tabula septentrionali Olai magni pingitur pastor cum serpētibus pugnans, & ab ijs greges defendens. ¶ Caduceus (κηρύκειον) baculus habens vtrinque duos serpentes implexos, & inter sese aduersos, quem præcones seu caduceatores secum ferebant: nec eos violari fas erat, quocunque venissent. Rectus autem baculus, signum erat rectæ rationis: serpentes ex vtraque parte, aduersos exercitus significabant, quos ambos recta ratio peruaderet, Suidas. Caduceus Mercurio *De Caduceo serpentibus insignito.*

consecratus serpentibus duobus insignitus erat parte media voluminis sui inuicem in nodum quem Herculis vocant obligatis, quorum primæ partes reflexæ in circulum presis osculis ambitum circuli iungunt, caudæ verò ad Caducei capulum reuocantur, ornanturꝗ alis ex eadem capuli parte nascentibus, Pierius. Hic tamen amplexus anguium (agens de ouo anguineo de quo in angue) & efferatorum concordia causa videtur esse, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circundata effigie anguium fecerint. Plinius. Hinc emblema Alciati:

Anguibus implicitis, geminis caduceus alis
Inter Amaltheæ cornua rectus adest.
Pollentes sic mente viros, fandiq́ peritos
Indicat, vt rerum copia multa beet.

Hieroglyphica.

¶ Bacillum, cui serpens circumuolutus est, non modo apud Hebræos, & in sacris literis in quibus legimus serpentis in cruce positi aspectu populum Israelis à morte liberatum fuisse: verum etiam apud Ægyptios & Romanos animæ atꝗ corporis salutare symbolum fuit: Nam cùm cætera omnia reptilia crassioris & magis terrenæ sint substantiæ, serpentem spiritus & vitæ tenacissimum animal esse constat, quod & imbecillitatem corporis exuat, & ad medicinam vtilissimum sit, & ad acuendum visum herbam inuenisse, nec non ad sese in vitam reuocandam quandam herbam agnoscere traditur, Cæl. August. Curio. Ægyptij os significantes, serpentem pingunt, quoniam serpens nullo alio membro valet nisi ore, Orus. Anguis apud Ægyptios hieroglyphicum est Spiritus illius qui per vniuersum mundi molem difflatur, Pierius. Ægyptij mundum exprimere volentes, serpentem pingunt, qui suam ipsius caudam rodat, varijs interstructum squammis: per squammas quidem stellas quibus cœlum mundúsue distinctus est, obscurè innuentes. Cæterum hoc animans non secus ac terra grauissimum est, læuissimum autem ac maximè lubricum, in aquæ morem. Insuper vt serpens quotannis pelle simulꝗ senio exuitur, sic & annus vertens, qui mundi circumactu producitur, immutatione facta renouatur, ac veluti reiuuenescit. Quod verò velut cibo suo vtatur corpore, significat id, quæcunque Dei prouidentia in mundo gignuntur, ea rursum in eundem resolui & tanquam imminutionem sentire, (ea cum solui ceperint, siue paulatim imminui ac dificere, in sese recipi, ac decrementum vniuscuiusque rei alterius esse incrementum, Pierius.) Orus. Serpens apud Ægyptios caudam sibi mordens annum & astra significabat, Textor. Erat aliud hieroglyphicũ serpentis, caudam suam sub guttur attractam occultantis, easque species in Saturni dextera manu statuebatur, quem pro annuo circuitu, pro tempore, pro ætate, pro immortalitate poni ex multorum scriptis accepimus, Pierius. Sunt qui aliam etiam picturam simulachrúmue mundi fuisse dicant, vt scilicet intra circulum æreum serpentis effigiem accipitrino capite insignem circunducerent, ad ⊙ propemodum literæ similitudinem, Idem. Ægyptij regem pessimum (κάκιστον, Pierius verò legit κάλλιστον, id est optimum) significantes, anguem pingũt in orbis figuram, cuius caudam ori admouent, nomen verò regis in media reuolutione scribunt, obscurè innuentes, se regem pingere orbi imperitantem. Porrò angui apud Ægyptios nomen est Meisi. Aliter quoꝗ regem custodem significantes, anguem quidem vigilantem pingunt, sed pro regis nomine custodem adnectunt. Hic enim totius orbis custos est. Itaꝗ regem assiduè vigilantem esse oportere. Rursus regem orbis moderatorem existimantes & indicantes, ipsum quidem anguem pingunt, sed in eius medio magnam domum effingunt ac repræsentant: nec sanè absꝗ ratione. Regia enim domus quæ ab eo regitur in mundo. Rursus regem non toti orbi sed parti duntaxat imperantem volentes significare, anguem dimidiatum pingunt, regem quidem per ipsum animal, non toti verò orbi imperantem, ex eo quod dimidiatus sit, designantes. Omnium autem moderatorem ex eiusdem animalis perfectione significant, rursum integrũ pingentes anguem, Orus. Indicandi dominij causa, in Iunonis dextera serpentis caput statuebatur, in læua verò lapideum sceptrum, cum Iuno ipsa dominij præses apud gentes habebatur, Pierius. Qui serpens sacerdotum insigne oblongo obuolutus pileo gestabatur, munimento erat, vt signis contra reges (penes enim sacerdotes Ægyptiorum erat imperium) auderet insurgere, sciret se in venenatos angues incursurum, Idem. Sunt qui per anguem & leberida hieroglyphικῶς hominẽ ostendunt, iuuentuti redditum, si vel de morbo aut alia aliqua calamitate squallorem atꝗ maciem deposuerat, sitꝗ demum habitior atque validior factus, Idem. Occultam sanè rerum originem per serpentis effigiem Valentiniani commonstrabant, positionem intestinorum nostrorum per quæ esca infertur in exemplum adducentes, quæ serpentinæ spiræ instar in vtero delitescens, occultatæ in nobis genitricis substantiæ specimen habeat, Idem.

De syderibus ὄφει & ὀφιούχῳ.

¶ ὄφις est etiam syderis nomen. Cicero anguem, Auienus serpentẽ interpr. apud Aratum, Griphus est apud Athenæum, quænam eadem in cœlo, terra, & mari habeantur: ad quem respondetur, Vrsus, serpens, aquila & canis, addo & leporem. ¶ ὀφιοῦχος sideris etiam nomen est apud Aratum & cæteros Astronomos, quem Latini anguitenentem: alij ophiuchum alij anguiferum vocant. De hoc Cicero in suis Phænomenis propter caput anguitenentis, Quem claro perhibent ὀφιοῦχον nomine Graij, Hic pressu duplici palmarum continet anguem. Columella lib. 11. cap. 2. 11. cal. Iulij. Anguifer quum mane occidit, tempestatem significat. Sic autem

dicitur

dicitur hoc ſidus quòd hominis effigie fingi ſoleat anguem manu tenentis. Vnde nonnulli Herculem eſſe putauerunt, qui adhuc in cunis vagiens, angues à Iunone immiſſos manibus præfocauit. Sunt tamen qui Ophiuchum Æſculapium eſſe velint, alij Canobanta Getarum regem; alij Phorbantem Triopæ Theſſalorum regis filium. Vide Higinum.

De Ophite lapide.

¶ Ophitæ genera multa: quidã ponderoſus & niger: alter cinereo colore ſpectatur, punctis diſtinctus: tertius lineis quibuſdam candidis intercinctus eſt. Omnes alligati contra capitis dolores & ſerpentium ictus proſunt, Dioſcorides lib. 5. Ophites marmor ſerpentium maculis ſimile, vnde & nomen accepit. Ex Ophite columnæ, ſed paruę admodum inueniuntur. Duo eius genera, molle candidum, nigricans durum. Dicuntur ambo capitis dolores ſedare adalligati & ſerpentium ictus, Plinius lib. 36. ca. 7. Ophites quem vocant lapis vſtus extergendi confringendiq́ vim poſsidet, ceu etiam nitrum, Galenus lib. 9. ſimpl. medic. Ophites marmor quod vulgò vocamus ſerpentinum, porphyritæ ferè lapidis inſtar duriſsimus eſt, colore minimè nigricante, nec candido, nec cinereo, vt in ſuo requirunt, Dioſcorides & Plinius, ſed viridi ſaturato dilutis eiuſdem coloris maculis reſperſo Ex quo ſanè conſtat antiquorum Ophitem à noſtrate maximè fuiſſe diuerſum. Matthiolus. Plures ſerpentini lapides hodie cernuntur, colore virides, duriſsimi, multis punctis maculati. Sed quod odorem qualem Dioſcorides ait, ſpirent, pauci hucuſq́ viderunt. Ego verò vaſculum quoddam vidi ex lapide iſto fabrefactum, quod cum fricabatur, non inſuauem ex ſe ſpirabat odorem: contendebant verò nonnulli, vaſculum hoc ex illis eſſe, in quibus imperatores Romani theriacam ſeruabant: nam & lapidem iſtum, contra ſerpentium morſus, & venenum valere Dioſcorides teſtatur, Amatus Luſitanus. Ophicardelon (gemmam) Barbari vocant, nigrum colorem binis lineis albis includentibus, Plinius. Alazaracoen, id eſt, petra ſerpentaria, & eſt tribus modis, vna quaſi nigra, alia ſubuiridis immiſtis lineis albis, & alia viridis, Aut. exp.

De herbis & plantis à ſerpente nomen deducentibus.

¶ Luf eſt herba quæ dicitur luf ſerpentis, & eſt ſerpentaria, Aut. exp. Dracunculi radix quæ & ſerpentaria vocatur, ab Arabibus luf vrinam pellit, &c. Iohan. Meſuæ. Inuenitur coronopus ſponte naſcens diluto extenuatoq́ ſolo in comitatu Goritienſi quam inibi ſerpentinam appellant, quod eius radix in vino pota animalium venenoſorum morſibus maximè aduerſetur, ſitq́ præcipuum remedium, ita vt ipſa ſola liberet demorſos, Matthiolus. Serpentinas audio vocari quaſdam è genere cucurbitarum ob coloris varietatem ex Barbaria allatas. ¶ Ophis herba eſt apud Hippocratem, cuius ſemen muliebribus medicinis vtile, Hermolaus. Ophiuſa in Elephantine Æthiopiæ herba eſt liuida, difficiliſq́ aſpectu, quæ pota terrorem minaſq́ ſerpentium obuerſari facit, ita vt mortem ſibi eo metu conſciſcant, ob id cogi ſacrilegos illam bibere, Plinius. Ophioctonon herba quæ notiore nomine Elaphoboſcum appellatur, ita dicta quod ſerpentes enecare credatur. Herbariorum vulgus Gratiam Dei appellat, teſte Ruellio. Ophiogenium herba eſt eadem. Opheoſtaphyle, id eſt, vua anguinea, ſic vocatur capparis frutex, teſte Plinio lib. 13. c. 23. Ophioſtaphylos, vitis alba, Dioſcorides, & Plinius. Allium eſt ſylueſtre, quod Ophioſcorodon: id eſt, anguinum vocant, Dioſcorides. Ophiogloſſos, id eſt, lingua ſerpentina dicitur à nonnullis herba quædam quam inter Dracunculi ſpecies referunt, ſic vocata quod in cacumine pallidam ſerpentis lingulam gerat, Matthiolus.

Animantia à ſerpente denominata.

¶ Inuenio apud authores Græcos animal ceruo minus & pilo demum ſimile, quod Ophion vocatur, Sardiniam id tantum ferre ſolitam: Hoc interijſſe arbitror, Plinius. Ὀφιομάχης, Ophiomachus genus cicadæ ſine alis, Suidas. Ophiomachus lacerta à Græcis dicitur quod cum ſerpentibus pugnet, Calepinus. Ophioctene ſcolopendræ genus ab enecandis anguibus dictæ, inquit Marcellus Vergil. apud Dioſcoridem lib. 7. c. 6. Ὀφίυρος auis quædam in Æthiopia, Heſychius. Ὀφιοφάγος Ibis eſt Heſychio. Inter piſces maris incolas Ophidion numerat Plinius lib. 31. cap. vltimo quem piſciculum eſſe congro ſimilem, eodem libro cap. 9. ſcribit ὄφις Heſychio eſt etiam piſcis quidam: forte anguilla Latinis ab angue dicta.

Nomina propria virorum à ſerpente deſumpta aut deriuata.

¶ Viri cuiuſdam, cui nomen ὄφις, meminit Euſtathius in Δ. ¶ Ophion ſocius Cadmi fuit, & in Thebis ædificandis adiutor: ita dictus, quod è ſerpentium dentibus fingatur prognatus: fortè idem eſt qui Echion ab Ouidio dicitur Metam. 3. Eſt etiam Ophion nomen filij Oceani, qui cum vxore Eurynome ante Saturnum rerum eſt potitus, Claud. lib. 3. de rapt. Proſ. Hos onerat ramos exutus Ophion. Ophion etiam fuit gigas apud Homerum. ¶ Ophioneum Meſſeniorum vatem Pauſanias ſcribit, ſemper à natali ſtatim die luminibus captum & priuatim & publicè vaticinia peregiſſe. Id mirabilius multò, poſt vehementiorem capitis dolorem videre cœpiſſe, ac mox relapſum ad cæcitatem denuo, Cæl. Rhodig. Nos in literis antiquioribus ab Pherecyde traditum obſeruauimus, Dæmonas olim cœlo lapſos, quod noſtra continet doctrina, Ophioneumq́ nuncupatum, hoc eſt dæmonicum ſerpentem, qui anteſignanus fuerit agminis, à diuinæ mentis placito deficientis, Idem. ¶ Oſcos Seruius Æneid. 3. Capuenſes interpretatur, qui antea Ophici appellati ſint, quòd illic plurimi abundauêre ſerpentes. ¶ Spartani Ὀφιόδειεοι à Pythia quondam nuncupati ſunt quod cum tempeſtate quadam ſerpentium multitudo mira in Laconia ſuccreuiſſet, factaq́ inde annonæ caritas eſſet incredibilis, coacti ſint indigenæ ſerpentes in eſcam humanam vertere (vt iam anteà retulimus) Cæl. Rhodig. ¶ Ophitę

hæretici(qui & ophei & ophiomorphi) à colubro (seu serpente) nominati sunt. Hunc autem ser-
pentem qui decepit Adam & Euam Christum arbitrantur. Habent etiam verum serpentem,
quem nutriunt & venerantur, qui & incantante sacerdote egreditur de spelunca, & ascendit su
per altare innixum speluncæ, & oblationes eorum lambit, & inuoluens se circa eas regreditur
ad speluncam, & ita confringunt oblationes in Eucharistiam, quasi à serpente Christo sanctifi-
catas, August. lib. de hæresibus.

Nomina pro-pria regionum fluuiorum, etc.
¶ Ebusi terra serpentes fugat, Colubraria parit. Ideo infesta omnibus, nisi Ebusitanam
terram inferentibus. Græci Ophiusam dixere, Plinius. In tractu maris Cretensis Ophiussa, &c.
Idem. Tenon insulam propter aquarum abundantiam Hydrussam appellatam, ait Aristoteles,
alij qui Ophiussam, Idem. Τῆνος vna cycladum Ὀφιοῦσσα dicta, quòd multos serpentes & pessi- 1
mos scorpios alat, Eupolides. Ab Istro oppida, Cremniscos, Æpolium, montes Macrocremnij,
clarus amnis Tyra, oppido nomen imponens, vbi antea Ophiusa dicebatur, Plinius. Rhodus
vocitata est antea Ophiusa, Idem, Strabo: à serpentum multitudine, Heraclides. Inter insulas
Propontidis, Ophiusæ etiam meminit Plinius. ¶ In sinu Arabico insula est longitudine sta-
diorum octoginta, nomine Ophiades, olim deserta cultoribus, ob serpentum (vnde & nomen
sumpsit) in ea diuersantium multitudinem. Postmodum regum Ægypti opera serpentibus
purgata est, ad cultumque redacta, ita vt nulli in ea amplius conspiciantur, Diod. Siculus. Cy-
prum Ὀφιώδη vocat Nicænetus apud Parthenium ἐρωτικῶν cap. 11. ¶ Ophites locus, Eusta-
thius. ¶ Ὄφεως κεφαλὴ apud Pausaniam loci nomen. ¶ Ophis fluuius in ponto Colchorum
regionem à Thiamica diuidit, Arrianus in periplo ponti Euxini. Ophites fluuius qui & O- 2
rontes, Suetonius.

Ὄφεις ornamenta brachiorum.
Ὄφις & Ὀφίασις morbus capitis.
Ὄφις καὶ τὸ χρυσοῦν περιβραχιόνιον λέγεται, Hesych. ὄφεις τὰ δρακοντώδη γινόμενα ψέλλια, Idem.
Quæ circa manuum iuncturam ferunt, præsertim mulieres, ornamenta pericarpia nominan-
tur, & echini, ophis, psellia, chlidones, &c. Cælius Rhodig. ¶ Ὄφις, ψίλωσις τριχῶν, περι-
λαμβάνουσα τὴν κεφαλὴν στεφάνης δίκην, μάλιστα ἐπὶ παίδων, ἔσθ᾽ ὅτε καὶ τὸ ὄμμα φθείρουσα, Pollux.
Dicitur etiam morbus ille Ophiasis. Est autem affectus capitis, quo capilli primum extenua-
ti, postea decidunt, certis spatijs in serpentis similitudinem: Incipit (ait Celsus lib. 6. cap. 4.)
ab occipitio: duorum digitorum latitudinem non excedit, ad aures duobus capitibus serpit:
quibusdam etiam ad frontem, donec se duo capita in priorem partem committant. Sic dicitur
quòd serpentis speciem præ se ferat. 3

Typhoeus centum capita serpentum gerens.
Pedes anguineos habentes Boreas. Heniochus. Cecrops. Lamia.
Anguimani Elephanti.
Linguæ serpentinæ.
b. Typhoeus planè monstrosus è Tartaro & terra genitus, Ἐκ δέ οἱ ὤμων ἦν ἑκατὸν κεφαλαὶ
ὄφιος δεινοῖο δράκοντος, Γλώσσῃσι δνοφερῇσι λελειχμότες, &c. Id est, Ex humeris ei erant centum
capita serpentis horrendi draconis linguis nigris lambentia, Hesiodus in Theogo. ¶ Bo-
reas Orityiam rapiens οὐρὰς ὄφεων ἀντὶ ποδῶν ἔχων pingitur, Pausanias Eliac. 1. Heniochus Erich
thonius crura anguinea habuit, primus equos quadrigas iunxit, Higinus. Cecrops τὰ κάτω ὀ-
φιώδης, Aristophanes. Cecrops διφυὴς secundum aliquos, quòd ab inferiore parte serpens fue-
rit. In Libya sunt feræ facie muliebri, ima parte serpentes, alas non habent quemadmodum
sphynges, &c. Dion in historia Libyca, vt in Lamiæ historia pluribus dictum est. ¶ Angui-
mani Elephanti dicti sunt quod manum siue proboscidem flectunt & contorquent vt angues
propria corpora. Testudines ceruice sunt anguinea, Pacuuius. ¶ Dentes Carchariæ lamiæue 4
Rondeletius, & lamiæ priuatim Bellonius, linguas serpentium vocari aiunt, & auro argentóue
includi, &c. vt in historia canis Carchariæ dictum est, vbi etiam fit mentio cuiusdam lapidis ge
neris, quem à linguæ figura serpentis linguam quidam nominant cuiusque icon cum descriptio-
ne ex Cosmographia Orientis Andreæ Theueti monachi Galli apposita est. ¶ E serpentis ma-
xilla serram inuenit puer Attalus, Tzetzes.

Similitudines sumptæ à serpentibus.
c. Atra hominum ceu serpentium lingua vibrat, tabésque animi contrectata adurit o-
mnia, &c. Plinius. Sicut cùm quis fugit à facie leonis, & occurrit ei vrsus, & cum ingre-
ditur domum & reclinat manum suam super parietem, mordet eum serpens: sic dies domi-
ni, &c. Amos 5. Tria sunt mirabilia apud me, imo quatuor quæ non cognoui. Via aquilæ in
cœlo, via serpentis super petram, & via nauis in medio maris, & via viri cum adolescentula, Pro 5
uerb. 30. Teutones equo generoso volebant adesse inter cæteras aliarum animantium virtutes
Ὁλκός.
de serpente oculorum aciem & gyros. ὁλκὸς tractus & cauda serpentis, Varinus. Luna proser
Luna proserpina cur dicta.
pina dicta quòd hæc vt serpens modò in dextram modò in sinistram partem latè mouetur. Ser-
pere & proserpere idem dicebant: vt Plautus qui scribit, quasi proserpens bestia, Varro.
χιλείαι. χειά.
¶ Τρόχμαλοι, ὄφεων καταδύσεις, Eustathius. Χιλείας ταῖς καταδύσεσι, παρὰ τὸ χεῖσθαι ἐν αὐταῖς τοὺς
ὄφεις, Scholiastes Nicandri. Χειὰ ἡ κατάδυσις τῶν ὄφεων καὶ δρακόντων, Hesychius. Χειὰ ὁ φωλεός,
καὶ ἡ τῶν ὄφεων κατάδυσις παρὰ τὸ χείω ὃ δηλοῖ τὸ χωρῶ, Eustathius. Παρὰ τὸ χῶ τὸ χωρῶ quasi χειά,
quasi receptaculum serpentis. dicuntur autem hæc loca ἦλυοι, καὶ τρόχμαλα καὶ αἱμασιαί, Etymo-
Cur serpentes senectutem exuant.
logus. Almabucase, id est exercitium in quo continetur serpens, Syluaticus. ¶ Crudeles Di-
ui, serpens nouus exuit annos, Formæ non vllam fata dedere moram. Anguibus exuitur tenui 6
cum pelle vetustas, Cur nos angusta conditione sumus? Tibullus. Qua ratione autem factum
sit vt serpentes senectutem exuant, talem authores Græci adferunt fabulam. Contenderunt
quandoque

quandoque homines à Dijs iuuentam contribui, vti ne vnquam senescerent. Voti compotes asello gestandam imposuerunt: at is sitiens vehementius, quum aquas comperisset, iam iamque adlubesceret, loci adseruator serpens inhibuit: nec permissurum se prius asseuerauit, quàm onus sibi foret condonatum: quod & asellus nimis arescens facilè concessit. Quo argumento senectutem abijcit serpens: at senio conficiuntur homines. Illi tamen aselli agglutinata est sitis, quam & morsu læsis inijcit (vt amplius in Dipsadis historia dicemus.) Alij fabellam ad Prometheum reijciunt, à quo surreptus ignis cum esset mortalibus traditus, qui acceperant primum, beneficij haud memores satis, rem aperuerunt: id collaudans Iupiter, ἀγηρασίας pharmacum illis retribuit. Quod asello mox est iniectum, inde reliqua fere, vt prius. Cæl. Rhodig. ex Sophocle, Nicandro, Æliano, & alijs.

¶ Fertur aliquando serpens ingens visus Olympiadi Alexandri matri dormienti accubans: Vnde Alexander à Ioue in serpentem conuerso genitus est habitus, Plutarchus in vita Alexandri Magni. Quod de Olympiade Philippi regis vxore Alexandri matre in historia Græca scriptum est, idem de P. Scipionis quoque matre, qui prior Africanus appellatus est, memoriæ datum est. Nam & C. Oppius & Iulius Higinus, alijque qui de vita & rebus Africani scripserunt, matrem eius diu sterilem existimatam tradunt. P. quoque Scipionem cum quo nupta erat, liberos desperauisse. Postea in cubiculo atque in lecto mulieris, cum absente marito cubans sola obdormisset, visum repente iuxta eam cubare ingentem anguem. Eumque, ijs qui viderant territis & clamantibus, elapsum inueniri non quisse; idipsum P. Scipionem ad aruspices retulisse. Eos sacrificio facto respondisse, fore vt liberi gignerentur, &c. Gellius libro septimo, cap. primo.

De Alexandro Magno & Scipione Africano qui à serpentibus geniti existimati sunt.

¶ Egemon in Dardanicis versibus cùm alia de Aleua Thessalo conscribit, tum in eius amorem inusitata magnitudine serpentem cum ad Thessalicum fontem, nomine Hæmonium, boues pasceret, venisse, sensimque adrepere ad adamatum solitum fuisse, & comam quam ille auream haberet, osculatione prosecutum fuisse, & faciem linxisse, Ælianus. Legimus apud Plutarchum serpentes puellarum amasios aliquando depræhensos esse, omniaque amoris & nequitiæ signa præbuisse: veluti is qui Ætoliæ cuiusdam amore captus, noctu eam adire suetus, puellæ corpori circumfusus, hac atque illac illabens, illam nunquam neque vltro neque inuitus lædebat, opportuneque sub diluculum recedebat: quod cum ij quibus puella curæ fuerat intellexissent, eam alio migrare compulerunt: serpens per triduum & quatriduum non adesse, sed diligenter accurateque circuire illam quæritans: quam vbi mox inuenit, casu illi obuiam factus, non vti solitus erat mitis & blandus, sed asper & horridus in eam insilit, manibusque primum spira ad corpus adstrictis, caudæ residuo fœmora flagellebat, leuem quandam iram præ se ferens, quæ licet indulgentia aliqua permixta esset, castigationem tamen apertè demonstraret, Pierius. Ὄφις ἐξαίφνης ὀφθεὶς χλωρότητα ἐποίησεν, Hippo. de humoribus. Sic palleat vt nudis pressit qui calcibus anguem, Iuuen. Sat. 1. Serpens allegoricè dicitur voluptas, super ventrem repens, vitio terreno innutrita materijs, Clemens.

De serpentibus amasijs.

¶ Homines qui peccatis seruiunt, scriptura θηρία μᾶλλον οἶδεν ἢ ἀνθρώπους, τοὺς παρομοιωθέντας τοῖς κτήνεσι, θηλυμανεῖς ἵππους ἐπὶ τὰς τῶν πλησίον χρεμετίζοντας. ὄνος ὑβριστής, ὁ ἀκόλαστος. λύκος ἄγριος ὁ πλεονεκτικός, καὶ ὄφις ὁ ἀπατεών, id est, Est asinus insolens, is qui est intemperans: efferatus lupus, qui auarus: & serpens qui impostor & fraudulentus, Clemens lib. 4. Stromat. ¶ Malus Deus per serpentem indicatur. Causam addunt nonnulli linguæ motationem, quæ tam multiplex apparet, ex quo multiplicia eius incitamenta interpretantur: nam qui eius minister est, aliud porro lingua loquitur, aliud corde meditatur, Pierius. ¶ Diuitiæ sunt serpenti similes, quem siquis nescit inoffensè eminus accipere, bestiam sine periculo summa cauda appendens: ea manu circumplicabitur, & mordebit. Pulchrè callent serpentum instar repentes diuitiæ, dum à perito vel imperito apprehenduntur, inhærere & mordere. Sed siquis se magnificum præbens rectè & scienter ijs vtatur, cum verbi quidem carmine bestiam detraxerit, ipse verò illæsus manserit, Clemens pædag. lib. 3.

Quæ significentur per serpentes, allegoricè.

¶ Ægyptios sua propria quadam magica ratione, accepi, cùm de cœlo aues deducere, tum serpentes primum præstringere, deinde ex latibulis facilimè extrahere, Ælianus. Non pauci credunt etiam serpentes ipsos recantari. Et hunc vnum esse ipsis intellectum, contrahique Marsorum cantu etiam in nocturna quiete, Plinius. Captiuam Getuliæ reducem audiui, multorum in syluis leonum impetum à se supplicante mitigatum alloquio. Varia circa hæc opinio ex ingenio cuiusque vel casu, mulceri alloquijs feras: quippe & serpentes extrahi cantu, cogique in pœnam, verum falsumue sit vita non decreuerit, Idem. ¶ Atyr nomen est incantatoris qui serpentes solo tactu sopibat, de quo Syll. sic ait: Nec non serpentes diro exarmare veneno Doctus Atyr, tactuque graues sopire Chelydros, &c. Textor. ¶ Nigritæ fascinatores sunt, id est incantatores eximij, fascinant præsertim serpentes. Huius rei me certiorem reddidit adolescens quidam, qui anno superiore agens apud nepotem principis de Budomel, & quum hospitio receptus dormiret, audiuit innumeras serpentum sibilationes, quibus experrectus, dum atten-

tiore animo euentum rei expectat, intelligit nepotem principis euigilauisse, & domum egredi velle: percunctatus est propterea adolescens nepotem principis, quonam nocte intempesta concederet: cui nepos (iam inclamauerat seruos à pedibus vt sternerent camelum) sum, inquit, profecturus non longe, mox rediturus. Iuit igitur nepos, & fascino compescuit serpentes, illicoque rediens rursus alloquitur hospitem Ligurem, Audisti ne, inquit, circiter noctem mediam exsibilantes serpentes? At Ligur, Audiui quidem. Subiecit itaque principis nepos dictus Bisboror: Erant, inquit, serpentes, quibus hæc plaga scatet, obsederant enim domum, gregem deuastaturi, ni ego occurrissem malo tanto incantatione qua vtimur frequentius. Ligur verò his auditis, dixit se mirari plurimum, & rem hanc Christianis prope incredibilem fore. Tum nepos ad Ligurem, Non est, inquit, quod mireris ob hæc minima: nam princeps noster multo maiora efficit incantatione cum libet. Quum enim, inquit, cupit præsentaneum venenum habere quod illico mortem afferat, inficit ibi arma veneno, designato in terra circulo, & fascinatione serpentes eo concedere compellit. Quo cum venerint, speculatur venenosiorem quem interficiat, veneni colligendi gratia, reliquos verò missos facit. Occiso itaque serpente, eius sanguinem cum semine arboris cuiusdam miscet, & ea mixtura arma illinit, quæ sic illita vbi sauciauerint condicto mortem afferunt, licet paruum vulnus existat, modo sanguinis nihil non elicuerit. Subdidit etiam Ligur nepotem prædictum hortatum eum fuisse, vt rei videret exemplum. Verum Ligur parum huius rei curiosus renuit experiri rem huiusmodi. Omnium igitur consensu Nigritæ sunt incantatores eximij. Sunt tamen etiam apud nos huius facti haud expertes, imò sagaces, contra serpentes præsertim, Aloys. Cadamustus in nouo orbe. Varij sunt modi incantandi serpentes. Quidam dicunt si in prato aliquo effodiatur fouea, & imponatur argentum viuum serpentes congregari. Magi vtuntur fistulis ex felium cruribus (ni fallor) ad conuocandos serpentes. De his mirabilia referuntur, Incertus. ¶ Bacchanalia Græci Omophagia vocant, in quibus furore mentito circumplicatis nos anguibus, &c. Arnobius contra Gentiles. De quo more Prudensius etiam Christianus poëta in libris contra Symmachum.

Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & virides discindunt ore chelydros,
Qui Bromium placare volunt, &c.

De dolis eorum qui se iactant esse de familia D. Pauli.

Quidam agyrtæ serpentes quibus venenū ereptum est, in sinu circumferunt. Matthiolus in suis commentarijs in 6. lib. Diosc. pluribus disserit de dolis & fraudibus circumforaneorū qui se iactant de familia S. Pauli. Ait autem eos capere serpentes obeunte iam hyeme, cum frigore torpescunt: & vt magis ab earum morsu se tueantur, manus sibi perquā diligenter inungere quodā vnguēto hac in venatione experto, quod ex oleo syluestris raphani semine expresso, dracunculi radicis, & asphodeli succo, leporis cerebro, sabinæ folijs, lauri baccis & alijs quibusdam additis conficitur. Captis statim caput saliua perfundere, cuius contactu non parum vilescunt, & veneni feritatem deponunt, quòd hominis saliua facultate sit illis prorsus contraria. Cum autem in foro eos ostentant ac se etiam demordere faciunt, oblato prius illis duræ carnis frusto, id dentibus dilaniare cogere, vt virus quod prope dentes quosdam vesiculis continetur, in mansam effundatur carnem, nec deesse qui vesiculas illas forcipibus abscindant, ne amplius veneno repleantur. Atque hac fraude vniuersam gentem decipere. De quibus vide plura apud eundem Matthiolum. ¶ Zetzes Grammaticus in commentarijs in Hesiodum scribit, Atlantis filias fuisse VII. & filium vnum Hyanta qui serpentum venationem exercebat, à quo hyades dictæ, &c. Gyraldus.

Superstitiosa & magica.

g. ¶ Democritus nominat aues, quarum confuso sanguine serpens gignatur: quem quisquis ederit, intellecturus sit alitum colloquia, Plinius. Ex saluia sub fimo putrefacta, dum sol & luna secundam Leonis faciem occupant, Persarum magi auem merulæ similem procreabant: cuius adusti cinere lampadi asperso, domus serpentibus referta videbatur, Iohannes Langius. ¶ Columbario non facesset negotium serpens, si quatuor illius angulis inscripseris hanc vocem ἀδάμ. imò verò foribus etiam si illas habeat, Constant. in Geop. ¶ Cùm Thonis Ægyptiorum rex custodiendam accepisset Helenam à Menelao per superiora Africæ circa Ægyptum & Æthiopiam oberrante, inque eius amorem incidisset, & vim illi inferre conaretur: fama est illam vxori Thonidis Polydamnæ rem omnem aperuisse. Polydamnam verò & metuentem ne propter formam sibi aliquando præferretur Helena, & simul miserantem in Pharum eam exposuisse, & donauisse herbam serpentibus illic abundantibus aduersariam: cuius sensus (vt ferunt) quam primum perceptus est à serpentibus, illi passim in terram se abdiderunt: Helena verò herbam plantauit, quæ cum comprehendisset, suo tempore semen serpentibus inimicum protulit, & Helenium, vt harum rerum periti asserunt, appellata est, & in Pharo prouenit, Ælian.

Helenium herba vnde dicta sit.

¶ *Aliquis à serpente morsus, aquam tacens si biberit,*
Capulum ensis nigrum aqua intingens,
Antequam serpens aquam gustet qui momordit,
Seruatur maximè illæsus à veneni nocumento.

Et si

Et si alius nunciarit alicui dicens hæc,
Ille à serpente ictus longè iacet;
Atque illuc non valeat ille venire,
Bibat nuncius dictam aquam,
Et qui ægrotat, sanitatem accipit etiam à longè. Ioh. Tzetzes.

Non verebor memoriæ prodere quo nam pacto in Romano agro senex quidam eremita amicus meus à feris ictos sanabat, ipsis absentibus ægris. Cum enim quis è circumstantibus populis à serpente demordebatur, id per nuncium eremitæ significabant: tum is interrogabat nuncium, an medicamentum icti loco ebibere vellet. Quod si id se facturum respondebat, iubebat ille, vt dextrum pedem calceo denudatum solo sisteret, & cultello totius pedis vestigio lineam circumducebat: deinde iubebat pedem auferri, & intra spatium lineæ signatæ cultelli cuspide hęc verba inscribebat, Caro caruze, sanum reduce, reputata sanum, Emanuel, Paracletus. Mox terram eodem gladio abradebat, ita vt omnes abolerentur characteres: abrasum puluerem fictili quodam paruo aqua pleno excipiebat, ibiq; tantisper dimittebat, donec terra subsideret: demum nuncij interuia aquam percolabat, & cruce signatam illi bibendam præbebat. Sed certè mirum est, quod eadem hora ictus sanabatur, qua nuncius potionem illam sumpserat, vt mihi planè compertum est, & omnibus illius regionis incolis. Hęc est curatio in virulentos ictus, qua vtebatur ille eremita, qui mihi sæpius dixit, hoc esse maius secretum, efficaciusq; remedium, quod habeant ij, qui suam originem in Diui Pauli familiam falsò referunt, Matthiolus.

h. Æsacos filius Priami & Alyxothoës, dum nympham Hesperiam quam amabat insequitur, Ecce latens herba coluber fugientis adunco, Dente pedem strinxit, virusq; in corpore liquit. Mox Æsacus, Vulnus ab angue, A me causa data est. Tum propter dolorem à scopulo in mare se præcipitans, à Tethy in mergum conuersus est, Ouidius Metamorph. 11. ¶ Apæsantus Acrisij filius πατήσας ἑρπετὸν δηλητήριον ἐτελεύτησε, & monti nomen dedit iuxta Inachum fluuium, Plutarchus de fluuijs. ¶ Munitum Laodices & Acamantis filium Benantem in Olyntho Thraciæ serpens occidit, Parthenius. ¶ Eurydice Orphei vxor Aristeum (à quo adamabatur) fugiens, morsu serpentis in herba latentis interfecta est. Neue venenato leuius feriaris ab angue, Quam senis Oeagri, Calliopesq; munus, Ouid. in Ibin. ¶ Laocoon Troianus percussa in vtero fatali machina, pœnam luisse dicitur, duobus filijs à serpentibus occisis. Quibus dum pręsidio esse vellet, eadem perijt morte, Verg. Aen. 2.

A serpentibus occisi.

Quam puer Hypsiphyles, quàm qui caua primus acuta
Cuspide suspecti, robora fixit equi, Ouid. in Ibin.

¶ Opheltes (qui alio nomine Archemorus dicitur) filius Lycurgi regis Nemeæ, dum negligenter ab Hypsiphyle nutrice custodiretur, serpentis morsu extinctus est, vnde illud Ouidij. Quam puer Hypsiphiles, &c. ¶ Orestes furore liberatus, quum Tisamenem filium imperio Mycenarum suffecisset, serpentis itidem morsu perijt.

Vtq; Agamemnonio vulnus dedit anguis Oresti,
Tu quoque de morsu virus habente cadas. Ouid. in Ibin.

¶ Seneca in Medea scribit Idmona à serpente in Lybia cæsum, ibiq; sepultum, vbi ait, Idmonem (quamuis bene fata nosset) conscidit serpens Lybicis arenis, Ouidius tamen scribit ab apro interfectum. Mopsus serpentis morsu interijt, Lycophron.

¶ Hercules cùm ex Alcmena Iouis concubitu natus esset, Iuno duos serpentes ad infantem in cunis perdendum misit: quos ille vtraque manu faucibus apprehensos strangulauit, Diodorus Siculus. Herculis serpentis suffocantis imago Athenis in arce fuit, Pausanias. Herculem quem vetustas illa pro virtutum omnium tam animi quàm corporis idea proposuit, angues etiamnum in cunabulis elisisse canunt: quippe eum innuentes, qui ad magna præclaraq; negotia sit natus, debere vel à teneris vnguiculis extinguere voluptates, Pierius.

Hercules infans serpentes occidit.

¶ Heliogabalus serpentes per Marsicæ gentis sacerdotes collegisse fertur, eosq; subito ante lucem, vt solet populus ad ludos celebres conuenire, effudisse, multosq; afflictos morsu & fuga, Lampridius. Tzetzes chil. 2. narrat serpentes per fundas immissos in exercitum Barbarorum. Galenus etiam in lib. de Theriaca ad Pisonem narrat historiam & stratagema & serpentibus olla inclusis & instar teli in Romanorum castra transiectis. Legimus Annibalem monstrasse Antiocho nauali prælio pugnaturo, vt in hostium classem vascula iacularentur serpentibus plena, quorum metu perterriti hostes à dimicatione, & nauticis ministerijs impedirentur. Idem cum Prusias iam cedente classe sua fecisset, victor euasit, Pierius.

De serpentibus immissis in hostes.

¶ Cùm Orpheus à Thresis mulieribus discerptus fuisset, ac caput eius in amnem proiectum in littus Lemni insulæ delatum esset,

Metamorphoses. Serpentis in Lapidem.

Hic ferus expositò peregrinis anguis arenis,
Os petit, & sparsos stillanti rore capillos
Lambit, & hymniferos inhiat diuellere vultus:
Tandem Phœbus adest, morsusq; inferre parantem
Arcet, & in lapidem rictus serpentis apertos

Congelat, & patulos (vt erant) indurat hiatus. Ouid. Metam. 11.

Serpentis in virum & mulierem.

¶ Φασὶν ὅτι ὁ τειρεσίας ὄφεις συνουσιάζοντας ἐν τῷ Κιθαιρῶνι εὑρὼν, ἀνεῖλε τὴν θηλείαν, καὶ γέγονε γυνή. εἶτα τὸν ἄῤῥενα καὶ γέγονε πάλιν ἀνήρ. Aiunt Tiresiam cum serpentes in Cithærone coeuntes reperisset, occidisse fœminam, quæ statim facta est mulier: deinde & marem, qui rursus vir factus est, Isacius Tzetzes. ¶ Cadmus missus à patre ad requirendam sororem Europam raptam à Ioue, cum eam non reperiret, ac spem reuisendi patris amisisset, quia prohibuerat pater ne ad se reuerteretur nisi eam reperisset, in Bœotiam oraculo monitus se contulit vt ibi vrbem statueret. Hic cum ad fontem Martis socios aquatum misisset, à serpente interfecti sunt: cum ipse quoque illuc iuisset, vt vidit à serpente socios consumptos, serpentem interfecit, & dentes eius Mineruæ monitu humi sparsit, ex quibus armatorum multitudo progignitur: quæ inter se domestico bello confligit, ita vt ex ea quinque relinquerentur, qui Mineruæ voluntate creandi populi qui Thebis consideret, principes essent, Ouid. Metamorph. 3. Tauris χαλκόποσι aranda terra, & seminatis dentibus serpentium cum viris armatis inde nascentibus pugnandum Iasoni ad vellere aureo potiundum, Apollonius in Argon.

Dentium serpentis in homines.

Acheloi in serpentem.

¶ Achelous cum pro Deianira Genei filia cum Hercule certaret, dicitur vt Herculem eluderet modò in liquorem, modò in serpentem, nouissimè in tauri figurã se cõmutasse, Ouid. Metam. 9. Cadmus Agenoris filius postquam inspector fuerat suarum calamitatum, euenissentque multa filiabus ac nepotibus infortunia, perosus Thebarum sedes cum Hermione Martis & Veneris filia coniuge sua in Illyrium profugit. Ibi petit veniam à Dijs, in speciem serpentis vt conuertatur qui initio causa malorum suorum fuisset. Vota eius expleta sunt, amboque in serpentes conuersi, Ouid. Metam. 4.

Cadmi & vxoris in serpentes.

Iouis in serpentem.

¶ Arachne certans cum Minerua de lanificio, inter alias fabulas quas telæ suæ intexuit, Iouem depinxit mutatum in serpentem vt Deoidam comprimeret, Idem Metam. 6.

Βυκόλος ἔπλεο φοῖβε· ποσειδάων δ' ἦ καβαλλης. Κύκνος, ζεὺς. ἄμμων δ' ἀμφιβόντος ὄφις. Antipater in epig.

¶ Medusa Gorgon cùm propter pulchritudinem à pluribus peteretur, coniugium Neptuni effugere non potuit:

Gorgonis crinium in serpentes.

Hanc pelagi rector templo vitiasse Mineruæ
Dicitur: auersa est, & castos ægide vultus
Nata Iouis texit: neue hoc impune fuisset,
Gorgoneum crinem turpes mutauit in hydros.
Nunc quoque vt attonitos formidine terreat hostes,
Pectore in aduerso, quos fecit, sustinet angues. Ouid. Metam. 4.

Perseus cum auxilio Mineruæ Medusæ caput amputasset,

Guttarum sanguinis in serpentes

Cumque super Libycas victor penderet arenas,
Gorgonei capitis guttæ cecidere cruentæ,
Quas humus exceptas varios animauit in angues.
Vnde frequens illa est, infestaque terra colubris. Idem.

Fauni in serpentem.

¶ Hecate quam alij Semelem vocant, tandiu Fauni patris nequitiæ restitit & obluctata est, etiam virga myrtea verberata & vino oppressa, donec ille in anguem transformatus, filiam spiris vndique colligatam, improbitati suæ parere compulerit. Cuius fabulæ apud veteres indicia fuerint, ab Hecates templo longè summota myrtus, vitis supra caput signi eius extensa, vinumque quod proprio nuncupare nomine non licebat, sub lactis vocabulo inferri solitum, quique ibidem passim obrepunt innoxij serpentes, Pierius.

Monstra.

¶ Serpens biceps visus est, Aristoteles. ¶ Asseritur montibus Pyxaneis (fortè Pyrenæis) serpens interfectus fuisse triceps, in cuius ventre miles inuenit filios suos vi voratos: os spinæ cuius ostenditur in Areolio, grossitudinis capitis arietis, Arnoldus. ¶ Visæ sunt etiam serpentes anserinis pedibus, Plinius.

Prodigia & ostenta.

¶ L. Scipione, C. Norbano Coss. in Hetruria Clusij mater familiæ viuum serpentem peperit, qui iussu aruspicum in profluentem deiectus, auersa aqua natauit, Iul. Obsequens. Serpentem peperit inter initia Marsici belli ancilla, Plinius. ¶ Canem locutum in prodigijs (quod equidem annotauerim) accepimus: & serpentem latrasse, cum pulsus est regno Tarquinius, Idem. ¶ Οἰωνός, ὄφις, ἐπειχῶς γὰρ λέγεται εἰς τὰς μαντείας τοὺς ὄφεις ἔχειν, οὓς καὶ οἰωνοὺς ἔλεγον, Hesychius. Pedestria auspicia nominabantur quæ dabantur à vulpe, lupo, serpente, equo, cæterisque animalibus quadrupedibus, Festus. Anguis per impluuium decidit de tegulis, Terent. in Phorm. ¶ In ostentis summam nominis amplitudinem portendere anguis fertur, non ijs tantum quæ ad imperium aut alium quemcunque principatum attinent, sed ad ea quoque quę vel ingenio vel arte celebritatem sibi aliquam comparauere, Pierius. Dum Roscius histrio in cunabulis esset, educareturque in Selonio, qui est campus agri Lanuuini, noctu lumine apposito experrecta nutrix animaduertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu, quo aspectu exterrita clamorem sustulit. Pater autem Roscij ad aruspices retulit: qui responderunt nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore, Cicero 1. de diuinat. ¶ Cassandra vaticinandi scientiam in Thymbræi Apollinis templo cum Heleno fratre infans relicta videtur accepisse, compertis mane serpentibus, qui sensoria circumlamberent, infantibus omnino nil oblæsis: indeque responso manante vates fore illos. Acta verò hæc, inibi Priamo genthliaca celebrante, Cæl. Rhodig. ¶ Aureliano verò,

verò, quamuis modicis parentibus ortus esset, summum tamen imperium anguis portendisse fertur, cùm eius pueri peluim plerunq; cinxisset, neque vnquam occidi potuisset: postremò matrem eius, quæ templi Solis sacerdos erat, & aruspicinæ non ignara cum hoc vidisset, serpentem quasi familiarem occidere noluisse. Pari præsagio Seuero imperium præmonstratũ est, cui dormienti, vt Spartianus ait, in stabulo, serpens caput cinxit, & sine noxa, expergefactis ac acclamantibus familiaribus, abijt. Quin & Maximini iunioris, quem pater secum imperatorem appellauit, caput dormientis serpens circundedit, future dignitatis argumento, Pier. Hierog. li. 15.

¶ Neque temerè Faustina visa sibi in somnis serpentes parere, sed ex his vnum ferociorem, cùm Antoninum & Commodum in vtero gestaret: quod vita deinde Commodi voluptuosa simul ac perniciosa reipsa comprobauit, non hominem sed immanem hydrum ad humani generis internecionẽ emissum, Idem. ¶ M. Æmilio, D. Bruto Coss. Didius Lælius Legatus Pompeii, cui prodigium Romæ erat factum, in lecto vxoris duo angues conspecti, in diuersumq; lapsi: proximè Pompeio in castris sedenti accipiter super caput accesserat, in Hispania aduersus Sertorium inter pabulatores occisus, Iul. Obsequens.

Anno à nato Do. 1551. peruenit ad nos historia Viennę impressa huiusmodi. Hac æstate circa diem diuæ Margaritæ in Hungaria prope pagum Zichsam iuxta Theysam fluuium, accidit vt in multorum hominum corporibus serpentes & lacerti naturalibus similes nascerentur: vnde sęuissimi dolores oborti, tandem eos enecarunt, ita vt circiter tria hominum millia sic perijsse feratur. Quibusdã humi ad Solem iacentibus serpentes & lacerti per os aliquatenus emerserunt, sed mox iterum se abdiderunt in ventrem. Nobili cuidam puellæ diris cruciatibus mortuę, cùm venter incideretur, serpentes duo prodiuerunt. His additur historia eiusdem temporis & loci, de serpentibus innumeris in strue manipulorum frumenti repertis, quos cum exurere vellent rustici, manipuli ignem respuisse dicuntur, & serpens cæterorũ maximus capite in summa strue erecto, humano sermone monuisse, ab incendio vt desisterent, neque enim exuri se posse, cùm non secundum naturam sint nati neq; sponte huc venerint, sed diuinitus propter hominum peccata immissi sint. ¶ Annibal tale monstrum à tergo se subsequi prospexisse fertur, belluam nempe vastam & immanem circumplicatam serpentibus, quæ quacunq; incederet, omnia arbusta, virgulta & tecta peruertebat, quod vastitatem Italiæ portendere diuinitus intellexit, Pierius. ¶ Neronem ferunt à percussoribus, quòs in eum Messalina immiserat, serpentis ope seruatum, cùm è puluino, vbi ipse quiescebat, se proferẽs eos absterruisset, siue ea fabula fuerit, siue serpentis exuuiæ, quas ex voluntate matris dextero brachio adalligatas aliquandiu gestauit, ac tædio tandẽ maternæ memoriæ abiecit, rursusq; extremis suis rebus frustra requisiuit, quippe qui speraret aduersus infortunia, quæ vndiq; iam pertimescebat, amuletum id sibi profuturum, Idem. ¶ Quinetiam ferunt Heleos aduersus Arcadas dimicaturos serpentis ope victoriam consecutos, oblato sibi puero, dum in aciem descenderent, quem nudũ ante omnes ordines statuerunt, Arcadibusq; irruentibus puer is in draconẽ mutari visus, cuius horrenda specie perturbati Arcades, disruptis ordinibus fugam turpiter arripuere: in cuius rei monumentum Helei sacello ibi erecto vbi condi serpens visus fuerat, Sosipolim inde Deum religiosissimè coluerunt, Idem. ¶ Leberis cùm in Neronis collo adhuc pueri foret cõperta cecinere vates, quòd ex sene potentiam foret assecuturus: quoniam exuta senectute eiusmodi visatur anguis, Cæl. Rhodig.

¶ Anguis Æsculapius Epidauro Romam aduectus est, vulgoq; pascitur & in domibus. Ac nisi incendijs semina exurerentur, non esset fœcunditati eorum resistere, Plinius. Romani peste laborantes cum oraculo admoniti Epidaurum misissent ad Æsculapium quem medicinæ & salutis Deum existimabant accersendum, serpentem Romam aduexerunt, Cæl. Aug. Curio. *De serpentibus sacris et cultis.* Huc pertinet Alciati emblema, cuius lemma est, Salus publica:

Phœbigena erectis Epidaurius insidet aris
Mitis, & immani conditur angue Deus.
Accurrunt ægri, veniatq; salutifer orant,
Annuit, atq; ratas efficit ille preces.

Vide plura supra in Angue.

¶ Clearchus Peripateticus dicit solos de Peloponnensibus Argiuos serpentem non interimere, Ælianus. Argiui serpentem colebant, Textor. ¶ Athenienses aiunt ingentem anguem arcis custodem in templo fuisse obseruatum, Herodotus. ¶ Serpentis forma pluribus Græciæ locis Iupiter colebatur, Comment. in Alciat. Borussi serpentes coluere. Nouus orbis. Lituani serpentes adorarunt, Æneas Syluius. ¶ Errore implicatus Calecuthi rex, adeò acri interdictione serpentes tuetur, vt eum qui serpentem confecerit, non minus acerba, quàm si hominem interfecisset, morte mulctetur. Simul & curat mapalia ad ipsarum tuitionem contra pluuias aquas ædificari. Causam autẽ cur eas tanti æstimet, afferunt, quòd ipsas de cœlo delapsas, diuina esse numina arbitretur: quod quidem ipsum ex vulnere quod infligunt colligit, nam eo solo subitam mortem inferunt, Gyllius. ¶ Meminimus antea hæreticorum, qui Ophitæ dicuntur: qui serpentem à quo Adam & Eua seducti sunt pro Christo coluerunt, serpentemq; viuum habuerunt quẽ nutriebant & venerabantur: quiq; oblationes eorum lambebat vnde sanctificatas esse credebant. ¶ Quidam humana cum brutis iungebat: & quæ natura dissimilia erant, vt ait D. Athanasius, deos suos fecerunt, cynocephalos, ophiocephalos, &c. Gyraldus. ¶ Cùm Æneas anniuersarium sacrum manibus Anchisæ patris faceret, dicitur quòd *Anguis progenio.*

——adytis tum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit,

Amplexus placidè tumulum, lapsusq́ per aras:
Ceruleæ cui terga notæ, maculosus & auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille trahit varios aduerso sole colores.
Obstupuit visu Æneas. ille agmine longo
Tandem inter pateras, & leuia pocula serpens,
Libauitq́ dapes, rursusq́ innoxius imo
Successit tumulo, & depasta altaria liquit. Virgil. Æneid. 5.

Serpentes currum vectores. ¶ Saturni currus serpentibus trahitur, Textor. Medea anguibus per aëra in rheda vehebatur, Non. Marcellus.

Prouerbia. ¶ Ὄφις ἐὰν μὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται, id est serpens nisi serpentem comedat, non fiet draco. Inter serpentum genera dracones ij vocantur qui corpore sunt immaniore vastioreq́ magnitudine, tametsi pro quocunque angue plerunq́ nomen authores vsurpent. Adagium ergo significat, quem imperatorem statuas, ei necesse esse reges & principes multos deglutire, vt ipse rex regum fiat & dominantium dominus, Pierius. Erasmus existimat hoc adagium ex vulgi fæce desumptum. ¶ Ὄφιν θάλπεις, καὶ σὺ ὄφις, id est, serpentem foues & te serpens. Adagium est non verius quàm frequentius, vbi quis innutrit, confouet, amplexatur, in oculis fert, quod in euidens exitium erupturum mox est. Ex historia natum huiusmodi. Menippus Lycius peregrinæ mulierculæ amore irretiebatur. Ea verò vna erat ex Lamijs quæ sunt in amorem & Venerem procliues & humanas carnes vehementer expetunt. Quidam ergo magus aut philosophus videns hunc adolescentem illum amore irretitum, O formose inquit, Ὄφιν θάλπεις, καὶ σὺ ὄφις. Vide plura apud Cæl. Rhodig. 29.5. & in lib. de animal. quadrup. capite de Lamia. ¶ Coruus serpentem. Dicitur vbi quis suo ipsius inuento perit. Sumptum ex apologo quodam Æsopi: Coruus esuriens serpentem in aprico dormientem conspicatus rapuit, à quo morsus perijt. Torquere licebit & in hominem ob edacitatem periclitantem, veluti Diogenes Cynicus comeso polypo crudo perijt, Erasmus. ¶ Cane (scilicet rabido) peius & angue odit: dicitur de odio vehemente, Idem. ¶ Serpentis oculus. De his dici consueuit, qui acribus & intentis intuerentur oculis. Ab animate sumpta metaphora. Sunt enim huic animanti oculi duriores ac perspicaces, vnde Flaccus.

Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum
Quàm aut aquila aut serpens Epidaurius? Idem.

¶ Cæcior Leberide: dicitur de ijs qui supra modum cæcutiunt, aut qui minimè iudicant. Est enim Leberis vt iam dictum est, pellis illa quam serpentes exuunt quoties sibi iuuentam renouant. In hac autem apparet effigies duntaxat oculorum, ac membranula quædam tenuissima, qua serpentium oculi præteguntur, Idem. ¶ Nudior Leberide & inanior Leberide. Dicitur de vehementer tenuibus. Siquidem serpentũ exutio nihil potest esse inanius. Suidas ait Leberidem hominem fuisse supra modum pauperem: ita vt vulgari sermoni locum fecerit, Athenæus in Dipnosophistis, πάντας ἐπιστομίζειν πειρώμενος, οὐδ᾽ ἑνὸς μὲν ἀμαθίαν κατέγνως, σαυτὸν δ᾽ ἀποφαίνεις κενώτερον λεβηρίδος, in Sciolum indoctum, id est, Cùm omnibus os obturare conaris, nullius quidem inscitiam arguisti, teipsum verò ostendis inaniorem Leberide, Idem. ¶ Κιρζότερος λεβηρίδος, id est, Asperior Leberide. De vehementer asperis & insuauibus. Nam exuuium illud asperrimum esse constat ob summam siccitatem. Refertur à Suida. ¶ Magis gaudet eo qui senectam exuit. De vehementer hilari ac gestienti gaudio, Ex Aristophane Erasmus. ¶ Syphar (quod pellem illã quam serpens exuit significat) symbolicῶs pro sene sumitur à poëtis, vel quòd ætas ea cæcutiat, vel quòd iam effœta atq́ arida succo viribusq́ destituta sit, Idem. ¶ Ὄφεις πατεῖν, τὰ κέντρα τῶν ἐχθρῶν λύει. Serpentes culcare, stimulos hostium soluit. Explicatio somnij, Suid.

Emblemata. ¶ Alciati emblema cuius Lemma, Ex literarum studijs immortalitatem acquiri.

Neptuni tubicen (cuius pars vltima cetum,
Æquoreum facies indicat esse Deum:)
Serpentis medio Triton comprenditur orbe,
Qui caudam inserto mordicus ore tenet:
Fama viros animo insignes, præclaraq́ gesta
Prosequitur, toto mandat & orbe legi.

Aliud eiusdem, serpens semiuir cuius Lemma est, Sapientia humanã stultitia est apud Deum.

Quid dicam? quónam hoc compellam nomine monstrum
Biforme, quod non est homo, nec est draco?
Sed sine vir pedibus, summis sine partibus anguis
Vir anguipes dici, & homiceps anguis potest.
Anguem pedit homo, hominem eructauit & anguis,
Nec finis hominis est, initium nec est fera.
Sic olim Cecrops doctis regnauit Athenis:
Sic & gigantes, terra mater protulit.

Plac

Hac vafrum species, sed relligione carentem,
Terrena tantum quiq; curet, induat.

Aliud eiusdem super insigni ducatus Mediolanensis, ad Ducem Mediolanensem.

Exiliens infans sinuosi è faucibus anguis,
Est gentilitijs nobile stemma tuis.
Talia Pelleum gessisse numismata regem,
Vidimus, hisq; suum concelebrasse genus.
Dum se Ammone satum, matrem anguis imagine lusam,
Diuini & sobolem numinis esse docet.
Ore exit, tradunt sic quosdam exitier angues,
An quia sic Pallas de capite orta Iouis?

DE SERPENTIBVS QVORVM NOMINA INCIPIVNT AB A.

DE ACONTIA VEL IACVLO.

A.

SERPENTVM quidam similiter atque iacula semetipsos iaculantur, ex eoq; quod agunt nomen trahunt, nam iaculi (ἀκοντίαι, quasi iaculares dicas) nominantur, Ælianus. Acontias serpens, vbi se multum extenderit, ceu iaculum quoddam corporibus insiliens sic perimit, Galenus. Acontias Lucianus dialogo de dipsadibus inter Libyæ, & Ammianus Marcellinus inter Ægypti serpentes numerat. Nicandro Ἀκοντίαι innoxij sunt serpentes, οἱ κατὰ τὰ ἀκόντια διαξόχοντες, vt Scholiastes annotat: qui tamen & alia quædam animalia eodem nomine dicta ait, διὰ τὸ ὁρμᾶν ὥσπερ τὰ ἀκόντια: quasi insinuet, acontias serpentes, alios cursu celerrimos esse, eosq; innoxios: alios verò non cursu sed eiaculandi se impetu. Nos inter insecta notumus cantharides quasdam paruas, colore fusco, in hortis, quę seipsas cum crepitu quodã eiaculantur, tactæ præsertim & in timore. Acontiæ serpentes qui & ἀκοντιζοὶ à quibusdam dicuntur, Varinus. ¶ Cenchrites, siue Cenchrinus, siue Cancros, (Cenchros legendum est potius) serpentis genus est, quod & acontion, & acontitem, & acontiam aspidem, hoc est Iaculum vocant aliqui, Hermolaus. Cenchritem & Cenchriam eundẽ esse cum acontia vult Aëtius. ¶ Iaculus serpens volans, de quo Lucanus, Iaculiq; volucres. Exiliunt enim in arboribus, & dum aliquod animal obuium fuerit, iactant se super illud & perimunt. Vnde & Iaculi dicti sunt, Isidorus. ¶ Auicenna hunc serpentem appellat Cafezati & altararat, Albertus Iaculum, item Altynatyti, Cafezati, vel Cafezaci, etsi hęc duo nomina non omnino eisdem serpentibus sed duabus vnius generis speciebus attribuit. Olaus Magnus Albertum secutus Altinanti nominat. Acoran (corruptum pro acontias) iaculus serpens, Syluaticus. ¶ Serpens qui in Lemno Sagittari vocatur, is est quem veteres Iaculum dixerunt: sed Lemnij non conueniunt cum Andrijs & Parijs in huius serpentis nomenclatura, Bellonius. Et rursus: A Græcis hodie Saëtta, id est Sagitta vocatur: à Turcis Ochilanne, à veteribus (Græcis) Acontias, Idem. Reperitur hoc sæuissimi serpentis genus, vt quidam mihi retulerunt, in quibusdam Calabriæ & Siciliæ locis, vbi ipsum Incolæ à sagitta Saëttone vernaculo nomine appellant, Matthiolus. ¶ Germanicè vocari posset, ein schoss oder angelschlang/ à notis oculum referentibus.

Nom... Acont... Ce... Le... Cafez... Alterar... Altynatyti. Altinanti. Sagittari. Saëtta. Ochilanne. Saëttone.

B.

In Libya reperiri hunc serpentem testantur Lucianus & Lucanus: in Ægypto, Ammianus Marcellinus: in Lemno & Rhodo insulis, Bellonius: In Italia, vtpote in Calabria & Sicilia, Matthiolus. In regionibus septentrionalibus, Olaus Magnus. ¶ In huius autem serpentis descriptione variæ sunt authorum sententiæ, quas hic breuiter enumerabo. *Vbi reperiatur hic serpens.*

Acontias vt aiunt, idem est chersydro serpens: (*nullus aliorum authorum quod sciam, acontiam eundem chersydro facit, & serpentes diuersos esse apparet*) qui (primum in aqua, deinde) multo tempore in sicco degit, & omni animantiũ generi insidias molitur. Huius cautio in faciendis insidijs eiusmodi est, vt secundũ vias publicas abditè lateat, persæpe etiã correpens in arborem ascendat: ibiq; sese contortæ concludens, & in orbem coarctans, caputq; in spiram occultans, vt prætereuntes tacitus ex occulto perspexerit, in idipsum quod præterit, siue fuerit bestia, siue homo, se iaculetur. Nam valet saltu, vt viginti cubitorum spatium transilire queat, protinusq; ad ea quæ saltu appetit, inhæreseat, Ælianus 8. 13. de animalibus. *Descriptio Iaculi vel Acontiæ. Aelianus.* ¶ Cenchrites siue acontias serpens est magnitudine duorum cubitorum, figura autem crassa in tenuem abeunte, colore viridi. *Aëtius.*

(*Græcè puto* χλωρὸν *legi, quod nomen non solum viridem, sed etiam luteum colorem significat, milij quidem color, non viridis sed luteus est.*) maximè iuxta aluum, vt milium referat: vnde & cenchrias, hoc est miliaris appellatur. Aiunt etiam hunc seipso fortiorem fieri, quum milium floret. Cæterùm vbi se ad lædendum parat, extendit seipsum, ac veluti iaculum vibratum corporibus inuolat, atque hoc modo verberat, Aëtius. Ex quibus verbis apparet eum sensisse Iaculum & Miliarem eundem esse serpentem, in quò à pluribus alijs dissentit.

Bellonius. ¶ Verus quidem Iaculus maculis nigris dorsum distinguentibus pingitur, quæ oculum planè referunt, quales in Torpedine oculata etiam notæ conspiciuntur, Bellonius in singularibus lib. 1. cap. 31. Et rursus lib. 2. cap. 14. (vbi iconem etiam huius serpentis ponit) Iaculum in Rhodo se vidisse scribit, maculis exiguis non maioribus lente, nigris, rotundis, oculi instar circulo singulas ambiente candido, quales in parua Torpedine apparent, distinctum. Longus est, inquit, tres palmos, non crassior paruo digito: color est cinereus, & ad lactis colorem accedit, sub ventre omnino albus: squamis per dorsum, laminis per ventrem vt in reliquo serpentium genere digestis. Collum supernè nigricat, lineis duabus albis distinctum, quæ cùm à capite incipiant, per totum dorsum ad caudam vsque extenduntur.

Auicenna. ¶ De cafezati & alterarati. Isti serpentes sunt parui, breues, minuti, qui quandoque occultantur in arboribus, insidiantes vt proijciant se ipsos ad illum, qui transit per eos, & exeunt procedentes ad eum. Et ego quidem dico, quòd vidi genus horum serpentum in partibus de Hesten, & sunt ad rubedinem decliues, & sunt calidi (pernitiosi) valde, Auicenna 4.6.3.40. ¶ Iaculum dicunt Plinius & Iorach, esse serpentem alatum (*non hoc Plinius dicit, sed dum se vibrat & iaculatur volare videri: vnde & Lucanus iaculos volucres cognominat*) in arboribus latere, & inficere fructus arborum (*ex idoneis scriptoribus nemo hoc tradit*) ita vt omne animal, quod inde gustauerit moriatur. Addit Iorach hunc serpentem esse duorum generum, vnum morsu sine sensu doloris interimere: alium verò, dolore diuturno fatigare, & demum consequi mortem. Vtrosque esse ordinis primi, Albertus. Idem: Altinatyti, inquit, serpentes dicuntur, sicut & Casezati, parui, breues, & minuti: sed perquàm astuti, callidi & maligni: qui quandoque occultant se inter folia sub arboribus, vt inijciant se transeuntibus sub arboribus, & interficiant eos, vt scribit Auicenna: aut si hoc non possunt, procedunt ex antris & insiliunt in transeuntes. Colore ad rubedinem declinant. ¶ Iaculus est serpens qui volans alis arbores subit, & in eis delitescit: è quibus vi maxima turbinatus, penetrat animal quodcunque obuium inuenerit, Vincentius Belluacensis. ¶ Rubei serpentes omnibus alijs sunt peiores, vt plurimum cubitalis longitudinis, imò & pedalis ac semipedalis, vt Altinanti iuxta Albertum ex insidijs plus nocens, Olaus Magnus. ¶ In Sabæis apud odoriferas syluas serpentum infesta multitudo versatur, colore rubicundo, longitudine palmi, qui prosilientes in homines letali occidunt morsu, Diodorus Siculus.

Albertus.

C.

Quomodo sese iaculetur hic serpens. Acontias à velocitate dictus, teli modo serpendo ruit, Volaterranus, Textor. ¶ Iaculum ex arborum ramis vibrari vulgatum est, nec pedibus (id est ne pedes nostros è terra inuadant) pauendas tantum serpentes, sed & missili volare tormento, Plinius. Iaculi arbores subeunt, è quibus vi maxima turbinati, penetrant animal quodcunque obuium fortuna fecerit, Solinus, Textor.

Ecce procul sæuus sterilis se robore trunci
Torsit, & immisit (Iaculum vocat Africa) serpens:
Perq; caput Pauli transfactaq; tempora fugit.
Nil ibi virus agit: rapuit cum vulnere fatum.
Deprensum est, quæ funda rotat, quàm lenta volarent,
Quàm segnis Scythicæ strideret arundinis aer. Lucanus lib. 9.

G.

Morsus & curatio. Ab huius morsu omnia quæ de vipera dicta sunt sequuntur, atque etiam grauiora, adeò vt etiam putrefactiones & carnium defluxus consequantur, ac grauior etiam mors succedat. (*Hæc miliaris serpentis morsui potius quam acontiæ conueniunt, teste Nicandro, sed hic author eundem facit Cenchritem & acontiam, vt ante dictum est.*) Cæterum remedia similiter eadem quæ ad viperæ morsum his conducunt, Aëtius. Et dixerunt, accidit ex morsu eorum dolor vehemens, & pertransit in totum corpus, si fuerit de genere quod vidi, & accidit ex eo mors. Et dixerunt, cura eorum est cura communis, & cura viperarum, Auicenna. Morsum eorum consequitur dolor vehemens: qui à loco morsus serpit in totum corpus, & qui morsus est moritur: quamobrem sunt ordinis primi, Albertus.

Remedium ex acontia. ¶ Collyrium ad suffusiones, etiamsi fuerint diuturnæ. Lapidem Scythicum cum felle aspidis tritum illine. Breui liberat. Sit autem aspis, quæ Acontias appellatur. Fel eius reperitur ad dorsum hepati annexum, Aëtius.

Ἀκοντίας

H.

Ἀκοντίας, ὁ, dicitur ἀπὸ τοῦ ἄκοντος vel ἀκοντίου, quod telum significat: sicut & Latinè Iaculus à Iaculo missili, quia instar teli seu iaculi in homines aut animal quoduis obuium irruit. Ἀκοντίαι, ὄφεις τινὲς καλοῦνται δὲ ἀκοντίλαι. καὶ Ἀκοντία βοτάνη τις. Etymologicus. Vbi pro ἀκοντίαι reponendum esse ἀκοντίαι apparet ex superioribus. *Etymologia.*

¶ Acontiæ (ex generibus cometarum) iaculi modo vibrantur ocyssimo significatu. Plinius. ¶ Ἀκοντιὰς herba quæ medetur canibus morsis à serpentibus, Varinus. Fortè de serpentibus ἀκοντίαις intelligendum, vel quærendum an hæc eadem quæ dracontium sit, id est, dracunculus. *Homonyma.*

¶ Est qui referat inter recentiores non obscurus author, quòd cùm pastor quidam misellus, sub cuiusdam arboris vmbra æstate media quietem somnumq; caperet, cuius socij non procul oues pascebant, ab acontia, quæ in arborem ascenderat, ita percussus fuerit in sinistram maxillam, vt illico perierit. At socij audito percussionis sonitu, viso serpente, quem nouerant, super defuncti pectus, relicto grege in propinquum rus, pauore territi, aufugerunt, Matthiolus. *De pastore ab Acontia percusso interfecto.*

De quibusdam serpentum generibus, quæ ad Iaculi naturam accedere videntur.

Acontiam Germanis ignotum Ge. Agricola putauit. Ego quanquam serpentem ipsum hoc nomine à veteribus descriptum non noui: historiam saltem siue eiusdem, siue alterius serpentis similiter se vibrantis, recitabo: quoniam & apud nos contigit, & hominem à serpente afflictum ego ipse vidi. Riuus est satis magnus in agro Tigurino, Glatt nomine: & denominatus ab eo pagus Glattfelden: Iuxta hunc tum riuum, tum pagum, ante paucos annos, serpens quidam baculi crassitudine, & trium aut amplius pedum longitudine, in rusticum frondes illic colligentem insilire conatus est, corpore in quatuor spiras seu arcus conuoluto: quod ille cernens sacco, quem in vsum colligendi ferebat, relicto, fugit. Serpens autem prosilijt spacio circiter XVI. pedum, non tamen attigit rusticum. Deinde cùm sacci accipiendi causa rediret, serpens denuò in eum prosiliens, brachium eius sinistrum totum spiris suis implicauit (parte caudæ adhuc dependente, collo autem erecto,) idq; comprimendo (non satis memini an nudũ, indusio tectum fuisse puto) adeò arctè constrinxit vt vestigia spirarum imprimeret: non tamen momordit, nam rusticus statim altera manu capite comprehensum abstraxit reiecitq;. Brachium verò paulatim putrida quadam sanie contabescens carne nudatum est, & tandem curatus æger omni carne putrida extracta per chirurgum pulchrè restitutus est, quotannis in eo brachio bis venam incidere iussus: fluit autem sanguis crassus & niger. Hæc ego ab ipso rustico audiui, & plurimas brachij cicatrices vidi. Serpentem carbonario quem pictum ostendebam, similem fuisse aiebat. Idem mihi retulit serpentes illic circa Glattum fluuium esse cum diademate flauo vel aureo in capite: intrare illos interdum aquam & pisces vorare præsertim sub lapidibus latentes, vt gobios fluuiatiles aut alios. Complecti eos spiris suis lapidem, vt fuga pisci nulla pateat, & sic eum capere, Gesnerus. *Serpens Glattensis.*

¶ Sunt & in partibus Aquilonaribus serpentes, qui arcuato, seu rotato cursu velociter mouetur, decem pedes saltando: & insuper pugnant, strepitum vehementẽ inter herbas sole siccatas facientes: Verùm benignitate naturæ factũ est, vt sonitu prodantur, quando nocituri accurrunt, Olaus Magnus. *Serpentes Aquilonares.*

¶ In Vngaria (vt narrauit mihi Iohannes Vitus Vngarus iuuenis pereruditus) reperiuntur serpentes breues, duorum palmorum longitudine tantum, nulla cauda. Vulgò decurtatos vocant: æquali per totum corpus crassitudine. Hos in hominem eminus, etiam iaculi instar, insilire aiunt, Gesn. Horum mentionẽ fecimus etiam in Amphisbena, quia in totius corporis æquali crassitudine cum ea conueniunt: veteres enim quidam, vt Aëtius, amphisbænã & scytalam serpentes, no ex crassis in caudam tenuẽ abire, sed æqualis crassitudinis per totum existere dicunt. *Vngari. Decurtati.*

DE AMMODYTE.

AMmodites (*malim per ypsilon in tertia, vt dicatur ἀπὸ τοῦ ἄμμου καὶ τοῦ δύειν, quod arenam subeat*) serpens est concolor arenis, quibus se impenetrat, Textor. *Ammodytes.*

Concolor exustis atque indiscretus arenis
Ammodytes, &c. Lucanus lib. 9.

Sunt & Ammodytæ in Libya, Solinus. Ammodytes magnitudine quidem cubitalis est: maior enim non pingitur, neque scribitur, colore verò arenosus, per corpus autem maculis nigris insignitur. Caudam autem habet præduram supernè discissam. A quibusdam verò Cenchrias, hoc est miliaris, ob caudæ instar milij duritiem appellatus est. Latiores autem maxillas quàm vipera habet, quumq; in multis aliàs ei similis sit, colore magis discerni potest: vipera enim subflaua est, Aëtius. ¶ Colore Sabuli visuntur & Ammodytæ, maxillis viperæ latioribus, cui & similis est, nisi quod viperæ color suffuluus. Hos Aëtius Cenchrias nominat, cubitales eos descri- *Cenchrias.*

bens, cauda superiore parte scissa & prædura: vnde nomen, inquit, Cenchriæ: vt Cerchriam potius, quam Cenchriam putem legendum: nam Cenchrites, siue Cenchrinus, siue Cancros (*Cenchros legendum*) aliud serpentis genus est, quod & acontion, & acontitem, & acontiam aspidem, hoc est iaculum vocant aliqui: vt idem voluit Aëtius (*nostra Aetij editio Latina hæc nomina non habet, sed caput 27. lib. 13. simpliciter de Cenchrite siue acontia inscribitur: neque Orosius qui translationem Latinam cum Græco codice contulit, quicquam hic annotauit*) longitudine cubitorum binûm, in exilitatem fastigiatum, viride præsertim sub aluum, vt milio (cùm recens eius seges est) (*parenthesin de suo addit Hermolaus*) videatur persimile, robustum, Hermolaus. Qui quòd ammodyten serpentem alio nomine Cerchriam potius quàm Cenchriam nominandum putârit, nescio vnde sit motus: nisi κέρχρον pro duro fortè acceperit, quam vocem ego nusquam reperio, sed κέρχνον pro aspero aspero accipiendum videtur. Κέρχνει, τραχύνει, Κέρχνωμα, τράχυσμα. Κερχνοειδῆ, ποικίλα, τραχέα, πελύπασα, Varinus. Κέρχνον vocant asperitatem gutturis & sonitum in pulmone. inde adiectiuum κεογχαλαῖον, quod cerchnon inducit. Καὶ τὸ κέρχνεται δὲ, καὶ οἱ κερχνασμοὶ, τὸ ἀνάλογον δηλοῦσι, Galenus in Glossis. Quare non cerchrias, sed cerchnias potius dicendum esset, sed cùm Aëtius ipse, si probè transtulit Cornarius, rationem nominis in milium referat, quid est quòd mutemus? Mirari tamen subit, quòd rei duræ à milij semine parum duro, nomen fecerit: à quo aspera variaq; magis quàm dura denominari debebant: Quare Centriam aut Centritem serpentem, si caudæ durities nominis caussa esse debeat, potius appellarim. Centrum enim authoribus pro duritie vsurpatur. Inueniuntur in arboribus quibusdam, sicut in marmore, centra, id est duritia clauo similis, inimica ferris, Plinius lib. 16. Ab eodem lib. 13. centrosa scobs dicitur, id est limatura admodum dura, veluti centrum quod in marmore vel iunipero inuenitur. Facit cum coniectura nostra Ælianus lib. 6. de animalib. cap. 51. vbi dipsadem alijs nominibus melanurum, ammobatem, & centridem, κενχρίδα, vocari scribit: vt probabile sit, cùm ammobates etiam centris dicatur: ammodytem quoque, etsi diuersum à dipsade, alio nomine similiter centridem centriamue nuncupari. Idem lib. 9. cap. 11. Aspis (inquit) vel solo tactu interdum interimit, & afflatu quoq;, & centrites & rubeta, ὥσπερ ἦν ὁ κενχρίτης καὶ, ἡ φρυνή. ¶ In viperarum quoq; genere ea nimirum immanis fera recenseri potest, quam Ammoditem vocant, cuius etsi nusquam, quod extet, meminerit Dioscorides, minimè tamen silentio prætereundum est, quin hæc eiusq; veneni remedia describantur. Siquidem Ammodytæ, meo iudicio, in pluribus Italiæ & Illyriæ locis reperiuntur, præsertim in Goritiensi comitatu, & lapidiæ montibus. Est enim fera hæc viperæ omnino similis, præterquàm quòd capite sit ampliore, & maxillis latioribus, quodq; vltimo rostro superiori parte eminentiam quandam habeat, acutæ verrucæ similem. Vnde circumforanei, qui serpentes, eorumq; veneni remedia profitentur, hanc feram vulgò appellant Aspido del corno, hoc est, Aspidem cornutam. Neq; sanè ineptum illi nomen indiderunt: namq; non minori cum velocitate interficit, quàm aspis. Scimus enim quosdam ab his inopinatè demorsos, tribus tantum horis mortem occubuisse, Matthiolus.

Cerchrias. — *Centrias vel Centrites.* — *Centrum pro duritie.*

¶ Auicenna lib. 4. fen. 6. tract. 3. cap. 49. titulo de Amiuduto & Caubaro (*Amiuduti vox accedit ad nomen Græcum Ammodytes, pro Caubaro verò legit Nic. Leonicenus Cabarus.*) Dixerunt quidam, inquit, quòd longitudo cuiuslq; horum serpentum est vsq; ad cubitum, & color eorum est color arenæ, & super corpora ipsorum sunt vestigia, hoc Auicenna. ¶ Arenacei coloris serpentes sunt, de quorum genere est Ammodytes, longitudine cubitalis, maculis nigris distinctus per corpus, supra dorsum habens vestigia linearum, Olaus magnus.

Amiudutus & Caubarus vel Cabarus.

¶ Cæterùm ab Ammodyte percussos festina, vt plurimum, mors sequitur. Qui verò breui non pereunt, his sanguis ex vulnere promanat, & vulnus intumescit, paulò post autem sanies effertur, sequiturq; capitis grauitas, & animi deliquium. Qui verò optimè dispositi sunt in triduo intereunt, quanquam aliqui vsque ad septimum diem durarint. Celerius verò mors adest his qui à fœmina sauciantur. Auxilium porrò & hi ferunt, primum quidem à communibus remedijs, vtpote à cucurbitularū appositione cum scarificatione per ambitum vulneris locorum, & superiorum partium constrictione, & ad ipsam plagam scalpelli admotione. Propriè autem eis auxiliatur mentacum aqua mulsa potata, castoreum, casia & artemisiæ succus cum aqua. Danda etiam in potu theriace, eadem quoq; plagæ imponenda. Vtendum & emplastris attractorijs: postea verò cataplasmata, quæ ad nomas siue vlcera serpentia conducunt, imponenda, Aëtius. ¶ Hic morsu suo vehementissimum dolorem cum tumore infert, vnde virus fluit, quod à tertio die in septimum vsque hominem necat, Olaus Magnus. ¶ Dixerunt quòd accidunt ei quem mordent (scilicet Amiudutus & Caubarus) dolor vehemens loci morsus, & apostema maximum, & currit ex eo virus, & interficiunt in tertio, & mora eius post septimum. Curatio autem eorum est curatio communis: & est eius proprium dare in potu castoreum, & cinnamomum, & radicem centaureę, de quocunque istorum fuerit. ʒ. ij. cum vino. Et confert eis radix aristolochiæ, & propriè longæ iuuamentum maximum. Et similiter radix assoasir, & succus eius propriè, & radix gentianæ. Et conferunt eis ex emplastris mel decoctum & exsiccatum, & tritum: & radices granatorū: & similiter centaureæ, & semen lini, & lactucæ, & semen harmel, & volubilis, & ruta syluestris: & conferunt eis emplastra appropriata vlceribus putridis. Auic.

Morsus & remedia.

Ammoatin

Ammoatin Suidas esse dicit serpentis speciem: forsan eandem cum ammodyte, Thes. ling. græc. Ammomatis.

DE AMPHISBAENA.

A.




AMPHISBAENA serpens est quædam ita dicta quasi vtrinq; grada, dicitur enim antrorsum & retrorsum incedere, geminum habens caput. Hesychius ait scribi etiam ἀμφίσμαινα, cuius scripturę Nicandri scholiastes nō meminit. Apud Etymologicū legitur etiam Ἀμφίσθμαινα. Isidorus Amphibænam vocat. Ἀμφίσβαινα, ὄφις ἑκατέρωθεν βαίνων, ἐκ τοῦ ἀμφὶς καὶ βαίνειν, Eustathius. Nomen adhuc idem retinet in Græcia, Bellonius. ¶ Auicen. serpentem quendam scribit Ankesimen dictum, qui ad duas partes saliat, cuiusq; duæ extremitates sunt æquales in grossitudine & æquales medio. Alkisimum nomen cuiusdam serpentis, Syluaticus. Albertus Amphisilenem vocat. ¶ Gallicè vocari potest Doublemarcheur vocabulo ex duobus composito, vt Græcum quoq; nomen.

B.

Bellonius scribit Amphisbænam in Lemno insula reperiri. G. Agricola ignotam Germanis esse ait. ¶ Amphisbæna animal est biceps, quemadmodum sanè & nauigia vtrinq; proram habentia, cui natura ex superfluo substantiæ bina capita est largita, Galen. de theriaca. Geminum caput habet Amphisbæna, hoc est ad caput & ad caudam: tanquam parum esset vno ore fundi venenum, Plinius. Amphisbænam verum est serpentem duo habere capita, alterum in anteriore parte, alterum in posteriore. Cum enim aliquò necesse habet progredi, caudæ loco alterū ponit, altero pro capite vtitur: tum rursus si retrò ei sit opus cedere, capitibus contra quàm prius vtitur, Ælianus. Et grauis in geminum surgens caput Amphisbæna, Lucanus. De eodem Georg. Pictorius in Lerna κακῶν;

Est grauis in geminum surgens caput Amphisbæna
Serpens qui visu pernecat & sibilo.

Amphisibæna biceps & formidabilis ictu aspis, Mantuanus. Amphisbæna consurgit in caput geminum, quorum alterum in loco suo est; alterum in ea parte qua cauda: quæ causa efficit, vt capite vtrinque secus nitibundo serpit tractibus orbiculatis, Solinus. Amphibæna dicta est, eò quod habeat duo capita: vnum in loco suo, alterū in cauda currens ex vtroq; capite, tractu corporis circulato, Isidorus. ¶ Ex his apparet veteres plerosq; existimasse hunc serpentē bicipitem esse. Quod tamen à ratione alienum esse tum Matthiol. tum Greuin. luculenter docent. Neq; enim reperietur vllum serpentium genus natura biceps. Refert quidem Aristoteles serpentem bicipitē aliquando visum fuisse: at id monstrosè fieri dicit, quod sæpe accidat in animalibus pręsertim, quæ vno partu plures fœtus edunt, vt cohæreant conceptus: quoniam in propinquo est alter alteri, geminaq; inuicē se constringant: vnde fit, vt corpora cum multis capitibus aut cruribus aut alis procreentur. Videtur ergo omnino falsum esse quod Amphisbæna ex sui generis natura biceps perpetuò nascatur. Verùm quandoquidem hoc serpentis genus terrestrium lumbricorum modo vtrisque extremitatibus, capite scilicet & cauda, acuminatis gignitur, adeò vt difficillimè possit caput à cauda discerni, atq; ex vtraq; parte progreditur ad modum nauigiorum vtrinq; proram habentium, existimauere quidam duobus constare capitibus. Hæc Matth. & Greuinus. Ἀμφίσβαινα εἶδος ὄφεως μακροκέφαλον ἰσοπήχη τὴν οὐρὰν κολοβὴν ἔχων, καὶ ταύτῃ πολλάκις πορείαν ποιούμενον, ὥστε τινὰς ἀμφισβητεῖν μὴ δύο ἔχειν κεφαλάς. id est, Amphisbęna species est serpentis porrecto capite, cubitalem caudam & decurtatā habens, & ea sæpe incedens, ita vt quidam num duo habeat capita dubitent, Hesychius. Amphisbæna & scytala animalia inter se similia sunt: non enim ex crassis in caudā tenuem abeunt, sed æqualis crassitudinis in vniuersum existunt, vt neq; cognoscant videntes ea, iuxta vtram partem caput aut cauda sita sint. Differt autem amphisbæna à scytala, quod illa ex vtraque parte progrediatur; vnde & amphisbæna à Græcis est appellata, Aetius. Serpentis ankesimen duas extremitates esse æquales in grossitudine, & æquales medio scribit Auic. Amphisbæna non crassior est lumbrico aut intestino terræ: Nicand. in Schyt. Cuius oculi lucēt veluti lucernę, Isidor. Amphisbęna partia est, & semper oculos tenebris oppletos habet: cùm terreno colore est, tū pellis varijs maculis distinguitur, Gillius:

Cuius perpetua est cæcum caligine lumen,
Quod latas vtrinq; genas, porrectaq; menta,
Plus alijs alto serpentibus aggere tendat:
Terreus est illi collor & densissima pellis;
Plurima quam variè distinctam signa figurant;
Nicander.

Pellem habet densam & duram varijs punctis distinctam. Colore est terreo, quem Græci φαιὸν, Latini pullum seu Beticum vel Hispanicum vocant. Hic color non omnino niger est, sed ad nigrum tamen propius accedit quàm fuscus, Greuinus.

C.

¶ Plinius lib.8.cap.23.& Solinus Polyhistor cap.30.amphisbænas ore parere tradunt:his enim caput est geminum,hoc est & ad caput & ad caudam. Claudius Minos in emblemata Alciati.Id tamen expresse non scribitur à Plinio vel Solino, sed ex eorum verbis id elicit supradictus author: quia enim vterq; amphisibænas duo habere capita,vnum in anteriore parte, alterum in cauda scribit,existimauit inde consequi amphisbænas eo capite & ore quod ad caudam est parere.Quod ex superioribus falsum esse facile cognosci potest.¶ Amphisbæna serpens frigori se committit,vigil,& solicitus de ouis suis valde cum ea incubat.Nam dum quædam pars eius dormit,altera tunc vigilat.Et cum per semitam incedit,duo capita regit, nuncq; caput anterius,nunc verò posterius consequitur,Iorach.Sola serpentium frigori se committit prima omnium procedens,& ante cuculi cantum,Plin.Amphisbæna prima omnium & antequam cicadæ canere incipiant,è cauerna sua prosilit;vnde suspicari licet,eam serpentibus cæteris calidius habere temperamentum,Greuinus ex Nicandro.

D.

¶ Dignum scitu ex Græcis obseruatum , amphisbænam non temerè alio interimi quàm vite:quod à Dionysio creditur premonstratum,qui ab Iunone in furorem versus,quum esset consopitus,ab amphisbæna excitatus assultante,illi palmitem incussit,peremitq;.Id quod in ophiaco scribit Nicander,Cœl.Rhod.¶ Nicander amphisbænæ pellem inquit bacillo circumiectam omnes serpentes pellere & reliquas etiam animantes, quæ non morsu sed ictu venenato interimunt,Ælianus. Hæc tamen ex versibus Nicandri qui extant elici non possunt,nisi forte in alio aliquo Nicandri libro,qui ad nos non peruenerit,legantur.¶ Ex oleastro bacillus amphisbenæ pelle inuolutus, ex frigore laborantes calefacit, Gillius. Quinimò arbori quæ cædatur adalligata non algere cædentes faciliusq; succidere tradit Nicander, Plinius.

Hæc vbi iam creuit,cedentes ligna coloni
Sectam deglabrant oleastri ex arbore virgam,
Quale pedum,strictisq; prehensi pellibus anguis
Insertam obuoluunt,quas certis deinde diebus
Exarere sinunt,cantantes ante cicadas.
Vtilis hic baculus frigentibus artubus esse
Fertur,vbi exanimis digitos torpedo fatigat,
Tunc quia constrictos, & eorum vincula,neruos
Calfacit immisso fouet extenditq; calore. Nicander.

G 1.

Remedia ex Amphisbæna.

¶ Neruorum dolores tollit amphisbæna mortua adalligata,Plin. Perfrictionibus remedio esse tradit Nicander amphisbænam mortuam adalligatam vel pellem tantum eius,Idem:

G 2.

De eius morsu & cura.

¶ Consimilia dictis in vipera,eueniunt ijs,qui ab scytala nomine aut amphisbæna demorsi sunt.Eademq; ferè auxiliantur.Quare hoc venenum priuatam descriptionem sortitum non est, quamuis non eidem generi assignandum sit,Diosc.Actuarius,Ægineta. Ab vtroq; animante (scilicet amphisbæna & scytale)demorsis,contingit morsum obscurum esse,ac vix apparere:veluti sunt muscarũ puncturæ:quapropter etiamsi mordeant,non enecant tamen,verùm inflammationes inducunt:veluti contingunt etiam ab apum ac vesparum stimulis.Quare transferantur ad hos quoq; quæ de illis sunt relata,verùm facultate intensiore,Aetius.Hic autem multum inter se Aetius & Dioscor.dissentiunt:nam si amphisbænæ morsus & symptomata quæ eum sequuntur,similia sunt his quæ in viperæ morsu accidunt,nequaquam certè dicere oportet,ea similia esse his quæ ex muscarum ictibus oriuntur. Conueniunt tamen melius Aetij verba cum ijs quæ ante dicta sunt.Nam cum horum animalium ictus sit admodũ obscurus & tenuis,coniÿcitur facilè amphisbænæ caput inesse terrenis vermibus, vel alui tineis persimile, ac proinde adeò etiam caudæ æmulum,vt alterum ab altera nonnisi difficile discerni possit,Matth.& Greuin.¶ Coriandrum valet contra serpentium genus vnum,quod amphisbænas vocant, potum impositumq;,Plinius.

¶ Amphisbænam aiunt si mulier grauida supergressa fuerit,malè abortũ facere,Gal.de theriaca.Viperam mulier prægnans si transcenderit abortum faciet:item amphisbænã, mortuam duntaxat.Nam viuam habentes in pyxide,impunè transeunt,etiamsi mortua sit,atq; asseruata, partus faciles præstat vel mortua. Mirum, si non asseruatam transcenderit grauida,innoxiam fieri,si protinus ascenderit asseruatam,Plin.Quod fit(si tamen fieri credere fas est) ob vaporem venenosum,ab huius serpentis corpore elatum,qui fœtum malignitate sua,naturæ nostræ infesta,suffocat,Greuinus.

Serpentes Hungarici,forte Amphisbænæ vel Iaculi.

¶ In Hungaria inferiori narrauit mihi Ioh.Vitus Vngarus reperiri serpentes breues duorum palmorum longitudine tantum.nulla cauda,vulgò decurtatos vocari:æquali per totũ crassitudine,qui in hominem eminus etiam iaculi instar insiliant,Gesnerus. De quibus antea diximus in acontia.

ANGER genus est serpentis, qui aliter Cruciator & Spartarius dicitur, Textor.

DE ANGVE.

Angues aquarum sunt, serpentes terrarum, dracones templorum, Seruius in 2. Æneidos: vbi poëta cum primùm angues nominasset, eosdem paulo post serpentes nominat. Sic & Æneid.7. canens de Alectone furia, quæ serpentem in sinũ Amatæ iniecerit, anguem primùm appellat, deinde colubrum & viperam. Versus poetæ sunt hi:

Huic Dea cæruleis vnum de crinibus anguem
Conijcit, inq; sinum præcordia ad intima subdit: paulò post,
Vipeream inspirans animam: fit tortile collo
Aurum ingens coluber, &c.

Ex his & alijs testimonijs, anguem nomen generis esse constat vt & serpentem: magis etiam quàm colubrum. Contrahitur enim aliquando coluber ad serpentem domesticum. Anguium genus est quod in aqua viuit, hydri vocantur, nullis serpentium inferiores veneno, Plin. Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis, &c. Vergilius de Chersydro. Anguis vocabulum omnium serpentium genus, quod plicari & contorqueri potest: Et inde anguis, quod angulosus & nunquam fit rectus. Angues autem apud gentiles pro genijs lucorum erant habiti semper. Vnde & Persius: *Pinge duos angues, pueri sacer est locus, &c.* Isidorus. Ὄφεις Gaza transtulit angues (de hist. animalium lib.1.) vetus interpres serpentes. Interest autem: nam serpens est nomen generis: at anguem Valerius lib.1. pro serpente in aquis degente accepit: Sed nimirum angues in genere pro serpentibus dixit more Oratorum, Niphus. Sed melius Vuottonus, vir circa vocabulorum & linguarum proprietatem longè præferendus Nipho, serpentem, anguem & ὄφιν pro synonimis accipit. Serpens (inquit) nonnunquam vnam speciem significat, Plinius lib.29. serpentis oculorum dexter adalligatus contra epiphoras prodest, si serpens viua dimittatur. Nec aliter apud Græcos ὄφις pro vna specie, scilicet vipera accipitur: vt apud Oppianum de murænæ & serpentis coitu, id est viperæ. Anguis generale nomen non minus est quàm serpens: vt apud Celsum lib.5. Serpentium quoq; morsus (inquit) non nimium distantem curationem desiderant: quamuis in ea multum antiqui variarunt, vt in singula genera anguium, singula medendi genera præciperent: atq; alijs alia. Item illud ignorari non oportet, omnis serpentis ictũ & ieiuno magis nocere vtilissimumq; esse, vbi ex anguibus metus est, non ante prodire quàm quis aliquid assumpsit. Et aliàs frequenter anguis vnam etiam speciem, vt apud Plinium lib.29. cap.4. (de angue sacro Æsculapio, quem locum inferius mox recitabimus:) Hæc ille. Nos pleraq; anguis nomine de serpentibus in vniuersum prodita hic omittimus, quæ ante in capite de serpente in genere requirenda sunt. Referimus tamen hic aliqua, vt bonos authores hoc nomine pro genere vsos nemo dubitet. Baculus quo angui rana excussa sit, parturientes adiuuat, Plinius. Videtur autem chersydrum, aut alium quempiam aquaticum serpentem intelligere: quoniam ranæ ferè in aquis morantur.

Anguis nomen generis.

Serpens pro specie & ὄφις similiter.

¶ Anguis venenatus non est (inquit Plin.29.4.) nisi per mensem luna instigatus. Sed prodest viuus comprehensus & in aqua contusus, si foueatur ita morsus. Quin & inesse ei remedia multa creduntur, vt dicemus, & ideo Æsculapio dicatur. Democritus quidẽ monstra quædam ex his conficit, vt possint auium sermones intelligi. Atqui anguis Æsculapius Epidauro Romam aduectus est, vulgoq; pascitur & in domibus. Ac nisi incendijs semina exurerentur, non esset fœcunditati eorum resistere. Hæc Plinius. Serpentis hoc genus per excellentiam anguem vocatum existimo, quod solus Æsculapio sanitatis numini sacer sit: meritò quidẽ cum solus ferè inter serpentes innoxius & homini tractabilis sit. Hunc ego esse conijcio qui in Italia, præsertim circa Bononiam ange vel bisse ange, vel bisse simpliciter vocatur, non tanquam angelus, vt quidam putant, sed interpolato anguis nomine. Alij ancca (vnde fortassis & Germanicum nomen vnck detortum est, siue eiusdẽ, siue similis serpentis domestici) vel antza proferunt. Serpentem aiunt esse oblongum, colore subluteo, morsu innoxio, ab aliquibus etiam in cibo sumi. Sceleton eius Bononia Ioannes Pellinus Lucensis vir literis clarus & medicus egregius ad me misit, & hæc verba adiecit in epistola: Hoc serpentis genus vbiq; ferè in agro Bononiensi, multisq; alijs in locis Italiæ reperitur: & ita domesticè se gerit cum hominibus, vt multoties in lectis ab his qui dormitum eunt (*sine pauore*) inueniatur: animosioresq; pueri sæpe sinu manibusq; abscondítos gerunt, vt timidas mulieres & pueros alios perterrefaciant. Per hyemem propter frigus aut moritur, aut potius latitat. Hæc tibi significare volui, vt eius natura facilius innotesceret, serpentemq; hunc ferè innocuum intelligeres, Hæc ille. Ex alijs audiui Patauij hunc serpentem antza vocari, excrementum eius instar moschi bene olere, notam quandam ceu crucis (fortè ex squamarum seu laminarum certo positu: quanquam ego in arido nihil tale deprehendi) in capite habere. Is quem Pellinus misit, longus est dodrantes quinq; cum totidem digitis: caput proportione oblongum. In ceruice vtrinq; duæ eminentiæ paruæ, & inter eas locus vacuus apparet in sceleto, nescio an similiter in viuis. Postrema pars paulatim attenuatur in magnam cau

Anguis Aesculapio sacer.

Ioh. Pellinus.

dæ exilitatem. Dentes in maxillis vtrinq; plusculi, acuti reflexiq; apparent. Aiunt aliquos vel refrigerij vel ostentationis causa, collo eos appendere viuos, & in sinum inserere. De eodē Thomas Erastus Heluetius medicus & philosophus insignis, cum Bononiæ adhuc hæreret, his verbis ad me scripsit. Hic serpentem videmus porracei coloris, obscurioris & magis nigricantis in tergore, prorsus viridis (albescentis tamen) coloris in parte inferiore, longum, à pueris omnibus circumferri sine noxa aliqua aut læsione: quem ipsi vocant biscia buona, id est serpentem benignum. Videtur herba pastus, indeq; colorem illum adeptus. Mordet iratus non minus alijs serpentibus, sed innoxiè. Vidi ego monachum habere vnum, longiorē credo duabus vlnis, quem in nodum implicauit, hoc est nodum ex eo formauit, non aliter ac si funem habuisset: cumq; extremas partes caput & cauda in diuersas partes traheret, vt nodus magis coiret in medio, ex eaq; redoleret serpens, inflixit caput, & dentes in manū monachi ita defixit, vt per quatuor vulnuscula copiosè efflueret sanguis, neq; vllum nocumentum inde consecutum est, nullo prorsus remedio adhibito. Veneni itaq; expers animal existimo, quod vulgares omnes pueri intelligentes sine metu persequuntur, & capiunt audacter manibus, & toto die in sinu & manibus circumportant. Reliquos omnes fugiunt & metuunt, vt par est, perniciosi cū sint: Hactenus Erastus. ¶ Valerius Maximus lib. 1. Exemplorum, capite 8. Triennio (inquit) continuo vexata pestilentia ciuitas nostra (*Roma*) cum finem tanti & tam diuturni mali, neq; diuina misericordia, neq; humano auxilio imponi videret, cura sacerdotum inspectis Sibyllinis libris animaduertit, non aliter pristinam recuperari sanitatem posse, quàm si ab Epidauro Æsculapius (anguis) esset accersitus. Itaq; eò legatis missis, quod petebant, benignissimè impetrarunt. Et tam promptam Epidauriorum indulgentiam numen ipsius Dei subsecutum, verba mortalium cœlesti obsequio comprobauit. Siquidem is anguis quem Epidaurij rarò, sed nunquā sine magno ipsorum bono visum, in modum Æsculapij venerati fuerunt, per vrbis celeberrimas partes, mitibus oculis & leni tractu labi cœpit, triduoq; inter religiosam omnium admirationem conspectus, haud dubiam præ se appetitæ clarioris sedis alacritatem ferens, ad triremem Romanam perrexit, pauentibusq; insueto spectaculo nautis, eò conscendit, vbi Q. Ogulini legati tabernaculum erat, inq; multiplicem orbem per summam quietem est conuolutus. Tum legati perinde atq; exoptatæ rei compotes, expleta gratiarum actione, cultuq; anguis à peritis accepto, læti inde soluerunt, ac prosperam emensi nauigationem, postquam Antium appulerūt, anguis qui vbique in nauigio remanserat, prolapsus in vestibulo ædis Æsculapij (*Apollinis. Sic Ouidius 15. Metam. Templa parentis init flauum tangentia litus*) myrto frequentibus ramis diffusæ supereminentem excelsæ altitudinis palmam circundedit, perq; tres dies positis quibus vesci solebat, non sine magno metu legatorum, ne in triremem reuerti nollet, Antiensis templi hospitio vsus, vrbi se nostræ aduehendum restituit, atq; in ripam Tyberis egressis legatis, in insulam vbi templum dicatum est, transnauit: aduentuq; suo tempestatem, cui remedio quæsitus erat, dispulit. Eandem historiam persequitur Ouid. lib. 15. Metamorph. & inter alia Æsculapium noctu legato dormienti apparuisse canit, baculum agreste manu tenentem, & his verbis allocutum esse:

Pone metus, veniam, simulachraq; nostra relinquam;
Hunc modò serpentem, baculum qui nexibus ambit
Perspice, & vsq; nota, visum vt cognoscere possis,
Vertar in hunc: sed maior ero, tantusq; videbor,
In quantum verti cœlestia corpora possunt. Et paulò post,
Cum cristis aureus altis
In serpente Deus prænuncia sibila misit.

Verùm vt ex aliorum poëtarum carminibus ferè licentiosis, vt ne historias quidem sine aliquo figmento puras proponant, formæ rerum genuinæ non satis agnosci possunt: ita neq; Ouidij authoritas, vt anguem Æsculapio sacrum, cristatum esse dicamus, suffecerit, neq; tantùm, vt triremis eius pondere moueatur. Finxit hęc nimirum poëta ad excitandam in animis hominum religionem, augendamq; admirationem. Dici etiam potest non naturalē eum fuisse serpentem, sed Æsculapium, aut alium quempiam genium, anguinam hanc speciem maiestatis aliquid prę se ferentem sibi assumsisse. Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum, Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius? Horat. Serm. 1. 3. Æsculapius cum alijs in locis cultus est, tum Romæ: pręcipuè in insula Tyberina, quæ biremis formam habere videtur, & formam accepisse eius nauis, qua Æsculapius Romam est aduectus. Nunc quoq; in D. Bartholomæi hortis nauis marmorea cernitur, in cuius nauis sponda serpentis reptantis imago effićta est, in rei memoriam, Gyrald. Syntagmate 7. de dijs. Et paulò ante in eodem: Æsculapij simulachra (inquit) variè effinxit antiquitas. Pausanias, Æsculapij simulachrum ex auro & ebore à Thrasymede Pario elaboratum describit. Is in throno sedebat, virgam tenens in manu: supra verò draconis caput manum alteram habebat, cui etiā canis assistere videbatur. Hæc Pausanias, qui & alibi, hoc est apud Sicyonios, Æsculapij templum fuisse ait, in cuius vestibulo imberbis erat Æsculapius, ex auro atque ebore confectus, Calamidis opus: sceptrum vna, altera verò manu domesticæ pinus pomum tenebat. Dicebant ipsum in draconis speciem ad se ex Epidauro, mulorum bigis vectum. Adeò

Thomas Erastus.

non

non Romanis tantùm ſerpens Epidaurius eſt impertitus. Euſebius etiam ſimulachris Æſculapij in manu baculum attribuit, quaſi (vt ait) ægrotantium ſuſtentaculum. Serpentem verò inuolutum, animæ & corporis ſalutare ſignum. Quo loco multa Euſebius de ſerpentibus tradit, vt ſpiritualibus, ex recondita diſciplina. Hinc & Macrobius, Æſculapij ſimulachro ait draconem ſalutis ſymbolum ſubiungi. Idem & Phurnutus: qui & cur baculum gerat, exponit. Sed & Higinus in aſtronomico de baculo & angue ſeu dracone, ita in Ophiucho ſcribit: Cum Æſculapius Glaucum cogeretur ſanare, incluſus quodam loco ſecreto, bacillum tenens manu, cũ quid ageret, cogitaret, dicitur anguis ad bacillum eius arrepſiſſe, quem Æſculapius mente commotus interfecit, bacillo fugientem feriens ſæpius. Poſtea fertur alter anguis eôdem veniſſe, ore ferens herbam, & in caput eius impoſuiſſe: quo facto, loco fugiſſe. Quare Æſculapium vſum eſſe herba eâdem, Glaucum reuixiſſe. Itaq; anguis in tutela Aeſculapij eſſe dicitur. ¶ Manet ad Ercynæ ripas ædes & ſignum in ea, virgo anſerem manibus præferens. Fluuij fontes intra ſpeluncam ſunt, & ſtantia ſimulachra, quorum ſceptris angues circumuoluti ſunt. Conijciat quis eſſe illa Aeſculapij & Hygiæ. Sed ſuſpicari etiam liceat eſſe Triphonij & Ercynæ, cum non magis Aeſculapio quàm Triphonio angues conſecratos habeant, Pauſanias in Bœoticis.

Anguis. Eſt apud authores anguis nomẽ, ſæpius maſculini generis, rarius fœminini. Cuius vt aſpexit torta caput angue reuinctum, Varro. Subitò ab vna parte aræ prolapſum anguem proſpexit, Valerius. Vnam omnino anguem in cubiculo viſam narrare ſolitus eſt, Tacitus. Deuolant angues iubatæ in compluuiũ duo, Plautus. Ablatiuus caſus inuenitur angue & angui, vt Priſc. obſeruauit. Angue ter excuſſo, Stat. lib. 4. Alter Mileti textam cane peius & angue Vitabit Chlamydem, Horat. lib. 1. Epiſt. Anguiculus diminutiuum, apud Ciceronem 5. de finib. Serpere anguiculos, nare anaticulas. *Anguium epitheta.* ¶ Addemus & epitheta ex authoribus: quorum tamen alia communia toti ſerpentium generi ſunt, alia certarum ſpecierum differentiæ: Aliger anguis, Valerius 1. Argonaut. Ater, Ouid. 4. Metam. Atrox, Statius lib. 6. Auidus, Ouid. in Ibin. Cœruleus, Verg. 4. Georg. Criſtatus, Seneca in Herc. Criſtis præſignis, Ouid. 3. Metam. Ferus, Idem 11. Metam. Frigidus, Verg. 3. Ægl. Gorgoneus, Ouid. 3. de Arte. Intortus capillis Eumenidum, Horatius 2. Carminum. Lætifer, Statius 5. Theb. Lubricus, Vergil. 5. Æneid. Lucidus 1 Georg. Maculoſus 3. Georg. Martius, Ouid. 3. Metam. Minax, Statius 4. Theb. Purpureus, Claud. in Ruff. Salutifer, Statius 3. Sylu. Squalens, Silius Ital. lib. 13. Squameus, Verg. 2. Georg. Terribilis, Ouid. 3. Amor. Teter, Claud. Tortus, Oui. 2. Metam. & Verg. 3. Georg. Toruus, 6. Aeneid. Trux, Ouid. 4. Triſt. Tumidus, 5. Triſt. Venenatus, in Ibin. Venenoſus, in Philom. Viridis, Claud. Et prętereà apud Rauiſium, Horrendus, Horridus, Horribilis, Implicitus, Libycus, Marſus, Maurus, Peſtifer, Reflexus, Retortus, Sæuus, Sibilans, Squamiger, Squamoſus, Sinuoſus, Textilis, Veneniger. *Ab angue deriuata.* ¶ Angueus, adiectiuum. Vt viſentibus procul lapſus angueos, fracta vertigine mentiatur, Solinus cap. 37. Anguifer ſydus eſt cœleſte (quòd & Anguitenens vocatur, Ciceroni 2. de Nat.) de quo ſic Columella lib. 11. Anguifer, qui à Græcis dicitur ὀφιοῦχος mane occidit, tempeſtatẽ ſignificat. Anguifera domus, Statius 2. Sylu. Eſt & anguineus adiectiuum, poëticum magis: Anguinus communius. Anguineus cucumer dicitur à Columella, id eſt oblongus, & ad anguis ſimilitudinem contortus. Idem anguinus & erraticus Plinio. Anguineæ comæ Meduſæ, Ouid. 4. Triſt. Anguina ceruix, Cic. 2. de Diuinat. Anguina vernatio, pro pelle quam verno tempore angues exuunt, Plin. lib. 30. *Anguinũ ouũ.* ¶ Ouorum genus eſt (inquit idẽ libro 29. cap. 3.) in magna Galliarum fama, omiſſum Græcis. Angues innumeri ęſtate conuoluti, ſaliuis faucium corporumq; ſpumis artifici complexu glomerantur, anguinum appellatur. Druidæ ſibilis id dicunt in ſublime iactari, ſagoq; oportere intercipi, ne tellurem attingat: profugere raptorem equo. Serpentes enim inſequi, donec arceantur amnis alicuius interuentu. Experimentum eius eſſe ſi contra aquas fluitet, vel auro vinctum. Atq; vt eſt magorum ſolertia occultandis fraudibus ſagax, certa luna capiendum cenſent, tanquàm congruere operationem eam ſerpentium humani ſit arbitrij. Vidi equidem id ouum mali orbiculati modici magnitudine, cruſta cartilaginis velut acetabulis brachiorum polypi crebris, inſigne Druidis. Ad victorias litium ac regum aditus mirè laudatur: tantæ vanitatis, vt habentem id in lite in ſinu equitem Romanum è Vocontijs, à diuo Claudio principe interemptum non ob aliud ſciam. Hic tamen complexus anguium & efferatorum concordia, cauſa videtur eſſe, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis, circundata effigie anguium fecerint. Neq; enim criſtatos eſſe in caduceo mos eſt, Hæc Plinius. Noſtro quidem ſeculo, vtcunq; ſit olim celebratũ hoc ouum Gallis, nullam eius mentionem ſcribendo quiſquã fecit, quod ſciam: neq; fama de eo, apud nos quidem (Heluetios dico, Gallis quondam adnumeratos, & Druidarum ſuperſtitionis non expertes) vlla ſupereſt. Quis verò hoc crederet? Ouum aut quiduis aliud inanimatum, etiam auri pondere accedente, fluuio tamen aduerſo ferri. Habeo ego in meo lapidum theſauro duos raros, ſpecie globoſa, duros ſolidos, graues, cruſta albiore & duriore quàm interior ſubſtantia ſit, intectos. Alter pugni humani magnitudinis eſt, lenticulari forma: alter longè minor, globi figura, non integri, ſed maiore quàm hemiſphærica. Ap-

parent in eo per interualla æquidistantia, caudę quædam tanquam serpentiũ (aut hirudinum,) orbem complectentes, quinæ maiores, & minores breuioresq́ totidem, singulæ inter singulas maiores. Insunt & acetabula, ceu pustulæ quædam (papillęue aut verrucæ) rotundæ: ita digestę, vt singulis versibus, qui toto circuitu deni sunt, pustulæ senæ habeantur, pleræq́ disiunctæ, paucæ ferè contiguæ. De his plura aliâs. Nunc quod ouum anguinum à Plinio descriptum repræsentare mihi videantur, præterire nolui. Accedit, quod successum & victoriæ spẽ nomen, quod eis quidam indunt (vulgò ſigſtein) promittere videtur. Bellonius cum apud me videret hos lapides, echinis marinis, dempta crusta aculeata, similes esse dixit. Vide etiam infra in Hydro B, de lapide Hydri. Et in lib. de aquatilibus in Corollario de echinis in genere H. a. pag. 424. Hæc omnia Gesnerus. ¶ Anguimani vocati sunt elephantes, quia proboscis eorum, quæ manus appellatur, in omnem partem anguium more facile flectitur & vertitur. In genere anguimanos elephantos, Lucret. libro. 2. Anguipedes à poëtis dicti sunt gigantes, quasi loripedes: propterea quod pedes tortuosos habuisse finguntur.

Composita ab angue.

Prodigia.

Deuolant angues iubatæ in impluuium duo, Plautus in Amphitrione. Emersit anguis ab infima ara, Cicero 1. de Diuinat. ¶ L. Sylla consul sociali bello, cum in agro Nolano ante prætorium immolaret, subitò ab vna parte aræ prolapsam anguem prospexit: qua visa Posthumij aruspicis hortatu continuò exercitum in expeditionem eduxit, ac fortissima Samnitum castra cepit. Quæ victoria futuræ eius amplissimæ potentiæ gradus & fundamentum extitit, Valerius Max. 1. 6. Et paulo post, T. Gracchus grauissimus ciuis cum consul in Lucanis sacrificasset, angues duo ex occulto prolapsi repente hostiæ, quam immolauerat, adeso iecinore, in easdem latebras se retulerunt: ob id deinde factum instaurato sacrificio, idem prodigij euenit. Tertia quoque cæsa victima, diligentiusq́ asseruatis extis, neq́ allapsus serpentum arceri, neq́ fuga impediri potuit. Quod quanuis aruspices ad salutem imperatoris pertinere dixissent, Gracchus tamen non cauit ne perfidi hospitis sui Flauij insidijs in eum locum deductus, in quo Pœnorum dux Mago cum armata manu delituerat, inermis occideretur.

¶ *Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba. Vergil. 3. Aegloga.*

De quibusdam anguibus innoxijs, quales fuere angues illi Aesculapio sacri.

Est in monte Ziz in Mauritania res quædam ferè incredibilis. Serpentes enim adeò hominibus non nocent, vt prandendi tempore non aliter atq́ feles aut caniculi micas è mensa cadentes colligant, neq́ aliquam cuiquam inferunt iniuriam, nisi ab eodem prius lacessiti, Leo Afric.

Ad Pyrenæos Bigerones innoxij sunt angues incolis permixti, quibusdam eodem lecto, ac penè eadem vtuntur mensa. Cibum enim familiariter capiunt ex ijs, quę pro analectis cecidêre. Longitudo quaternum pedum, humani brachij crassitudo: noctu diuersantur in ædibus cum sibilis etiam interdiu, Iulius Scaliger.

Sunt etiam domestici serpentes, vt Penates in Aquilonis extrema plaga reputati, qui lacte vaccino vel ouino nutriti, cum infantibus sub tectis ludunt, & plerunq́ in cunis, vt fidi custodes dormire videntur: quos lædere pro piaculo existimatur. Sed hi ritus reliquiæ sunt veterum superstitionum, omnino suscepta catholica fide interdicti. Si verò fulgure vel domestico incendio domus huiusmodi deletæ, aut peste grassante habitatoribus euacuatæ fuerint, remanent serpentes in antris exustæ domus, tantoq́ agmine coalescunt, vt difficultatẽ nouo cultori pariant, quo minus tutò cum ipsis cohabitare possint, Olaus magnus. Est oppidum quoddam, nominãt Vuiszliza, distans 9. miliaribus à Cracouia: ibi plurimi serpentes et bufones sunt: in tanta etiam copia, vt aliquando in lectis inueniantur: sed non sunt venenati, & nemo vnquam ab illis læditur: ex epistola cuiusdam.

DE ARGE SERPENTE.

ARges (ἄργης) serpentis meminit Galenus in lex. suo, Hipp. dicens ὄφιν quendam ita nominari. Locus ad quem respicit hic est, Epid. lib. 5. de iuuene quodam ebrio & dormiente supino in habitaculo quodam. Huic (inquit Hippocrates) serpens Arges appellatus in os ingressus est, & sanè quum sensisset, & loqui non posset, dentibus stridit, & serpentem deuorauit, & dolore magno premebatur, & manus prætensas adhibebat, velut qui strangularetur, & iactabat seipsum & conuulsus mortuus est. Harpocration quoq́ annotat: Dores, maximè autem Argiuos, ἀργαῖ vocasse τὸν ὄφιν, veluti Achæum in Adrasto. Timarchum tamen Rhodium scribere non κατὰ γλῶσσαν ita vocari serpentem, sed ἀργᾶς esse serpentis genus: quosdam verò draconis epitheton esse velle τὸ ἀργᾶς. Argiphontem Pausanias dictum ait Mercurium: quia ὀφιοκτό: ἐστι: rationis loco subiungens, quod serpentẽ sustulisset: quem nonnulli ἄργλω vocãt, Pierius & Eustath. meminit & Hesychius: nam ἄργλω ἔπειρνεν affert pro ὄφιν, addẽs draconis esse epithetũ.

¶ Αργᾶς etiam vocatus est Demosthenes διὰ τὸν θηριώδη τρόπον, id est, propter morum feritatem, Plutarchus. ¶ Suidas ait ἀργαῖ dici τὸν δεινότατον παρ᾽ ἡλικίαν seu τὸν δεινότατον καὶ θηριώδη τρόπον

δηϛόπον, nimirum inſtar ἀργᾶ, id eſt, ſerpentis. ¶ Αργᾶν etiam dictum fuiſſe τὸν μοχθηρὸν ποιητὴν, id eſt, improbum poetam ait Suidas: Secundum alios autem tyranni nomen eſſe. Αοιδοῦ, id eſt, cantoris ſeu poëtæ nomen proprium eſt apud Athenæum lib. 4. & lib. 14. Αργᾶν tradit fuiſſe ποιητὴν μοχθηρῶν νόμων. ¶ Αργῆς circum flexum ſignificat album & candidum, item velocem. Αργὸς verò oxytonum quidam pro otioſo & feriato accipiunt, Theſ. Græc. ling.

DE ARGOLIS SERPENTIBVS.

ARgolæ genus ſerpentum, quos Alexander Macedo Argo Pelaſgico Alexandriam tulit, & in flumen ad aſpides tollendas coniecit. Cùm verò Ieremiæ prophetæ oſſa ex Ægypto Alexandriam tranſtuliſſet, illos idem propheta occidit, Suidas.

DE ASPIDE.

A.

ASPIS ſerpentis genus nomen eſt græcum, à Latinis tamen vſurpatum. ¶ Hebraice פתן pethen aſpis Deut. 32. & Pſal. 58. עכשוב Akſchub. Aſpis vel ſpecies aſpidis, Pſal. 140. Dauid Kimhi, Munſterus, Pagninus. Quidam ptyadem interpretantur. צפעוני zipheoni, Eſa. 59. & Ierem. 8. aſpis vel regulus, peior quàm ſit nachaſch, ſerpens, Munſterus. ¶ Aſpidem, Albertus ex Auicenna haſyos reddit apud Ariſtotelem de hiſt. 9. Alij ſcribunt haſcos. Afilus an ſit idem cum aſpide ptyade dubitare videtur Auicenna. Eleuat inquit, caput ſuum, & expuit venenum, & eſt de genere ſpuentium. Arunducus ſerpens, Albertó, forte aſpis chelidonia quæ & Irundo ab eodem vocatur. Athaes aſpis eſt ſerpens diuerſos habens colores. Aut. exp. ¶ Græcè ἀσπίς. Ital. Aſpe, Aſpide. Hiſp. Biuora. Gall. Vn aſpic. Germ. ein ſchlang Aſpis genannt. *Nomina.*

¶ Triplex aſpidum ſpecies eſt, ptyas videlicet, & cherſæa, id eſt, terreſtris, & chelidonia, Galenus lib. de theriaca ad Piſonem. Aſpidum apud ferarum ſcriptores tres ſpecies reperiuntur. Quædam enim ex eis terreſtres appellantur: Quædam verò chelidoniæ, & circa fluuiorum ripas, præſertim Nili, latibula habent: Aliæ verò Ptyades nominantur, Aëtius, Ægineta. Ptyades autem nominantur poſtremæ, quoniam venena in oculos hominum expuant, Plinius. Altera ſpecies Chelidonia ſeu hirundo vocatur quod hirundinum modo in dorſo nigra & aluo candida ſit, Aëtius, Greuinus. Prima autem terreſtris quod loca mediterranea incolat, dicitur, vt diſtinguatur ab aquatica hirundinacea quæ iuxta Nili ripas habitat. ¶ Aſpis hypnalis, Albertus. Hypnalis eſt ſerpens ab aſpide genus trahens, quia ſomno, quos mordet, interimit, Iſidorus. Plures variæq; ſunt aſpidum ſpecies, verum diſparis effectus ad nocendum: Dipſas ſiti interficit: Hypnale, quòd ſomno necat, teſte etiam Cleopatra, emitur ad mortem, aliarum virus, quoniam medelas admittit, minus famæ meretur, Solinus. Ægyptij Aſpidum genus in ſedecim ſpecies diuidunt, Ælianus. ¶ Aſpis quædam appellatur ſicca, quæ eſt longior, & habet oculos veluti carbones ignitos: & alia Aſilus quæ interficit non ſolum morſu, ſed etiam ſputo quod emittit conſtrictis dentibus quando eleuat caput. Alia ſpecies propinqua iſtis vocatur Irundo ob ſimilitudinem coloris, Ferdinandus Ponzettus. Albertus meminit etiam hippupicis, quam inter aſpidum ſpecies numerat; aitq; eſſe illam, ex cuius veneno ſuauem mortẽ (Hippupicem pro hypnali fortè dixit) ſibi Cleopatra conſciuit, Nic. Leonicen. *Species diuerſæ.* *Aſpis ſicca.* *Aſilus.* *Irundo.* *Hippupex.*

B.

Aſpis, ſi Lucano credimus, in ſola Africa naſcitur, quamuis & in noſtrum orbem auaritia inuexerit. Ita enim de ea ait lib. 9. *Vbi reperiantur.*

Ipſa caloris egens gelidum non tranſit in orbem
Sponte ſua, Niloq; tenus metitur arenas.
Sed quis erit nobis lucri pudor? inde petuntur
Huc Libycæ mortes, & fecimus aſpida merces.

Teſtatur tamen Olaus Magnus in ſeptentrionalibus plagis aſpides etiam reperiri, ac cuiuſcunque alterius generis ſerpentes, licet quoad naturam veneni debiliores ſint quàm Africani. Sunt & aſpides inquit, in partibus Aquilonaribus ſcabroſa cute, dura ſiccitate, cinereo colore, oculis ſcintillantibus, longitudine trium vel quatuor cubitorum, veneni acumine hominem in-

terficientes ante horas quatuor nisi remediis opportunis occurratur. Christophorus Andreas in Oecoïatria scribit, Hispaniæ insulas serpentibus, aspidibus, omniq; genere ferarum virulentarum passim differtas & fœtas esse, Ambrosius Paræus. Aspides serpentes nullæ sunt in Gallia, quanquam vulgò quædam hoc nomine appellentur, Bellonius.

Magnitudo. ¶ Aspidum quædam ad longitudinem quinque cubitorum accedunt, Ælianus. Aspides quatuor cubitorum Ægyptij apparuisse asserunt, Idem. Nicander ait eam esse,

Tam proceram extensa queunt quam brachia duci:
Tantaq; crassities est, quantum missile telum,
Quod facient hastas docta faber expolit arte.

Terrestres aspides maiores sunt, & quandoq; vsque ad quinque cubitorum longitudinem reperiuntur. Maximæ vero Ptyades bicubitales sunt. Chelidoniæ autem, cubito maiores vix reperiuntur, Aëtius. Longitudo eius (scilicet spuentis) est vsque ad duos cubitos. Hirundinis verò est circiter cubitum vnum: Aspidis autem siccæ, inter tres cubitos vsque ad quinque, Auicenna. Aspis duplex est, altera palmaris, quæ celerius interficit, altera passus fere longitudine, vt Nicander ait, qui de serpentibus conscripsit, Strabo. Aspis longa est à tribus cubitis vsque ad quinq;, Arnoldus.

Color. ¶ *Squalidus interdum color albet, sæpe virenti;*
Cum maculis, sæpe est cineres imitante figura.
Nonnunquam ardenti veluti succenditur igne,
Idq; nigra Æthiopum sub terra, quale refusus
Nilus sæpe lutum vicinum in Nerea voluit. Nicander in Ther.

Chelidoniæ colorem hirundini similem habent. Ptyades verò cinereo sunt colore viridiq; & ad auri colorem declinante. Terrestres verò vt plurimùm & ipsæ cinerei sunt coloris, quanquam & sub virides reperiantur, Aëtius. Cinerei coloris est aspis, Olaus magnus. Aspidum color niger, Pausanias. Nonnulle rutilo, plurimæ nigro, cæruleoq; colore perspiciuntur, Ælianus. Color aspidis plurimum niger, quibusdam & cineritius: quandoq; etiam aspis fulua deprehensa est, quam ego in agro Bellunensi vidisse olim reminiscor, Pierius, Cæl. Rhodig. Hirundo serpens cuius color similis est colori hirundinis: Aspidis vero siccæ & spuentis color est cinericius & ad citrinitatem declinans, Auicenna.

Descriptio. ¶ Aspis est paruus serpens, vipera prolixioris est corporis, Glossa super Iob. 20. Aspis terrestris parua similis est Chersydro: sed latiorem ceruicem habet: hoc enim insigni solo differunt, Aëtius. Compertum est colla aspidum intumescere nullo ictus remedio, præter quam si confestim partes contactæ amputentur, Plinius. Turgida squallet item ceruix, Nicander. Ceruix squallet & tumet, Gyllius.

¶ *Præterea geminæ, calli instar, fronte caruncle*
Hærent, sanguineis scintillant lumina flammis. Nicander.

Ex eius fronte geminæ carunculæ callo similes eminent: oculis est valde rubentibus, Gyllius in Ælianum. Oculi aspidis siccæ sunt vehementis luminis, Auicenna. Aspis oculis est splendidissimis, Arnoldus. Oculos non in fronte sed in temporibus habere scribit Plinius.

¶ Aspis est cærulei coloris: cuius dentes supra modum longi sunt, ita quod extra os sicut apro apparent, Vincentius Belluacensis. Aspidum dentes in os vergentes sunt, ne cibi excidant, nullum habentium adminiculum retinendi: sed duo sunt in superiore parte dextra leuaq; longissimi, tenui fistula perforati, venenum infundentes, vt scorpionum aculei, Plin. lib. 11.

Quatuor huic intra maxillæ concaua dentes
Radices fixere suas, quas iuncta quibusdam
Pelliculis tunica obducit, triste vnde venenum
Effundit, si forte suo se approximet hosti. Nicander.

Aspidis dentes, quos meritò letiferos dixeris, tenuissimis quibusdam veluti tunicis aut membranis indui & vestiri audio: & cùm aspis aliquem mordicus inuadit, membranulis inuersis (vel compressis) humorem venenosum effundi, tum illas rursus ad pristinum locum redire & vniri, Ælianus. ¶ Aspis omnium venenatorum pestilentissima aridis squammis rubet, Gyllius. Aspis est ex serpentibus surdis, hæc sicca dicitur, propter vehementiam siccitatis cutis suæ, Auicenna. Caliditas ambarum (scilicet aspidum) constat tùm asperitate cutis: tum colore tendente ad cinereitatem, Ferd. Ponzetus.

C.

Habitatio. ¶ Aspidis habitatio est in sicco, & in locis in quibus non est aqua. Et hæc est quandoque cineritia, Andromachus. In vtraq; Nili ripa aspides (Chelidonias intellige) latibulis se tegunt, & tanquam ædes suas homines, sic hoc flumen omni alio tempore iucundè & suauiter accolunt: præterquam cum in agros flumen redundaturum præsentiunt. Tum enim ad tempus ab eo recedunt, Ælianus. *Sensus.* ¶ Omnibus aspidibus hæc sunt communia visus imbecillus, incessus tardus, auditus subtilis, Mercurialis.

Formidabile

Formidabile cui corpus, tardumq́ volumen,
Quandoquidem transuersa via est, prolixaq́ ventris
Spira, veternosiq́ niuere videntur ocelli.
At simul ac facili fo[...]e obseruarit aure
Vel minimum strepitum, segnes è corpore somnos
Excutit, & teretem sinuat mox aspera tractum,
Horrendumq́ caput, porrectaq́ pectora tollit. Nicander.

Omnino formidolosa & horribilis est, tardis tractibus serpit, somniculosis oculis assiduè innuit, ac nimirum primum vt vel strepitum vel vocem auribus percepit, segnicie ac somno excusso, in orbem contrahitur, atque ex medijs spiris terribile caput alleuat, Gyllius. Non est fateri, rerum natura largius mala an remedia genuerit. Iam primùm hebetes oculos huic malo dedit: eosq; non in fronte ex aduerso cernere, sed in temporibus. Itaq; excitatur, sed sæpius auditu quàm visu, Plinius. Callosa tubercula in fronte habent quæ somnum fingere videntur; idq; naturæ beneficio factum videtur, quæ considerata noxa quam hæ bestiæ si visu pollerent illaturæ essent, eas hac visus subtilitate priuauit quidem, sed auditu tamen remunerauit, Greuin. Surda aspis à Dauide nuncupatur, Psal. 58. nō quod auditu careat, quo plurimum pollere dictum est, sed quod quotiescunq; incantatur, aures suas obturet, ne incantatoris verba audiat, Cœl. Rho. ¶ Monstra hæc sibilant, vt ferunt, Solinus. *Graue sibilat ipsa*
Bestia, dum certam vomit ira concita mortem. Nicander. *Sibilus.*

Cum sibilum edit, aut in obuios viatores acerbam aspirationem anhelat, ex tunica quæ quatuor maxillæ dentes contegit, virus euomit, Gyllius. ¶ Morsu venenum immittit & spargit, vnde & nomen accepit, Vincentius Belluacensis. Mordent aspides, ac infundunt morsu venena, fœminę quatuor dentibus, mares verò duobus tantum, Mercurialis ex Aëtio. Inter Aspides nominata ptyas ceruicem exporrigens, & interualli metita longitudinem rationalis cuiusdam animalis modo minimè aberrans, venenum corporibus inspuit, Galenus de ther. ad Pisonem, Ægineta. Hi serpentes (de aspidibus Aquilonaribus agens) eleuati super pectus ad medium cubitum incedunt, venenumq; in magna quantitate diuersissimo colore in gutture collectum in resistentem aut obuium hominem expuunt, ac celerrimè sub antra & saxa fugiendo se recipiunt, Olaus Magnus. Eam in oculos hominum venenum expuere scribunt, Plinius. Οἱ ἐν αἰγύπτῳ ὄφεις πτύσματι χρῶνται, ὅθεν καὶ πτυάδες καλοῦνται, καὶ τυφλοῦσι τὰς ὄφεις τῶν ἐπιόντων, Id est, Serpentes qui in Ægypto sunt sputo vtuntur, vnde & spuentes vocantur, & inuadentium oculos excæcant, Porph. lib. 3. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων. Spuens dicitur quidam serpens, quia sputo suo interficit illud super quod cadit, quod scilicet sputum proijciunt dentes eius constricti super alios. Odor etiam sputi ipsius interficit, Auicenna. Sed vel solo tactu interimit, & afflatu quoque, vt & Centrites & Rubeta, Ælianus. Libycam aspidem sua aspiratione oculorū visum aduersus se respicientes eripere: alias non excæcare, sed tamen celeriter interficere, Idem. *Morsus & sputum.*

¶ Aspis etiam arbores conscendit, Anthol. 1. 13. epigram. vltimo. ¶ De temperamento vero Aspidum, an sit frigidum vel calidum, vide quæ scripta sunt de temperamento serpentum in genere sub nomine Serpentis.

D.

¶ Vnus huic tam pestifero animali sensus, vel potius affectus est. Coniuga fermè vagantur, nec nisi cum compare, vita est: Itaque alterutra interempta, incredibilis alterius vltionis cura. Persequitur interfectorem, vnumq; eum in quantolibet populi agmine noticia quadam infestat. Perrumpit omnes difficultates, permeat spatia, nec nisi amnibus arcetur aut præceleri fuga, Plinius. *Amor coniugalis.* ¶ Cùm in agros Nilus redundat, tamen triginta circiter ante diebus, longius ab eo fluuio in loca eminentiora vnà cum fœtibus suis demigrant: quod quidem munus à natura acceperunt, tanti vt fluminis, tamq; operosi quotannis accessionem & decessionem non modo non ignorent, sed ab eius etiam damno cauere sciant, Ælianus. *Præsensio.* ¶ Psal. 58. Dauid canit aspidem obturare aures suas, vt non audiat vocem incantantium. Cùm enim se excantationibus accersiri senserit, statim vna in terram aure defossa, alteram cauda obturat, ne carminum vocem exaudiat, vt testes sunt in eum locum, Hieronymus, Augustinus, Isidorus, Cassiodorus & alij. *Astutia aduersus incantatores.* ¶ Philarchus auctor est, cùm ad mensam cuiusdam veniens aspis in Ægypto aleretur assiduè, enixam catulos, quorum ab vno filium hospitis interemptum: Illam reuersam ad consuetudinem cibi, intellexisse culpam, & necem intulisse catulo, nec posteà in tectum id reuersam, Plin. *In ingratum factum animaduersio.* ¶ Aspis non nocet Afris & Syris, vnde pueros ex se natos eis obijciunt, quos si læserint tanquam adulterinos proijciunt: sin autem non, eos tanquā suos nutriunt, Vincentius Belluacensis. Id non de omnibus Afris siue Syris, sed tantum de Psyllis populis Libyæ intelligendum videtur, de quibus idem scribunt authores multòs, vt in historia serpentis pluribus dictum est. *Sympathia & antipatia.* ¶ Taurum color rubicundus excitat: ad vmbram aspis exurgit: vrsos bouesq; mappa proritat, Seneca lib. 3. de ira. ¶ Argolæ genus serpentum, quos Alexander Macedo Argo Pelasgico Alexandriam tulit, & in flumen ad aspides tollendas coniecit, Suidas.

De pugna Ichneumonis cum Aspide.

¶ Ichneumoni cum aspide perpetuum bellum esse scribit Strabo: quod & Lucanus innuit hoc versu, Aspidas vt Pharias caudæ solertior hostis ludit. Ichneumon Ægypti, vbi aspidem anguem suum hostem aspexerit, nõ aggreditur prius, quàm socios vocet, & limo obducto, contra ictus morsusq; sese loricet. Modus armandi, vt primum madefaciat corpus & in terra se volutet, Aristoteles. Habet aspis internecinũ bellũ cum ichneumone. Notũ est animal hac gloria maximè in eadem natum Ægypto. Mergit se limo sæpius, siccatq; sole. Mox vbi pluribus eodẽ modo se corijs loricauit, in dimicationem pergit. In ea caudam attollens, ictus irritos aduersus excipit, donec obliquo capite speculatus inuadat in fauces, Plinius. Ichneumõ in pugna aduersus aspidem caudam erigit, quam aspis maximè incipit obseruare quasi minantẽ, ad quam cùm vim suam transfert corripitur, Isidorus. Oppianus Ichneumonem non luto se oblinere, sed corpus arena obruere & quasi sepelire scribit, oculis tantum & cauda (oblonga & serpentina) prominentibus: sic expectare aspidem. Cùm verò (inquit interprete Gillio) hanc ignem spirantem animaduertit, statim caudæ gyrum agens, immanem feram prouocat: ea autem capite elato & exerto dente, frustra pugnare aggreditur: nam Ichneumonem nihil metus tardat ad excipiendam pugnam, imo verò ipsam mordicus premens vtrinq; se in orbem contrahentem lacerat, & mortiferum venenum ore eijcientem conficit & occidit. In luto Nili volutus Ichneumon, apricat se donec tergus siccetur & durescat, sic irruens in aspidem vel caput eius morsu amputat, vel mordicus apprehensam cauda in fluuiũ trahit. Nicander in Theriacis, qui inter cætera sic canit,

Solus eam potis est Ichneumon vincere pestem,
Cùm graue cautus ei bellum parat, editaq; oua,
Quæ fouet in multorum hominum insuperabile lethum,
Omnia fracta terit, mordaceq; dente lacessit. Hæc ille.

Ichneumon (inquit Ælianus) luto agglutinato sic se obducit, vt militem armis vndiq; septum referat: si lutum desit, aqua se alluens, seq; in altum madidumq; sabulum abijciens, ex improuisis rebus ac fortuitis, arma ad tuitionem sui ingeniosè comparat, continuoq; cum capitali aduersario depugnat: summas autem nares suas, teneras, ac valde aspidis morsui opportunas, suæ caudæ flexu septus, tuetur: si eas aspis assequi posit, hostem debellauit, sin minus assecutus fuerit, frustra dentes contra lutum exercet. Contra autem Ichneumo illi anteuertens, si ex inopinato fauces comprehenderit, illam strangulat. Quocirca victoria cùm sit posita in anticipatione, victor existit, qui morsibus alterum præuenerit, Hæc Ælianus. Ichneumo Aspidis oua disperdit, & tanquam catulis suis futuram hostilem perniciem summouet, Idem.

De soporantibus vel fugantibus aspides.

¶ Nec illud præteribo, aspidum naturæ halicacabum in tantum aduersum, vt radice eius propius admota soporetur illa sopore enecans vis earum, Plinius. Aspidi alicacabi radicem inijcito & obdormiscet, Const. in Geop. Nec mirum (inquit Cardanus de rerum varietate lib. 7.) cùm ea radix etiam, atque illius semen, hominibus stuporem inducat. ¶ Aron cum crematur serpentes nidore, priuatimq; aspides fugat, aut inebriat, ita vt torpentes inueniãtur: perunctos quoque aro è laureo oleo fugiunt, Plinius.

E.

De mansuefactione Aspidũ.

¶ Philarchus libro 12. in vulgus edidit, Aspides ab Ægyptijs vehementer coli, easdemq; ex eo cultu prorsus mansuescere, ciboq; cicures fieri: neque simul cum pueris infantibus viuentes, eis quippiam nocere: & verò appellatas ex cauis prodire, atque ad appellantem accedere: digitorum autem crepitu vocantur. Ægyptij in Aspidum nationem hospitalissimi: Primum vt pransi sunt, statim temperatas vino & melle farinas in mensam, in qua pransi sunt, exponunt: postea crepitu digitorum dato, eas tanquam conuiuas ad prandium vocant: Illæ verò velut ad condictam cœnam inuitatæ, aliæ aliunde prorepentes, accedunt, & mensam circumstant: ac reliqua omni spira in solo terræ relicta, caput alleuantes circumlambunt, sensimq; atque moderatè explentur. Cùm autem Ægyptij de nocte habent necesse surgere, ne ipsas in tenebris conculcent, iterum percussione digitorum vtuntur, eis vt de via decedant, signum dantes: Illæ sanè sonitus discrimen intelligentes, confestim in latibula abstruduntur. Itaq; ijs qui de lecto surgit, postea in nullas ipsarum incurrit, Ælianus. Polium cum ruta Syluestri, & si teratur ex aqua cœlesti, aspidas mitigare dicitur, Plinius.

De incantatione earum.

Virtute quorundam verborum incantatur aspis, ne veneno interimat, vel vt quidam dicunt, vt quieta capi posit, & gemma de fronte eius auferri, quæ naturaliter in eo nascitur, Vincentius Belluacensis. Veram esse serpentum excantationem manifestisimè constat Psal. 58. vbi Dauid ita canit, Furor eorum par est anguium furori, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas quæ vocem rite quamlibet excantantium non exaudiat, Pierius. Fertur autem sic incantari. Dæmones discurrunt cum verbis ad serpentes, & infectione interiori hoc faciunt vt serpentes ad nutum eorum moueantur, ac sine læsione tractabiles exhibeantur, Innominatus.

F.

Marsi aspidibus vescentes.

Galenus circa finem lib. 2. ad Glauc. scribit populos Marsos vesci carnibus aspidum, vocãs eos ἀσπιδοφάγους. Disputat autem Mercurialis in suo tractatu de venenis quomodo dicat Galenus lib.

nus lib. de theriaca cap. 8. carnem aspidis non ingredi antidotos quod vniuersum corpus aspidis venenosum sit, & tamẽ asserat Marsos absq; vlla noxa eius carnibus vesci. Respondet autẽ dicendum, venenum quidem in toto ipsius corpore esse: quòd si verò Marsi populi vescuntur ipsis, aut esse quia sub ipsorum cœlo non sunt venenati, quemadmodum alicubi neque viperæ etiam, neq; serpentes venenati, vel quia, vt dicebat doctissimus Fracastorius, huiusmodi populi quandam sympathiam habent cum aspidibus, vt ab ipsis non lædantur.

G. 1.

Aspidis cutẽm pondere sexta parte denarij cum pipere pari modo Parthorum gentes in remedium quartanæ bibunt, Plinius. ¶ Emplastrum è cinere aspidum, discutiens strumas & podagras. Capit terebinthinæ, lapidis asij, bituminis Iudaici sing. dra. 8. Ceræ puræ, baccarum lauri, amoniaci, thymiamatis, aphonitri, adipis vitulini, sing. drach. 85. Lapidis pyritis viui, drach. 25. Cineris Aspidum drach. 35. Olei veteris cochl. semis. medicamento refrigerato inspergito cinerem. Præparatur etiam sine cinere, quòd nonnulli eum auersentur, & nihilominus efficax sit, Nicol. Myrepsus. Describitur etiam à Galeno & Paulo Æginet. Eius etiam meminit Aëtius ad podagram. ¶ Aspidis senectus trita cum melle & inuncta, maximè acuit visum, Galenus ad Pisonem & Paulus Ægineta. Iumentorum oculis membrana aspidis quam exuerit cum adipe eiusdem claritatem inunctis facit, Plinius. *Remedia ex Aspide.*

G. 2.

Aspidis morsum Cleopatra lenissimum esse periclitatione percepit. Cùm enim, aduentante Augusto, quænam sine acerbo doloris sensu mors esset in cõuiuio de circumstantibus exquireret, eam quæ gladio inferretur, doloribus refertam esse, ex ijs qui aliquod vulnus accepissent, reperiebat: acerbam autem ex venenis, & laboriosam: conuulsionem enim facere, & stomacho, & cordi dolorem inurere. Eam verò quæ Aspidis ictu afferretur, lenem & imbecillem esse, Ælianus. Morsuum vestigia tam perparum apparentia Aspis imprimit, vt indicia vix acri oculorum acie deprehendantur. Cur verò sint tam obscura, ignotaq; causam hanc esse audio. Ipsius venenum ad transmittendum peracutum, mirabiliq; celeritate ad intima transitionem faciens. Cùm enim hæc ipsa morsum effecit, venenum non eminet circa superficiem, sed sub cutem subiens, intra meatus bene penitus subit, atq; sic ad intima delabitur, vt nihil extet atq; emineat. Quare ab Octauianis Cleopatræ mors non facile oculis comprehensa est, nisi tandem serò admodum ex duobus punctis difficilibus ad videndum animaduersis, mortis obscura significatio deprehensa est, & insuper vestigia Aspidis ipsius corporis tractus ijs qui huiusmodi animalium motionis discrimina tenent, manifesta apparuerunt, Idem. Galenus ad Pisonem paulo aliter de morte Cleopatræ scribit his verbis, Porro qui mulieris properum vt falleret custodes conatũ, feræ autem ad occidendum pernicitatẽ sermone nobis volunt ostendere, referunt ipsam suummet brachium magno admodum morsu, coq; alto vulnerasse, & belluæ virus in vase quodam ipsi allatum, vulneri infudisse: quo sic transmisso, haud multo post nescijs custodibus prompte interijsse, Hæc Galenus. Aspides percussos torpore & somno necant, Plinius. Lucanus aspida somniferam vocat. Georgius Pictorius de hoc symptomate in Lerna κακῶν, *Signa & symptomata morsus aspidis.*

Aspidis & morsu læsum dormire fatentur
In mortem, antidotum nec valuisse ferunt.

A Sisenna dici somniculosam scimus quæ somnum morsu inducat letiferũ, vel vt Plutarchus inquit, κάρον ὑπνώδη καὶ καταφοράν, Cœl. Rhodig. ¶ Ab aspide commorsus paruus omnino apparet morsus, similis puncturis acus, citra tumorem. Sanguis non multus sed paucus & niger distillat. Velox autem oculorũ obscuratio apprehendit, dolorq; corporis multiformis, omnino leuis & non sine voluptate consequitur. Quapropter bene exclamauit Nicander, Perimitq; virum absq; dolore. Color permutatur, & viridis ac herbaceus fit. Oris ventriculi morsus modicus est. Frons assiduè reuellitur: palpebræ absq; sensu mouentur, velut in somni accessione. Et in his mors corripit, ne tertia quidem diei parte dilatione facta, Diosc. Actuarius.

Nec tamen vlla vides impreßi vulnera morsus,
Nec dignus fatu tumor illum corpus adurit,
Sed qui læsus homo est citra omnem fata laborem
Claudit, & ignauo moriens torpore fatiscit. Nicander in Ther.

Cæterum accessiones & signa cõmunia sunt in his quos aspides momorderunt. Vulnera enim in demorso loco veluti ab acu puncta inueniuntur. Bina quidem ex masculi morsu, ex fœmellę verò quatuor, citra magnum dolorem, à quibus nihil effluit, nisi violentũ animal sit quòd morsum inflixit. Consequitur autem stupor, pallor frontis, refrigeratio, assidui hiatus, palpebrarũ nictationes, colli inclinatio, capitis grauitas, segnities, & collapsio in somnum profundum. Ad finem verò & conuulsio. Mors autẽ in tribus ad summam horis ex terrestris morsu sequitur. In chelidoniæ verò ictu præsentissima adest. Porrò his qui à ptyade conspuuntur, caligo oculorũ succedit, & cordis dolor, faciei tumor, & auditus corruptio. Tardius autem mors consequitur, Aëtius. ¶ Amplius quatuor horas quos momorderint aspides viuere nequeunt: eos strangulatio, conuulsio, & singultus consequitur, Ælianus.

¶ Signa morsus serpentis qui nominatur hirundo (chelidonia) & aspidis siccæ (chersææ) eadem sunt. Illi enim quem alteruter horum mordet, accidunt singultus frequentes, alteratio coloris, & stupor, & frigus membrorum, & profunditas somni, & clausio palpebrarum cum vehementia pulsus cordis ei propria, & magnitudo doloris. Quem verò mordet spuens (ptyas) remanet sine sensu, & sine motu, quietus profunde dormiens, post saltus continuos, & clausionem oculorum, & torsionem colli, & spasmum, & pulsum inordinatum, & non sentit dolorem: & quandoq; sentit in initio rei dolorem intestinorum, & intromittit digitos in guttur suum, vt euomat, Auicenna. Asili morsus signa addit etiam idem author eodem loco, quæ eadem cum morsu aspidis videntur, atque ideò superius inter aspidis nomina eius mentionem fecimus: scribit igitur, verum dicitur de accidentibus eius, quòd locus morsus eius est paruus secundum quantitatem puncturæ acus absque apostemate, & currit ex eo sanguis paucus niger. Et accidunt ei, qui ab eo morsus est, tenebrositas oculorum, & dolor in visceribus, & ore stomachi in primis, deinde accidunt clausio oculorum, & profunditas somni, & non viuit vltra tertiũ diem, Hæc Auicenna. Aspis si momorderit hominem, statim eum consumit ita vt liquefiat totus in ore serpentis, Physiologus. Vnaquæque aspis mortificat calorem naturalem: patet ex nigredine circa locum morsus causata ex sanguine: qui aduritur illic à caliditate veneni, & postea congelatur frigiditate extrinseca: obscuritas verò oculorum procedit ex vaporibus infectis qui interdum inferunt capiti dolorem. Et quando humores conturbantur in stomacho mouent vomitum, & aliquando spasmum, quando tunicæ ipsius coartantur à veneno morsus, vel ab humoribus infectis ab eo qui quando descendũt ad intestina faciunt fluxum perducentem ad syncopim & mortem, Ferdinandus Ponzetus.

Morsum aspidis perniciosissimum & ferè immedicabilẽ.

Serpentum venenum cùm pestiferum est, tum multo aspidis pestilentius, Ælianus. Viperæ & aliarum serpentium morsus non carent remedio, ex hisq; fieri potiones atq; vnguenta percipio, cautionesq; quorundam illitum venenum mitigauerunt: solum aspidis morsum non curari posse, esseq; omni medicina robustiorem, Idem. Aspides percussos torpore & somno necant, omnium serpentum minimè sanabiles. Sed & venenũ earum, si sanguinem attingit, aut recens vulnus statim interimit. Inueteratum vlcus tardius. De cetero potum quanta libet copia non nocet, non enim est tabifica vis, itaq; occisa morsu earum animalia cibis innoxia sunt, Plinius. Colla aspidum intumescere nullo ictus remedio compertum est, præterquam si confestim partes contactæ amputentur, Idem. Aspis interficit à duabus horis vsque ad tres, Arnoldus. Sunt & Aspides in partibus Aquilonaribus veneni acumine hominẽ interficientes ante horas quatuor, nisi remedijs oportunis occurratur, Olaus Magnus. Non magnopere compertum, qui aspidis ictu percussus euaserit, quibus morsum impegerit, horis vix quatuor superesse, præfocationem quippe mox insequi, ac spasmum cum singultu, Cæl. Rhodig. Celebratum est illud, ad horrorem incutiendum, δῆγμα ἀσπίδος, cùm virulentum & immedicabile vulnus aliquod intelligi volumus. Aspidum ictui vel nullum, vel rarum admodum remedium inueniri tradit Ælianus: compertumq; est plerunq; ictu læsos huiusmodi, vix horis quatuor supersuisse. Et Moses cantico suo Deut. 32. venenum aspidum ait insanabile, Pierius. Aspides exitio inferendo haud dubiè sunt præcipites. Ac in magna Alexandria subinde sum contemplatus, quàm celeriter perimerent. Cum enim aliquem hac pœnæ lege damnatum, humaniter citoq; volunt occidere, adijcientes ipsius pectori feram, iubentesq; paululũ obambulare, ita sine mora hominem tollunt è medio, Galenus ad Pisonem. ¶ Aspidis morsus, si ranam comederit, insanabilis omnino fit, Ælianus. ¶ Anguium ictus per loca plurimum differunt. Aspis enim anguis, ex quo medicamentum putrificum illud componunt, in Africa gignitur, cuius ictui nullum remediũ est, Aristoteles.

Curatio & remedia per Chirurgiam.

Iis qui ab Aspide feriuntur, quæ de Ceraste scripta sunt auxilia, dari debent: nempe sine mora ictam partem amputare, aut scalpro confestim circuncidere, & ijs similia prosequi oportet. Vrentia insuper admouenda. Nam venenum hoc quemadmodum Basilisci, aut sanguis bubulus, celerrimè in arterijs sanguinem cogit, Dioscorides, & Actuarius. His membri affecti mutilatio mox à morsu facta, succurrit: eoq; sine mora si fieri potest, præcidendum est: & in his & propinquis partibus omnem carnem circumsecare statim, & radicitus vsq; ad os excindere oportet: deinde reliquiæ ferro candenti, exiccandæ sunt, Paulus Ægineta. Ex Aspidis quidem vulnere longo tempore quispiam sanus fieri possit, vel exectionem membri, vel exustionem ignis fortiter patiendo, vel accommodatis medicamentis malum sistendo, nè serpat longius, Ælianus. Curatio huius veneni cùm citissime iugulet, est sollicitanda. Statim enim deueniendum est ad exuctionem plagæ, vel ore, vel arundine, vel cucurbitula, vel galli aut palumbi podice, & quia vulnus obscurum & exiguum esse solet, curandum vt amplius reddatur, & vt scarificationibus sanguis partium circumpositarum extrahatur, quo peracto deueniendum statim ad ea quæ propriè aspidis veneno aduersantur; huiusmodi autem est rutha, quæ apposita vulneri bezoarticam vim habet, Mercurialis. Quia aspidis venenum sanguinem in venis arterijsq; congelat, ideò aduersum id calida & tenuium partium exhibenda sunt, vt mithridatium aut theriaca in aqua vitæ dissoluta, eademq; in vulnus infundenda, calefaciendus æger: balneis,

frictionibus,

frictionibus, ambulationibus & similibus. Cùm pars icta purpurea, nigra, viridisue euadit, signum est veneni malignitate extincti, & suffocati caloris natiui. Tum igitur amputare membrum satius est, si vires ferre possunt, & nihil sit quod impediat, Ambrosius Paræus. Vtiliter ad plagam imponuntur, post cucurbitarum adhibitionem & scarificationem, centaurea cum myrrha & modico oppio. Rumex autem si cataplasmatis modo imponatur, nihil lædet. Præter opinionem verò auxiliatur theriace tum plagæ imposita, tum potata. Prosunt autem & assiduæ excitationes cum euulsionibus & plagis, & vniuersi corporis motus, & aqua marina calida pro fomento aspersa, Aëtius. Aqua marina ad venenatos ictus qui tremorem & refrigerationem adferunt, suffitu salutaris intelligitur, maximè scorpionum, phalangiorum, aspidumq;, etiam si quis in calidam descendat auxiliatur, Dioscorides. Ab aspide percussis vtilissimè imponitur butyrum, Idem. Folia fraxini vulneri aspidum imposita auxiliantur, Idem. Halicacabum tritum ex oleo percussis auxiliatur, Plinius. Aquilonares aduersus aspidum ictus inter cætera vtuntur fursure modo emplastri apposito; item theriaca pro pecoribus inungendis cum sale in circuitu tumoris, Olaus Magnus.

¶ Antidotus Antipatri quæ & Theriaca nuncupatur & ad morsus aspidis valet, ante & post ictus exhibita, describitur à Galeno lib. 2. de antidotis cap. 58. Item Theriaca ad dolores internos Euclidis Palatiani: quam vt ipse dicebat, ad morsus aspidum composuit. Describitur ab eodem Galeno, eodem libro cap. 61. Percussi à serpentibus, si fieri potest, fac vt priùs euomant, deinde ex hac cum plurimo succo fraxini, vel, si desit, cum vino drachmam vnam exhibe, vel plus etiam. Ad prænotionem an victurus sit percussus, centauream cum vino tritam bibendam præbeto: siquidem enim euomet pharmacum, morietur: si non, viuet. Quò verò malignitas veneni distributi & in corpus digesti probè euomatur, allia trita cum zytho exhibeto, donec nauseabundus reddatur. Aut opopanaca cum vino diluto dato, & confestim vomitionem operabitur. Numius autem inquit: Origanum viridem aut aridam pro ægri viribus cum vino dato. Post vomitum antidotis theriacis vtendum & communibus remedijs prædictis. Hęc Aëtius. Neque solum externis remedijs sollicitandum est, verùm etiam adhibenda interna, theriaca, mithridatum, antidotus Zopyri, & antidoti illæ quæ à Galeno proponuntur 2. de antidotis aduersus aspides, Mercurialis. Septentrionales aduersus ictus aspidum vtuntur theriaca Veneta, Olaus Magnus. ¶ Christophorus Andreas in œcoiatria scribit, Hispaniæ insulas serpentibus, aspidibus, omniq; genere ferarum virulentarũ, passim differtas & fœtas esse: contra quarum morsus nunquam quicquam presidij in theriaca animaduersum & compertum sit. At in sequenti antidoto vires multiplici experientia comprobatas, adeò certas & insignes existere, vt illius fiducia non dubitauerit se mordendum quantumlibet efferæ offerre aspidi. Capit verò id remedium folia thapsi barbati, caryophillatæ, leucoij rubri pari pondere, quæ in aceto acerrimo & sani hominis vrina bulliant ad partis læsæ fotum. Quanquam si ab ictu multum iam tempus sine remedio exactum sit, omnino satius & certius esse, si æger eius decocti vncias tres ieiunus, duabus ante pastum horis hauriat, Ambrosius Paręus.

Remedia quæ intra corpus iniuntur. Composita.

¶ Auxilium ab aspide morsi ferunt, & præsertim quos ptyas momordit, ex acerrimi aceti potu: dandum autem est quousq; aceti qualitatem circa dextram præcordiorum partem percipiant. Hepar enim in morsis ab aspide primùm aiunt sensu priuari, Aëtius. Nuper ab aspide calcata percussus vtrem aceti ferens, quoties deposuisset, sentiebat ictum, aliàs illæso similis. Intellectum ibi remedium est, potuq; succursum, Plinius. Vsus docuit eum quem aspis percussit, acetum potius bibere debere. Quod demonstrasse dicitur casus cuiusdam pueri, qui cùm ab hac ictus esset, & partim ob ipsum vulnus, partim ob immodicos æstus siti premeretur, ac locis siccis alium humorem non reperiret, acetum quod fortè secum habebat ebibit, & liberatus est. Credo quoniam id, quamuis refrigerandi vim habet, tamen habet etiam dissipandi. Quò fit vt terra respersa eo spumet. Eadem ergo vi verisimile est, spissescentem quoque intus humorem hominis ab eo discuti, & sic dari sanitatem, Corn. Cels. ¶ Allio cum ceruisia antiqua bibito, ictibus aspidum auxiliantur pastores Aquilonares, Olaus Magnus. ¶ Sunt qui aspidum venenis aduersari anisum putent, Plinius. ¶ Dari solet Aristolochia cum rosis: & de semine apij cum vino, Ferd. Ponzetus. ¶ Aron cum crematur serpentes nidore, priuatimq; aspides fugat, aut inebriat: perunctos quoq; aro è laureo oleo fugiunt. Ideò & contra ictus dari potu in vino nigro putant vtile, Plinius. ¶ Ictis ab aspide datur Carpobalsamus cum modico puluere gentianæ cum vino, aut cum pauco succo menthæ, vt prohibeat stomachum à spasmo, Ferd. Ponzetus. ¶ Alij verò dant castoreum cum cassia lignea, Idem. ¶ Et aliqui dicunt quòd pellis stomachi Ciconiæ cum modico vino sit singulare præsidium, Idem. ¶ Cimicum animalis fœdissimi, & dictu quoque fastidiendi natura contra serpentium morsus, & præcipuè aspidum valere dicitur. Item contra venena omnia, argumento, quod dicunt gallinas, quo die id ederint, non interfici ab aspide, carnes quoq; earum percussis plurimum prodesse, Plinius. ¶ Citrij mira vis contra aspides narratur apud Athen. lib. 3. cap. 5. Scribit prædones quosdam damnatos vt ferarũ cibus essent, in theatrum introductos, horrendis crudelissimisq; animalibus obiectos, & ab aspidibus percussos, nihil denique passos esse. Dubius fuit (inquit) dudum sanè princeps atque militem

Simplicia.

eorum custodem siquid vel edissent vel bibissent interrogauit: vt verò citrium illis traditum eodem die fuisse cognouit, huic citrium postero die dari, illi autem nequaquam iussit. Is demum qui citrium prius comederat, nihil rursus passus est, at ille morsus statim interijt, Hæc Athenæus. ¶ Clematis Ægyptia aduersus serpentes ac priuatim aspides ex aceto pota efficax, Plinius. ¶ Contra aspidem corallium è vino potum succurrit, Orpheus de lapidibus. ¶ Fraxini foliorum succus cum vino potatus, Dioscorides & Olaus Magnus. ¶ Hyoscyamum contusum cum folijs ex vino datur peculiariter contra aspides, Plinius. ¶ Lupini amari contra aspides valent, Idem. ¶ Mustelarum quas Græci Ictidas vocant fel contra aspides dicitur efficax, cæterò venenum, Idem. ¶ Testudinis vrinam magi tradunt aduersus aspidum ictus salutare remedium, efficacius tamen, vt aiunt, cimicibus admistis, Idem. Testudinis marinæ sanguis rectis est pharmacum: & omnes ferè morsus & aspidis magnificè sanat. Vrina quoque eius pota morsos ab aspide vel echidna sanat, Kiranides. ¶ Marcus Varro 89. vitæ anno prodidit ictus aspidum efficacissimè curari hausta à percussis ipsorum vrina.

Si vero horrendum vulnus fera fecerit aspis,
Vrinam credunt propriam conducere potu,
Varronis fuit ista senis sententia. nec non
Plinius vt memorat sumpti iuuat imber aceti. Qu. Serenus

Verum ex his quæ referre fas sit, impubium puerorum vrina valet contra saliuas aspidum quas ptyadas vocant, quoniam venena in oculos hominum expuant, Plinius. Efficacissimum porrò (inquit Matthiolus in Dioscoride) & omnium, quantum quidem expertus sum, præstantissimum antidotum contra venenosum ictum aspidum, quas surdas vocant, est nostra quinta essentia, ex aqua vitæ & antidoto nostro confecta, quàm idem Matthiolus describit, in præfatione 6. libri Dioscoridis.

H.

Etymologia.

Aspis dicta est eò quòd morsu venena immittat & aspergat: ἰὸς enim venenum dicitur, Isidorus. Aspis ab asperitate cutis dicitur, Arnoldus, Aristophanis verò scholiastes vult hoc animal sic dictum: ἀπὸ τοῦ α ἐπιτατικοῦ μορίου, καὶ τοῦ σπίζω τὸ ἐκτείνω, διὰ τὸν ὀξὺν αὐτοῦ συριγμὸν, ἢ διὰ τὸ τοῦ σώματος αὐτοῦ μῆκος, id est, ab α particula intensiua & verbo σπίζω quod extendere significat, propter acutum ipsius sibilum, aut propter corporis eius longitudinem.

Homonyma & deriuata.

Aspis etiam Græcè dicitur scutum rotundum propriè quod non extensum est in longitudinem, Eustathius, qui etiam hoc nomen deriuat ab α particula priuatiua & σπίζω, id est, extendo: quòd non in longitudinem extentum sit, sed orbiculare. Aristophanis verò scholiastes ab ipsa aspide animali scutum sic vocatum vult, διὰ τὸ εἰς κύκλους πολλοὺς εἱλισσόμενον τὸ ζῶον τοῦτο καθεύδειν· κυκλικαὶ γὰρ ἦσαν αἱ ἀσπίδες τῶν παλαιῶν, (id est, quòd animal hoc in orbes multos conuolutum dormiat. Orbicularia enim erant scuta veterum.) Vnde Ἀσπιδίσκιον & ἀσπιδίσκος breue scutum, Cæl. Rhodig. ¶ Est & aspis insula in mari Lycio, de qua Plinius libro 5. cap. 13. ¶ Est item aspis, promontorium in litore Africæ, à forma clypei dictum, vrbem habens eiusdem nominis, quæ à Latinis Clypea dicitur. In clypei speciem curuatis turribus aspis, Sylius. Cosura insula est ante aspidem sita, Carthaginensem vrbem, quam clypeam vocant, Strabo libro 6. ¶ Aspides etiam dicuntur campi forma orbiculari, aut vbi aspides visuntur plurimæ. Certè vrbis Argiuæ partem aspida vocatam, locis aliquot in Pyrrhi vita, scribit Plutarchus. Ἀσπιδεῖα vocant item Græci τὰς τῶν ἀσπίδων πληγάς. Sed & in naui partem quæ ad puppem vergit. Aspidiscos breuia dicunt scuta, sed & in scuti modum orbicularia ornamenta, Plethon Gemistus Historiarum primo & illud prodidit, Philippum Amyntæ omnium primum Macedoniæ phalangis synaspismum constituisse. Id autem intelligitur, quum in phalange singuli cubitum occupant, Hactenus Cæl. Rhodiginus.

Composita.

¶ Ἀσπιδόδηκτος. Ab aspide morsus seu ictus. ¶ Ἀσπιδόζοφος, Qui aspidibus vescitur, Galenus.

Epitheta.

Ἀσπὶς ἰοχέαιρα, id est veneno gaudens: εἱλικόεσσα, id est sinuosa: λιχμηρὴς, id est quæ linguam exerit: σμερδαλέη, id est formidabilis: φοινήεσσα, id est crudelis à Nicandro dicitur. παλαμναῖα, Eustathius in Homerum. Aspis pharia, sicca, somnifera, letifera, somniculosa, somnifica, tumescens, formidabilis, Ioh. Rauisius. Stabant in margine siccæ aspides, Lucanus 9. ¶ Aspides in diadematibus pictas Ægyptiorum reges gerunt, ex eius bestiæ forma regni firmitatem adumbratè significantes. Inuictum enim huius serpentis venenum est, & nemo vnquam ab ea morsus

Icones.

euasisse memoratur, Ælianus. Ægypti regum mos fuit peruetus, vt significaretur principatus quædam inuicta vis, diademata serpentis eius (aspidis) imagine distincta gestare, Cæl. Rhodiginus. ¶ Sacerdotes Æthiopum & Ægyptiorum pileos oblongos gestant, circa finem vmbilicum habentes, serpentibus quos aspides vocant circumuolutos: monumentum insigne, eos qui contra regem insurgere audeant mortiferis morsibus subesse, Diodorus Siculus. ¶ Inde aliud desumitur hieroglyphicum: sunt enim qui contumacem hominem, nulli quippe legum imperio vel magistratuum edicto, potentiorumúe iussis parere destinatum, per aspidem autem obturantem aptè significari tradunt, Pierius.

b. Oua aspidum rumpunt, & telas araneæ texunt: Qui comederit de ouis eorum morietur: & si

& si comprimantur, producetur regulus. Esaiæ 59. de peccatis Iudæorum agens. Vbi Munsterus, sensus est, inquit: Similis estis ouis aspidum, quibus fractis non aliud prodit quàm aspis: & omnes labores vestri similes sunt telis aranearum, quæ ad nullum vsum vtiles, cùm ex illis nullum fieri posit vestimentum, Hæc Munsterus.

c. Delectabitur lactens super foramen aspidis. Esaiæ 11. Id est quicunque ex hominibus occulto veneno ad nocendum referti sunt, sub regno Christi mutato ingenio fore vel pueris innoxios. ¶ Οἶμος, ὁδός, κύκλος, ζίβος· ὅθεν καὶ τῆς ἀσπίδος κίκλυς οἴμυς ἰκάλισαν, Hesychius.

d. Quod Ægyptij de aspide dicunt, id libenter sapientiæ studiosi audiunt. In quadam Ægypti prouincia, nomen ab Hercule trahente, formosum puerum anserum custodem, ab aspide tam mirificè adamatum fuisse, vt is cum obdormisset, è somno ad declinandas insidias, quas aspidis coniux riualitate commotus ei moliretur, ab ea excitatus fuerit & sibi cauerit, Ælianus. *De aspidis amore.*

g. Venenum draconum vinum eorum, & venenum aspidum crudele, Deut. 32. Panis eius in visceribus immutabit sese, fel aspidum in interioribus eius, Iob 20. id est, vt interpretatur Mercerus, Malum illud quo impius delectatur tanquam cibo mutabit naturam, videbiturque ipsi in ventre esse venenum præsentissimum & maximè noxium quale aspidum. Item. Venenum aspidum suget. Ibidem. ¶ Sunt & ranis venena, rubetis maximè, vidimusque Psyllos in certamine patinis candefactas admittentes, ocyore etiam quàm aspidum pernicie, Plinius. ¶ Synesius in epistola quadam ad fratrem distichon hoc recitat: Ἀσπίδα, φρῦνον, ὄφιν, καὶ λακιδέας περιφεῦγε, καὶ κυνὰ λυσσηῆρα (λυσσητὴν forte) καὶ πάλι λαοδικέας. Videntur autem vulgò, nullo certo authore, vsitati fuisse hi versus: quibus λαοδικεῖς homines notantur tanquam maximè venenatis etiam feris, aspide, rubeta, serpente, (viperam intelligo) & cane rabido nocentiores. Vide plura lib. de aquatilibus in ranis.

h. Sulpitius in Lucanum, ait Canopum gubernatorem nauis Menelai, aspidis morsu apud Canopum Ægypti vrbem occisum, Ioh. Rauisius Textor. ¶ Demetrius Phaleræus, auditor Theophrasti, & præfectus bibliothecæ Ptolemæi Soteris, excessit ex morsu aspidis, Ouidius in Ibin. ¶ Iam diximus Cleopatram ab Augusto superatam, mordendum aspidi porrexisse brachium, ne in triumphum duceretur, Propert. lib. 3. *De iis qui ab aspide morsi & occisi sunt.*

Brachia spectaui sacris admorsa colubris, (id est aspidibus.)
Et trahere occultum membra soporis iter. Textor.

¶ Cùm Pompeius Rufus Romæ ædilitium munus obiret quinquatrijs (vel Panathenaico festo) vt solet in Romano foro fieri, circulator alijs permultis, qui eandem quam is ipse artem factitarent, circumstantibus, ad suam ipsius ostentandam sapientiam, simulque ex artificio suo specimen dandum, aspidem ad brachium admonuit, & ex impresso morsu malum exuxit. Cùm postea non aquam quam sibi præparauerat exorbuisset, quòd ea esset subducta, (ex insidijs nimirum vas fuerat euersum) veneno non exhausto neque absterso, secundo pòst die sine doloris sensu, cùm sensim & pedetentim pernicie veneni illapsa, eius os & gingiuæ extabuissent, vita priuatus est, Ælianus. ¶ Scribit de Vigo, visum à se Florentiæ circulatorem, qui quò melius & pluris pharmaca suo populo venderet, aspidi mordendum digitum suum exhibuit, sed quadrihorio post interijt, Ambrosius Paræus. *De circulatoribus ex aspidis morsu mortuis*

¶ Philarchus lib. 12. in vulgus edidit, aspides ab Ægyptijs vehementer coli, easdemque ex eo cultu mansuescere, Ælianus. Ægyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes prauitatum erroribus, quamuis carnificinam potius subierint, quàm Ibin, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent, Cicero. Ab aspidibus & Crocodilis morsos felices & Deo dignos arbitrantur Ægypti, Iosephus libro 2. contra Appionem. ¶ Aspidis genus vnum Thermuthin Ægyptij nominant: hanc sacram esse aiunt, & summa religione colunt. Itaque ea Isidis simulachra tanquam regio quodam diademate coronant. Eandem in perniciem hominum natam esse negant. Enimuerò comminiscuntur eam se à probis abstinere: contrà verò impijs necem afferre. Quòd si ita est, iustitiam vniuersi dixeris hanc feram honorare, vt quæ acrimonia intellectus bonum à malo discernat, & tanquam illius ministra ac vindex in malos animaduertat. Addunt alij Isidem sceleratissimis hominum eam immittere. Hanc quoque solam immortalem esse Ægyptij referunt, qui aspidum genus in sedecim species diuidunt. In sacris igitur ædibus ad vnumquenque angulum subterranea sacella exædificant, vbi sanè Thermuthidi habitanti bubulum adipem edendum interuallis quibusdam obiciunt, Ælianus. ¶ Vinitor dum scrobem fodit, pulchram & generosam vitem plantaturus, ligonis ictu aspidem sacram & minimè infestam hominibus, quę forte illic latebat, imprudens mediã dissecuit. Deinde cùm terram dimoueret, posteriorem eius partem, quæ caudam continet, in arena iacentem reperit: anteriorem verò, quæ à ventre ad ceruicem tendit, adhuc reptantem & cruentam. Quamobrem obstupefactus & mentis impos, totus ad insaniam, eamque vehementem redactus est. Et cùm interdiu non apud se, nec rationis compos erat, tum noctu etiam delirans è lecto exiliebat, & aspidem se persequi dictitabat, & veluti morsu læsus terribili clamore vociferabatur, & auxilium implorabat, & interemptæ ab ipso aspidis simulacrum se videre aiebat, idque frendens & minans: & aliquando morsu se impetitum, eiulatu quidem dolere se arguebat. Cùm autem iam aliquandiu *De aspidibus sacris et cultis.* *De Thermuthi aspide sacra.* *Aspis immortalis.* *De vinitore qui aspidem sacram imprudens dissecuerat.*

durasset morbus, cognati eius supplicẽ ipsum in ædem Serapidis ducunt, Deumq́; vt spectrum illud aspidis amoliri & cohibere dignetur orant, Misertus ille, virum curat. Hæc de vindicta aspidem læsam secuta sufficiant, Idem. ¶ Narrat etiam eodem loco idem author, cum quidam iuuenis gulo deditus potiundi cuiusdam Pauonis Indici quem rex Ægyptiorum Ioui dicasset, ad ingluuiem suam satiandam miro desiderio teneretur, vnum ex ministris Dei ampla mercede sacrilegij data & ampliore promissa impulisse, ad eum capiendum & sibi adferendum. Is verò inquit, spe vana inductus, eum accesit ad locum, vbi morari alitem nôrat, & capere iuueni adferendam aggressus est. Sed non apparuit pauo: & loco illius aspis visa est, erecta, & aduersus ipsum irata: quare territus retrocesit.

Prouerbia. Aspis à vipera. ¶ Diogenes cum vidisset mulieres quasdam alloquentes, dixit: Ἀσπὶς παρ᾽ ἐχίδνης φάρμακον δανείζεται, id est, aspis à vipera venenum mutuo sumit. Vnde prouerbium aspis à vipera, natum est cuius etiam meminit Tertullianus lib. aduersus Marcionem tertio. Desinat (inquit) nunc hæreticus à Iudæo, aspis, quod aiunt, à vipera mutuari venenum. Dicitur autem cum pessimus à pessimo sumit mali quippiam. Vsus erit quoties qui per se malus est, contagio mali fit deterior, Erasmus. *Morsus aspidis* ¶ Δῆγμα ἀσπίδος, id est, morsus aspidis, abijt etiam in prouerbium, de malo immedicabili, aut de lingua vehementer virulenta. ¶ Circumfertur quoque Græcus versiculus, adagio concinens,

Aspidis telum.

Ἰὸς πέφυκεν ἀσπίδος κακὴ γυνή, id est,
Telum aspidis profecto mulier improba.

Nihil autem vetat, quominus trahatur adagium ad hostem clancularium, & tanto pestilentiorem, quòd clanculum citraq́; dolorem infundat venenum, hæc serpens est vt dictum est supra, Idem.


DE SERPENTIBVS QVORVM NOMINA INCIPIVNT A LITERA B.

DE BASILISCO.

B.

Nomina. BASILISCVS Græcè, Latinè dicitur Regulus, eò quòd rex serpentium sit: adeò vt eum videntes fugiant, quia olfactu suo eos necat, Isidorus. Dicitur Regulus quia coronatum habet caput, Auicenna. Basiliscus appellatur genus serpentis, vel quod in capite habeat album instar diadematis, vel quòd reliqua serpentum genera vim eius fugiant, Festus. Sunt idem Basiliscus & Regulus, qui sic vocatur, quia habet in capite maculam albam instar coronæ, vel quia cæteri serpentes fugiunt eius venenũ, & interfecti ab eo nunquam curantur, Ferdinandus Ponzettus. Basiliscus Græca dictio regulum vel tyrannum significat, quod instar regis omnibus animalibus sit terrori: vel quòd in omnes tyrannidem & sæuitiam exerceat, Spiegelius. Regulus qui & Basiliscus, Andromachus. ¶ Sibilus quoque idem est qui & regulus. Sibilo enim occidit antequam mordeat vel exurat, Isidorus. ¶ Hebraicè צפע & צפעוני Regulus aut Basiliscus, Ies.14. & Ierem.8. Pagninus. Basiliscus Hebraicè vt Munsterus in trilingui habet פתן Pethen, חרמן Churman, idem quod פתן id est regulus basiliscus. Munsterus in Dictionario Chaldaico, videtur accedere ad vocem Armene. שרף מעופף regulus volans, id est serpens qui flatu vrit, & de loco ad locum saltat, Idem. ¶ Armene vel harmene vel karmene, id est basililcus. Syluaticus serpens est, inquit, etiam visu & sibilo interficiens. Auicenna & Albertus quamuis duas videantur species facere basiliscum & harmenem, tamen in descriptione vtriusque nullum inter vtrunque animal discrimen constituunt, præter quam in magnitudine, quòd basiliscum duorum palmorũ faciant, Armenem verò sesquicubitalem. Itaque vnus idémque serpens esse videtur. ¶ Vræus Ægyptijs dicitur, quem basiliscum Græci nuncupant, Cælius. ¶ Germanicè vocari poterit,





terit, ein Ertzschlengle. Galenus, vn Basilic. Italicè & Hispanicè, Basilisco.

B.

Cyrenaica basiliscum generat, Plinius, Solinus. In Africa basiliscum reperiri scribit Aelianus. Basiliscus in solitudinibus Africæ habitat, Textor. Hic serpens multiplicatur in terra Atorch (fortè Turchorum) & Nubia, Auicenna. Basiliscum tametsi Galenus se minimè vidisse scripserit, grauissimi tamen scriptores eum reperiri & halitu ac visu interficere sentiunt. Et ego dum apud Imperatorem Maximilianum essem, vidi cadauer basilisci, quod hactenus in thesauris eius seruatur, Mercurialis. ¶ Basiliscus serpens est magnitudine palmi (scilicet magni, id est dodrantalis) Aelianus. Duodecim non amplius digitorum magnitudine, Plinius. Serpens est pene ad semipedem longitudinis, Solinus, Isidorus. Et tribus extenso porrectus corpore palmis, Nicander, Aëtius. Longitudo eius est duorum palmorum, Auicenna. Palmum non excedit, Textor. Harmenæ quantitatem dixerunt diuersam à quantitate reguli: Existimauerunt enim quod est ab vno cubito vsque ad cubitum & semis, Auicenna. ¶ Eminet argutum caput, est flauo ipse colore, Nicander. Basiliscus bellua subflaua, & triplici frontis apice munita, Galenus. Hocce animal magnitudine est palmorum trium, subflauum & capite acuto. In capite autem eminentias tres habet, Aëtius. Candida in capite macula vt quodam diademate insignitus, Plinius. Alba quasi mitrula, lineatum caput, Solinus. Albis maculis lineatus, Isidorus. Coronatum habet caput, quod valde acutum est, & oculi eius sunt rubei, & color eius ad nigredinem & citrinitatem decliuis, Auicenna. Regulus serpens est subalbidus super cuius caput sunt tres pilei, Andromachus. Candida in capite macula velut diademate quodam ornatus est. Acutissimum habet caput, os rude, oculos & colorem ad nigredinem vergentes, Textor. ¶ Regulus ipse rex serpentum, qui solo visu & flatu absorbet volucres, occiditque homines. Vnde de Achab & filio eius Ezechia sic loquitur propheta: De radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem. Est autem regulus serpens pennatus, vnde vbi iuxta translationem nostram legitur, volucrem absorbens: in Hebræo iuxta Hieronymum legitur serpens volans, Glossa super Esaiam decimo quarto. Hinc etiam alibi per eundem prophetam dicitur. In terra tribulationis & angustiæ leæna & leo, ex eis vipera & regulus volans, Actor. ¶ Basiliscus habet caudam vt coluber, residuum verò corpus vt gallus, Author lib. de nat. rerum. De hoc serpente breuiter Georgius Pictorius in genere sic canit, in Lerna malorum.

Vbi reperiatur basiliscus. — Magnitudo. — Forma.

Rex est serpentum basiliscus, quem modo vincunt
Mustelæ insultus, sæuaq; bella feræ.
Lernæum vermem basiliscum fœda Cyrene
Producit cunctis maximè perniciem.
Et nasci ex ouo galli, si credere fas est,
Decrepiti, in fimo, sole nitente, docent.
Sed quoniam olfactu lædit, visuq; ferarum
Omne genus, credas, nulla tenere bona.

C.

Non flexu multiplici vt reliquæ serpentes, corpus impellit, sed celsus & erectus in medio incedens, Plinius. Cùm mouetur, media corporis parte serpit, media arduus est & excelsus, Solinus. ¶ Basiliscus interdum ex gallo nascitur, quia gallus in ætate decrepita facit ouum ex se, vnde basiliscus procreatur: sed in generatione hac oportet vt multa concurrant. In fimo namq; calido & multo ponit ouum, ibique fouetur vice patris, & post multum temporis exit pullus, & inualescit sicut solent anatum pulli. Habet autem caudam vt coluber, residuum verò corpus vt gallus. Dicunt autem hi qui creationem eius se vidisse testantur, quòd nulla est oui testa, sed validissima pellis in tantum vt resistere possit ictibus validissimis. Opinio quoque quorundam est, quod ouum illud galli coluber aut bufo foueat, sed hoc incertum est. Hoc tamen in antiquorum scriptis habemus: quòd basilisci quoddam genus est quod ex ouo galli decrepiti generetur, Ex libro de natura rerum. Basiliscos aliqui dicunt generari de ouo galli: quod plane falsum est & impossibile: & quod Hermes docet basiliscum generare in vtero (generari in fimo) non intelligit de verò basilisco, sed de elixir (elydrio) alchymico quo metalla conuertuntur, Albertus. Vbi decrepitus gallus esse incipit, ac senectute confici, quòd nonnullis septimo, nono, aut ad summum decimo quarto euenit, pro virium robore vel imbecillitate, aut etiam concumbendi assuetudine, qua nulli non animantium naturæ vis desficitur atque eneruatur, ouum profert æstiuis mensibus, ac caniculæ syderis exortu, ex putrefacto, opinor, seminis excremento, aut humorum colluuie, conflatum, forma non oblonga, vel ouali, vt gallinis assolet, sed rotunda atque orbiculata, colore modò luteo, buxeo, flauescenti, versicolore, lurido, ex quo produci basiliscum, Latinè regulum nonnulli opinantur,

Incessus. — Generatio.

venenatam bestiam sesquipedali magnitudine, triplici frontis apice, tanquam regio diademate insignitam, erecto infestoq; corpore, atque oculis vibrantibus, quibus obuios halitus contagione conficit. Vulgus in tota Europa ea opinione est imbutum, vt ex hoc ouo basiliscum prodire statuat, si quando à rubeta seu bufone fotum sit, quod an fabulosum & commentitium, non ausim certò pronunciare; hoc tamen experientia comprobatum habeo, gallum incubatu id ipsum perficere. Ita nostra memoria in ciuitate Zirizæa, atque insulæ huius ambitu duo annosi galli ægrè etiam fustibus abacti, ab oui incubatione abigi depellique potuerunt: ita, quoniam ciues eam persuasionem concepissent, ex eiusmodi ouo basiliscum emergere, ouum conterere ac gallum strangulare visum est. Quod autem gallus ouum concipiat, suóque tempore, hoc est, vndeuigesimo die rupta testa excludat, inquisitione dignum. Ego ex conglobata intus concretione putri ac calore alitis circumfusa testa tale quiddam prouenire imaginor, præsertim cùm à concumbendi vsu & consuetudine desuescit, tunc enim excrementum intus cohibitum coagulatur atque indurescit in ouum, quod vbi vel ab ipso gallo, vel alio animante foueri contingit, venenatus ex eo vermis, aut alia quędam virulenta bestia producitur, quam basilisci nomine designãt, quod serpentis genus Africę alijsq; præustis ac siticulosis regionibus peculiare. Vt autem lumbrici & vermes humanis corporibus innascuntur, atque ex humorum putredine, caloris beneficio animantur ac viuacem agilitatem concipiunt, vt vespæ, scarabæi, erucæ, muscæ ex fimo bubulo, alijsq; putridis humoribus enascuntur, &c. sic ex hoc ouo venenosus vermis, aut alterius generis nocens monstrosaq; bestia basilisco non absimilis erumpit, quæ contactu, afflatu, halitu, expiratione, sibilo obuijs infesta fit atque exitiosa. Hæc Leuinus Lemnius de occultis naturæ miracul. libro 4. capite duodecimo. ¶ Ibidum oua frangunt Ægyptij, quòd inde basilisci credantur nasci, Simocatus. Perniciem aliquam ex institutis optimis sanóque consilio subsecutam Ægyptijs significare si voluissent, ibin & basiliscum facere consueuerant, siquidem ex ibidis ouo basiliscum nasci plerique veterum crediderunt, Pierius in Hieroglyphicis.

D.

Basiliscus reliquis serpẽtibus formidabilis et exitiosus.

Sibilum eius (basilisci) etiam serpentes alij perhorrescunt; & cùm acceperint, fugam quæque quò possunt, properant, Solinus.

Illius auditos expectant nulla susurros,
Quantumuis magnas sinuent animalia spiras,
Quando vel in pastum, vel opacæ deuia syluæ,
Irriguósue locos mediæ sub luce diei
Excandescenti succensa furore feruntur,
Sed turpi conuersa fugæ dant terga retrorsum. Nicand.

In Africa mulos vel cæsos, vel siti animo deficientes, Archelaus ait, plerosq; mortuos humi iacere proiectos, sæpéque magnam serpentium vim influere ad eorum cadauera depascenda, easq; Basilisci exaudito sibilo, se statim in cauernas, infráue harenas abdere: illum verò eò profectum, in tranquilla permultæ pacis libertate prandere. Postea verò quàm pransus sit, sibilo repetito, latitantibus serpentibus significare, se iam pransum ex cadaueribus abire. Ælianus. Vim verò super alia omnia reptilia maximam acquisiuit, vt nulla ex eis queant vel sibilum saltem ipsius sustinere. Quin & si quod ex reliquis animalibus venenum iaculantibus ad cibum aut potum capiendum properet, & basilisci iuxta locum præsentiam persentiscat, retro cedit, necessarij etiam ad vitam nutrimenti negligens, Aëtius.

Sibilaq; effundens cunctas terrentia pestes,
Ante venena nocens, latè sibi submouet omne
Vulgus, & in vacua regnat basiliscus arena. Lucanus lib. 9.

Sibilo omnes fugat serpentes, Plinius. ¶ Huic tali monstro (sæpe enim enectum concupiuere reges videre) mustelarum virus exitio est: adeò naturæ nihil placuit esse sine pari. Injiciunt eas cauernis, facilè cognitis sola (vel soli) tabe. Necant illæ simul odore moriunturq;, & naturæ pugna conficitur, Idem. Mustelis tantum vincitur, quas illinc homines inferciunt cauernis, in quibus delitescit, Solinus. Itaque ea visa fugit, quem illa persequitur & occidit, Isidorus. Nullum animantis genus est quod aduersus hunc serpentem subsistat nisi mustela, quæ rutæ esu munita atque armata, intrepidè illum aggreditur, atque extra cauernas ac latebras in quibus delitescit, protractum conterit: & nisi mustela demortuo serpente confestim se subducat, pastuq; rutæ rursus reficiatur, ipsa quoque ex aëris ambientis contagione ac fœditate suffocatur, Læuinus Lemnius. ¶ Leo à gallinaceo magno timore afficitur: eodem timore est basiliscus: cùm enim eum videt, tremit animo: cumque eundem audit canentem, terrore concussus, propemodum emoritur. Quam rem non ignorantes qui per Africam iter faciunt, gallum itineris comitem sibi adiungunt, qui eos à tam pestilenti malo basilisci prohibeat, Ælianus. Gallorum cantus leones exterret, metu basiliscos exanimat, miluos tamen extimescit gallus, Idem.

Mustelam & gallum basiliscus fugit.

Basilisci

E.

Baſiliſci reliquias amplo ſeſtertio Pergameni compararunt: & vt ædem Apollinis manu inſignem nec araneę intexerent, nec alites inuolarent, cadauer eius reticulo aureo ſuſpenſum ibidem locarunt, Solinus. De baſiliſci corio diceres aliquid, quod appenſum eſſet in Dianæ templo, propter quod nulla hirundo introuolare auderet, Iul. Scaliger ad Cardanum. Vbicunque cinis eius fuerit delinitus, nec araneæ poſſunt intexere, nec venenifera quælibet attrectare. Dicitur autem argentum eius cinere delinitum imitari colorem aureum, Vincentius Belluacenſis.

Baſiliſci cadauer ad quid vtile.

G.

Natura Baſiliſci & Harmene omnino conſimilis eſt, eſt enim calidiſsima & venenoſiſsima, quorum venenoſitas maximè in capitibus dominatur: non ſolum morſu ſtatim interimens, quinimò & ſibilo & viſu & tactu, non immediatè ſolùm ſed & mediatè. Solus harmene, quia ſimilem illi naturam habet, eiusq; ſpeciei eſt: propriè enim degit incolumis, Ardoynus. Baſiliſcus tantummodo conſpectus, & quando ſibilat auditus, videntes ſe, & audientes necat: atque ſi quod aliud animal illum etiam mortuum attingit, ſtatim moritur. Hinc aiunt omne aliud reptilium genus cauere, ne baſiliſco vicinum habitet, Galenus libro de ther. ad Piſonem. Libro verò 10. cap. 1. de ſimpl. medic. facult. idem contra Xenocratem ſcribens, ait, Beſtiam ſeu feram regiam quam vocant βασιλικὸν θηρίον, ne videre quidem mihi vnquam contigit: & ſi vera ſunt, quæ de illa referunt, periculoſum eſt vel propè accedere ad hoc animal. Baſiliſcus etſi dodrantalem non excedat menſuram, tamen vel ſerpentum maxima illius aſpectu non longo interuallo, ſed ſtatim expirationis appulſu exiccatur. Et ſi baculum quem quiſpiam teneat momorderit, baculi dominus necatur, Ælianus. Baſiliſcum ſerpentes ipſi fugiunt, alios olfactu necantem, qui hominem vel ſi aſpiciat tantum dicitur interimere, Plinius. Et alibi, cùm de Catoblepis dixiſſet, omnes qui eius oculos viderent ſtatim expirare, ſubijcit, Eadem & baſiliſci ſerpentis eſt vis. Necat frutices, non contactos modò verum & afflatos, exurit herbas, rumpit ſaxa. Talis vis malo eſt. Creditum quondam eſt, ex eo occiſo haſta, & per eam ſubeunte vi, non equitem modò ſed equum quoque abſumptum, Idem.

De exitiali baſiliſci veneno, quod ſolo viſu vel halitu necat, vimq; mire penetrantem habet.

Quid prodeſt miſeri baſiliſcus cuſpide Mauri
Tranſactus? velox currit per tela venenum,
Inuaditq; manum. Lucanus.

Baſiliſcus non hominis tantum, vel aliorum animantium exitijs datus, ſed terræ quoque ipſius, quam polluit & exurit, vbicunque ferale ſortitur receptaculum: denique extinguit herbas, necat arbores, ipſas etiam corrumpit auras: ita vt aëra nulla alitum impunè tranſuolet, infectum ſpiritu peſtilenti. Quicquid morſu eius occiderit, non depaſcitur fera, non attrectat ales, Solinus. Aiunt quod conſpectus modò & ſibilans auditus, eos qui ipſum audierunt tollat, ſimiliterq; ab ipſo conſpectos, Aëtius. Serpentes olfactu ſuo necat: nam & hominem, vel ſi aſpiciat interimit, ſiquidem ad eius aſpectum nulla auis volans illæſa tranſit: ſed quamuis procul ſit, eius ore combuſta deuoratur, Iſidorus. Baſiliſcus adurit totum ſuper quod incedit, & neque oritur in circuitu cauernæ eius aliquid: & cum opponitur habitationi eius auis, cadit, & non ſentit ipſum animal, quod non terreatur: quod ſi ſit propinquius hoc ſtupeſit, quare non mouetur. Et interficit ſibilo ſuo ſi exaltat ipſum: & ille ſuper quem cadit viſus eius etſi ſit ex longinquo, moritur, non autē ſicut dicitur, quòd ille cuius viſus cadit ſuper ipſum moritur. Quod ſi accidat vt quis tangat eum virga, ille qui tetigit moritur, idq; mediante virga: Tetigit aliquando eum miles quidam cum lancea ſua: quare mortuus eſt miles, & animal eius, & tetigit ipſe labium equi, quare mortuus eſt equus & miles, Auicenna. Harmene in proprietatibus reguli proximis non tantum interficit morſu ſed & viſu & auditu ſui ſibili, Idem. Hunc cum videt aliquis paulò poſt moritur, & quando ſibilat moritur qui audit ſibilum eius. Omnis quoq; beſtia de illo mortuo comedens ſtatim moritur, Andromachus libro de confectione theriacæ. Regulum ſi quod animal viderit vel audierit, hydropicum efficitur & moritur, Iorach. Aqua in qua fuerit regulus, hominem interficit, Arnoldus.

¶ Baſiliſcus ſolet connumerari inter ſerpentes ſurdos: quia priuatur auditu. Nam aër qui ſubſeruit virtuti auditiuæ reſoluitur ab intenſa eius caliditate: non tamen eſt verum quòd eius venenum ſit ſolum in capite eò quod interficiat proferendo fumum: quoniam totum corpus eſt venenoſum. Nam veteres teſtantur quod quidam equitando equus tetigit illum, & ambo ſtatim mortui ceciderunt: potuit enim venenum deferri ad eum per equum & ingredi per poros corporis. Nec ſpirare per latera concludit quòd venenum ſit ſolum in pectore: ſpirat tamen per illa ne præcordia exurantur à fumis exuſtis, qui niſi ſpiramenta eſſent in qualibet parte corporis ſubintrarent inter oſſa, & neruos, & inter pellem, & carnem, & ſepararet partes & compagines ſui corporis. Mortuus etiam interficit ſolo tactu: & tamen tunc non ſpirat, nec reſpirat, & interfectus ab eo interficit alios: quia forſan vapor illius remanſit in eo, Ferdinandus Ponzettus. Hominem ſi primus viderit ſolo viſu eum interficit, quòd radij

Qua ratione baſiliſcus viſu vel halitu interficiat.

oculorum eius spiritum hominis visibilem corrumpunt, quo corrupto cæteri quoque spiritus corrumpuntur, qui à cerebro & vita cordis descendunt, & sic homo moritur. Serpentem verò si primus homo viderit serpens extinguitur, vt dicit Iacobus Aconensis, Vincentius Belluacensis. Regulum siue basiliscum ferunt vel voce sola vel intuitu homines occidere: quod si ita est, infici aërem in vtroque spiritu est necesse: nam simulachrum illud quod lucis auxilio mittit, veneni particeps esse non potest. Igitur non secus ac mulieres specula vitiant, dum mensibus detinentur, homines ac animalia voce vel intuitu serpentis affici possunt, Cardanus. Vt lupus obuijs vocem adimit, aut raucedinem afflat, halitus qui ab eo promanat, contagione: ita quoque Basiliscus afflatu ac sibilo, tanquam emisso iaculo, paulo etiam remotiores conficit. Nec solùm homini, reliquisque animantibus insidiatur atque infestus est, sed etiam fruges ac sata contactu suo fœdat ac polluit, Læuinus Lemnius. Quòd autem vulgus existimet, ac seriò sibi persuadeat in nostris regionibus tam perniciosum nocentemque serpentem aliquando produci bufonis incubitu, ac nonnunquam in subterraneis antris ac specubus basiliscos inferre mortem hominibus, si quando in ea loca se conferant, anile censeo: cùm halitus virosi pædor, situs, grauεolentia, fœditas, quæ à tetris horridisque locis emanant, spiritum intercipiant, atque hominem nonnunquam strangulent, quod etiam aliquando venenatas bestias quæ in huiusmodi latibulis delitescunt, perficere non est quod quis ambigat, Idem.

De morsu basilisci & symptomatibus.

¶ Erasistratus in libro quem de medicaminibus & venenis condidit, de vocato basilisco scitè ita refert. Cùm basiliscus momorderit, vulnus ad auri colorem efflauescit, Dioscorides, P. Ægineta. Id fit ob sanguinem mutatum in flauam bilem: cùm enim tenuiori sui parte putrescit, facilè in eam conuertitur, Greuinus. Cæterum percussos ab eo totius corporis ardor comitatur, itemque liuor: defluunt capilli è corpore confestim, & in instanti omnino tempore mors sequitur. Neque verò corpus ipsius mortui vllum aliquod animal carniuorum attingit: si verò famè coactum ipsum contingat, tum & ipsi ilico eodem loci mors instat, Aëtius.

Quod ferit hic, multo corpus succenditur igne,
A membris resoluta suis caro defluit, & fit
Lurida & obscuro nigrescit opaca colore.
Nullæ etiam volucres, quæ fœda cadauera pascunt,
Sic occisum hominem tangunt, vt vultur, & omnes
Huic similes aliæ, pluuiæ quoque nuncius aura
Coruus, nec quæcunque feræ per deuia lustra
Degunt, è tali capiunt sibi pabula carne.
Tum teter vacuas odor hinc exhalat in auras,
Atque propinquantes penetrant non segniter artus:
Sin cogente fame veniens approximet ales,
Tristia fata refert, certamque ex aëre mortem. Nicander.

Illius, quem mordet corpus liquefit & inflatur, & currit virus, & moritur statim, & moritur omnis qui appropinquat illi mortuo. Et parum quidem euadit qui præsens fit vicinitati eius, Auicenna. Et rursus: signa morsus eius sunt, si videris mortuum subito absque casu causæ primitiuæ apparentis, & propriè quando est in loco vbi scitur illud animal, Idem. Reguli autem, sicut scorpiones, arentia quæque sectantur, & postquam ad aquas venerint, ibique aliquem momorderint, ὑδροφόβους & lymphaticos faciunt, Isidorus. ¶ Basilisci veneno simile est cerastæ virus, Dioscorides. Basilisci venenum celerrimè in arterijs sanguinem cogit, vt etiam aspidis & sanguis bubulus, Idem.

Curatio morsus.

Ad Basilisci morsum, vt Erasistratus author est, auxiliatur castorij drachma in vino pota: item papaueris succus, Dioscorides, Ægineta. Vanum & superuacaneum diximus auxilia contra eum referre, Aëtius. Non est curatio ei prorsus, Auicenna. Dixerunt quòd morso ab Harmene non confert aliquid: si verò aliquid confert ei, tunc semen papaueris valet vsque ad ℨ.j. & castoreum vsque ad ℨ. j. quidam iam testificati sunt illud, Idem. Quoties basiliscus quempiam momordit, aureo colore plaga suffunditur: hunc mors ilico rapit, & auxilia quæ possent repræsentari præoccupat. Sed tam pestilens veneni pernicies, maximè in Libiæ desertis grassatur, vbi sanè quàm pauci versantur homines quam labem priusquam quispiam sentiat, ac medicum possit consulere, repentina morte tollitur: tam præceps est veneni impetus, tamque celeriter iugulat: quare danda est opera, priusquam ijs implicetur periculis, vt partim calidioribus vescatur cibis, partim meracis vtatur potionibus: interim & medicamentis, quæ perniciosum ad se virus eliciant, modo antidotis, quæ veneficam vim expugnent erit contendendum, Actuarius.

De basilisci sanguine magica.

¶ Basilisci sanguinem magi miris laudibus celebrant, coeuntem picis modo & colore, dilutum cinnabari clariorem fieri. Tribuunt ei & successus petitionum à potestatibus, & à dijs etiam precum, morborum remedia, veneficiorum amuleta. Quidam id Saturni sanguinem appellant, Plinius.

H.

Ægyptij hominem qui ex accusatione conuitijs affectus in ægritudinem inciderit, significare cupientes, basiliscum pingunt. Hic enim propius accedentem afflatu suo perimit, Orus. Sed enim cur Ægyptij per hoc serpentis genus potius quàm per aliud quoddam seculum æternitatémue significarent causa erat, quod inter serpentum genera hoc vnum interfici vi non potest si Horo Niliaco credimus, Pierius. Esse verò inter omnia serpentum genera immortalem, qui & citra morsum afflatu suo perniciem inferat scribit Horus: quia verò videatur ζωῆς κυριεύειν καὶ θανάτου, ex auro conformatum capitibus deorum appingebant Ægyptij. Qui & argumento eodem indicare æuum arbitrabantur, Cælius. ¶ Scribit Nicephorus in Astrolabij structura cor cœlestis Leonis dici basiliscum, Idem.

Quid per Basiliscum Aegyptij significarint.

Basiliscus Sydus.

¶ Basiliscus fuit Numeriani Cæsaris filius, Suidas. ¶ Basiliscus Verenæ imperatricis frater sub Leone imperatore. Rustico duci exercitus successit, &c. Idem. ¶ Basiliscus item fuit Romanorum orientalium imperator, qui pecuniam exegit ab Ecclesiarum episcopis, Idem. ¶ Apud Georg. Agricolam inter bombardarum nomina, basilisci etiam numerantur.

Nomina propria.

b. Album gallum (inquit Albertus lib.23.) leo timere dicitur, fortè propter speciei contrarietatem: vel quod basilisco similis esse dicitur.

c. De radice serpentum egredietur regulus, & fructus eius cerastes volans, Esaiæ 14. Oua aspidis rumpunt & telas araneæ texunt: qui comederit de ouis eius morietur, & quod fractum erit erumpet in regulum, Esa.59. Quo indicat quicquid moliuntur noxium esse & damnosum.

d. Super foramen reguli ablactatus manum suam extendet, Esa.11.

g. Vinum (scilicet immoderatè sumptum) velut serpens mordebit, & velut regulus dolore afficiet, Prouerb.23. Ecce mitto in vos serpentes regulos quibus non est incantatio, Ierem.8.

h. In ea religione basiliscus habitus apud Ægyptios, vt ex auro dedicaretur. Caput autem illi accipitrinum faciebant, oculosque eo artificio concinnabant, vt & claudi & aperiri possent. Hunc simulatque oculis adapertis proferebant, vniuersa Ægyptus lætitia atque hilaritate perfundebatur, perinde ac si deorum oculi eos aspicerent, opemque præsentem omnibus pollicerentur: in luce igitur & in propatulo omnes esse, & risui & iocis atque conuiuijs dare operam. Quod si clausis oculis eum extulissent, ibi tum omnia mœrore luctuque confundi, auersos & iratos esse deos existimari, abdere se omnes in tenebras, & obscura penetralia, miserabilique deploratione pro se quenque niti, vt deorum indignationem quacunque possent ratione mitigarent, Pierius.

Religio.

¶ Leone quarto pontifice maximo Romæ iuxta ædem S. Lucię sub fornice stabulatum basiliscum ferunt, dirum serpentis genus cuius afflatu magna lue affecta Roma fuerit: eumque illius pontificis precibus extinctum, Carolus Sigonius, & Iul. Scaliger.

De quibusdam serpentibus qui Basiliscum referre videntur.

Testantur Scriptores quidam eruditi in Saxonia Basilisci quoddam genus siluestre passim conspici, capite acuminato, colore flauo, longitudine dodrantali, hoc est trium palmorum, inusitata crassitudine, ventre maculoso, multisque candidis punctis insignito, tergo cæruleo, cauda turbinata, atque incurua, hiatu rictuque oris, pro corporis proportione, immenso: qui serpentes an inter basiliscos referri debeant, non ausim certò pronunciare: neque enim impunè se illis opponerent agricolæ, qui intrepidè fustibus ac tridenti vel furca illos adoriuntur, nulloque percepto incommodo, aut halitus contagione conficiunt. Et paulò post, Est fortè aliqua basilisci species, sed quæ non tam exitiali ac pestifero veneno imbuta sint, quàm quæ in Africa, torridisque regionibus nidulantur ac stabulant. Læuinus Lemnius de occultis naturæ miraculis libro 4. capite 12.

Circulator quidam serpentem habebat inuentum in macerijs domus dirutæ Mediolani. Caput oui magnitudine, ac pro corporis ratione prægrande. Os ex illo mihi retinui. Dentes in vtraque mandibula, vt viperis: corpore stellioni magnitudine, & forma simili: sed pedes tantùm duo, cruraque breuia, vt constet non satis commodè à natura fabricatum, cùm tantæ longitudini quatuor pedes fuissent necessarij: sed tamen grandes erant, & vngulis magnis, vt felium. Cauda totius animalis longitudinem æquabat; in cuius extremo tuber capiti Italici stellionis magnitudine æquale, ac quasi rotundum aderat. Crediderim ego hunc è basilisci genere fuisse. Nam cùm staret, gallo similis videri potuit, nisi quòd corio, non plumis, tectus esset, careretque alis, Cardanus de animal. lib.9.

DE BERO.

BERVS fertur euocare muranam., Albertus. Berus inter serpentes omnes nequior est

& astutior: murænam sibilo marinam ad litus euocat, eique blanditur; & eam ad copulam concitat, quæ mollis animo coitum patitur, sed hoc ad exitium sui quandoque: nam ab aduersarijs insidijs intercepta prius quam ad aquas reuertatur occiditur, Vincentius Belluacen. Nigri coloris serpentes, partim aquas, partim terras inhabitant, partim tubera in plaudibus existentia, (Gotthicè Tuuar dicta) partim rupes petrosas aquis contiguas. Hi serpentes de genere aquaticorum sunt, atque noxij existunt: inter quos & Berus serpens aquaticus locum habet, astutus, nequitiosus & lethifer. Dicitur hunc coire cum muræna: quod videtur Alberto libro vigesimo quinto, fabulosum, licet beatus Ambrosius libro quinto, Hexam. cap. septimo, coitum illum attribuat viperæ omnium adulterarum pessimæ, Olaus Magnus. Ex quibus verbis colligere licet, Berum vel non alium esse serpentem à vipera, cui authores eadem tribuunt, vt postea dicemus: vel pro myro esse positum; qui quidem non est serpens, sed murenæ mas, tantæ cum serpentibus similitudinis, vt qui myrum murænæ copulatum viderint; serpentem esse crediderint, maximè cum serpentum more coeant, teste Aristotele. Quod fabulæ occasionem dedit, quasi serpentes cum murænis coirent. Beri autem nomen ad myrum accedere videtur. Ardoinus cap. trigesimo, libro sexto, facit mentionem duarum specierum serpentium inter se similium, quas de genere draconum marinorum esse dicit, aut aliorum, & esse quinque cubitorum vel plurium, & præterea nigras aliquantulum, & iuxta caput pilosas: has duas species vocat Haren & Carnen. Auicenna inter serpentes maiores morsu nocentes capite quinquagesimo sexto, libri quarti, Fen sexta, tractatu tertio describit vtcunque serpentes ex sapientum quorundam opinione, sub ijsdem nominibus Haren, Carmen (Ardoinus Carnen) eósque vocari Semurion ab hoc sapiente; qui morsu eadem symptomata inducunt, quæ vipera, Conradus Gesnerus in Auicennæ loco Murænam intelligendam esse censet. Vbi considerandum videtur, an non Berus serpens sit: & Beri nomen pro Myro positum, hoc est Muræna. Nam nomen quod apud Auicennam legitur Semurion; videtur aliquid cum Myro habere commune.

DE BOA.

BOA serpens est aquatilis, quam Græci hydron vocant, à qua icti obturgescunt, Festus. Nota est in Punicis bellis ad flumẽ Bagradam à Regulo imperatore ballistis tormentisq́ue, vt oppidum aliquod, expugnata serpens c x x. pedum longitudinis. Pellis eius maxillæque vsque ad bellum Numantinum durauere Romæ in templo. Faciunt his fidem in Italia appellatæ boæ: in tantam magnitudinem exeuntes, vt diuo Claudio principe, occisæ in Vaticano solidus in aluo spectatus sit infantis. Aluntur primo bubuli lactis succo, vnde nomen traxere, Plinius. Solinus capite octauo, boam à chersydro disertè separat. Calabria (inquit) chersydris frequentissima est: & boam gignit: quem anguem ad immensam molem ferunt coalescere. Captat prima greges bubulos: & si quæ plurimo lacte rigua bos est, eius se vberibus innectit: suctuq́ue continuo saginata, longo seculo ita funebri satietate vltimo extuberatur, vt obsistere magnitudini eius nulla vis queat: postremò depopulatis animantibus, regiones quas obsederit ad vastitatem cogit, &c. vt Plinius. Turpi boa flexilis aluo, Mantuanus. Boa vel Boua (vtroque enim modo dicitur) serpentis genus est, Perottus. Albertus boæ morsum venenatum & malignum esse scribit, sicut & aliorum draconum: in quo sibi non constat, nisi librariorum lapsus est: paulò antè enim boam de genere draconum tertij ordinis esse dixerat. Venenum autem tertij ordinis statuit; quod minimum sit, & non curandum. Boas anguis Italiæ immensa mole, persequitur greges armentorum & bubalos, & plurimo lacte riguis se vberibus innectit & sugens interimit: atque inde à boum populatione Boas nomen accepit, Isidorus. Ge. Agricola boam Germanicè Vnke interpretatur. Boæ (inquit idem) ex natricum sunt genere: aluntur primò (Plinio authore) bubuli lactis suctu: sunt enim nihil aliud quàm domesticæ atq; vernaculæ natrices. In Lerna malorum describitur ab eodem sic. *Boa quidem serpens, quem tellus Itala nutrit, Hunc bubulum plures lac exsucrire docent.* Italicè vocatur serpe de aqua, Dictionar. Italic. ¶ In regno Senegæ miræ magnitudinis absq; pedibus & alis inueniuntur, quales boas esse diximus Carda. ¶ Boa appellatur morbus papularum, quũ rubent corpora: sambuci ramo verberatur, Plin. Opinor (inquit quidam) morbum esse hactenus incognitum, qui vulgò rubello dicitur. Crurum quoq; tumor viæ labore collectus, boa appellatur, Festus. Boua siue Boa morbi genus est, cum corpora papularũ multitudine rubent, ad similitudinẽ eorum qui boa serpente icti obturgescunt. Ignorauit hoc Festus Pompeius, qui boam scripsit esse crurum tumorẽ viæ laborẽ collectum, Perottus: qui papularũ, quibus corpus exasperatur & rubet, genera duo describit: et à Græcis hydracia nominari scribit, ab hydro (vt quidam existimant) cuius ictus huiusmodi papulas excitet cum tumore. Ebuli folia contrita, & veteri vino imposita, boam sanant, id est rubentes

Vnke.

bentes

benteis papulas. Boas fimum bubulum ſanat, vnde & nomen traxere, Plinius. ¶ Eſt & Boa meretricis nomen apud Athenæum libro 13. Βόα.

DE CECILIA SERPENTE QVAE ET TYPHLOPS A GRAECIS DICITVR.


A.

Nomina. Τύφλωψ. Τυφλίνη. Τυφλῶν. Τυφλῖνος. Τυφλίας. Κωφίας. Cæcilia. Cæcula.

TYPHLOPA, quam etiam Typhlinem nominant, & Cophiam, murenæ caput habere ſimile in ſermonem hominum venit, tum perparuulis oculis eſſe. Ex his duobus nominibus alterum ex eo traxit, quòd non ſint ei oculi probè affecti ad videndum. Cophiæ nomen idcircò habet, quòd hebetes eidem aures ſint, Ælianus. Καὶ ἔτι που τυφλῶπες ἀπήμαντοι φορέονται, Nicander in Theriacis. Vbi ſcholiaſtæ τυφλῶπες ſunt οἱ καλούμενοι τυφλῖνοι· οἱ καὶ πατούμενοι ἠρεμοῦσι. ¶ Τυφλῶπες, εἶδος ὄφεως, Heſychius: haud ſcio an perperam pro τυφλῶπες. ¶ Ariſtoteles τυφλίνης & τυφλίνας ὄφεις appellat. ¶ Κωφίας ὄφεως εἶδος ὁ καὶ τυφλίας, Heſychius & Varinus. ¶ Hodie in Græcia vulgo hic ſerpens adhuc Tephloti & Teſliti vel Teſlini vocatur teſte Bellonio. ¶ Τυφλίνους Latinè Theodorus Gaza vertit Cæcilias. Sic etiam hunc ſerpentem vocat Columella. Plinius autem lib. 9. cap. 51. Cæcos ſerpentes appellat. Sunt qui Cæciliam pro Scytale accipiunt, ac vocem Græcam σκυτάλην apud Dioſcoridem Cæciliam Latinè vertunt, teſte Matthiolo, ſed malè: ſiquidem Cæcilia propriè ſerpens hic dicitur qui Græcis τυφλώψ, quoniam cæcus eſſe perhibetur. ¶ Cerula pro Cæcilia legitur apud Albertum. Cæcilia ſerpens, vulgo Cerielia, Niphus. Cæcula dicta, eo quod parua ſit, & non habeat oculos, Iſidorus. ¶ Italicè vocatur biſa orbala. Cæciliam Hetruſci vulgo appellant Lucignola, Matthiolus in Dioſcoridem: vbi incertum eſt, vtrum Cæciliam pro Scytale an pro Typhlope accipiat: quanquam vox à Luce deſumpta potius ad Typhlopem quam ad Scytalem referenda videatur. Germanicè Blindenſchlycher/Georg. Agricola. Allobrogicè Enuieux, al' anuoilz. Anglicè Slawworm. Narbonenſes hos ſerpentes vocant Nadels, Iul. Scaliger.

B.

¶ Cæcilia ſerpens paruus non habet oculos, Arnoldus. Cæcilia ſerpens eſt, qui à cæcitate meruit nomen, Textor. Perparuulis oculis eſſe ac malè affectis ad videndum ait Ælianus. Cuidam anguium generi nulli niſi quales talpæ oculi ſunt, quare Græci τυφλίνας, Theodorus aptiſsimè Cæcilias vocat, Iul. Scaliger. ¶ Chameleonti maxillæ dentibus ſerratis ſupra & infra communiuntur, quales in typhloti ſerpente videas, Bellonius. ¶ Chalcis colore eſt ſerpentis quam Cæciliam nominant, Ariſtoteles. ¶ Typhlops adeò dura eſt pelle vix vt tandem ſecari queat, Ælianus. ¶ Acus piſcis habet rimam quandam ſub ventre imo, vt Cæciliæ ſerpentes, Ariſtoteles. Acus ſiue belone vnus piſcium dehiſcente propter multitudinem vtero parit: à partu coaleſcit vulnus: quod & in cæcis (vel Cæcilijs) ſerpentibus tradunt, Plinius. ¶ Bellonius agens de Typhle vel Thyphline marina, quam Plinio Spondylem eſſe dicit, ſic ait, Magna eſt huius cum Thyphlope terreſtri (ſic enim à Nicandro vocatur, quem etiam Græcum vulgus Thyphlinem nominat) ſimilitudo. Vtraque enim teſta contegitur dura, cui natura vtrinque in lateribus rimam fecit cuticularem, contra aliorum naturam, vt eius aluus diſtendi poſsit in prægnantibus. Ambæ ſquamis carent. Marina perfectam magnitudinem aſſecuta, ad pollicis craſsitudinem accedit, &c. Et paulò poſt. Vnicam tantùm in medio ventre rimam ferunt (ſcilicet marinæ Typhlinæ) cùm tamen terreſtris duas habeat, in lateribus vnam vtrinque, quæ tam mari quàm fœminæ datæ ſunt, Hæc Bellonius. Quod autem Typhlem vel Typhlinem ab antiquis pro piſce nominari ſcribit, quàm verum ſit, ipſe viderit: Ego Typhlinem inter ſerpentes tantum nominatum memini, &c. Geſnerus libro de aquatilibus in Acu piſce: qui & alibi ſequentem Cæciliæ vel τυφλῶπος deſcriptionem manu ſua exaratam nobis reliquit. Fuſcus eſt per totum corpus ſerpens, aut obſcurè maculoſus, cum ſubruffo exiguo vix notabili: color ad latera magis varius eſt, & nigricantibus maculis diluta purpura diſtinctis, tanquam in marmore porphyrite, ſed paulò obſcurius: venter omnis atro colore ſaturo nigricat: paulò citra caput tamen color ater deſinit: ſub capite enim & proxima parte color glaucus eſt, maculis nigris interceptus: dentes vtrinque in ore minimi, vt vix appareant, καρχαρόδοντες, plures inferioris mandibulæ magisq; conſpicui quàm ſuperioris. Oculos an habeat abſolutos dicere non poſsim: erat mortuus quem inſpexi, & inferior palpebra omnino obtegebat totum oculum, cuius foramen perquam exiguum ad reliqui corporis analogiam. Lingua bifida, eius extremæ partes eminentes nigricabant, haud ſcio an ſimiliter in viuo ſit. Sed mas ne an fœmina fuerit, haud ſcio.



Effigies quam hic apposuimus, icon est Blindenschlycheri fœminæ vt apparet, quæ apud nos (inquit Gesner. in quadam charta in qua hic serpens depictus erat) capta est Iunio mense, anno 1563. percussa baculo in capite. Dodrantalis tantum erat, per totum vnius fere crassitudinis, vno fortè digito in extrema cauda excepto. Nigrior est quàm mas, cute nitida splendidaque ceu oleo delibuta. Meatus transuersus apparebat, quo compresso ceu oua immatura prodibant. Infra ad caudam meatus erat excrementi. Oculorum caua potius quàm oculi ipsi apparebant. Dentes cernebantur vt in pictura expresi sunt, nulli autem intus vt in vipera. In capite squamæ maiusculæ paulò quàm in reliquo corpore, inque medio duæ latiusculæ, cùm in vipera omnes paruæ & æquales ferè sint. Hæc Gesnerus.

C. Blindenschlychen (id est, Cæciliæ) pariunt viuos fœtus vt viperæ. Vxor mea inquit se aliquando grauidam baculo percussisse, & mox fœtus viuos ex vtero prorepsisse, Gesnerus. Typhlops in Græcia tantum est: Cæcilia alia apud nos est, aliquando 40. catulos reperiri in vna, Bellonius.

D. Cæcilijs serpentibus ciconia mire delectatur, Gasp. Heldelinus.

Morsus & cura. G. Typhlopas inter serpentes quorum morsus non est noxius, numerat Nicander in Ther. ¶ Columella lib. 6. de re rustica, cap. 17. agens de cura boum, Est etiam, inquit, mortifer ijs serpentis ictus, est & magnorum animalium noxium virus. Nam & vipera & Cæcilia sæpe cùm in pascua bos improuidè supercubuit, lacessita onere morsum imprimit. Et paulò post, Cæciliæ morsus tumorem, suppurationemque molitur. Idem facit etiam muris aranei. Sed illius sanatur noxa subula ænea, si locum læsum compungas, cretaque cimolia ex aceto linas, Hæc Columella.

Theriaca ex hoc serpente. ¶ Doctor Osualdus apud nos multos curat (à peste scilicet) suis sudatorijs quæ parat ex sua theriaca von blindenschlychen, id est, ex cæcilijs, cum aqua theriacali. Redolent aquam vitæ: bis & ter exhibet & multi curantur. Ex epistola cuiusdam ad Gesnerum.

Cæcinia. Cæcinia parua est & gracilis serpens, nullius propè veneni, Ioh. Rauisius Textor. Fortasse est Typhlops Nicandri quam ἀπήμαντον, id est, sine noxa vocat: ac corrupte Cæcinia pro Cæcilia ab eo dicitur. Quanquam paulò post etiam seorsim Cæciliæ mentionem faciat. Non memini tamen legere hoc serpentis nomen apud alium authorem probatum.

DE CENCHRINE SERPENTE QVI ET MILIARIS LATINE DICITVR.

A.



Nomina. Cenchrines. Cenchris. Cenchrus. Κεγχρίνη vel κεγχρίνης, genus est serpentis & Hydrus, Varinus. Nominatur et à Nicandro et Lycophrone κεγχρίνης. A Lucano et Plinio Cenchris. A Dioscorid. κέγχρος: quanquam facilè κέγχρου pro κεγχρίνου à recto κεγχρίνης: vel pro κεγχρίου, à recto κεγχρίας, scribi potuit: quorum vtrumuis magis probarim: Ægineta qui Dioscoridis verba transcripsit, κεγχρίνου habet. Idem Dioscorides hunc serpentem κεγχρίδιον vocat, vbi tamen rursus pro morsis ὑπὸ κεγχριδίου, legerim potius κεγχρίνου. Quamuis autem (inquit Matthiolus) Aëtius cenchrum ammoditem appellauit (*in nostro codice Cenchriam non Cenchrum vocat Aëtius ammoditem*) & acontiam cenchriten: non tamen propterea censendum est, cenchrum Dioscoridis ammoditem aut acontiam esse: quòd hic nullam cum illis habeat cognationem aut similitudinem. Ea autem de causa cenchrus dictus est, quòd maculis per quam minimis (vt Lucanus est author) milij magnitudine & colore, vniuersum eius corpus respersum appareat, Hæc Matthiolus. Videtur tamen Aëtius acontiam & cenchritem vel cenchrinem pro vno eodemque serpente accipere & ita duas species confundere; nam quod hunc

hunc serpentem milij colorem referre dicit, ad cenchrinem pertinet: quod verò veluti iaculum vibratum corporibus inuolare, ad Acontiam. Cenchrinen autem ab Acontia vel iaculo differre, apparet tum ex ipsis iconibus, tum etiam ex descriptionibus vtriusque à probatis authoribus desumptis. Cenchrines serpentis genus est, quem sic dictum aiunt, vel quod tempore milij appareat, vel quod colore vario sit instar milij, Etymologus. ¶ Auicenna lib. 4. fen. 6. tract. 3. cap. 44. agit de miliaribus serpentibus, quos milij colorem referre dicit. *Miliaris.* Capite verò 48. famusum describit, *Famusus.* quem Nicolaus Leonicenus & Matthiolus eundem esse cum Cenchrine volunt, vt apparet ex morsus eius symptomatibus, quæ cum Cenchrines morsu conueniunt, vt colligere licet ex Nicandro & Dioscoride. Meminit etiam cap. 46. serpentis Aracis vel Aspidis habentis *Aracis.* colores diuersos. Quæ autem de eo serpente scribit videntur quoque ad Cenchrinen pertinere, nec rectè ab Auicenna disiuncta esse. Eundem errorē secutus est Albertus, qui hunc serpentem etiam multiplicauit, deceptus nominum varietate. Nam de eo quoque agit primum sub nomine Arachis, deinde sub nomine centris, in quo malè Lucani versum allegat, quem ille non de centride sed cenchride potius, id est miliari serpente protulit in hunc modum: Et semper recto lapsurus limite cenchris. Deinde sub nomine barbaro faliuisus, siue vt apud Auicennā scribitur, Famusus: postremo sub nomine latino miliaris. ¶ Bellonius in singularibus lib. 1. cap. 31. In *Cenchriti.* Lemno (inquit) cenchriti vulgò nominatur serpens, cenchris dictus antiquis. Apponit & iconem eius, in qua per singulas squamas singula puncta notantur: qualem etiam depingi curauimus. Germanicè nominare licebit **ein punterschlang ein bergschlang.**

B.

Hunc serpentem præcipuè in Lemno insula & Samo siue Samothracia frequentem esse scribit Nicander. *Vbi reperiatur.* Hodie adhuc in Lemno reperiri testatur Bellonius.

Cenchrines & maxima magnitudine est, & leonē vocant, siue quod eius squamæ varijs maculis distinctæ sunt *Descriptio.* (hoc leonibus non conuenit, nisi forte Libycis, quorum omnia membra nigris floribus cyaneo colore distinctis ornantur (vt refert Ælian.) siue quod cauda erecta se ad pugnam incitat, siue etiam qua leonum more humanum sanguinem exsorbet, Gillius ex scholijs Nicandri. ¶ Cenchris crebras habet maculas in milij similitudinem, Textor.

Pluribus ille notis variatam tingitur aluum,
Quàm paruis tinctus maculis Thebanus Ophites.

Lucanus lib. 9. agens de cenchride. Nicander autem non aluum eius modò, sed totum hunc serpentem varium esse canit. In Lemno (inquit) & Samothracia insulis sitis in Thracio sinu, cenchrinen serpentem oblongum reperies, quem leonem varium squamis distinctum appellant: cuius magna est corporis crassities & longitudo.

Δήεις κεγχρίνωα ὀ (malim per ι in secunda) δολιχὸν τέρας, ὄντε λέοντα
Αἰόλον αὐδάξαντο περίστικτον φολίδεσσι.
Τοῦ πάχετος, μῆκός τε πολύστρεφον, malim πολύτροπον.

Hæc Nicander. ¶ Cenchrites serpens est magnitudine duorum cubitorum, figura autem crassa in tenuem abeunte, colore viridi (Græcè puto χλωρὸν legi, quod nomen non solum viridem sed etiam luteum colorem significat: milij quidem color non viridis sed luteus est) maximè iuxta aluum, vt milium colore referat: vnde & cenchrias, hoc est miliaris appellatur. Aiunt etiam hunc seipso fortiorem fieri, quum milium floret, Aetius. Quæ autem sequuntur apud eundem, de ratione, qua se ad lædendum instar iaculi vibrat, non propriè ad cenchrinen, sed potius ad Acontiam pertinent: quem cum cenchrine ab Aetio confundi ante diximus. ¶ Serpentum huius generis (miliarium) color propter citrinitatem suam est quasi color milij, Auicenna. Miliares serpentes sunt, quorum color propter citrinitatem est quasi color milij, Syluaticus. Citrini coloris est serpens cenchris, à calore milij sic dictus, Olaus magnus. Faliuisum serpentem etiam discolorem esse dicit Albertus: in quo eum à cenchrine non differre probari potest, siquidē discolor serpens nominatur, quia corpus eius maculis paruis, quæ sunt veluti grana milij distinguitur. Eadem ratione idem Albertus Arachin varium esse dicit, nec magnæ quantitatis, Nicolaus Leonicenus.

C.

Cenchris serpens est inflexuosus, qui semper iter rectum efficit: de quo Lucanus lib. 9. Et *Incessus.* semper recto lapsurus limite cenchris, Isidorus. In maximis caloribus insidias pecori molitur per montes. Caue quantumlibet magno animi robore sis, neue occurras, neue contra hunc pugnes, ne ille te implicatum cauda flagellet, & iugulis vtrinque apertis sanguinem exugat. Quin potius fugias, non tamen rectà, sed diuerticulis flexionibusque bestiæ cursum retardes. Nam serpentum hoc genus cum rectà iter facit velocissimum est: cum autem viam sæpius flectit, tardius serpit (propter corporis nimirum longitudinem) Gillius ex Nicandro.

D.

Feritas. Hunc serpentem λέοντα vocant à feritate sæuitiaque. In corpora enim se vibrat, spiris ea inuoluit, verbere caudæ rumpit, adactoque in clauiculas & thoracem vulnere, sanguinem exugit, leonino hæc omnia ritu. Thes.

G.

Natura huius est calida, & venenosa valde, similis naturæ viperæ: proinde etiam in secundum serpentium ordinem refertur, Ardoynus.

Morsus symptomata. Ad huius morsum caro putrescit, serpitque per membra putredo, & hydrops ventrem cũ dolore medium circa vmbilicum grauat, Nicander. Cenchri morsum qui viperino similis est, putridum vlcus sequitur. Carnes antea, vt in aqua intercutem, prætumidæ, defluunt. Lethargo corripiuntur, & veterno pressi somnos captant. Erasistratus eos iocinere, intestino ieiuno coloque conflictari author est, quippe dissectis ipsis omnes ferè partes corruptæ reperiuntur. Dioscorides & Ægineta. Est autem ambigua vox, quæ in Dioscoride νῆστιν legitur, & ieiunum intestinum significat, in Paulo verò κύστιν, quæ vesicam. Vnde dubiũ est, an de vesica aut ieiuno intestino accipiendum sit, quod tradit Erasistratus. ¶ Ab huius (sc. cenchritæ vel cenchriæ) morsu omnia quæ de vipera dicta sunt sequuntur, atque etiam grauiora, adeò vt etiam putrefactiones & carnium defluxus consequantur: ac grauior item mors succedat. Cæterum remedia similiter eadem quæ ad viperæ morsum his conducunt, Aetius. ¶ Accidunt ei quem mordent, accidentia malarum viperarum: & cura eorum est cura illa, Auicenna. Idem de Famuso. Dixerunt morsus eius est similis morsui viperarum, sed accidunt carni eius qui morsus est ab eo, corruptio & mollificatio: sicut accidit ei qui habet hydropisin, & accidunt ei profunditas somni, & obliuio, & ægritudines in hepate, & ieiuno & colo. Et sermonem quidem in hoc serpente attuli secundùm existimationem in hoc loco: & fortasse non est huius ordinis, imò est ordinis putrefacientium. Et cura eius est cura viperarum. Idem rursus de Araci. Quidam dixerunt, quod est malignus, interficiens in die secundo cum corrosione hepatis & confractione intestinorum. Et curatio eius est curatio viperarum prauarum: Hæc Auicenna & Albertus. Confractio intestinorum (inquit Nicolaus Leonicenus) est passio, quam vnà cum hepatis simili affectu fieri inquit Erasistratus in colo & ieiuno intestinis. Cenchridis morsus vti viperæ venenosus est, Olaus magnus.

Remedia aduersus morsum ¶ Morsis ab hac serpente auxiliatur lactucæ fructus (semen, Ægineta) cum lini semine illitus, & satureia trita, & syluestris ruta, & serpyllum cum duabus hastulæ regiæ drachmis, & tribus vini cyathis (serpyllũ cum hastula regia læuigatum: potui verò datæ protinus centaurij radicis drachmæ duæ cum ternis vini cyathis) aut aristolochię radix similiter. Item cardamomum (Ægineta κάρδαμον habet, id est nasturtium) & gentiana (potu cõducunt, Ægineta,) Dioscorides. Serpyllum syluestræ pinguius voluntarium, & candidioribus folijs ramisque aduersus serpentes efficax est, maximè cenchrin & scolopendras terrestres ac marinas, & scorpiones, decoctis in vino ramis folijsque, fugat & odore omnes si vratur, Plinius. Sesamum confert morsui serpentis lenticularis, Auicenna. Vbi serpentem lenticularem existimo vocari miliarem: nisi acontiam intelligere malis, qui maculis lenti similibus distinguitur, vt vult Bellonius. Et multos acontiam cum cenchrine seu miliari confundere diximus.

H.

Etymologia. Κεγχρίνης, κέγχρις & κεγχρίτης seu κεγχρίας ἀπὸ τοῦ κέγχρου dicitur, quod milium significat; quia vt iam dictum est, hic serpens quibusdam notis instar milij per totum corpus distinctus est. Eadem de causa etiam miliaris dicitur.

Homonyma. Cenchris & cenchrynes apud Suidam & Varinum. Item cenchreis apud Suidam in voce ἐμψώνυχος auis etiam dicitur, quæ aliter tinnunculus vocatur. Vide in Auium historia, philologiam de tinnunculo. ¶ Est etiã gemma cenchrites milij granis velut sparsis, Plinius libro tricesimo septimo, capite vndecimo. Item cenchros adamantis genus milij magnitudine, Idem.

¶ Cenchritæ ab Oppiano libro tertio de aucupio dicuntur aues quas anserum generi annumerat: dictæque videntur quod κέγχρον, id est milio inescentur. Miliarias quasdam aues etiam vocat Varro de lingua latina, à cibo scilicet, quod milio fiant pingues.

¶ Est & Cenchrias, id est miliaris, genus vlceris herpetis à similitudine quam habet cum granis milij dicti, quod istorum instar exiguis pustulis exasperetur.


¶ Visuntur in oculis quandoque & minutiores quidam velut calculi: eos ob milij quandam imaginem Cenchros dicunt Græci, Cœlius.

serpa serena vulgò in Sicilia IN SICILIA audio reperiri serpentem, qui vulgò dicatur serpa serena: qui an Cenchrines veterum sit, considerandum est. Accedit enim nomen ferè, & longitudo & crassities corporis. Eum

ris. Eum Hieronymus Massarius Vicentinus, medicus eruditus, his verbis mihi descripsit. Serpa Serena est serpens venenosus, albus vel potius subalbidus, in Sicilia frequens, longitudinis aliquando corporis humani & crassitudinis brachij circa carpum, Gesnerus. Alij sunt apud Isidorum Syrenæ serpentes in Arabia alati, de quibus inter serpentes alatos post draconis historiam diximus.

DE CERASTE.

A.



CERASTES, Κεράςης, vox est græca quæ Latinè reddi potest, Cornutus: sic autem dictus est serpens, quòd cornua in fronte gestare dicitur, vt infra fusius explicabitur. Hebr. שפיפון Schephiphon, Cerastes, Munsterus in trilingui dictionario. *Nomina. Cerastes.*

Arab. Ceruſt. Ceruſtes, Syluaticus. Dicitur etiam Ceriſtalis ab Alberto & Olao Magno. Ceraſtæ, vocabulo in ceriſtalim deprauato. Verum quidem est Albertum de ceraste & ceristali seorsim agere tanquam de duobus serpentum generibus, sed vt ostendit Nicolaus Leonicenus libro de dipsade & alijs serpentibus, satis apparet vnum idemq; esse genus, tum ex signis vtriusq; morsum sequentibus quæ eadem sunt, tum ex eo quod Græci qui de ceraste scripserunt, nullam ceristalis mentionem faciunt. Semerion verò quem Albertus secutus est, de ceristali tantum agit, cerastæ non meminit. Vnde coniici potest, quid errandi occasionẽ præbuerit Alberto: nempe quia seorsim apud Plinium & Solinum & alios græcos vel latinos authores de ceraste legerat: seorsum autem de ceristali apud Semerionem, hanc tantum in nominibus diuersitatem attendens, incidit in errorem, putans eam quæ fuit in vocabulis solùm, esse etiam in re ipsa differentiam. Auicenna meminit etiam cristalis serpentis, vel vt in impressis quibusdam legitur triscalis, vel vt legit Nicol. Leonicenus, sirtalis, cui etiam eadem ferè morsus signa tribuit quæ cornutæ, quæq; alij cerastæ tribuunt. Vnde Nicolaus Leonicenus eadem esse cum ceristali & ceraste serpentis speciem existimat. Vide plura apud eundem Leonicenum loco antea citato. Κεραΐςης εἶδος ὄφεος. Hesych. Apud Italos cerastes adhuc nomen seruat, German. ein gehürnte schlang. Gall. Vne ceraste on serpent cornu. *Ceristalis.* *Cristalis.* *Sirtalis.*

Ceraſten omnes ferè authores tum Græci tum Latini inter viperæ species numerant. Albertus tamen cornutam aspidem vocat. Et videntur reliqui Arabes hanc serpentis speciem sub aspidis genere comprehendere. Paulus Ægineta de aspide & ceraste in vno eodemq; capite agit, quasi similes essent species. Albertus insuper scribit, Solinum dicere, quod aspides cornibus impetunt homines: sed hoc non esse probabile. Nicander verò negat aspides habere cornua, sed quosdam veluti callos in fronte circa supercilia prominentes, propter quos videntur eorum oculi in quadam cauitate reconditi, Nic. Leonicenus. *Cerastæ an sint de viperæ vel aspidis genere.*

B.

Africa cerastis abundat, Lucianus in dipsadibus. Loca Libyæ mediterranea arenarum cumulis referta, quo plus vitæ necessarijs caret, eò varijs magnisq; serpentibus, ijs præsertim quos cerastas vocant, quorum morsus lethales habentur, sunt fertiliora. Ferunt hos quondam serpentes in Ægyptum transmigrantes magnam regionis partem inhabitabilem reddidisse, Diodorus Siculus. *Vbi reperiantur.*

¶ Cerastes serpens ferum animal, colore album, &c. Ælianus. *Formæ descriptio.*

Nunc potes astutum insidiatoremq́ꝫ ceraſten
Noſcere, vipereum veluti genus, huic quia diſpar
Non is corpus habet, ſed quatuor aut duo profert
Cornua, cum mutila videatur vipera fronte.
Squalidus albenti color eſt, &c. Nicander in Ther.

Cerastes magnitudine cubitalis est, longissimus cubitorum est duorum, corpore verò arenosus est, & iuxta caudam desquamatus; eminentias habet in capite duas, cornuum similitudine. Partes verò circa ventrem ex ordine squamis obsitæ sunt, quapropter in serpendo sonum sibilo similem edit, Aetius. Cerastæ colorem arenæ similẽ habent, qua ex re à paucis internoscuntur, ita coloris errore seducti quidam, pedibus illos conculcantes, vitæ periculum adeunt. Dic-

dorus Siculus. Eſt cubitali longitudine, longiſsimus duorum cubitorum, colore cinereo, qualis omnino eſt leproſorum, Greuinus. Cornuta eſt genus ſurdorum, cuius longitudo eſt ab vno cubito vſq; ad duos, & ſunt ſuper caput eius duæ eminentiæ, ſicut duo cornua: & color corporis eius eſt color cineris (color rubeus, Albertus) & venter eius eſt ſicut ſquamę ſiccæ, durę, quę ſtrident ſuper terram cum ſtrepitu, Auicenna, Albertus. Eſt & de eis genus quod nominatur paruum (vel curtum ſeu recuruum) propterea quod cornua eius ſunt breuia, aut iam ceciderũt cornua eius, & eſt etiam minus & breuius, maxillas autem reſpectu aliorum grandiores habet, & ob id maxillare dicitur, Auicenna. Ceraſtes fraudulenta, viperæ non valde diſsimilis, interdum quatuor interdum duobus cornibus eſſe videtur: ſquamis horret, eius color exalbeſcit, Gillius. ¶ Ceraſtis corpore aiunt eminere cornicula ſæpe quadrigemina, quorum motu reliquo corpore occultato ſolicitent ad ſe aues, Plinius. Ceraſtæ præferunt quadrigemina cornua, quorum oſtentatione velut eſcæ illico ſolicitatas aues perimunt, Solinus. Cornua cochleis ad prætentandum iter: id eſt carnoſa corporea hæc ſunt vt ceraſtis, Plinius. Gemina ſupra frontem gerit cornua cochleæ cornibus ſimilia, non ſimiliter tamen atq; illius tenera, Ælianus, Volateranus. Ceraſtes ſerpens dictus eò quod in capite cornua habeat ſimilia arietum, Iſidorus. Ceraſtes ſerpens eſt octo cornua in capite habens, ex quibus fieri ſolent manubria cultellorum ad menſas imperatorum: quia ſudore produnt venenum appoſitum. Ex libro de nat. rerum. Ceraſtes duas paruas eminentias ſupra oculos habet, quæ ſunt inſtar granorum hordei, duoq; cornicula referunt. Quemadmodum autem inter authores, qui ſeſe mutuo ſequuntur, poſteriores priorum errores ſuſcipiunt, ita Solinus verba Plinij ſecutus, perperam ſcripſit ceraſtas octo cornua præferre. Contrarium enim experti ſumus, Bellonius. ¶ Dentes vipereis dentibus ſimiles habet eiuſdemq; formæ, Idem. Dentes eius ſunt æquales non recurui, Auicenna. ¶ Ceraſtes ſerpens paruus habẽs pro ſpinis in corpore cartilagines, vnde corpus huius magis flexile quàm aliorum ſerpentium. Scincus lineis quibuſdam puniceis in dorſo tranſuerſis, vt ceraſtes, diſtinguitur, Bellonius. ¶ Viperæ & ceraſtæ Ægyptiacæ pellem habent facile cedentem, quod experientia comperi. Cum enim pellem eis detraxiſſem, ac ſtramine repleuiſſem, duplo craſſior erat quàm ipſa fera naturalis. Quod ijs quæ alijs in locis reperiuntur non accidit, Idem.

De Ceraſtæ cornibus.

¶ Allati ſunt ex Alkairo in Turchia tres ſerpentes ad nobilem quendam Venetum, qui diligentiſsimè in vitro magno & harena prope focum ſeruantur. Horum imagines cum mittere non poſſim, accipe eam quam potui ex ſolo intuitu deſcriptionem habere. Tres numero erant, quorum vnus fermè erat triplo reliquis maior, iſq; fœmina, quæ tum forte quatuor aut quinq; oua in ipſa arena edidit, magnitudine ferè oui columbacei, longitudo erat trium pedum, craſsitudo ferè brachij, caput duos digitos latum idq; compreſſum, oculorum pupilla nigra, reliqua parte alba, ex quorum cilijs vtrinq; prominebant cornicula duo breuia non carnea, vt in quibuſdam alijs, ſed verè cornea. Collo erat pro corporis magnitudine tenuiſsimo & ſatis longo. Totus parte ſuperiore tectus erat ſquamis cinericeis ſuprema ſquamarum parte nigricantibus, cauda in extremo extenuata & ſubfuſca. Reliquis eadem forma, niſi quod cornua adhuc non extabant. Dixerunt filios eſſe iſtius maioris, Iohannes Fauconerus Anglus in epiſtola ad Geſnerum. Cenſet autem Geſnerus hos ſerpentes fuiſſe ceraſtas, cuius opinionem ipſa deſcriptio conueniens in multis cum ſuperioribus ceraſtæ deſcriptionibus ex varijs authoribus adductis confirmat.

C.

Vbi lateant.

Plurimum manſio eius eſt in locis arenoſis, Auicenna. Secundum vias vt prætereuntibus moliatur inſidias, iacet, Gyllius. Bibulis ſub arenis, vel qua facta rotis via longa ſub ſcrobe dormit, Nicander.

Inceſſus.

Ex ijs alter echis velocibus obuia ſpinis
Recto terga tibi prolixus tramite ducit,
Sed medio diffuſius hic (ceraſtes) ſe corpore voluit
Curuum errans per iter reſonantibus aſpera ſquamis.
Qualiter æquoreo longiſsima gurgite nauis,
Quam violentus agit nunc huc, nunc Aphricus illuc,
Pellitur, & laterum gemebunda fragore ſuorum
Extra ſulcandas ſinuoſè fluctuat vndas. Nicander in Ther.

In ſerpendo ſonum ſibilo ſimilem edit, per obliquum autem non rectà proreptat, Aetius. Vipera quidem rectà celeriter obuios appetit: contra ceraſtes diuerticulis, ſerpendiq; flexionibus cum ſonitu gradum faciens, impetum facit, Gyllius. Eſt flexuoſus plus quàm alij ſerpentes, ita vt ſpinam non habere videatur, Iſidorus,

Spinaq; vagi torquente Ceraſtæ. Lucanus lib. 9

Hæmorrhoidem cum calcaſſet Menelai gubernator Canobus, morſu impacto interijt. Id conſpicata Helena, & indigne ferens, ſpinam hæmorrhoidis perfregit: vnde factum, vti hoc genus & Ceraſtæ ſpina conuiſantur difracta, Cœlius ex Nicandro. ¶ Ceraſtæ & viperæ inter omnia ſerpentum genera potu diutiſsimè carere poſſunt, Bellonius.

¶ Ceraſtæ

Partus. ¶ Cerastæ sicut & viperæ viuos fœtus in lucẽ edunt, quod & facit Salamandra, Bellonius. Complurium scripta mihi modicè placent, qui eo tantum nomine viperam à cæteris serpentibus distinguere solent quod animal pariat. Id enim cerastæ quoq; vsuuenire certum est, Brod.

D.

Astutia in alliciendis auibus. Cerastæ cornuum ostentatione veluti escæ illico solicitatas aues perimunt: nam reliqua corporis de industria arenis contegunt, nec vllum indicium sui præbent, nisi ex ea parte, qua inuitatis dolo pastibus necem præpetum aucupentur, Solinus. Sunt illi quadrigemina cornicula, quorum ostentatione veluti esca illiciens solicitata animalia perimit. Totum enim corpus arenis tegit, nec vllum indicium sui præbet, nisi ex ea parte, qua inuitatas aues vel animalia capit, Isidorus.

Crinalem attollunt squammæ stridore Cerasten
Bis gemino cornu, quo capit hæc volucres.

De cerastarum cum Psyllis sympathia. ¶ Longè alia ratione in cæteros Libycos homines ac erga nuncupatos Psyllos cerastæ afficiuntur: illis enim infesti sunt, cum his fœdere deuinciuntur pacemq; seruant. Enimuero Psyllorum gens ab eis si mordetur, non modò non sentit morsum, sed eos etiam qui in id mali inciderint, facillimè sanat, si priusquam totum venenò corpus imbutum sit, ex ipsis quispiam vel accersitus, vel sua sponte veniens, os aqua collucrit, illiusq; manus, qui morsus sit, abluerit, ex veneno statim tum conualescit, tum ab omni malo liberatur. Libyci autem homines aiunt, virum cui sua vxor venerit in suspicionem adulterij, quiq; ex ea susceptos liberos adulterino sanguine natos suspicetur, experimenti causa in dolium cerastarum plenum infantem puerum conijcere, sicq; abijciendo tanquam artificem aurum igni, ingenuitatem pueruli experiri. Cerastas protinus insultare acerbosq; fieri, innatum malum puero minitantes, eos vt puer attigit remollescere: vnde Libycus ille se legitimum patrem agnoscit. *Antipathia ad serpentes & phalangia.* ¶ Cum serpentium tum phalangiorum hostes cerastæ habentur. Hæc verò si Afri comminiscuntur, non me sed semetipsos fallunt, Ælianus. ¶ Accipitres ab Ægyptijs coluntur, quodadmodum prosunt ad scorpiones cerastasq; & parua animalia quæ morsu nocent delenda, Diodorus Siculus. Cerastis natura est in excessu calida & maximè venenosa, Ardoynus.

G.

De ceraste morsu & symptomatibus. A Ceraste percussus locus attollitur cum duritia pustulosus. E plaga sanies profluit modò atra modò pallidior (& porraceo colore, Ægineta) sed toto concretu varicosus intumescit: genitale intenditur, mens labat, oculorum caligo exoritur: denicq; rigore neruorum distenti commoriuntur, Dioscorides, Ægineta. Si feriat Cerastes locus attollitur & induratur, pustulis scatet, varia inde sanies, modò nigricans, modò lutea, fertur, sed coalitu toto pallens: subruffescit, ijs genitale tenditur, excessus mentis eos excipit: caligant oculi: tandem distentione rigoreq; neruorum conuulsi commoriuntur, Actuarius. Cæterum percussis ab eo eleuatio ac tumor plagæ capitis claui similitudine insurgit, & sanies profluit vini colore aut nigricans, & maximè per ambitum, velut in cruentatis ac sugillatis aliàs fieri consueuit. Reliqua item quæ in viperæ morsu dicta sunt, etiam his succedunt cum intensione vehementiori. Vt plurimum verò vsq; ad nonum diem supersunt, Aetius.

Is si forte grauem serpens impresserit ictum,
Fit similis clauo tumor, obscuræq; leuantur
Pustulæ, & afflicta non magnum parte dolorem
Exagitant, verùm tristis magis inguina tentat,
Atque ambos poplites labor, & pallente colore
Exanimis fractisq; fatiscens viribus æger
Conspicitur, ter tresq; dies superum æthera cernit,
Raroq; conceptam fugit hoc ex vulnere mortem. Nicander in Theriacis.

Sentitur in locis morsus quasi acus aut claui infixi in eis. Et dixerunt quod continuatur corpori eius grauitas maxima, & inflantur labia (aliàs palpebræ) eius, & accidunt ei vertigo, & tenebrositas oculorum & destruitur ratio, Auicenna, qui Nicandrum male intellexisse videtur, cum dicit morsum cerastæ sentiri tanquam acum vel clauum infixum: cum Nicander tantum dicat tumorem clauo similem in loco morsus eleuari, morsum autem non ita magnum inferre dolorem afferat: quod profectò fieri nõ posset, si similis esset illi, in quo quis in membro clauum veluti infixum habere credit, Greuinus. ¶ Serpentium quicunq; vel in cauda vngulam, vel in fronte cornu habent, immodicè sicci sunt, atq; ideo perniciosissimi, Cardanus.

Curatio per chirurgiam. ¶ Si Cerastes percusserit, cita partis amputatio suffragatur: quare sine mora ictam partem amputare aut scalpro confestim circuncidere, & ijs similia prosequi oportet. Vrentia insuper reliquijs admouenda: siquidem virus hoc veneno basilisci simile est, Dioscorides. His membri affecti mutilatio mox à morsu facta succurrit: eoq; sine mora, si fieri potest, præcidendum est: & in his & propinquis partibus omnem carnem circumsecare statim, & radicitus vsq; ad os excindere oportet: deinde reliquiæ ferro candenti exiccandæ sunt. Etenim horum virus, sicut & basi-

lisci, taurino sanguine similiter celerrimè sanguinem in arterijs ac spiritum coagulat, P. Ægineta. Cui & consentit Actuarius. Remedia eadem quæ morsis à vipera conferunt, Aëtius.

Medicamenta foris super vulnus imponenda.

¶ E serpentibus contra cerastas validissima est fæx aceti cum polenta, Plinius. ¶ Anagallidis folia cerastæ serpentis ictibus summè auxiliãtur, Aëtius. ¶ Imponendum super vulnus caprinum stercus ex aceto coctum, Celsus. ¶ Ponatur super morsum cepe tritum cum aceto, Auicenna. ¶ Cedria cerastæ morsibus cum sale imposita subuenit, Dioscorides. Ex cedro fit emplastrum super morsum serpentis habentis cornua, Auicenna. ¶ Hordeacea farina ex aceto cocta, Celsus. ¶ Nepeta cum sale contrita, melle adiecto, Idem. ¶ Picis natura aduersatur priuatim cerastæ morsibus cum polenta, Plinius. ¶ Ruta ex aceto cocta, Celsus. ¶ Sal prodest contra cerasten cum origano aut cedria aut pice aut melle, Plinius, Dioscorides. Ponatur super morsum sal tritus confectus cum alkitran, Auicenna. ¶ Sesamum cerastæ morsibus medetur, Dioscorides. Sesamum confert morsui serpentum cornutorum, Auicenna. Vetus interpres habet, canis rabiosi & serpentis lenticularis.

Medicamenta intra corpus sumenda.

¶ Si Cerastes aut Dipsas, aut Hæmorrhois percussit, asphodeli, quod Ægyptiæ fabæ magnitudinem æquet, arefactum, in duas potiones diuidendum est, sic vt ei rutæ paulum adijciatur. Trifolium quoque & mentastrum, & cum aceto panaces æquè proficiunt: costumque, & casia, & cinamomum rectè per potionem assumuntur, Celsus. ¶ Quod ei appropriatur, est vt in potu detur semen raphani cum vino: & propriè quando euomit cum eo, & cum euomuerit, confert ei cyminum Indum: & sisamum confert ei iterum quem momordit, cum vino: & castoreum cum vino: & calamenthum campestre cum vino: & semen raphani est mirabilis iuuamenti in eo, Auicenna. ¶ Raphani semen contra cerastis morsum, potum ex vino auxilio est, Dioscorides. ¶ Est cumino simillimum quod Græci vocant ammi: quidam verò Æthiopicum cuminum id esse existimant. Hippocrates regium appellat: cum lini semine scorpionum ictus in vino potum drachmis duabus mitigat: priuatimque cerastarum cum pari portione myrrhæ, Plin. Castoris testes auxiliantur aduersus Cerasten & Presteras, cum panace aut ruta ex vino, Idem. ¶ Sunt & seruatis piscibus medicinæ, salsamentorumque cibus prodest à serpente percussis, & contra bestiarum ictus, mero subinde hausto, ita vt ad vesperam cibus vomitione reddatur: peculiariter à chalcide, ceraste, aut quas sepas vocant, aut elape dipsadeue percussis, Idem.

De Psyllis opē ferentibus ijs qui à Cerastis morsi fuerunt.

¶ Callias libro decimo historiæ quam conscripsit de Syracusanò Agathocle, Cerastas inquit, pestiferum morsum infligere solere, & bestias ratione carentes & homines interficere, nisi Libycus vir natione Psyllus ad curandum accesserit. Hic sanè siue euocatus, siue fortuitò aduenerit, & plagam adhuc tolerabiliter dolentem viderit, solam saliuam ictui morsuiue inspuens dolorem mitigat & perstringit: sin percussum offenderit, ægerrimè dolentem, intra dentes permultam aquam haurit, & os suum primo ex ea colluit, post verò eam in poculum iniectam vulnerato exsorbendam tradit. Quod si veneni acerbitas acrius inualescit, hic ægrotanti nudo nudus accumbit, & proprio suo corpore morbi vim frangit, & malo hominem liberat. Hoc ita se habere idoneus testis etiam Nicander Colophonius fuerit: cuius versus ascribam:

Audiui Libycos Psyllos quos aspera Syrtis
Serpentumque ferax patria alit populos,
Non ictu inflictum diro, morsuue venenum
Lædere: quin læsis ferre & opem reliquis,
Non vi radicum, proprio sed corpore iuncto. Et quæ sequuntur.

Hæc Ælianus, quem versus illos Nicandri citatos desumpsisse oportet ex libro aliquo, quo his temporibus caremus. Neque enim in ijs libris Nicandri qui extant reperiri existimo.

H.

Etymologia.

Cerastes, serpens dictus eo quod in capite cornua habeat similia arietum. Κέρατα enim Greci cornua dicunt, Isidorus. ¶ Cerastes autem ab authoribus in vtroque genere, id est & masculino & fœminino sumitur. *Libycæ membrana Cerastæ,* Lucan. lib. 6. *Spinaque vagi torquente Cerastæ,* Idem.

Homonyma.

Κεραΐστης, κομήτης, ἁλιεύς, πολεμικός, εἶδος ὄφεως, καὶ ὁ κέρατα ἔχων., Hesychius. ¶ Cerastes cerui epitheton, quod cornutus sit vel magnis cornibus præditus. Aristophanis Scholiastes. ¶ Vermium qui ficorum proprij sunt, alij ex ipsis nascuntur arboribus: alios parit qui vocatur cerastes. Omnes tamen in cerasten figurantur. Sonum edunt ceu paruuli stridoris, Theophrastus & Plinius.

Epitheta.

Cerastes Libycus, vagus, Lucanus. Anhelans, Textor. Crinalis, Statius:

Crinalem attollit longo stridore Cerasten.

Astutus, Insidiator, Interpres Nicandri. Infestus Cerastes, Galeni interpres. Cerastę σκολιοπλανέες dicuntur à Nicandro: Qui & κεράστην δολόεντα appellat, hoc est insidiatorem: eo quod in rosarum vestigijs delitescens, obuium quenque inuadit, vt annotat Scholiastes.

Cerastes pater fuit Pausaniæ, Iosphus. ¶ Amathuntis oppidi in Cypro incolæ olim Cerastæ dicti sunt: Gemino quibus aspera cornu Frons erat. Vnde etiam nomen traxere Cerastæ, Ouidius. Hi cum soliti essent in ara Iouis aduenas immolare, Venus eorum crudelitate offensa, in boues eos vertit, qui à magnitudine cornuum Cerustæ apud Salaminios sunt nominati. Vide Ouidium Metam. 10. Propter hos Cerastes volunt quidam Cyprum Cerastian fuisse dictam, quòd eam aliquando hi homines cornibus insignes tenuissent. Cerastiam dici Cyprum, Xenagoras prodidit, διὰ τὸ ἔχειν πολλὰς ἐξοχάς, id est, quia superciliis (vel promontoriis) abundet multis, quæ inquit cerata vocant. Etiamsi me non fallit esse qui sic opinentur dici, quia inibi viserentur cornibus homines insignes, Cœlius. ¶ Cerastæ insulæ sunt in latere Arabiæ propè Syenem, quæ in fine est Æthiopiæ, Plinius.

Nomina propria huic serpenti affinia.

Circa Thebas Ægyptias sunt sacri serpentes, nihil omnino hominibus noxii, pusillo corpore, binis præditi cornibus, quos defunctos in Iouis æde sepeliunt: huic enim Deo sacros illos esse prædicant, Herodotus. Angues, Thebanos perhibent Ægyptii habere cornua, Aristot.

Angues Thebani cornuti sacri.

DE CERISTALI, TRISCALI CRISTALI VEL SIRTALI.

ERISTALIM Alberti, & Cristalim, seu Sirtalim vt legit Nicolaus Leonicenus, Auicennæ, (Triscalis enim corruptè pro Cristalis legi in impressis quibusdam codicibus existimo) eandem esse serpentis speciem cum Ceraste, diximus antea in historia Cerastis A. Quia tamen & Auicenna & Albertus hunc serpentem à cornuta aspide, quæ proculdubiò Ceraste græcorum est, distinguunt, adiiciemus hic quid vterque de eo scribat: vt facta collatione eorum quæ de hoc Ceristali seu Cristali vel Sirtali scribunt, cum iis quæ de Ceraste dicta sunt, quiuis melius agnoscere posit, hunc eundem esse cum Ceraste.

Serpens Triscalis (Cristalis vel Sirtalis legendum puto,) narratum est de hoc, quòd eius accidentia similia sunt accidentibus viperarum, verùm sunt cum inflatione loci morsus, & vesicis, & duricie apparente, & cursu humiditatis sanguineæ, nigræ ex illo loco: & accidunt ei alteratio rationis, & tenebrositas visus, & spasmus mortificans. Et cura eius est cura viperarum. Et ego quidem dixi hunc serpentem in hoc loco existimatiuè: & non nosco eum, neque ordinem eius, neque ipsius genus cum verificatione, & neque scio an iste sit in iteratione an non. Auicenna. Gesnerus dubitanter ascripsit an Dryinus? nam accidentia eadem sunt ex morsu, quam viperarum. Ceristalis est serpens de genere viperarum, & secundi ordinis, & est cinereus duorum cubitorum. In loco morsus accidit inflatio, & vesicæ duritia, apparent & fluxus humiditatis sanguineæ nigræ ex loco morsus, & patitur læsus alienationem rationis, & tenebrositatem visus, & spasmum mortificantem. Albertus. Cinerei coloris est aspis & Ceristalis secundum Albertum, aliàs Cristalis de genere viperarum, longitudinis duorum cubitorum, qui morsu suo alienat sensum & rationem, caliginem oculis inducit, & spasmum mortificantem, Olaus Magnus. De hoc scribit Ardoynus lib. 6. cap. 15. sub nomine Teristali, ex Auicenna tantum. Addit verò de hoc nihil specialiter scribi ab authoribus.

Chelydrus serpens est qui & Dryinus dicitur, de quo posteà in Dryino.

Chersydrus serpens est idem cum Hydro. Itaque eius historia post in hydro à nobis describetur.

DE COLVBRO.



COLVBRVM etiamsi veteres videantur aliquando pro serpente in genere nominare, aliâs tamen speciem peculiarem hoc nomine denotant, vt ex sequentibus testimonijs patebit: Gaza pro aquatico accepisse videtur. nam cum Theophrastus historiæ plantarum 2.6. scribat hydrum stagnis exiccatis marcescere: ipse pro hydro colubrum transtulit. Deceptus est autem fortè Gaza, non intellectis Plinij verbis: Coluber enim (inquit Plinius) est in aqua viuens, &c. vbi certè colubri nomen tanquam generis, non tanquam speciei posuit. Et alibi, Enhydris vocatur à Græcis, coluber in aquis viuens. Vuottonus etiam vir nostro seculo in Anglia eruditus, de colubro inter aquaticos serpentes agit: & colubri nomine pro genere quosdam abuti scribit. Certè viri eruditi pro communi Græco serpentium nomine ὄφις, colubrum aliquando reddunt Latinè. Erasmus Rot. & alij.

Disce & odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbaneoq; agitare graues nidore chelydros.
Sæpe sub immotis præsepibus, aut mala tactu
Vipera delituit: cœlumq; exterrita fugit.
Aut tecto assuetus coluber succedere, & vmbræ,
Pestis acerba boum, pecoriq; aspergere virus,
Fouit humum. cape saxa manu, cape robora pastor:
Tollentemq; minas, & sibila colla tumentem
Deijce. iamq; fuga timidum caput abdidit altè:
Cum medij nexus, extremæq; agmina caudæ
Soluuntur, tardosq; trahit sinus vltimus orbes,
Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis, &c.

Vergil. tertio Georg. vbi colubrum videtur speciem serpentis facere, eam quam nos infra orophiam & myagrum nominabimus: eamq; ab alijs speciebus, chelydro, vipera & chersydro, (quem anguem in saltibus Calabriæ nominat ac describit in sequentibus,) distinguit. In anserum struendis cellis seruanda sunt eadem quæ in alijs generibus pullorum, ne coluber, ne vipera, felesq;, aut etiam mustela possit aspirare. Iecur aquatici colubri, item hydri tritum potumq;, calculosis prodest, Plinius: ac si coluber aquaticus alius quàm hydrus esset: ego non separârim. Coluber ab eo dictus est, quòd colat vmbras (*quasi ad hoc alluserit poeta iam recitato carmine, Aut tecto assuetus coluber succedere, & vmbræ:*) vel quòd in lubricos tractus flexibus sinuosis labatur. nam lubricum dicitur, quicquid labitur dum tenetur, vt piscis, serpens, Isidorus. Gelenius noster Latinum nomen deducit à Græco κολόβουρος: quod vbi ipse legerit nescio. ego neq; apud authores, neq; apud grammaticos reperire memini. significat autem mutilum cauda. Quòd si de origine huius vocabuli diuinandum est, à chelydro vel chersydro, non magna literarum mutatione, colubrum aliquis deduxerit, etsi pro vocabulo vel communi, vt dictum est, vel speciei diuersæ à Latinis plerunq; vsurpetur. Domestici quidem angues, sæpe caudis per homines mutilatis reperiuntur, ac viuunt, potius quàm syluestres. ¶ Coluber à Scoppa Italicè redditur lo scorzone, scorsoni, colubra, la scorzonara, la scorsona. Galli coleuure, Hispani culebra proferunt. Νερόφις Græcè hodie vulgò dictus serpens, ab aliquibus coluber vertitur. ¶ Coluber, gen. mascul. est: quandoq; fœmininũ etiam colubra in vsu est. Lucilius Satyr. lib. 20. Iam disrumpetur medius, iam vt Marsus colubras, Disrumpit cantu, venas cum extenderit omnes. Turpilius Leucadia, Arripuit colubram mordicus. Varro Eudæmonibus, Quid dubitatis vtrùm nunc sitis cercopitheci, an colubræ, an belluæ? Notauit hæc Non. Marcel. ego Horatium quoq;, Vergil. & Corn. Cels. fœm. gen. colubrã dixisse obseruaui.

B.

Coluber longus est vt anguilla, Obscurus. Colubros virides Horatius dixit: longos, Virgilius: variæ cum dente colubræ, Ouidius. Linguis micat ore trisulcis, Vergilius de colubro. Columella hirtum colubrum cognominat, nimirum à squamarum asperitate. Ægyptij de colubris Thebanis perhibent, quasi aliquod illis vestigium cornus extuberet, Aristoteles. Vide in Ceraste.

Grammatici

C.

Grammatici quidam colubrum ſcribunt vmbras nemorum incolere, alludentes ad etymologiam. Vergilius non nemorum, ſed ſimpliciter vmbram, eum ſubire canit, Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere & vmbræ. Coluber etiam calidior multis degit in vmbris, & accedit ſæpe ad aquas, vt ſe refrigeret & deponat venenum, Ferdinandus Ponzettus. ¶ Cum omnis ſerpens, tum coluber ſpeciatim, per foramen tranſiens ſenectutem exuit; ſed ieiunio prius carnes attenuat, vt facilius tranſeat. Tortuoſè incedit & ſibilat, Obſcurus.

Qualis vbi in lucem coluber mala gramina paſtus, Lubrica conuoluit ſublato pectore terga
Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat: Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis,
Nunc poſitis nouus exuuijs, nitiduſq; iuuenta, Vergilius Æneid. 2.

Eſt autem comparatio ſumpta ex Homeri Iliad. x. vt Macrobius annotat lib. 5. cap. 6. Saturnal.

Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσιν, &c.

Hirtus & vt coluber nodoſo gramine tectus Ventre cubat flexo, ſemper collectus in orbem, Columel.

D.

Coluber (vt ſcribitur in epiſtolis D. Hieronymi) bibiturus venenum prius euomit, ne ipſe ſuum cum aqua exhauriat. ¶ Nudum hominem timet, operimentis indutum perſequitur, Cælius Rhod. ¶ Bufo quandoq; cum colubro, vel etiam cum ſerpente prælium ſubit, Phyſiologus. Optima vinetis ſatio eſt, cum vêre rubenti. Candida venit auis, longis inuiſa colubris, (id eſt, ciconia,) Vergilius 2. Georg. Coluber ceruum fugit, leonem interficit, Ambroſius. Coluber eſt in aqua viuens: huius adipem & fel habentes qui crocodilos venentur, mirè adiuuari produntur, nihil contrà belua audente: efficacius etiamnum ſi herba potamogiton miſceatur, Plinius.

E.

Spargantur cæcis naſturtia dira colubris, Columella.

Per cæcas colubras ventris lumbricos non angues intelligit, Victorius.

F.

Venenum ſerpentis, vt quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipuè vtuntur, non guſtu, ſed in vulnere nocent: ideoq; colubra ipſa tutò eſtur, ictus eius occidit, Celſus.

G.

Natura eius eſt valde calida & venenoſa, Ardoynus. Colubra ipſa tutò eſtur, ictus eius occidit. vide proximè retrò in F.

Hirtus & vt coluber nodoſo gramine tectus, Noxius exacuit morbos æſtatis iniquæ.

Coluber tranſeuntibus inſidiatur: & mordens lingua venenum infundit. Vnde ſcriptum eſt in ſacris: Fiat Dan coluber in via. Et alibi: Qui diſsipat ſæpem, mordebit eum coluber, Obſcurus. *De Colubri veneno.* In anſerum ſtruendis cellis ſeruanda ſunt eadem, quæ in alijs generibus pullorum, ne coluber, ne vipera, feleſq;, aut etiam muſtela poſsit aſpirare: quæ ferè pernicies ad internecionem proſternunt teneros, Columella. Si animal *(iumentum)* mordeatur à venenatis beſtiolis, vt colubris, ſcorpijs, quomodo curari debeat Vegetius docet Artis Veterinariæ 3.77. Nec virides metuunt colubros, Nec Martiales hœdilia lupos, Horatius 1. Carm. ¶ Colubri morſus virulentam malignitatem, eiuſq; malignitatis remedia fideli hiſtoria viſum eſt ſubijcere. *De Colubri morſu & cura.* Dum rex Carolus nonus apud Molinios ageret, D. le Feure Regius Medicus & ego vocati ſumus, vt curaremus coquum dominæ à Caſtroperſeo. Hic cum lupulum in ſepibus legeret, ictus in manu à latente colubro, ipſa ſtatim ori admota, vulnus ſuxit, ſaniei expreſsione dolorem, vt putabat, leuaturus. Sed extemplo ſic ei lingua intumuit, vt loqui non poſſet, brachium præterea totum ad ſcapulam vſque ſimiliter in altum tumorem ſublatum, tam acres ei dolorum cruciatus mouit, vt me præſente bis ſyncope prehenſus corruerit, facie flaueſcente & liuida mortuo ſimilis, ac quamuis de ſalute deſperarem, penitus tamen deſertum hominem non paſſus, laui illi os theriaca in vino albo diſſoluta, eademq; addita aqua vitæ potionaui. Tumidum brachium multiplici & profundo ſcarificatu aperui, qua maxime parte morſus inflictus eſſet, ſanguinem, qui totus ſeroſus ſeu ſanioſus erat fluere copioſius permiſi, plagas theriaca & mithridatio in aqua vitæ diſſolutis laui, ægrotum deinde in lecto calidiſsimè ſtatui ſudore procurato & vigilijs iugibus imperatis. Hac arte tantum profeci vt poſtridie ſymptomatum omnium malignorum eſſet expers. Itaque id vnum poſtea procuraui vt vulnus diu apertum teneretur, & theriaca ablueretur. Et ſic paulo poſt conualuit, Ambroſius Paræus. ¶ Contra rubetæ venena auxiliatur coluber viuens in aqua, Plinius lib. 32. *Remedia ex Colubro.* Colubri, aut viperæ, olla noua incluſi & operculati, maza vel luto circumlita, vruntur igni ex ſarmentis vitium in clibano, amborum cinis ex oleo illitus ſcrofulas liquefacit, Syluius.

Auribus exuuium confert ſinuoſi Colubri Ex oleo læſis, quod ponit arte ſua.

Pictorius in Lerna malorum. Senecta anguis (Γῆρας ὄφεως, aliqui reddunt colubri,) maximè verò viperæ, à Dioſcoride ad remedia quædam laudatur, vt referemus in Serpentis hiſtoria, in genere G.

H.

a. Epitheta. Breues colubri, Ouidius in Epiſt. Longi, Vergil. 2. Georg. Venenati, Lucretius lib. 5. Virides, Horatius 1. Carm. Niueiſq; frequens Sinueſſa colubris, Ouidius 15.

Metam. de specie quadam peculiari, vt apparet. Erebeæ felle colubræ, Idem. Et alibi, Variæ cum dente colubræ. Hirtus, Columellæ. Et apud Rauisium: Tumidus, lubricus, cæcus, noxius, latens, terrificus, sæuus, cæruleus, Medusæus, squamosus, tristis, Cinyphius, tortus, ater, lethifer, dirus, Libyssinus, sinuatus, mordens, maculosus, tortilis, gorgoneus, niger, venenosus, flexilis, trux, immanis. ¶ Lac colubri (Laict de coleuure) vulgò vocant Galli genus tithymali, folijs myrti, circa vias & sæpes vulgare. Iisdem colubrina est vitis alba, vt Ruellius scribit: & eodem nomine Romanis, lonchitis altera. Ruellius etiam cantabricam herbam in Gallia colubrinam vocari author est. Nummularia quoque Fuchsij, colubraria quibusdam dicitur, nostris vulgò Natricum herba. De hac Ruellius lib. 2. de natura stirpiũ cap. 12. Inuenitur (inquit) fruticans herba cubitalibus penè ramulis, humi reptans serpuli modo, folijs lenticulæ, sed maioribus, vtrinque in ordinem digestis, radicibus paruis per summa cespitum vagantibus. Pratis & humentibus locis serpit: super cuius nomine rusticos consului: qui referebant se audiuisse de suis maioribus colubrorum herbam appellari, quòd dissectum in partes anguem huius herbæ confrictu in pristinam coire vnitatem, & vnà partes diuortio secretas coalescere adfirmabant.

Lac Colubri. *Colubrina.*

¶ Colubraria, maris mediterranei Iberici insula est, de qua Pomponius Mela libro 2. Colubraria (inquit) cum scateat multo ac malefico genere serpentum, & sit ideo inhabitabilis, tamen ingressis eam intra id spacium quod Ebusitana humo circunsignauerunt, sine pernicie tuta est: ijsdem illis serpentibus, qui solent obuios appetere, aspectum eius pulueris, aliud ue (quod verius) procul & cum pauore fugientibus. De eadem Plinius libro tertio capite quinto. Ebusi terra serpentes fugat, Colubrariæ parit: ideo infesta omnibus, nisi Ebusitanam terram inferentibus. Græci Ophiusam dixere. Ebusus hodie Ayiussa vocatur, Colubraria vero la Dragonera, vt Oliuarius annotauit. Ophiusa, ὀφίουσα, etiam olim Rhodus vocabatur propter serpentium multitudinem, quasi serpentaria, authores sunt Strabo lib. 3. & Plinius 5. 31. item ex Cycladibus tum Cythnus, cum Tenus apud Stephanum. ¶ b. Mutilatæ cauda colubræ, Ouidius 6. Metamorph. Vos anguilla manet longæ cognata colubræ, Iuuenal. Sat. 5. ¶ e. Vtque lupi barbam, variæ cum dente colubræ Abdiderint furtim terris, Horatius Serm. 1. 8. de mulieribus veneficis. Pectoraque (*Furiæ Ibidis inimici*) vnxerunt Erebeæ felle colubræ, Ouidius. ¶ h. Te sensit equum crinita colubris Mater equi volucris (id est Medusa) Ouidius de Neptuno. Dic qua Tisiphone, quibus exagitare colubris? Iuuenalis Sat. 6. Tam sæuæ facies, tot pullulat atra colubris, Vergilius 7. Æneid. de Alecto furia. Colubriferum monstrum, Ouidius 5. Metam. Cerbero colla colubris horrent, sexto Æneid. Verg. Idem libro 7. de Alectone furia, quæ in sinum Amatæ serpentem iniecerit, vt discordia domũ turbaret eleganter, sic canit: nunc anguem nunc colubrum, nunc viperam appellans:

Huic dea cæruleis vnum de crinibus anguem
Conijcit: inque sinum præcordia ad intima subdit:
Quo furibunda domum monstro permisceat omnum.
Ille inter vestes, & læuia pectora lapsus
Voluitur attactu nullo, fallitque furentem,
Vipeream inspirans animam, fit tortile collo
Aurum ingens coluber: fit longæ tænia vittæ:
Innectitque comas, & membris lubricus errat.

¶ Cum Crœsus aduersus Cyrum bellum suscepit, vis colubrorũ ingens in suburbanis Sardium locis repente coorta est, quos equi in pascua dimissi passim deuorarunt: responderunt diuinationum periti futurum vt externæ gentes indigenas consumerent. Indigenam esse colubrum terræque filium: equum verò & aduenã & bellicosum hostem, Herodotus. ¶ Colubrum intra ædes collapsum non perimendum: hoc est, hospitem quanquam nociuum perhumaniter tractandum, Plutarchus in Symbolis Pythagoricis. ¶ Colubrum in sinu fouere, Erasm. Rot. dixit, translato Græcorum prouerbio quod sonat, ὄφιν ἐν τῷ κόλπῳ θάλπειν.

Cophias serpens est qui & Cæcilia dicitur. Vide quæ superius in Cæcilia dicta sunt.


DE SERPENTIBVS QVORVM NOMINA INCIPIVNT A. D.

DE DIPSADE.

A.

Nomina.


IPSAS genus est aspidis, quæ Latine Situla dicitur, qui quem momorderit, siti perit, Isidorus. Dipsas ex argumento vocatur, ictum ab se siti inexplicabili necans, Ælianus, Volaterranus. Δίψα enim græce dicitur sitis, & διψάω sitio. Vnde nomen hic serpens traxit



traxit, Textor. Διψὰς hæc & prester dicitur, & causon ab ardore: & melanurus à nigra cauda, & ammoatis quod in arena degens lædat, & centris ab aculeo, Ælianus, Suidas. Hunc quidam prestere m nonnulli causonium vocant, Volaterranus. Dipsas à quibusdam causus appellatur, Aetius. Quare propter continuam sitim, & prester, & causon, aut dipsas appellatur, Dioscorides. A quibusdam dici quoque melanuros, animaduerti: sed & am mobates, nec non centridas siue κεγχρίδας, aut centrinas ab figura. Cœlius. ¶ Deuteron. 8. Duxit te Deus per locum vbi erant serpentes vrentes (נחש שרף) & scorpiones, וצמאון, Latinus interpres vulgatus vertit, & dipsas, quanquam alij sitim vel locum sitis, id est, aridum & siccum interpretantur. Serpentes autem vrentes sunt ad quorum morsum corpus horribiliter incenditur, aqua desideratur, aqua clamatur, ad eam accurritur, omni impedimento neglecto, quod de milite Catonis scribit Lucanus, P. Fagius. Hos tamen serpentes vrentes alij presteres fuisse volunt, qui presterem à dipsade distinguunt, vt in prestere dicemus. Situla etiam vocatur à quibusdam: à siti quam morsu infert. Est autem hic serpens è genere viperarum, vt quidam putant, vel Aspidis iuxta aliorum opinionem, Greuinus. Διψὰς ἔχιδνα, in Epigrammatis dicitur, id est siticulosa vipera. Viperæ sitim satientes, Auicenna. Galenus scribit marsos à se interrogatos quod discrimen esset inter viperas & dipsadas, respondisse, dipsadas esse viperas quæ iuxta mare & in locis salsuginosis degunt, de quo plura posteà dicemus. Dipsas viperæ species, Aëtius. Contrà verò Solinus inter aspidis species dipsada numerat his verbis. Plures diuersæque aspidum species sunt, verùm disparis effectus ad nocendum. Dipsas siti interficit, Hipnale somno necat, &c. Hæc Solinus. Dipsas genus aspidis, Isidorus.

B.

Dipsas cuius vim & naturam eius nomen nobis declarat, inferior quidem est magnitudine quàm vipera, sed tamen in occidendo quam celerrime superior. Eam Sostratus cùm albam esse ait, tum duas in cauda lineas nigras habere. Cùm in Aphrica, tum magis in Arabia nascitur, Ælianus, Suidas. *Forma Dipsadis.*

Exiguæ similis spectatur dipsas echidnæ,
Sed festina magis mors ictus occupat ægros.
Parua & lurida cui circa vltima cauda nigrescit.

Nicander in Theriacis. Serpens est breuis alioqui, colore albus, cauda duabus nigris lineis intersecta, Volaterranus. Dipsas viperæ est species quæ in maritimis magis locis reperitur, magnitudine cubitali, ex crassa in tenuem desinens. Notas autem habet per omne corpus fuluas & nigras: caput verò angustius, Aëtius. Dixerunt quòd serpentis facientis sitim longitudo est palmi vnius: & super corpus eius sunt vestigia nigra plurima: & caput eius paruum & collum ipsius grossum, & incipit creatura eius ex collo grosso vsque ad caudam subtilem. Et dixerunt quidam, quòd hic plurimum est in regione lokiati & assim (Lybiæ & Syriæ) & forma eius est forma viperæ, & color postremi eius vsque ad caudas est ad nigredinem decliuis, & incedit quatiendo caudam suam, Auicenna. Dipsas serpens tam parua est, vt dum calcatur non videatur, & necat antequam sentitur, Arnoldus. Sunt qui dicant demorsos à viperis satiari non posse potando, sed dirumpi citius, quàm siti liberari. Quocirca eos qui Romæ viperas venantur, quos Marsos nuncupant, percontatus sum, ecquid haberent signi quo genus vtrumque viperarum discernerent. At illi prorsus negabant vllum esse genus viperarum dipsadum, verum eas quæ iuxta mare atque in locis degunt salsedinem multam habentibus, carnem obtinere salsam; ac proinde in Lybia talium ingentem esse prouentum: in Italia verò propter regionis humiditatem non inueniri. Atque hæc quidem narrantes audiui Marsos, non tamen certò dicere queam, an in totum verum dixerint, an partim etiam falsum, Galenus. ¶ Situla serpens est paruus & malitiosus qui hominem siti interficit: Hic tanta varietate refulget, vt intuentes pulchritudine retardet, & quem natura dedit reptando pigriorem, miraculo stupentes detinet, quos assequi non valet. Author libri de natura rerum. Hæc autem postrema de pulchritudine serpentis, Solinus & alij authores scribunt non de situla id est dipsade quæ siti interficit, sed de Scytale. Itaque author ille nominis affinitate deceptus fuisse videtur, vt ex vtraque serpentis specie vnam factum fecerit.

D.

Garamantes in Lybia oua ſtruthionum per arenam ſparſa ſtudioſè indagant & colligunt, non edendi tantum gratia, ſed illis euacuatis pro vaſis & inſtrumentis vtuntur: ac magnis & capacibus inuentis etiam pileos ex eis conficiunt. Ibi autem iuxta oua dipſades inſidioſè excubant, tum accedentem quempiam mox ex arena prorepentes morſu infelicem feriunt, Lucian.

G.

Veneni huius ſerpentis natura & qualitas vt ex ſymptomatibus, quæ ſuperueniũt ijs, quos momorderint, facilè intelligi poteſt, eſt vehementer calida, ſicca, craſſa, qua interiora corporis adurit, inflammat, & exiccat, vt adurendo, exiccando, corrugandoq; ſicut corium ab igne, vias vrinæ & corporis poros conſtringat & coarctet, & licet ſiti & potu aquæ copioſiſsimo neq; ſatiari poſsint, neque potus, quicquam vel per vrinam vel ſudorẽ reddant, vnde tandem etiam retento potu copioſiore, diſrumpantur, Ardoynus.

De Dipſadis veneno, morſu & Symptomatibus.

A dipſade vulneratus acerrima ſiti ardet, & tanquam taurus ore hiante, atque imminente ad flumina procumbit, tantaq; potione, dum venter diſrumpitur ſeſe explet, Nicander. Quos diſpas percuſsit, ſolutus ac non conſtrictus tumor premit, ſitiſq; vſque eo pertinax, vt ſatiari non poſsit, ac ſine vlla intercapedine excruciet: & ſi potum pleno ore affatim trahant, illico in eandem ſitim relabuntur: proinde toto habitu ſimiles ſunt ijs qui antea potus nihil hauſerint, Dioſcorides, Ægineta, Actuarius. Sequitur ab ea morſos, præter ea quæ de vipera dicta ſunt, & ſitis intolerabilis planè, adeò vt etiam ſi multus eis potus exhibeatur, ſitis non ſedetur. Et tamen neq; per vrinas, neq; per vomitum, neq; per ſudores quicquam excernitur. Duobus igitur pereunt modis, aut ob multam ſitim exuſti, ſi potum non ſumant, aut ob multam expletionem diſtentus rumpitur venter, vel infernè circa inguina, vel circa imum ventrem, quemadmodum in hydropicis fieri conſueuit, Aëtius. Eius morſu confixi, etſi aſsiduam potionem hauriunt, ad ſitim tamen exardeſcunt, & ad bibendum eatenus inflammantur, quoad celerrimè rumpuntur, Ælianus, Suidas. Dixerunt quòd accidit morſo ab eo vt aduratur venter eius, & inflametur, quare non ſatiatur ex aqua, imò non ceſſat bibere abſque exitu alicuius rei per vrinam, aut ſudorem, ita quod inflatur venter eius totus: & currit aqua in venis ipſius, Auiceña. Dipſas eſt ſerpens nòn admodum magnus, viperæ ſimilis, violento ictu, veneno craſſo, dolores illicò inducens intolerabiles. Ardores enim immittit inextinguibiles, & putredines, & totum corpus adurit incendio. Et qui ab illa icti fuerint, clamant non ſecus atque illi qui in ignem coniecti ſunt: ſequiturq; bibendi ſitis inexplebilis, & vltra modum ſitiunt. Et quod maximè admirandũ eſt, quanto plus biberint, tanto magis potum expetunt: ac ſubinde magis ac magis potando creſcit bibendi deſiderium. Neque illorum ſitim extinxeris, tametſi totum Nilum aut Danubium epotandum præſtiteris, verum irrigandi ſedulitate morbum incendis: quemadmodum ſi quis oleo ignem conetur extinguere. Eam verò incurabilis morbi cauſam afferre ſolent medici, Venenum Diſpadis, cûm craſſum eſſe conſueuit, poſteaquam potu rigatum fuerit, continuò mouetur, atque incenditur, atque etiam humidius, vt par eſt, redditur, & per omnia membra diffunditur, Hæc Lucianus in dialogo de dipſadibus.

Signiferum iuuenem Tyrrheni ſanguinis Aulum
Torta caput retrò Diſpas calcata momordit.
Vix dolor aut ſenſus dentis fuit: ipſaq; leti
Frons caret inuidia: nec quicquam plaga minatur.
Ecce ſubit virus tacitum, carpitq; medullas
Ignis edax, calidaq; incendit viſcera tabe.
Ebibit humorem circum vitalia fuſum
Peſtis, & in ſicco linguam torrere palato
Cœpit, defeſſos iret qui ſudor in artus
Non fuit, atq; oculos lachrymarum vena refugit.
Non decus imperij, non mœſti iura Catonis
Ardentem tenuere virum, quin ſpargere ſigna
Auderet, totiſq; furens exquireret agris.
Quas poſcebat aquas, ſitiens in corde venenum.
Ille vel in Tanaim miſſus, Rhodanumq; Padumq;
Arderet, Nilumq; bibens per rura vagantem:
Acceſsit morti Libye: fatiq; minorem
Famam Dipſas habet terris adiuta peruſtis.
Scrutatur venas penitus ſquallentis arenæ:
Nunc redit ad Syrtes & fluctus accipit ore:
Æquoreuſq; placet, ſed non & ſufficit humor.
Nec ſentit fatiq; genus, mortemq; veneni:
Sed putat eſſe ſitim: ferroq; aperire tumentes
Suſtinuit venas, atq; os implere cruore. Lucanus lib. 9.

Signa mortis, quæ à morsu mox apparent, sunt magna siccitas & inflammatio, non internarum tantum, sed externarum quoque partium; quòd ob magnam veneni siccitatem accidit, quod non solùm per vniuersum corpus iam est sparsum, sed facilimè etiam totum sanguinem in suam naturam conuertit, ita vt quamuis æger indesinenter bibat, satiari tamen nequeat. Interim enim dum venenum per corpus fertur, atque vagatur, fit vt omnes meatus corporis exiccet, & adurat ita, vt eos in se instar membranæ vel corij ante ignem contrahi faciat. Meatus enim tàm vrinæ, quàm sudoris occlusi, aquàm quæ tam intemperanter hauritur effluere prohibent, hincq́ necessariò ventrem vt exitus pateat, rumpi oportet, Greuinus libro 1. de venenis. Viperę sitim facientes cùm pungunt, nō cessat punctus bibere, & non satiatur donec moriatur. Et similiter à potu vini in quo mortuæ sunt viperæ aut à cibo, Auicenna.

De remedijs ad uersus dipsadis morsum.

Hæmorrhoi dipsadisq́ morsus velut immedicabiles à plerisq́ maiorum deplorati relinquebantur: quare si peculiaribus contra dipsadem remedijs egeamus, communia experiri operæpretium erit. Protinus autem scarificatione vti, vstionem facere, & si locus patiatur, extremorum amputatione opus erit: consequenter quàm acerrima cataplasmata admouere, de quibus sæpenumero diximus. Nec me fugit acres cibos, maximè ex salsamentis, vtiles esse. Meracæ potiones, & lauacra prosunt quæ subinde interiecto breui spatio assumenda sunt, priusquam morbi genus emerserit: quo semel erumpente opem ferre non potest vlla medici opera, Dioscorides, Ægineta, Actuarius. Cæterum & his veluti à vipera morsis auxiliantur: propriè autem in his potiones magis vrinam cientes exhibeantur. Aluus item per infusum eluatur, & oleo cum decoctionibus exhibito ad vomitum cogantur. Ad plagæ verò locum post exuctionem & scarificationem, & cucurbitularum affixionem, & dissectas gallinas, calcem viuam cum oleo imponito, & emplastra attractoria, & theriacen, Aëtius. Remedia quæ loco inducuntur, contra morsus inscripta reperimus. Dipsadis quidem, portulacæ folia contrita ex aceto, polentam, rubi folia cum melle læuigata, plantaginem, hyssopum, allium albū, porrum, rutam, vrticam, Æginéta. Regimen eorum post commune regimen, est indesinenter facere eos bibere oleum plurimum & euomere: deinde clysterizare eos cum eis quæ educunt fæces & humiditates, & trahunt aquam ad inferiora: & vt dentur diuretica, sicut decoctio apij, & spicæ Indæ, & cinnamomi, & assari, & siseleos, & petroselini, & similium. Et emplastretur exterius cum sale & calce, & oleo, & emplastratio, quam dicemus ad morsum canis rabiosi, confert, Auicenna. Si Cerastes, aut Dipsas, aut Hæmorrhois percussit, asphodeli, quod Ægyptiæ fabæ magnitudinem æquet, arefactum, in duas potiones diuidendum est: sic vt rutæ paulum ei adijciatur. Trifolium quoque, & mentastrum, & cum aceto panaces æquè proficiunt. Costumq́, & casia, & cinnamomum rectè per potionem assumuntur, Celsus. Sunt & seruatis piscibus medicinæ, salsamentorumq́ cibus prodest à serpente percussis, & contra bestiarum morsus, mero subinde hausto, ita vt ad vesperam cibus vomitione reddatur: peculiariter à chalcide, ceraste, aut quas sepas vocant, aut elape, dipsadéue percussis, Plinius. Lauri folia cortex & baccæ serpentum venenis resistunt, maximè sepis, dipsadis, & viperæ, Idem. ¶ Aphrodisius libro 1. problem. quærit cur hominibus morsis à dipsade, sitiq́ ob eam rem intolerabili detentis, theriaca quæ calida & sicca est, sitim epota extinguat non augeat, cum genus id medicaminis ex siccis & calidis rebus conficiatur: neque adduci potest id alia ratione fieri, nisi mutuo consensu quodam, viperarum, quæ admiscentur, carnes antipathiam habere aduersus quoduis animal venenosum, Pierius.

H.

Homonyma.

Dipsas vnde dicta sit, iam ante diximus in A. ¶ Est autem aliquando vox adiectiua, & significat siticulosam, bibulam, & aridam. ¶ Est etiam spinæ quoddam genus apud Theoph. lib. 4. hist. pl. quod sic vocatur. ¶ Διψὰς ἔχις, ὕδρα: καὶ σημεῖον ἐν θυτικῇ ἐπὶ τοῦ ἥπατος, Hesychius. Nuncupatur in re sacrificali dipsas, item hepatis signum quoddam, Cælius. ¶ Non infacetè etiam nomen confinxit Ouidius, cùm Lenam quandam temulentam, Dipsadem appellauit, his verbis:

Est quædam nomine Dipsas anus,
Ex re nomen habet, nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.

Fabula vt sitiat dipsas & senectutem exuat.

¶ Stant in margine siccæ aspides, & medijs sitiebant dipsades vndis, Lucanus. Torrida dipsas, Idem. Arida dipsas, Interpres Galeni. ¶ Super dipsade lepidior memoratur fabula de ratione propter quam serpentes quotannis pellem exuant, & quam ob causam Dipsas eam vim habeat, vt tantam in ijs, quos percusit sitim excitare possit. Cùm aliquando Iupiter maior natu Saturni, hoc est, temporis filius, inter duos fratres minores natu hæreditatem distribuisset, & Neptuno mare, Plutoni verò infernum dedisset, vt mortalibus gratificaretur, quòd furtum Promethei qui à Vulcano ignem surripuerat & hominibus attulerat detexissent, iuuentutis (ἀγηρασίας) donum (φάρμακον γήρως ἀμυντήριον, Ælianus) largitus est. Qui cum fessos se viderent, eamq́ amplius gestare nollent, asino imposuerunt. Qui cum sic oneratus æstiuo tempore incederet, siti laborans ad fontem venit bibendi gratia, sed à dipsade loci custode prohabitus est: nec prius permissus est bibere, quàm onus quod gestabat serpenti tradidisset. Vnde factum est

vt senectutem abijciat serpens, homines verò senio obnoxij sint. Serpenti tamen agglutinata est sitis asini, quam & morsu læsis inijcit, Nicander, Ælianus, Cælius.

Hieroglyphica ¶ Ægyptij cum ingentem sitim significare vellent, Dipsadem depingi curabant, Greuinus. ¶ In littore quod è regione maioris Syrtis inter Silyam & Ægyptum porrigitur, affirmauit mihi quidam ex familiaribus se vidisse sepulchrum, ac statuam viri cum epigrammate illius exitium indicante: fuisse autem sculptum hominem quendam, qualem fere pingere solent Tantalum in media palude consistentem, ac vndas haurientem, non aliter ac si biberet: bestiolam autem, nempe Dipsada, illi inhærentem, ac pedi eius implicatam. Tum mulieres quaspiam aquam ferentes, easdemq; opera non paucas illi eandem potandam affundentes. Insuper oua quoque adiecta conspiciuntur, qualia fere struthionum illorum esse perhibentur, quos Garamantes venantur. Est autem epigramma ascriptum, quod & hic referre non alienum esse opinor:

Talia passus erat quoque Tantalus Æthiope cretus,
Qui nullo potuit fonte leuare sitim.
Tale nec è Danao natas implere puellas
Assiduis vndis vas potuisse reor.

Hæc Lucianus dialogo de Dipsad. Hæc autem species tota prorsus hieroglyphica, hominem significabat bibacissimum, vel ardentissima confectum siti, Pierius.

Emblemata. ¶ Est apud Alciatum Emblema, cuius Lemma est, Qui alta contemplatur, cadere, Versus autem sunt,

Dum turdos visco, pedica dum fallit alaudas,
Et iacta altiuolam figit arundo gruem,
Dipsada non prudens auceps pede perculit, vltrix
Illa mali, emissum virus ab ore iacit.
Sic obit, extento qui sydera respicit arcu,
Securus fati quod iacet ante pedes. Alciatus.

Hinc simile est epigramma Græcum Antipatri Sidonij de Alcimene aucupe, qui cùm arcu & funda peteret aues in altum speculatus, ictus à Dipsade interijt, quem sic loquentem facit,

Καί με τίς ἐπήτειρα παρὰ σφυρὰ διψὰς ἔχιδνα
Σαρκὶ τὸν ἐγγενύων πικρὸν ἐνεῖσα χόλον
Ἠελίου χήρωσεν· ἴδ' ὡς τὰ κατ' αἰθέρα λεύσσων,
Τὴν ποσὶν οὐκ ἐδάην πῆμα κυλινδόμενον.

DE DRACONE.



A.

RACO vocabulum est Græcum à Latinis vsurpatum, quod aliquando pro quouis serpente sumitur præcipuè apud Græcos & Poëtas, siquidem eadem videtur vtriusque nominis apud Græcos ratio. Draconem enim παρὰ τὸ δέρκεσθαι, id est, à cernendo dictum volunt, sicut ὄφιν ἀπὸ τοῦ ὄπτειν quod idem significat: Propriè tamen draco dicitur de ser-

pente

pente annoso qui multa ætate in inusitatam magnitudinem excreuit, vt liquido apparet ex hoc prouerbio Græco, ὄφις εἰμὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται. Serpens nisi ederit serpentem, non fiet draco. Nam inter serpentum genera (inquit Pierius) dracones ij vocantur, qui corpore sunt immaniore, vastioreq; magnitudine. ¶ Angues aquarum sunt, serpentes terrarum, dracones templorum, Seruius in 2. Æneid. Hebraicè תנין Thannin, serpens aut draco, & piscis magnus vt draco, vt sunt ceti, balænæ, &c. Pagninus. תנינים Thanninim nomine Hebræi cum immani specie & terribiles serpentes qui dracones vocantur, tum pisces ac belluas marinas, qui thynni vel cete nominantur comprehendunt, Vuolphius in Nehemiam. אוח Oach Hebraica vox, vnde plurale Ochim semel ponitur, Esaiæ 13. (Babylon, inquit, subuertetur, & implebunt domos eorum Ochim, Munsterus cercopithecos vertit) Dauid Kimhi existimat animal esse quod Magistri Thalmudici Nemiah vocant, simile feli vulgo dictũ martes. Chaldæus transtulit Ochijm, Aquila typhones, Hieronymus dracones reddit, Chaldaicè דרקון Darcon, id est serpens, draco, Munsterus. Draco apud Arabes est serpens, magnum habens corpus, & est commune genus ad multas species, And. Bellunensis. Albedisimon persin videtur esse de generibus draconum, Auicenna. Ahedysimon serpens de genere draconum, Albertus. Alhatraf item & hauden, Auicenna ponit inter serpentes qui nocent quando mordent per vulnus non per venenum, qui sunt dracones. Alhartraf & haudion sunt generis draconum, Albertus. Tyliacus, **lindwurm** de genere draconis, Idem. Carnen etiam generis est draconum, Idem. Sed harem carnen inter dracones marinos ponit Auicenna, de quibus iam non agimus, siquidem eorum in libro de aquatilibus satis ampla facta est mentio. ¶ Græcè δράκων, & hodie vulgo δράκος dicitur. Germanicè **trach/lindwurm**. Gallicè, vn dragon. Italicè, drago & dragone.

Syrenæ, in Esaia, dæmones, aut dracones magni, cristati pariter ac volantes, vt à quibusdam *Syrenæ, Esa. 13.* putatur, Eucherius. Syrenæ sunt in Arabia serpentes cum alis, qui plus currere quàm equi, atque etiam volare dicuntur. Quarum tamen virtus est, vt morsum ante mors insequatur, quàm dolor, Isidorus.

B.

Æthiopia dracones ad longitudinem triginta passuum progredientes generat, & nomen *De regionibus* proprium nõ habent, sed duntaxat elephantorum interfectores ipsos nominant, & proueniunt *in quibus reperiantur dracones & de eorũ magnitudine.* ad summam senectutem, Ælianus. Onesicritus Astypalæus duos in India scribit dracones fuisse, quos Aposisares Indus nutriuerit, alterum sex & quadraginta, alterum octoginta cubitorum, eosdemq; Alexandrum ardenter videre expetiuisse. Regnante Philadelpho, duos item ex Æthiopia dracones in Alexandriam deportatos fuisse viuos, apud Ægyptios peruagatum est, alterum magnitudine quatuordecim, alterum tredecim cubitorum. Euergetis regis temporibus tres etiam aduectos fuisse, vnum nouem, alterum septem cubitorum, tertium magna cura in Æsculapij templo nutritum fuisse. Iam qui de Chiorum rebus historiam conscripserunt, ad quandam Pellenæi montis vallem, proceris arboribus frequentem atque opacam, maxima magnitudine draconẽ inquiunt procreatũ fuisse, cuius sibilũ Chij vehementer perhorrescerent: magnitudinem verò nulli neque agricolæ, neque pastores accedendo propius considerare auderent, sed ex solo sibilo ingentem quandam & formidolosam feram bestiam esse suspicarentur, eius tamen magnitudinem tandem mirabili quadam machinatione atque solertia cognitam fuisse: Vento nimirum vehementissimo vallis arbores concussas, & violenter collisos ramos ignem concepisse: & simul inde ingens incendium excitatum, locum omnem comprehendisse, & feram circumdedisse, eamq; interceptam, cùm elabi non posset, ardore flammę conflagrasse. Itaque nudato loco omnia conspicua facta fuisse: & vero Chios metu liberatos cum spectatum venissent, inusitata magnitudine ossa, & immane caput offendisse, vt ex ijs qualis quantusq; viuus ille fuisset, conijci posset, Idem. Alexander cum alia pleraque animalia apud Indos inuenit, tum draconem, quem quia sacrum in antro quodam Indi existimarent, Alexandrum orarunt ne ipsum inuaderet. Septuaginta cubitos longus esse existimabatur. Cùm exercitus strepitum sensisset maximo sibilo & summo afflatu edito, omnes exterruit. Non eis totus apparuit, sed illius solum caput ex antro eminuit: eius oculi ad magni clypei Macedonici magnitudinem accessisse dicuntur, Idem. Maximus Tyrius tradit apud Indos Alexandri tempore draconem fuisse quinq; iugerum magnitudine, cui boues & oues in cibum Indi ministrarent, Pierius. Draco gignitur in Æthiopia & in India, Isidorus. Et dixerunt quidam quod ipsi multiplicantur in partibus Nubiæ, & Indi sunt maiores, & illi de Nubia qui sunt in regione Asię sunt vsque ad quatuor cubitos, & Indi sunt valde magni. Item verum est quod in regionibus alijs ab India, sunt dracones magni valde, Auicenna. In Æthiopia inter incendia iugis æstus, draconum magna est copia, Solinus. Iphicrates scribit apud Hesperios Æthiopes, magnos dracones esse, adeò vt herba eis innascatur, Strabo. Ad Gangem innumeros esse dracones, ait Philostratus libro tertio. Generat dracones & Æthiopia Indicis pares vicenûm cubitorum. Asachæi vocantur Æthiopes, apud quos maximè nascuntur, Plinius. Circa turrim Babel, & in desertis illius antiquæ Babylonis ac ruinis eius, maximi dracones habitare dicuntur: quorum vox ac rugitus homines terret, Ex libro de natura rerum. Ad Orientem & Meridiem sub æqui-

nocłiali, vt scribit Nicephorus Callistus, sunt dracones siue serpentes crassitudine trabibus non minores, longitudine ad quindecim protensi orgyias seu passus, quarum exuuiæ etiam Romam visæ sunt perferri. Mittimus historiam de illo nobili dracone quem Atilius Regulus in Aphrica ad Bagradam fluuium castris ibidem positis ac machinis admotis tandem interfecit. Cuius corium C X X. pedum longitudine fuisse traditur, Petrus Crinitus. In Lybia dracones, Lucianus. Abundant dracones in Æthiopia & Lycia (forte Lybia) Aëtius. Mauritania alit dracones, Strabo. In Atlantis specubus crassissimi plurimiq́; dracones reperiuntur, qui corpore graues difficulter mouentur, quod media sui parte sint densissimi, cauda verò & collo gracili, Leo Africanus. Dracones in Emodijs montibus capi testatur Strabo. In Phrygia dracones ad magnitudinem quadragenûm pedum procedentes nasci ferunt, Ælianus. Post Barygazam continens ad austrum pertingens Dachinabades vocatur: quæ super hanc est mediterranea regio ad Orientem montes magnos continet & omnia ferarum genera, pardalos, tigros, elephantos, dracones ingentes, &c. Arrianus in periplo rubris mari. Plinius lib. 8. cap. 13. refert dracones in India & Æthiopia generari, tamen in nostris quoque alpibus id serpentum genus quandoque habitauit. Etiamsi enim alpes perpetuis niuibus humectentur, habent tamen in multis locis saxa & specus solis splendori in meridiem obuersas: in quibus cauernis solis calori expositis pleraque draconum sunt domicilia, Stumpfius in Chronicis.

Dracones magna quædam sunt animantia: maiora non sunt super terram, Augustin. Tom. 8. in enarrat. Psalm. 148. Dracones sunt prodigiosæ magnitudinis: visi sunt 80. & 190. cubitorum, Strabo. Dracones 60. cubitorum reperiri scribit Philostratus. Octauius Augustus draconem 50. cubitorum Romæ habuit, & pro comitio Romano populo ostentare consueuit, Petrus Crinitus. Draco ad viginti quinque cubitos & amplius crescens sæpius eualescit. Ex libro de natura rerum. Minor specierum draconum secundum quod dixerunt quidam est quinque cubitorum: magni verò sunt 30. cubitorum & supra, Auicenna. Alij quidem cubitorum 5. sunt, alij verò 10. sunt & qui ad 30. cubitos se extendant: quidam & maiores narrantur, Aëtius.

Species diuersæ. *Dracones Epidaurij.* ¶ Dracones quidem cùm omnes tum in primis eorum quoddam genus fuluo colore conspicuum, Æsculapio sacri habentur, súntque illi hominibus cicures: Eos sola Epidauriorum terra alit. At serpentes qui Megalaunæ appellantur supra 30. cubitum magnitudinem excrescere, quales & India & Africa mittit, non dracones, sed ex alio quodam genere Epidaurij esse affirmant, Pausanias. Ex quibus verbis apparet à quibusdam dracones appellari non quosuis inusitatæ magnitudinis serpentes, sed tantum Epidaurios illos cicures & Æsculapio sacros: quos & intellexisse Nicander videtur cùm in Theriacis agit de dracone his verbis,

Nunc viridem & nigrum post dicta venena draconem
Aspice, quem patula fago Phœbeia proles
In gelido Peli nutriuit culmine iuxta
Læta Pelethunia quondam decliuia vallis, &c.

Dracones Pellæi. Pellæ in Macedonia erant immani magnitudine dracones placidi admodum ac mansueti, adeò vt à mulieribus alerentur, & cum pueris vna cubarent & calcantes ferrent, neque commouerentur siquis stringeret premeretq́;, denique perinde atque infantes lac è papilla sugerent, Lucianus in Pseudomante.

Palustres Montani. Est in Indorum tractu draconum vis cum multitudine tum magnitudine miranda. Eorum fermè duo genera dici comperio. Quippe palustres pigri sunt tardiq́; & sine cristis: montani acriores, grandioresq́;, sed & cristati, Cælius ex Philostrato, in vita Apollonij, cuius verba sunt: Omnis Indiæ regio draconibus abundat, & multitudine & magnitudine mirandis. Itaque paludes plenæ sunt, & montes, neque tumulus vllus ijs vacuus reperitur. Verum palustres pigri tardíque sunt, longitudine cubitorum triginta, & vix caput attollentes. Sunt verò dracænis similes (vel, nec cristam habent, sed dracænis similes, hoc enim marem à fœmina in hoc genere distinguit) & terga habentes subnigra, & cæteris minus squamosa. Quapropter sapientius de tali draconum genere loquitur Homerus, quùm plerique cæteri poëtæ, draconem describens, quem in Aulide iuxta fontem dixit habitare, sic ait draconem terga rubentem. Alij verò poëtæ de eodem draconum genere loquentes ceu de illo, quem in Nemeæ luco fuisse tradunt, cristatum esse perhibent, quod nos in nullis inesse palustribus vnquam inuenimus. Sunt etiam alij in radicibus, aut cacuminibus montium habitantes, qui quandoque in planitiem venationis causa descendunt, ea, quæ ad palustres pertinent rapientes. Nam & in maiorem porrecti sunt magnitudinem, longitudinemq́;, & velocius fluminibus, quamuis rapacibus feruntur, ita vt ab illis euadere nihil possit. His autem crista nascitur iuuenibus, mediocriter prominens, prouectis verò ætate, grandior, & ob idipsum in alteram partem deflexa. Qui verò coloris ignei sunt & quasi dorso serrato, ijs etiam barba adnascitur, & altius ceruicem attollunt, & eorum squamæ instar argenti fulgent. Oculorum autem pupillæ lapides sunt, tanquam ignis fulgentes, quorum vim maximam esse ad morbos complures tollendos aiunt: quapropter & lucrum venatoribus afferunt. Campestres dracones quoties elephantum inuadunt ab oc-

ab occurrentibus venatoribus plerunque cum elephanto simul interficiuntur. Draconem capientibus præmia sunt oculi, pellis, & dentes. Sunt autem membris ingentibus porcis similes, sed corpore graciliores, & in quamcunque partem versatiles, rostro autem validissimo tanquam ingentes pisces. Montani verò dracones squamas habent coloris fului. Longitudine autem excedunt campestres, barbáque illis est setosa, & ipsa coloris aurei: supercilia verò profundiora habent quam campestres. Oculi autem superciliis subsunt, torue grauiterque aspicientes: quibus perinde ac si essent ænei resonant, quandocunque in terra serpunt. E cristis verò, quæ rubræ sunt, ignis scintillare videtur, & isti quoque elephantos capiunt: Ipsi verò ab Indis eo modò capiuntur, quo postea dicetur (capite quinto sub litera E.) Tales autem dracones montem qui ad rubrum mare pertinet, dicuntur incolere, eorumque horrendos sibilos audiri: quandoque etiam mare ingressi longius natando prouehuntur. Hæc omnia Philostratus de vita Apollonij libro tertio, capite secundo. ¶ Variæ sunt species draconum inter eos quos terrestres appellamus, præter eum qui à mari marinus appellatus est. Quidam enim in montibus, quidam verò in paludibus degunt, & quandam intra se iuxta Philostratum dissimilitudinem habent. Differunt præterea regionum, in quibus & geniti & educati fuerunt, varietate. Siquidem fidem adhibere possumus his quæ de draconibus Lybicis & Indicis memoriæ prodita sunt, quæ fabulosa potius mihi quàm verisimilia videntur, Greuinus. ¶ Verorum draconum duæ sunt species. Quidam enim alati sunt, quidam verò sine alis. In cæteris enim prorsus similes sunt, Idem. In abyssis terræ (sicut dicit Augustinus) aliquando draco moratur, & cùm in aëre sentit humiditatem egreditur, & super aëra fertur magnis alarum remigijs aërem concitans & impellens: alis quidem pellicea volubilitate extantibus, & secundum sui corporis magnitudinem latè diffusis. Ex lib. de natura rerum. *Alati & sine alis.*

Vos quoque qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis aurato nitidi fulgore dracones,
Pestiferos ardens facit Africa. ducitis altum
Aëra cum pennis, &c. Lucanus.

Afferunt Georgiani regni incolæ his in vallibus dracones gigni alatos qui anserinis pedibus gradatim humi serpant, Paulus Iouius historiarum sui temporis libro 18. Quædam genera draconum alas habent, Scaliger.

¶ Est & alia differentia: Quoddam enim genus eorum pectore super terram repit, aliud verò pedes habet, sed hoc rarius inuenitur, Vincentius Belluacensis. Dracones sine pedibus & in speluncis requiescere, & in aërem sustolli perhibentur: qui quanquam non facilè noti sint, literæ tamen non tantùm nostræ, sed & gentilium nequaquam de istorum animalium genere tacuerunt, Augustinus. Genera omnia draconum pedes habent, Iul. Scaliger. Draconibus crura esse notum est, Idem. Afferunt Georgiani regni incolæ (vt iam dictum est) in his vallibus dracones esse alatos qui anserinis pedibus gradatim humi serpant: vt testatur Paulus Iouius. *Alij pedes habent, alij carent.*
¶ Differunt & colore. Alij enim nigri sunt, alij ruffi, alij cinerei coloris, Aëtius. Nicander ait draconem nigrum esse & ventre subuiridi. Pausanias Epidaurios dracones colore fuluo esse scribit. Aurato nitidi fulgore dracones, Lucanus. Lucanum imitatus est in describendo dracone Georgius Pictorius in Lerna κακῶν, his verbis: *Coloris diuersitas.*

Serpunt aurato nitidi fulgore dracones
Africa quos ardens parturit exitio.

Draconem sic describit Nicander in Theriacis: *Forma.*

Formosa apparet species, pulchro illius ore
Triplici conspicui se produnt ordine dentes,
Magna sub egregia scintillant lumina fronte,
Tinctaque felle tegunt imum palearia mentum.

Quem secuti Gyllius, Pierius & Greuinus, verum draconem dicunt esse nigro colore, ventre subuiridi, eximia formæ pulchritudine, triplici dentium in qualibet maxilla ordine, oculis magnis & tam acutè cernentibus, vt Poëtæ eos custodes Thesaurorum constituerint: cui sub mento duo palearia sunt barbæ instar propendentia, felle tincta, hoc est, ruffa, bilis enim rubra est seu flaua. Hæc illi. ¶ Dracones squamis obsiti sunt per totum corpus asperrimis, magnos oculos habent, & supra oculos præeminentias quasdam similitudine pellium flexibilium superciliorum. In mento autem excrescentiam quandam habent, quam barbam appellant: maximè hiante sunt oris rictu, lingua exerta, & dentibus magnis similitudine syluestrium suum, cum quibus etiam fracturas & collisiones corporum inferunt, Aëtius. ¶ Draconi sunt duo oculi magni, & sub mandibula inferiore est eminentia sicut mentum: quare sunt ei dentes plurimi. Et paulò post, Habent (scilicet dracones de quibus agit) facies citrinas, & nigras, & sunt eis ora vehementis amplitudinis, & supercilia cooperiunt oculos eorum, & super col-

la eorum sunt squamæ. Et in omni mandibula sunt tres dentes (siue tres dentium ordines.) Et ego dico quòd iam vidi quendam huius generis, super collum cuius in latitudine descendente erant pili grossi, Auicenna. ¶ Veris draconibus ora parua, & ad morsus non dehiscentia: sed arctæ fistulæ, per quas trahunt spiritus, & linguas exerunt: quippe non in dentibus vim, sed in caudis habent, & verbere potius quam rictu nocent, Solinus. *Os.* Dracones os habent paruum, nec dum morsum inferunt, multum dilatantur, & paruum veluti canalem, per quem aërem attrahunt, linguámque mouent, repræsentat, Greuinus. Draco est ore paruo, & arctis fistulis, per quas spiritum trahit & linguam exerit, Isidorus. Contra verò Aëtius hiante esse oris rictu, & Auicenna, ora eis esse vehementis amplitudinis dixerunt, vt iam vidimus. Dicendum est igitur, quosdam dracones, veluti Epidaurios illos de quibus Pausanias & Nicander, os ita paruum habere. Alios verò velut Indicos & Æthiopicos & Phrygios illos, qui, vt postea dicemus, attractas volucres integras, atque alia animantia deglutiebant, & reliquos similes, ore ita amplo esse, vt Aëtius & Auicenna scribunt.

Lingua. *Dentes.* ¶ Draco bestia, bisulcam habet linguam, Suidas. ¶ Draco ordines tres dentium habet, vt omnes ferè authores testantur. Species draconum, quæ ab Auicenna Abedesimon persin vocatur, dentes habet valdè magnos, Auicenna. Sedecim draconis esse dentes asseuerant qui naturæ arcana inuestigarunt, Claud. Minos in Alciatum. *Crista & Barba.* ¶ Palustribus draconibus crista non est. Montanis verò iuuenibus quædam adnascitur crista mediocriter prominens: prouectis verò ætate grandior, Philostratus. Sexus masculus etiam inter bruta videtur à natura præferri. Siquidem draco mas insignis est crista, & barba hirsutus, Ælianus. Draco cristatus est, Isidorus. In hoc genere cristati sunt mares, Volaterranus. Contra verò Plinius: Id modò (inquit) mirum, vnde cristatos Iuba crediderit. Et alibi: Draconum cristas qui viderit, non reperitur. ¶ Cynoprosopi (vel Cynocephali) homines barbam infra supráque os gerunt, Draconum quadam similitudine, Ælianus. Draconibus montanis barba est aurei coloris, Philostratus.

C.

Auditus. *Visus.* Draco bestia est & ad audiendum acerrima & ad videndum acutissima, Ælianus. Acutissimum esse draconi visum, ex eo potissimum apparet quod ab intuendo illi nomen est, Pierius. Acutissimo visu est draco & quandam excubandi vigilandíque vim habet nec facilè venatione capi posse videtur, Claud. Minos in Alciatum: propterea Poeëtæ dracones thesaurorum custodes constituerunt, Macrobius. *Sibilus.* ¶ Δράκον συρίττει ὀξυδερκὴς θήειος, Philes. *Cibus.* ¶ Dracones poma comedunt, Aristoteles, Ælianus. Herbis & venenis vescuntur, Idem. Sine cibo tempore multo viuit: at vbi comederit, non de facili satiatur, Ex libro de natura rerum. Serpentes ouis pinguescunt, spectanda quidem draconum arte. Aut enim solida hauriunt, si iam fauces capiunt, quæ deinde in semet conuoluti frangunt intus, atque ita putamina excutiunt, aut si tenerior est & catuli adhuc ætas; orbe apprehensa spiræ, ita sensim vehementérque perstringunt, vt amputata parte ceu ferro, reliquum quæ complexu tenetur, sorbeant. Simili modo auibus deuoratis solidis, contentione plumas & ossa reuomunt, Plinius.

Dracones Phrygiæ haustu aëris aues è sublimi detrahunt. In Phrygia dracones ad magnitudinem decem passuum procedentes, media æstate quotidie, qua hora iam forum hominum conuentu plenum est, & iam prandij tempus, ex cauernis procedere solent, & ad nuncupatum in Ponto amnem Rhyndacum cauda ad terram adniti, reliquo erecto corpore, toto gutture eminente, & paulatim laxato ore hiante, volucres superuolantes, tametsi sublime & perniciter ferantur, sua aspiratione tanquam amatorio quodam ad se attrahere ac allicere: eas autem ex horum spiritus ductibus detractas in illorum ventrem decidere atque illabi: & hæc quidem sibi maximè propria ad occidentem vsque Solem agere: ac postea seipsos occultantes, gregibus ex pastione ad stabula redeuntibus insidiari, multámque perniciem inferre, ipsis etiam pastoribus sæpè occisis, atque inde prandium sibi abunde comparare, Ælianus. *Natatio.* Narratur in maritimis Æthiopum dracones quaternos quinósque inter se cratium nodo implexos, erectis capitibus velificantes ad meliora pabula Arabiæ vehi fluctibus. *Volatus.* ¶ Dracones feruntur in aëra: concitatur propter eos aër. Augustinus in Psalm. 148. Isidorus. Draco cùm in aëre senserit humiditatem egreditur, & super aëra fertur magnis alarum remigijs aërem concitans. Vbicunque moratur aërem inficit, Author libri de natura rerum. Draco quandoque super aërem fertur ipsum concitando ac vehementer impellendo, Physiologus.

Latibula & vbi versentur. Dracones circa aquam versantur, de speluncis procedunt, Augustinus. Draconis mansio frequenter est in speluncis, propter æstum naturalem sui corporis, & propter accidentalem solis qui maximus est in partibus Orientis. Rarò enim inuenitur hoc animal, nisi in calidioribus partibus orbis. Itaque libenter etiam in rupe lapidea speluncam sortitur, Author libri de natura rerum. Νειά, draconis lustrum dicitur in Lexico: fortè χειά legendum est.

Ortus draconũ fabulosus. ¶ Africani Græcis vaniores, aiunt ex Aquila concipere lupam: neque parere, sed rumpi. Exire draconem, rostro & alis patri similem; pedibus & cauda, matri; corio serpentis, maculis versico-

versicolore. Oculorum genas attollere nunquam: in specubus habitare. Equidem animal quodpiam illis in locis esse tale, quominus credam, detrahit fidem vanitas generationis, Iulius Scaliger, Greuinus.

Sanitatis conseruatio.

¶ Draco cùm per vsum pomorum nausea infestatur, succum syluestris lactucæ exorbet, quod ita facere visus sæpius est, Aristoteles. Draco vernam nauseam syluestris lactucæ succo restinguit, Plinius. Cùm poma dracones comesuri sunt syluestris lactucæ succum idcirco exsorbent, quòd hæc illis ne inflatione impleant, magnum adiumentum adfert, Ælianus.

Vitæ longitudo

¶ Draco visum debilitatum fœniculo recreat, Plutarchus. ¶ Dracones Æthiopici ad summam senectutem perueniunt, Ælianus. Ad senium & debitam magnitudinem veniens sine cibo tempore multo viuit, Ex libro de natura rerum. ¶ Aiunt draconem captum, si caput eius verberetur, mori, Suidas.

D.

De Draconibus amantibus & beneficiorum memoribus ac vicem reddentibus.

De dracone Thessalo qui Aleuam pastorem amauit.

Hegemon in Dardanicis cùm alia de Aleua Thessalo conscribit, tum in eius amorem inusitata magnitudine draconem venisse. Erat Aleuæ coma, vt fingit Hegemon, aurea, quam ego flauam dixerim. Et in Ossa, inquit ille, ad Thessalium fontem nomine Hæmonium boues pascebat, vt in Ida olim Anchises. Ad hunc adamatum draco sensim adrepere solebat, eiusque comam deosculari, & lingua faciem lambendo detergere, & varia de venatu suo munera adferre, Ælianus.

De alio [illegible]

Draco Ætholidis amator, sicut Plutarchus scribit, ad eam noctu ventitabat, neque tamen ad puellæ corpus accedens, quicquam nocebat: sed prima luce sensim atque moderatè discedebat: quod ipsum cùm diu multumque fecisset, eam genere proximi longè summouerunt: quàm cùm draco non inuenisset, huc & illuc errare ad huius inquisitionem cœpit: tandem eam nactus, non leuiter, vt ante solebat, sed asperè cùm spiris illius manus alligabat, tum extrema cauda sic tibias multa verberatione vexabat, vt leuem quandam & plenam amoris iram exercere videretur, Gyllius.

De altero puellæ apud Idumæos amatore

¶ Apud Idumæos, seu Iudæos, cùm Herodes rerum potiretur, eximia magnitudine draconi perpulchrum admodum adolescentem fœminam in amore fuisse indigenæ prædicant, ad quam ille quidem ventitaret, & simul cum ea amanter dormiret. Hæc verò etiamsi amator quoad poterat leniter & mansuetè ad ipsam adreperet, eius tamen metu perterrita, & sese subduxit, & vt ex amicæ absentia eum amoris obliuio caperet, menstruum spatium abfuit: at ei sanè absentis desiderium augebatur, indiesque amatorius affectus eatenus ingrauescebat, vt noctes & dies ad eum locum, vbi cum adolescentula versari solitus erat, frequens accederet. Cùm verò eam quam amabat non inueniret, tanquam amator, cui amor optatis non respondet, acerrimo dolore afflictabatur. Posteà autem quàm puella reuertisset, ad eam confestim accessit: atque is valde amatoriè, plenus suspicionum, tanquam spretus, ob eamque rem amantissima ira incitatus, reliquum per adolescentis corpus circumplicans eius crura parcè & molliter verberabat, Ælianus.

De puero à dracone amato & seruato.

¶ Cùm paruulus draco, Arcadiæ indigena, simul cum puero infante, natione etiam Arcade, educaretur & puer ætatis progressu iam adolescens esset, & draco etiam permagnus euasisset, & mutuo inter se amore flagrarent, adolescentis necessarij cùm ferã vidissent tam breui tempore vt magnitudine prægrandẽ sic aspectu immanem euasisse, illum vnà cum puero in eodem lecto dormientem, in locum quàm longissimum exportant. Puer autem reuertit: ille syluam ibi nactus, in ea remansit, nascentibus ibi herbis & venenis vescens, & solitariã vitam domicilijs & habitationibus hominum præferens. Temporis interuallo hic ad integram ætatem & perfectam processit, ille draconis amans & amatus etiam ad confirmatam progressus, cùm per desertã sui amantis regionem aliquando iter faceret, in latrones incurrens, strictis gladijs appetitus fuit, & percussus quidem, siue quòd doleret, siue quia opem imploraret, auxilium, vt par erat, exclamauit. Draco autem bestia, & ad audiendum acerrima, & ad videndum acutissima, postquam puerum, quo cum amoris consuetudinem habuerat, exaudiuit, edito sibilo, tanquam iræ suæ denunciatione formidinum terrorẽ illis iniecit: cuius metu trepidantes scelerati, alij alio disperguntur: quosdam deprehensos acerbissima morte affecit, atque cum eum comitatus esset ac extra periculum deduxisset, postea ad eum locum reuertit, quo expositus fuerat: neque enim ei ex eo iratior factus est, quod in solitudines abiectus fuisset, neque vt peruersi homines antiquum amicũ in periculo deseruit. Idem lib. 6. histor. animal. cap. 63.

Altera similis historia.

Eadem vel similis historia narratur ab eodem Æliano de varia historia lib. 13. his verbis: Ciuitas est in Achaia nomine Patræ. In ea puer draconem paruulum emebat, magnáque eum cura educabat: cúmque creuisset, loquebatur quasi cum intelligente ludens, ac dormiens cum ipso. Cùm verò ad ingentem magnitudinem

draco peruenisset, in solitudinem à ciuibus est dimissus. Post, cùm puer adolescens factus, reuersus a spectaculo quodam cum aliquibus æqualibus in latrones incidisset, & clamorem extulisset, ecce draco præsto est, & alios in fugam vertit, alios interimit, ipsum verò saluum conseruat, Hactenus Ælianus. Democritus Thoantem in (Arcadia) Achaia seruatum à dracone narrat. Eum nutrierat puer dilectum admodum: pauensque serpentis naturam, & magnitudinem metuens, in solitudines tulerat, in quibus circumuento latronum insidijs, agnitóque voce, subuenit, Plinius. Dicta sunt, quæ Arcadia narrat, de domino à dracone seruato, & agnito voce hominis, Idem.

De Pindo à dracone amato.

¶ Lycaoni Emathiæ regi, nomine Macedo, filius fuit, ex quo postea, antiquo nomine obsoleto, nominata regio est: ex hoc quoque Pindus, id enim ei nomen erat, filius procreatus, cum robore animi atque virtutis indole præditus fuit, tum forma etiam excellens: ex illo etiam alij liberi nati improbo animo affecti, & corpore minus strenui. Cum Pindo & virtutem & cæteras illius dotes inuiderent, non modo eum oppresserunt, verumetiam pœnas tanti maleficij pendentes, seipsos funditus perdiderunt. Pindus sentiens se fratrum inuidia ardere, atque ab ijs insidias sibi comparari: regno, quod à patre acceperat, relicto, cum robustus esset, & ad venandi studium propensus, non solum quidem vertit, sed certè illic ibidem æuum in venando agitans, cum semel hinnulos insequeretur, & summa virium contentione equum incitasset, ab eis qui secum venabantur, se longissimè abduxit: hinnuli verò altissimam cauernam subeuntes, ex insectantis conspectu se eripuerunt, atque ex periculo se seruarunt: is ex equo desiliens, cum hunc ad proximam arborem alligasset, cúmque vt diligentissimè potuit, latebram illam manibus perscrutans, hinnulos exquireret, sibi denunciantem vocem exaudiuit, ne hinnulos tangeret: quare vbi diu multúmque circumspexisset, nec quicquam videret, vocem vt ex maiore quadam causa redditam extimuit, & simul in equum ascendens, ex eo loco discessit. Postero autem die ad eundem locum reuertit: non eò tamen, quo illi se abdidissent, ingreditur, vocis memoria, quam auribus acceperat, deterritus. Cum igitur dubitaret quisnam pridie se ab insectanda præda auertisset, ac, vt par erat, circumspectaret montanos pastores, aut venatores: interea ei inusitata magnitudine draco apparet, ex magna parte corporis adrepens, collúmque & caput paululum attollens, & ad se velut intendens. Collum autem cum capite erat ea proceritate, vt vel cum procerissimo homine exæquari potuisset. Verum vt eius conspectus Pindum exterruerit, certè non in fugam impulit: at enim is sese ex maximo terrore colligens, sapienter bestiam mitigauit: nam ex auibus quas immolaret, ei cibum edendum obijcit, & tanquam hospitalem mensam & redemptionis suæ præmium apposuit. Is sanè velut donis delinitus, & captionibus, vt ita dicam, præstrictus, ex eo loco excessit: quod quidem ipsum ita iucundum Pindo fuit, vt ea quæ vel ex venationibus montanis, vel ex aucupio capere posset, vt draconi non ingratus adeptæ salutis mercedem afferret. Neque tamen sine fructu has ei donationes ex præda constituit, nam fortuna ei prospere ire cœpit, omnium enim quæ venaretur, secunda venatione fungebatur, siue terrena, siue volucria persequeretur: quare gloria magna apud omnes erat, quod contra feras congrederetur, & eas expedite caperet: iam verò ea erat proceritate, vt corporis mole perterrefaceret: tum verò firma corporis constitutione, tum pulcherrimo oris habitu, fœminas ad se amandum vt vehementer inflammaret; & sanè cœlibes omnes quasi furentes atque bacchantes ad eius venationes proficiscerentur, & nuptijs alligatæ à maritorum custodijs asseruatæ, mallent cum illo concumbere, quàm in numerum dearum referri: plerique hominum eum, quod ipsius virtus & forma suam omnium admirationem excitaret, diligebant: soli fratres infenso atque inimico animo in illum erant. Quamobrem eum ipsum aliquando solum venantem ex insidijs aggrediuntur, atque in propinqui fluminis angustias compulsum, auxilióque destitutum, strictis gladijs appetunt, atque adeò trucidant: hunc exclamantem cum draco ipsius amicus exaudisset, (etenim est animal sensu audiendi cum acerrimo, tum videndi acutissimo) suo ex cubili prodijt, & simul impios circumplicans, suffocauit, & cæsum summa diligentia tam diu custodire non destitit, dum cognatione defuncto proximi desiderio permoti ad illum humi iacentem venissent. Hi propius facti etsi iusto in luctu & squalore essent, sepultura tamen & iustis exequiarum interfectum custodis metu afficere prohibebantur: veruntamen hic recondita quadam ac mirabili natura, intelligens se illos arcere de præsidio stationeque cadaueris discessit, quò commodius nulla interpellatione supremam gratiam à propinquis assequeretur: magnificè igitur & splendidè honore sepulturæ ornatus fuit, atque etiam fluuius factæ occisioni proximus, ex mortuo nomen traxit. Bestiarum igitur vis est, eis à quibus beneficium acceperint gratiam referre, Ælianus.

De pugna draconis aduersus aquilam.

Dissidet aquila cum dracone: vescitur enim aquila anguibus, Aristoteles. Draco & aquila inter se dimicant Plutarchus. Vultures, & aquilæ, & cygni, & dracones hostes inter se sunt, Ælianus & Philes. Aquilæ alarum crepitum vbi primum draco (intrepidissima alioqui serpentium) auribus perceperit, in latebras statim abditur, Ælianus. Nec vnus hostis aquilæ satis est: acrior

acrior est cum dracone pugna, multoq; magis anceps etiam si in aëre. Oua hic consectatur aquilæ auiditate malefica: at illa ob hoc rapit vbicunque visum. Ille multiplici nexu alas ligat, ita se implicans, vt simul decidat, Plinius. Hanc pugnam egregiè describit Nicander in Theriacis, his versibus prout Latinè conuersi sunt.

Hunc petit inuisum magni Iouis armiger hostem,
Cumq; genis parat acre suis ex æthere bellum:
Pascentem in syluis quam primum viderit illum,
Quòd totos ferus is nidos cum mitibus ouis,
Et simul ipsa terens, & vastans pignora perdat.
Non timet hoc serpens, imò quodam impete dumis
Prosiliens, ipsamq; aquilam, leporemq; tenellum
Extrahit ex rapidis vi fraudeq; fortior vncis.
Cauta malum declinat auis, fit ibi aspera pugna,
Vt queat extortam victor sibi tollere prædam.
Sed frustra elapsam & volitantem hinc inde volucrem
Insequitur, longos sinuum contractus in orbes,
Obliquoq; leuans sursum sua lumina visu. Hæc Nicander.

Draco enim auium omnium nidos inuadit, & si aquila recens agnum aut leporem rapuerit, abripit illi è fruteto aliquo prosiliens, Gesnerus ex Nicandro. Draco ex fruticibus prodiens facilè aut ouem aut leporem eximit ex vngulis aquilæ. Nam interea dum ipse cum aquila pugnat, lepus sese in fugam dat, veruntamen frustra draco obtutum oculorum in aquilam retorquens, eam persequitur, quod in sublime elatam attingere non possit, Gyllius. Aquila etiam cum tyro & dracone pugnat pro animalibus quæ aliquando venantur, dum alter alteri prędam auferre conatur, Albertus.

Vtq; volans altè raptum cum fulua draconem
Fert aquila, implicuitq; pedes, atque vnguibus hæsit:
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisq; horret squamis, & sibilat ore,
Arduus insurgens: illa haud minus vrget adunco
Luctantem rostro: simul æthera verberat alis. Vergil. Æneid. 11.
Vtq; Iouis præpes vacuo cùm vidit in aruo
Præbentem Phœbo liuentia terga draconem
Occupat aduersum: neu sæua retorqueat ora,
Squamigeris auidos figit ceruicibus vngues. Ouid. 4. Metam.

De eodem pugna, & quomodo altera alterum lædat aut capiat, scribit Homerus Iliade μ. ad hunc modum.

Ορνις γὰρ σφιν ἐπῆλθε περησέμεναι μεμαῶσιν scilicet Troianis.
Αἰετὸς ὑψιπέτης ἐπ' ἀριστερὰ λαὸν ἐέργων,
Φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον,
Ζωὸν ἔτ' ἀσπαίροντα. καὶ οὔπω λήθετο χάρμης.
Κόψε γὰρ αὐτὸν ἔχοντα κατὰ στῆθος παρὰ δειρὴν,
Ἰδνωθεὶς ὀπίσω. ὁ δ' ἀπὸ ἕθεν ἧκε χαμᾶζε,
Ἀλγήσας ὀδύνῃσι. μέσσῳ δ' ἐνὶ κάββαλ' ὁμίλῳ.

Et paulò post eodem in loco.

——ἄφαρ δ' ἀφέηκε πάρος φίλα οἰκί' ἱκέσθαι
Οὐδ' ἐτέλεσσε φέρων δόμεναι τεκέεσσι ἑοῖσι.

¶ Æthiopia dracones magnos generat qui nomen proprium non habent, sed duntaxat elephantorũ interfectores ipsos nominant, Ælian. Apud Indos sicut audio, graueis inter se gerunt inimicitias draco & elephantus. Quare dracones haud inscij imperitiq; ex arboribus elephantos ramos decerpere in pastus suos solere, in has ipsas arbores prius serpunt: postea eã sui corporis partem dimidiam quæ ad caudam pertinet, arborum frondibus circumtegunt: alterã partem anteriorẽ funiculi instar appensam dimittunt. Eò cum accessit elephantus ad arboris surculos carpendos, draco in huius ipsius oculos insiliens effodit, deinde anteriore parte collũ eius astringens, posteriore flagellans, inusitato & nouo quodã laqueo strangulat, Hęc Ælian. Elephantos maximos fert India, bellantesq; cum ijs perpetua discordia dracones tantę magnitudinis, vt & ipsos circunflexu facili ambiant, nexuq; nodi perstringant. Commoritur ea dimicatio: victusque corruens, complexum elidit pondere. Mira animalium pro se cuiq; solertia est, vt ijs vna scandendi in tantam altitudinem difficultas. Draco itaque iter ad pabula speculatus, ab excelsa se arbore inijcit. Scit ille imparem sibi luctatum contra nexus: itaque arborum aut rupium attritum quærit. Cauent hoc dracones, ob idq; gressus primum colligant cauda. Resoluunt il-

Aduersus elephantum.

li nodos manu. At hi in ipsa nare caput condunt, pariterq; spiritum præcludunt, & mollissimas lancinant partes. Iidem obuij deprehensi, in aduersos erigunt se, oculósque maximè petunt. Ita fit vt plerunque cæci ac fame & mœroris tabe confecti reperiantur. Quam quis aliam tantæ discordiæ causam attulerit, nisi naturæ spectaculum, sibi paria componentis? Est & alia dimicationis huius fama. Elephantis frigidissimum esse sanguinem: ob id æstu torrente præcipuè à draconibus expeti. Quamobrem in amnes mersos insidiari bibentibus: arctatisq; illigata manu in aurem morsum defigere: quoniam is tantum locus defendi non possit manu. Dracones esse tantos, vt totum sanguinem capiant. Itaque elephantos ab ijs ebibi, siccatósque concidere: & dracones inebriatos opprimi, commorique, Plinius. Inter elephantos & dracones iugis discordia: denique insidiæ hoc astu præparantur. Serpentes propter semitas delitescunt, per quas elephanti assuetis callibus euagantur, atque ita prætermissis prioribus postremos adoriuntur, ne qui antecesserint, valeant vltimis opitulari. Ac primum pedes nodis illigant, vt illaqueatis cruribus impediant gradiendi facultatem, Solinus, & reliqua vt Plinius. Draco elephantem ligat, cuius ruina mors victoris est: & inde summè in vtrunque certatur. Ille vt pedes alliget, in quo casus victi sibi nocere non possit, Ambrosius. Draco aduersus elephantem non vulgari pugna certat, os oculósque eius petens, ac iugulum amplexus exhaurit, donec humi concidens elephas simul & draconem pondere perimit, Volaterranus. ¶ Gryphes aiunt elephantos quoque ac dracones superare, Philostratus. ¶ Captilus, id est, auis quam venatur draco cum debilitatur in venando hædos & arietes: & comedit epar earum (auium) & redit virtus eius, & excitatur appetitus eius, Syluaticus. ¶ Ὁ μὲν δράκων μεγέθει μέγιστος ὢν τῷ οὐραίῳ τὸν λέοντα κατῃκίζετο. ὁ δὲ λέων ἤλγει μὲν: καὶ τῇ ἀλκαίᾳ πρὸς ἄμυναν διηγείρετο, Id est, Draco quidem cum maximus esset, extremo caudæ leonem verberabat: Leo verò dolens, cauda ad vltionem concitabatur. Λογοθέτης in vita S. Marcelli apud Suidam. ¶ Panthera dicitur infesta esse draconi, & draconem ab ipsa fugere in latibula antrorum, Albertus. Panther dictus est, siue quod omnium animalium sit amicus, excepto dracone, &c. Isidorus. ¶ Aristoteles videtur dicere vulturem cum dracone pugnare, quod non est verum, Albertus. Nusquam hoc scribit Aristoteles, sed Auicenna aut eius interpres, vulturem cum aquila sæpe confundit. ¶ Armentaq; tota secuti, Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros. Nec tutus spatio est elephas, Lucanus agens de draconibus.

Antipathia draconis ad alia animantia.

E.

Venatio draconum.

Campestres dracones quoties elephantum inuadunt, ab occurrentibus venatoribus plerunque cum elephanto interficiuntur, Philostratus. Dracones montani ab Indis hoc modo capiuntur. Pallium coccineum literis aureis superintextum ante cubicula (πρὸ τῆς χειᾶς, ante cauernas siue antra draconum) extendunt: scripta autem incantatoria verba somnum dicuntur inducere: his draconum oculi, quanquam durissimi superantur: ipsi quoque plurima verba ex arcana sapientia superincantantes, eo draconem perducunt, vt literis pallio intextis superdormiat. Dormienti autem instantes Indi ceruicem securi feriunt, scissoq; capite lapillos intus extantes auferunt. Traditur enim montanorum draconum capitibus inesse lapillos specie & aspectu iucundos, & splendorem quendam coloribus inducentes: viribus autem, potentiáque mirabiles, quod annulus testatur, quem habuisse Gygen vulgatum est. Euenit autem interdum, vt draco Indum cum securi & arte intra cubile trahens deuoret, ipsum etiam, vt penè dixerim, montem concutiens, Idem. Philostratus tertio libro ait, ad Gangem innumeros esse dracones, quos oculorum gratia venentur Indi. Eorum enim oculos, lapillos esse ignei coloris, pretiosos, Iul. Scaliger. ¶ Mortuo draconi secundum Varronem tria extrahuntur, oculi, pellis, & dentes. Oculi lapides pretiosi sunt igneo colore, dentes ferè similes apri, prætorquam quòd graciliores, Volaterranus. ¶ Octauius Augustus draconem quinquaginta cubitorum Romæ habuit, cumq; pro comitio populo Romano ostentare consueuit, Pet. Crinitus.

Vsus.

Spectaculum.

F.

sus in cibo.

Draconis caro vitrei coloris est, ac vescentes illa refrigerat. Hinc est quòd Æthiopes in feruida plaga manentes draconis carne libenter vescuntur. Adeò quoque auaritiæ sitis in immensum creuit, vt institores quibusdam carminibus draconem ad tempus mansuetum reddant: eiusq; tergo insidentes freno ipsum regant, vsquedum in Æthiopiam perueniat, Author libri de natura rerum.

G. 1.

De Remedijs quæ ex dracone percipi posse dicuntur.

Vlceribus quæ serpunt, draconum adeps siccatus sole magnopere prodest, Plinius. Dentium doloribus medetur draconis os è spina, Idem. Qui draconis caput habeat, continuis annis lippiturus negatur. Huius adipe & melle cum oleo vetere, incipientes caligines discuti tradunt, Idem. Caput eius limini ianuarum subditum, propitiatis adoratione Dijs, fortunatam domum facere promittunt. Oculis eius inueteratis, & cum melle tritis, inunctos non pauescere ad nocturnas imagines, etiam pauidos. Cordis pingue in pelle dorcadum neruis ceruinis adalliga-

alligatum in lacerto, conferre iudiciorum victoriæ. Primum spondylum aditus potestatum mulcere. Dentes eius illigatos pedibus caprearum ceruinis neruis, mites præstare dominos, potestatesque exorabiles. Sed super omnia est compositio qua inuictos faciunt magorum mendacia: cauda draconis & capite, pilis leonis è fronte & medulla eiusdem, equi victoris spuma, canis vnguibus adalligatis ceruino corio, neruisq; cerui alternatis & dorcadis: quæ arguisse non minus refert, quam contra serpentes remedia demonstrasse, quoniam hæc morborum veneficia sunt, Idem. Draconis capita prosperam & fortunatam promittunt facere, Physiologus. Draconum adipem venenata fugiunt, Plinius. Magi tradunt eos qui à nocturnis dijs Faunisq; agitentur, draconis lingua & oculis, & felle, intestinisq; in vino & oleo decoctis, ac sub diuo noctu refrigeratis perunctos matutinis vespertinisq; liberari, Idem. Lingua eius & fel in vino decocta, remedio sunt his qui vexantur ab incubis, eorum corporibus ex hoc inunctis, ex libro de natura rerum.

¶ Sanguinis draconis, à medicis sic appellati, frequens est in medicinis vsus, vt ex medicorum libris apparet. At quid illud sit quod hoc nomine appellatur, non apud omnes constat. Cinnabaris etiam à veteribus vocatur. Cinnabarim autem nomen Indicum esse, ait Plinius; sic enim (inquit) appellant illi sanguinem draconis elisi Elephantorum morientium pondere, permixto vtriusque animalis sanguine. Neque alius est color, qui in picturis propriè sanguinem reddat. Illa cinnabaris antidotis medicamentisq; vtilissima est. At Medici quia minium etiam cinnabarin vocant, pro ea cinnabari Indica vtuntur hoc minio, quod venenum esse paulo mox docebimus, Hæc Plinius. Vnde apparet Plinium credidisse draconis sanguinem vulgo dictum verè fieri ex elephanti & draconis conflictu, in quo plurimum deceptus est. Serapioni sanguis draconis succus est herbæ quam sideritidis speciem quintam facit Dioscorides. Sanguis draconis in India ex herba dracontia colligitur, Aëtius. Alij sentiunt gummi esse & lachrymam ex arbore distillantem quæ in Africa colligitur. At quoniam in libro de quadrupedibus viuiparis in historia Elephanti sub litera D. de hoc sanguine draconis pluribus dictum est, ac variæ authorum sententiæ allatæ, vt nunc amplius his insistamus, ac quæ antea dicta sunt repetamus, opus esse non videtur: Tantum transcribam quæ habet I. Langius in libro primo epistolarum, epistola sexagesima quinta. Quoniam ad rem illustrandam non parum facere videntur. Is igitur eo loco narrat, Geraldum ex sua peregrinatione quam in Orientem instituerat Venetias reuersum, sibi gummata purpurei coloris, nucis auellanæ magnitudine ostendisse, cum his verbis: En amici, hoc gummi, verus est propè Erythræum mare, ex regione Thurifera & Athlantici maris Sanctæ portus insula, sanguis draconis; cuius vsus in antidotis & collyrijs salutaris, & inspersus vulneribus hæmorrhogiam sistit: Cinnabaris quoque dictus Indica: sed non illa mineralis, minium dicta, quæ nascitur in argentarijs metallis, vena siue gleba arena coccinei coloris circumsepta, ac ob carbunculi fulgorem ἄνθραξ dicta, quæ ferreis malleis aut cuneis fissa, & elisa, argenti viui lachrymas distillat. Ex hac, præcipuè in Cilbianis agris, supraq; Ephesum reperta, vstionis & lotionis artificio, hydrargyrum & purpurei coloris minium conficiebatur, quod in picturis propriè sanguinis colorem reddebat. Hoc minium teste Theophrasto Græci milton, quidam Cinnabarin vocant. Artificialis quoq; Cinnabaris arte Chymeutica, vna sulphuris parte, cum duabus argenti viui adusta, Venetijs præparatur. Tradit quoque Plinius, sanguinem siue saniem draconis pondere Elephantorum cum quibus luctantur succumbentium elisi & oppressi, Indicam appellari Cinnabarim quoque: pro qua nominis homonymia decepti medici, minio, quod ob argenti viui virus venenum esse constat, temerè vtebantur: quod idem Plinius medicis exprobrat. Atqui cùm sanguis draconis sit salutaris Indorum Cinnabaris, nullum prædictarum esse arbitror, sed instar sanguinis rubentem arborum Indiæ & insularum Athlantici æquoris lachrymam, quam nec Dioscoridem, Theophrastum aut ipsum Plinium exactè cognouisse certum est: cùm nullus eorum Cinnabarim Indicam esse arboris lachrymam vel gummi tradiderit. Sed Arrianus de maris rubri nauigatione inquit: In sinu Erythræi maris est regio Thurifera, Sachabitis nominata: Nascitur in ea Cinnabaris Indica, ab arboribus vt lachryma stillans congregata. Quod & Aloysius Lusitanorum nauclerus verum esse comperit, qui tradit, incolas insulæ Sanctæ portus, stato anni tempore, cortices arborum ferro incidere, de quibus anno futuro gummi vbertim destillat, quod in ahenis ad sanguinis concreti colorem & spissitudinem decoctum, sanguinem draconis ob similitudinem appellant. At vereor plurimum ne noster sanguis draconis, qui in officinis pharmacopolarum venalis est, sit sanguis caprinus, cum minio vel sorbis contritis decoctione inspissatus, quibus & olim adulterabatur, quem pictoribus magis quam medicis vsui esse suaderem, Hæc Langius. Sanguis draconis Serapioni hæmalocoen dicitur. De melandrum, & De ma lachoem, sanguis draconis, Syluaticus. Duaden secundum aliquos expositores Arabes est sanguis draconis, And. Belluacensis. Selon & Dem ala cuben, id est sanguis draconis, Aut. exp. Lapis sanguinis est sanguis draconis, & secundum aliquos est hæmatites, And. Belluacensis.

De sanguine draconis.

De veneno & morsu draconis, eiusq́ curatione,

Natura draconum ferè omnium à celeberrimis auctoribus ponitur esse parum aut nullatenus venenosa: perinde reponuntur in tertio serpentium ordine, morsuris eorum lædentes potius vulnere quam veneno: quanquam à quibusdam dicatur Dracones, vbicunq; fuerint, aërem inficere, Ardoynus. Aërem à Draconibus inficere putarim ego non serpentibus, sed meteoris, quæ Dracones volantes dicuntur, meteoro ignito vasto fruges & aërem perdente, ac quasi conflagrante. Draco non habet venena, Plinius. Animal hoc venenum non iacit, Aëtius.

An dracones veneno careăt.

Contra verò Deuter. 22. Venenum draconi tribuitur his verbis, Venenum draconum vinum eorum, & venenum aspidum crudele. Μικροῖς μὲν τοῖς βέλεσιν, ἰῷ δὲ δρακόντων πεφαρμαγμένοις εἰστοξεύοντες, id est, Paruis quidem telis, sed veneno draconum munitis, id est infectis iaculantes, Heliodorus. Vbi notandum, quòd etsi Draco sua natura minimè sit exitiosus, talis tamen ob locum, in quo habitat effici potest. Quod ita se habere in reliquis quoque serpentibus animaduertimus, qui in regionibus frigidis minus certè pernitiosi sunt, quàm calidis, Hinc Lucanus lib. 9. ita scribit,

Vos quoq́ qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis, aurato nitidi fulgore dracones,
Pestiferos ardens facit Africa. Hæc Greuinus.

Athlantici dracones sunt virulenti admodum, & si casu quenquam vel contingant vel mordeant, carnem emolliunt, ac debilitant, neque est qui mortem possit euadere, Leo Africanus. Cùm homini aut feræ cuipiam insidias facturi sunt dracones, mortiferos radices & herbas edunt: id quod Homerum quoque non latuit. Meminit enim draconis, qui ante suum latibulum immorando seq; volutando, noxias herbas vorarit, Ælianus. Homeri verba sunt hæc, Iliade χ.

Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσι
Βεβρωκὼς κακὰ φάρμακα; &c.

De morsu draconis.

Draco venenum non habet. Ore quidem dehiscit, sed dentibus non nocet: morsus tamen eius pessimus est, etsi paruus, quòd venenifera comedit: cauda quoque si quem ligauerit, occidit, Vincentius Belluacensis. Draco vim in cauda non in dentibus habet, & verbere potius quàm dentibus nocet, Isidorus, Solinus.

Nec tamen ille graues, vt cætera turba, dolores,
Si velit, infixo cum forte momorderit ore,
Suscitat: exiguus non noxia vulnera punctus
(Qui ceu rodentis noctu quæq; obuia muris)
Infligit, modicum tenui dat plaga cruorem. Nicanderr in Theriacis.

Os habent paruum, nec dum morsum inferunt, multum dilatatur, quo fit vt morsus illorum non ita magnum dolorem excitet. Neque enim natura illis dentes dedit vt se defenderent, sed caudam potius, qua cum aquila & elephante dimicarent, Greuinus. Quod de ijs draconibus intelligendum est, de quibus agit Nicander. Sunt enim alij quos describit Aëtius: quorum dentes etsi venenosos non dicat vt sunt reliquorum serpentum, similes tamen dentibus aprorum esse ait, cum quibus & fracturas & collisiones corporum inferunt. Accidit ex morsu eorum dolor paruus, deinde inflammat, Auicenna. Masculi eorum deteriores sunt fœminis, Idem.

Curatio.

Curationes veluti ad mordentia animalia fiunt, non vt in his quæ venenum iaciunt, Aëtius. Cura eorum est cura vlcerum malorum tantum, Auicenna. ¶ Graminis semen priuatim draconum morsibus auxiliatur, Plinius. ¶ Mullus auxiliatur contra scorpiones terrestres, marinosq; & dracones & phalangia illitus sumptúsue in cibo, Idem. ¶ Canis vel draconis qui momordit caput, abscissum excoriatumq; cum pauco euforbio applicatur morsui, ac liberat in totum, vt quidam aiunt, Ponzettus.

Quoniam autem supra diximus Albedisimon, Alhatraf & haudem inter genera draconum ab Auicenna & Alberto poni, huc adferemus quæ idem Auicenna de eorum morsu & curatione scriptum reliquit. Illi quem mordet Albedisimon, inquit, accidunt ea quæ accidunt reliquis morsibus draconum: sed dixerunt de draconibus, quod eorum dentes sunt vehementes. Et de proprietate eius est quod carminat carnem, quare effodit eam (alij legunt, facit carnem fœtidam, quare fœtida efficitur) quamobrem magnus est timor in vulnere eius, & indiget curatione vulnerum malorum valde. Quem verò mordet Alhatraf & haudem, accidunt ei dolor vehemens, & frigiditas plurima & stupor, & mors proculdubio, & peruenit ad hoc vt sit eius cura frigidorum venenorum. Dixerunt quidam, oportet vt embrochetur morsus eius cum aceto tepido, & emplastretur locus cum folijs lauri, & inungatur cum oleo costino, & oleo de pyrethro, & quæ similantur eis ex oleis, in quibus est virtus squillæ, & vrticæ. Ea verò quæ in potu dantur eis, sunt vt succus foliorum lauri cum aceto: & aniuden cum ruta, aut sumantur mirrhæ & piperis & rutæ partes æquales, cuius dosis sit aureus vnus in vino. Et theriaca prima dicta in capite rutelæ, Hactenus Auicen.

Draco

H.

Etymon. Draco ἀπὸ τοῦ δέρκειν, Macrobius. Festus dicit dracones ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι quòd clarissima sint acie. Quapropter eos thesauris custodiendis consecrauerunt: tum Æsculapio dicauere, quod genus vigilantissimum dicatur, quæ res febri maximè necessaria est, Volaterranus. Dracones Grammatici atque eos secuti magni viri παρὰ τὸ δέρκεσθαι deduxere. Nobis commodius atque acutius visum est παρὰ τὸ δρᾶν ἄχος, Iul. Scaliger. Δράκαινα, dracæna, fœmina draconis.

Epitheta. Draco squammeus & squamosus, Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris, Squammeusque draco, & fulua ceruice leæna, Virgil. Georgic. lib. 2. Squamosusque draco, vide Indicem Erythræi. Δράκων αἱματοπότης, sanguinem bibens, Aristophanes. βλοσυρῶπις, vel βλοσυρωπὸς, aspectu terribilis. Δαπλὴς, vel vt vult interpres δασπλὴς, grauis, Nicander. Ἐπὶ νῶτα δαφοινὸς (id est, μέλας niger, Eustathius.) Homerus & Orpheus. Δεινὸς, Theocritus. Γλαυκῶπις, ἡ γλαυκὸς τὸ χρῶμα καὶ διὰ τοῦτο καταπληκτικοὺς ἔχουσα τοὺς ὦπας, ὅ ἐστιν ὀφθαλμοὺς, ὅθεν καὶ γλαυκώπις δράκοντες, Eustathius. Ὀξυδερκὴς, Philostratus. Δράκων ὀρέστερος ab Homero dicitur Iliad. χ. ὄρειος, ἄγριος, ἐν ὄρει διατρίβων, vt Scholiastes interpretatur, montanus, agrestis, monticola: perinde etiam vescitur ijs, quæ in montibus vel crescunt vel versantur. Ab eodem Iliad. λ. κυάνεος dicitur: κυάνεος ἐλέλικτο δράκων, quod Ouidius transtulit, vt draco cœruleus, &c. Hesychius στίγματα κυάνεα κατὰ νῶτα scribit, quasi non totus, sed maculis tantum cœruleus videatur esse, quod alibi idem Homerus, ἐπὶ νῶτα δαφοινὸς appellat. Eadem de causa Iliad. μ. αἰόλος quoque dicitur varius aut potius variegatus. Πέλωρος, Theocritus. Σμερδαλέος, id est, ὄψει καταπληκτικὸς, Homerus & Apollonius. Φοινήεις (id est, φόνιος, ἢ ὁ φόνῳ, id est, αἵματι βεβαμμένος, Eustathius) Homerus. Χαμαὶ ἐρχομένοιο δράκοντος, Orpheus. Χρυσόλοφοι δράκοντες. Apud Apollonium Argon. 4. draco vellus aureum custodiens dicitur, ὀξὺς ἀΰπνοισιν ὄφις ὀφθαλμοῖσι, Thes. Græc. ling. Δράκαιναν, draconem fœmininam vocat in Hymnis Homerus, μεγάλην, τέρας ἄγριον, ζατρεφῆ.

Homonyma. De ijs qui dracones dicti sunt ¶ Draco Atheniensis legislator, vir bonus multáque esse prudentia existimatus est, iurisque diuini & humani peritus fuit. Is draco leges quibus Athenienses vterentur primus omnium tulit, Gellius. ¶ Dracon item Stratonicensis fuit grammaticus, Suidas. ¶ Fuit & alius Dracon nepos ex filio Thessalo, Hippocratis, illustris illius medici: pater Hippocritus, è quo rursus natus est dracon, & ipse medicus, qui Roxanem Alexandri Macedonis coniugem curauit, Idem. ¶ Draco item Atheniensis fuit Platonis in Musica præceptor, Plutarchus. ¶ Draco nomen est illustris illius ducis, qui Reginæ Angliæ suam & quidem strenuam operam præbet.

Diabolus draco dictus. ¶ Visum est autem aliud signum in cœlo, & ecce adfuit draco magnus rufus, habens capita septem & cornua decem, & in capitibus suis diademata septem, cuius cauda trahebat tertiam partem stellarum cœli, quas abiecit in terram. Aduersus quem cum pugnasset Michaël, proiectus est draco ille ingens, serpens ille antiquus qui vocatur diabolus & satanas qui seducit totum orbem terrarum, &c. Apocalyp. 12. Et vidi ex ore draconis & ex ore bestiæ & ex ore pseudoprophetæ exire spiritus tres immundos in modum ranarum, Apocal. 16. Diabolus draco dicitur propter insidias, quia occultè insidiatur, Augustinus. Apud D. Hieronymum etiam draco inter diaboli cognomenta numeratur. In Iobo diabolus draco dicitur: Terque perforabis labium eius, Suidas.

Draco & dracunculus pisces ¶ Draco piscis est. Quidam aliud volunt esse dracunculum. Est autem gracculo similis. Aculeos in branchijs habet ad caudam spectantes, Plinius. Idem autem est draco cum araneo pisce, de quo vide in Aquatilibus in historia aranei vel draconis.

Draco herba. ¶ Draconis acetarij è lini semine, vt post dicemus, nascentis, folia ipsa testantur originem, Barbarus. Draco herba, ab olitoribus nomine hoc vocata, & radix, excalefaciunt, vrinam pellunt, veneremque excitant in vino potæ: quam herbam falsò pyrethrum dici arbitrantur, pyrethri namque folia similia admodum sunt folijs fœniculi. Quidam dicunt draconem pyrethram herbam dici non quidem pyrethrum, Fumanellus. Draco herba è lini semine cepis indito nascitur, lini folio, sapore acri, Iul. Scaliger.

Draco palmes vetus. ¶ Draco appellatur palmes emeritus, pluribusque induratus annis, Plinius & Columella. Sic dictus est à tortuositatis similitudine.

Draco mons. ¶ Montes Asiæ nobilissimi in hoc tractu ferè explicant se. Mastusia à tergo Smyrnæ & Termetis Olympi radicibus iunctus. Is in Dracone desinit, Draco in Tmolo, Plinius.

Draco, Parthorum cohors. ¶ Est & Δράκων cohors Parthorum. Οὕτως ἀκριβῶς ἅπαντα ἑωράκει, ὥστε τοὺς δράκοντας ἔφη τῶν Παρθυαίων (σημεῖον τε πλήθους τοῦτ' αὐτοῖς) &c. Luc. de hist. scribenda. Πάταγος ἄρεως ἀντιπάλῳ δυσχείρωμα δράκοντι, Sophocles in Antig.

Draco, instrumentum. ¶ Δράκων laquei quoque nomen est ad talum suo loco motum, Oribasius. In quibusdam etiam instrumentis chirurgicis dracones in vicem manubrioli ductarij fabricantur, Idem in lib. de machinis cap. 4. Draconis nomen apud Romanos acceperunt fistulæ æneæ longissimæ, in gyros orbesque plures contortæ, instar spirarum draconum, quibus illi conati sunt arte fontem construere, cuius aqua scateret continuè calida, Fallopius de aquis & metallis cap. 5. ex Agricola puto.

Dracones metaph. ¶ Δράκοντες ex Polybio dicuntur μάνικοι καὶ περίχειρα, alijs βραχιονιστῆρες, Catellæ, armillæ,

ſpintheræ, &c. Theſ. ling. græc. Τοὺς περὶ καρποῖς καὶ βραχίοσι δράκοντας, Lucianus. ¶ Περίσειος, ὅτος δράκων καλεῖται, Suidas.

Deriuata & compoſita. ¶ Draconigenæ, Δρακοντογενεῖς, ex dracone geniti. Quo epitheto à Poëtis notantur Thebani, Bœotiæ populi: propterea quod ij qui Cadmo in ea vrbe ædificanda adiutores fuerunt, ex ſatis draconis dentibus nati ferantur, Calepinus. ¶ Δρακοντομίμος dracones imitans. Sopater apud Athenæum lib. 6. Δρακοντομίμοις ὀργάνων τορεύμασι. ¶ Δρακοντόπους, draconis pedes habens. ¶ Δρακοντολέτης, draconis interfector. Epitheton Apollinis πυθοκτόνος. ¶ Δρακόντειος & δρακοντίας, Anguinus, Theſ. ling. græc. ¶ Δρακοντώδης, draconibus ſeu anguibus plenus. ὦ μῆτερ ἱκετεύω σε μὴ 'πίσειε μοι τὰς αἱματωποὺς καὶ δρακοντώδεις κόρας, id eſt Erinnyas. Oreſtes apud Euripidem. ¶ Δρακοντιάδης apud Athenæum pro ſerpente, vt medicorum filij pro filijs. ¶ Dracontarium quoque inter capitis ornamenta recenſetur, Theſ. linguæ græcæ.

Icones. Primum ſignum legionis eſt aquila, quam aquilifer portat. Dracones etiam per ſingulas cohortes à draconarijs feruntur ad prælium, Vegetius. Dracones cohortium erant inſignia, perque ſingulas earum ferebantur ad prælium à draconarijs: quo nomine κατ' ἐξοχὴν ſigniferos omnes appellitabant. Quo verò pacto geſtarentur, videre eſt apud Ammianum Marcellinum, vbi pompam deſcribit, quam Conſtantius Imperator vrbem ingrediens duxit. Erant enim, vt is inquit & dracones haſtarum aureis gemmatiſque ſummitatibus illigati, hiatu vaſto perflabiles, & ideo velut ira perciti exibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventū. De ijs Claudianus: Manſueſcunt varij vento ceſſante dracones. Hæc Pierius. In vexillis militaribus nomen imperatoris aut conſulis, nonnunquam draconis effícti imaginem (quare draconarij dicti milites) quod vexillum purpureum erat, aliaque inſignia perſcripta erant, Alexander ab Alexandro. *Dracones militares & Draconarij.*

Deorum ſimulachra cum draconum effigie. ¶ In Delo Apollinis ſimulachrum effigie draconis fuit, Idem. ¶ Phœnices in ſacris imaginem Iani exprimentes, draconem finxerunt in orbem redactum, caudamque ſuam deuorantem, vt appareat mundum & ex ſeipſo ali & in ſe reuolui, Macrobius. ¶ In Mercurio ſolem coli etiam ex caduceo claret, quod Ægyptij in ſpecie draconum maris & fœminæ coniunctorum figurauerunt Mercurio conſecrandum. Hi dracones parte media voluminis ſui inuicem nodo, quem vocant Herculis obligentur: primæque partes eorum reflexæ in circulum, preſsis oculis ambitum circuli iungunt: & poſtmodum caudæ reuocantur ad capulum caducei, ornanturque alis ex eadem capuli parte naſcentibus. Argumentum caducei ad genituram hominum Ægyptij protendunt, ad quam neceſſariò conducunt Sol & Luna. Atque ad huiuſmodi argumentum draconum præcipuè volumē lectum eſt, propter iter vtriuſque ſyderis flexuoſum. Hinc eſt quod ſimulachris & Æſculapij & Salutis draco ſubiungitur, quod hi ad Solis naturam Lunæque referuntur. Ideo ergo ſimulachris eorum iunguntur figuræ draconum quia præſtant, vt humana corpora velut infirmitatis pelle depoſita ad priſtinum reuireſcant vigorem: vt reuireſcunt dracones per annos ſingulos, pelle ſenectutis exuta. Propterea & ad ipſum Solem ſpecies draconis refertur, quia ſol ſemper velut à quadam imæ depreſsionis ſenecta, in altitudinē ſuam, vt in robur reuertitur iuuentutis. Eſſe autem draconem inter præcipua Solis argumenta, etiam nominis fictione monſtratur, quod ſit nuncupatus ἀπὸ τοῦ δέρκειν, id eſt videre. Nam ferunt hunc ſerpentem acie acutiſsima & peruigili naturam huius ſyderis imitari: atque ideo ædium, adytorum, oraculorum, theſaurorum cuſtodiam draconibus aſsignari, Macrobius Saturnal. libro primo capite decimo nono & vigeſimo. ¶ Phigalenſes in antro quodam Cereris ſimulachrū conſecrarunt, habitu quidem in petra ſedentis, ac cætera mulieri perſimile, præter caput quod cum coma erat equinum, adnexis draconum & ferarum id genus item iconibus, delphin manu ſuſtinebatur, columba verò altera, Cœlius. ¶ Minerua plerunque cum noctua effingebatur, nunc ad pedes nunc in capite, ſed & cum dracone. Quare cum in exilium iret Demoſthenes, dixiſſe fertur, Mineruam tribus immanibus oblectari feris, noctua, dracone, populo, Lilius Gr. Gyral. Phidię ſolertem prudentiam indicat illud quoque, quod Pallados ſimulachris draconem apponere conſueuerat: veluti ambage tacita innuptis virgunculas peruigili cura indigere, vt pudor caſtus ſeruetur illibatuſque, Cœlius. Vnde illud Alciati emblema, cui lemma eſt cuſtodiendas Virgines:

Vera hæc effigies innuptæ eſt Palladis: eius
Hic Draco, qui dominæ conſtitit ante pedes.
Cur Diuæ comes hoc animal? cuſtodia rerum
Huic data, ſic lucos, ſacraque templa colit.
Innuptas opus eſt cura aſſeruare puellas
Peruigili: laqueos vndique tendit amor.

¶ Serapidis ſimulachro ſignum tricipitis animantis adiungunt, quod exprimit medio, eodemque maximo capite, leonis effigiem: in dextera parte caput canis exoritur, manſueta ſpecie blandientis: pars verò læua ceruicis rapacis lupi capite finitur, eaſque formas animalium draco connectit, volumine ſuo capite redeunte ad Dei dextram qua compeſcitur monſtrum. Quidam tria tempora interpretantur, præſens leoni, præteritum lupo, futurum cani blandienti, Macrobius. ¶ In Trophonij antro ſimulachra quædam ſunt, quorum ſceptris circumuoluuntur dracones.

cones. Hæc forte quis conijciat Æsculapij esse & sanitatis, sed potest vt & Trophonius sit & Hercyna: cum non tam Æsculapio consecratos arbitrentur dracones quàm Trophonio, Pausanias Idq; siue ob oraculorum prudentiam, siue quia oracula Trophoniana subterraneo in specu reddi solita sunt, Pierius. ¶ In sancto Manante magnus pons fuit duodecim fornicibus. Multæ enim aquæ decurrebant. Ibidem & draco æneus stabat, quod draco illic habitare putabatur, Suidas. Inter stellas fixas septentrionales numeratur & draco. Inter Astronomos vocantur nodi in sphæra intersectiones circulorum, qui à solis ac lunæ cursu conficiuntur: quorum figura dicitur Draco. Ex his alius superior est, ascendens dictus, vulgò caput Draconis; alius inferior, qui descendens & cauda Draconis dicitur. עיש Iob. 38. volunt esse constellationem quandam in septentrione, sydus draconis, alij pleiades seu gallinam interpretantur, Munsterus.

De sydere Draconis.

¶ In thorace Agamemnonis, picti κυάνεοι δὲ δράκοντες ὀρωρέχατο προτὶ δειρὴν. Τρεῖς, ἑκάτερθ' ἴρισσιν ἐοικότες. Homerus Iliad. λ. Ἐπὶ δὲ ζώνῃσι δράκοντες Δοιὼ ἐπῃωρεῦντ', ἐπικυρτώοντε κάρηνα, Αἰχμάσσον δ' ἄρα τώγε, μένει δ' ἐχάρασσον ὀδόντας Ἄγρια δερκομένω. Hesiodus in scuto Herculis: Ἐν μέσσῳ δὲ δράκοντες ἔην φόβος οὔτι φατειός, Ἔμπαλιν ὄσσοισιν πυρὶ λαμπομένοισι δεδορκώς, Ibidē. Epaminondas imperator ille clarissimus, qui ad Mantineam tam fortiter occubuit, draconis gestamine insignis fuit. Eo verò loco vbi prælium commissum est, columnam erexit antiquitas cum clypeo draconem in eius memoriam sculptum ostentante, Pierius. ¶ Lepidus in triumuiratu, quodam loco deductus à magistratibus in nemorosum hospitium, minaciter cum ijs postero die expostulauit, somnum ademptum sibi volucrum concentu. At illi Draconem in longissima membrana depictum circundedere loco. Eoq; terrore aues tū siluisse narrantur, & postea cognitum esse ita posse compesci, Plinius. ¶ Diuus Augustus in curia quam in comitio consecrabat, duas tabulas impresit parieti: quarum alterius admiratio est, puberem filium seni patri similem esse, salua ætatis differentia, superuolante aquila draconem complexa, Idem. ¶ Ctesilaus statuarius fecit Mineruam quæ Musica appellatur: quoniam dracones in Gorgone eius ad ictus citharæ tinnitu resonant, Idem. ¶ In nummo Cęsaris Dict. III. est à latere serpens Draco capite surrecto, magnis voluminibus terga trahēs, cuius inscriptio est, C. CLO. VI. PRÆF. M. Pierius. ¶ Chimarrus pyrata fuit insignis oram Lyciæ prædationibus infestans, cuius nauis in prora leonem, in puppi verò draconem pro insigni gerebat, Plutarchus.

Draconum diuersæ effigies.

Draconites siue dracontia è cerebro fit draconum: sed nisi viuentibus abscisso nunquā gemmescit, inuidia animalis mori se sentientis. Igitur dormientibus amputant. Sotacus qui visam eam gemmam sibi apud regē scripsit, bigis vehi quærentes tradit, & viso dracone spargere somnifica medicamenta, atq; ita præcidere, Plinius. Exciditur è cerebris draconum Dracontias lapis: sed lapis non est nisi detrahatur viuentibus. Nam si obeat prius serpens, cum anima simul euanescit duritie soluta. Vsu eius Orientis reges præcipuè gloriantur: quanquam nullum lenocinīū artis admittat soliditatē, & quicquid in eo nobile est, non manus faciunt: nec alterius quàm naturæ candor sit, quo reluceat. Auctor Sothacus gemmam hanc etiā sibi visam scribit, & quibus intercipiatur modis edocet. Præstantissimi audacia viri explorant anguium foueas & receptus: inde præstolati ad pastum exeuntes præteruectiq; percitis cursibus obijciunt gramina medicata, quantum potest ad incitandum soporem. Ita somno obsopitis, è capitibus desecant lapides, & de manubijs præcipitis ausi prædam reuehunt temeritatis, Solinus. Ex cerebro draconis inopinate percussi, & adhuc in pleno vigore palpitantis extrahitur dracontia lapis, Vincentius Belluacensis. Traditur montanorum draconum capitibus inesse lapillos specie & aspectu iucundos, & splendorem quendam coloribus inducentes, viribus autem potentiaq; mirabiles, quod annulus testatur, quem habuisse Gygem vulgatum est, Philostratus in vita Apollonij. Kinædius, id est Iynx, & piscis marinus, in cuius corpore translucido spinæ apparent, & lapis, qui & opisianus & dracontius, Kiranides.

Draconites vel dracontias lapis.

¶ Δρακόντιον Græcè & Latinè Dracontea dracontia & dracunculus, herba est quæ, vt scribit Dioscorides, caulem habet rectum, læuem, duum cubitorū, baculi crassitudine, versicoloribus draconum maculis, purpureis tamen euincentibus: folia rumicis, sibi inuicē implicita. Huius duo facit genera: quorum alterum Dracunculum maiorem alterum minorem vocat. Plinius verò plures species enumerat lib. 24. cap. 16. his verbis. Id autem quod Græci Dracontion vocant, triplici effigie mihi demonstratum est, folijs betæ, non sine thyrso, flore purpureo, hoc est simile aro. Alij radice longa, veluti signata, articulosaq; monstrauere, tribus omnino cauliculis. Tertia demonstratio fuit folio maiore quàm cornus, radice arundinacea, totidem (vt affirmabant) geniculata nodis, quot haberet annos totidemq; esse folia. Hæc Plinius eo loco, qui libro 25. ca. 2. quartæ speciei meminit sic scribens. In Lacetania Hispaniæ proxima parte cognoui in agro hospitis nuper ibi repertum, dracunculum appellatum caulem, pollicari crassitudine, versicoloribus viperarū maculis, quem ferebant contra omnium morsus esse remedium. Alius est, quàm quos in priori volumine eiusdem nominis diximus, sed huic alia figura, aliudq; miraculum exerentis se è terra ad primas serpentium vernationes bipedali ferè altitudine, rursusq; cum ijsdem in terram condentis, nec omnino occultato eo apparet serpēs, vel hoc per se satis officioso naturæ munere, si tantum præmoneret, tempusq; formidinis demonstraret, Hactenus Plin.

Dracontion, Dracontea, Dracunculus herba.

Tarentinus eſ qui perfuſus fuerit ſucco dracontiæ herbæ ait non acceſſurum ſerpentem, Cõnſtantinus in Geoponicis. Dracontium in Mauritania naſcitur, Strabo. Dracunculus καυλὸν ἔχει ποικίλον, ὀφιώδη, Theophraſtus. Dracunculi radix, quæ & ſerpentaria vocatur, ab Arabibus Luf, Fumanellus. Ab omnibus his forma maximè differt hortenſis dracunculus, quo in acetarijs veſcimur vtimurꝗ; ad intinctus, acerrimo guſtu, folio oblongo, radicibus humi repentibus graminis modo. Sunt qui aſſerant hanc plantam cultorum mangonio factitiam eſſe, & non ſui natura prouenire: eam ſiquidem naſci putant lini ſemine excauatis cepis impoſito, ac deinde terra recondito. Sed hos falli crediderim, quod facto periculo, operam quidem perdiderim. Huius nec Græci nec etiam Mauritani, quod ſciam meminere, Matthiolus. Hic autem dracunculus hortenſis eadem eſt herba quæ & draco ſupra à nobis dicta eſt.

Dracontias triticum.

Græcia ex omni genere tritici prætulit dracontiam, ſtringiam & ſelenuſium, argumento craſsiſsimi calami, Plinius. Dracontias triticum memoratur etiam à Theophraſto de cauſis plantarum 3.26.

Dracontion vitis.

Vnam etiam præcocem vitem nobis ante hoc tempus incognitam in Græca conſuetudine dracontion vocitari comperimus, quæ fœcunditate iucunditateue Arcelacæ Baſilicæꝗ; & Bituricæ comparare poſsit generoſitate vini Amineæ, Columella de re ruſtica lib.3. cap.2. Dracontium, botrys, ad morſum ſerpentis, canis & omnis venenati animalis, Nicolaus Fuchſius.

Dracunculus piſcis.

¶ Eſt & dracunculus piſcis ex concharum genere, Plinius. De quo paulo ante iam dictum eſt.

Dracunculus morbus.

¶ Dracontia varicibus ſimilia ſunt: magnum verò dolorem dum paululum prominentia mouentur, concitant, Galenus in Iſagoge. Dracunculus eſt vlcus quod à parte propinqua ad ipſum nerui delationem habet: dictus quod neruus mouendo corpore in vlcus recedat in eoꝗ; occultetur, Idem. Qui appellantur dracunculi lumbricis ſimiles ſunt, & aliquando magni, aliquando parui reperiuntur, frequentius quidem in cruribus, quandoque verò & in muſculoſis brachiorum partibus conſiſtentes. Naſcuntur autem hi in Aethiopia ac India in pueris præcipuè: eſtꝗ; ipſorum generatio non diſsimilis lumbricis latis ventris. Sub cute enim mouentur nihil moleſtiæ afferentes, verùm temporis progreſſu circa dracunculi extremitatem locus ſuppuratur, & cutis aperitur, ac dracunculi caput exeritur. Quod ſi dracunculus attrahatur, vehementem dolorem inducit, præſertim ſi nimia tractus violentia fuerit ruptus. Nam quod relinquitur moleſtiſsimos dolores infert, &c. Aëtius. In India & ſuperioribus Ægypti locis dracunculi generantur ceu animalia quædam lumbricos imitantia, in partibus muſculoſis, puta brachio, fœmore, tibia: in pueris etiam latera ſub cute perreptant & palàm mouentur: deinde cum diu extremum dracunculi aliqua in parte remanſerint, locus ſuppurat, & cute ipſius adaperta, initium ipſius progreditur: cum trahitur dolores mouet, præcipuè abruptus, Paulus Ægineta. At dracunculum, an in apoſtemate ſit vermis aut neruus, non facilè dixerim: quem nunquam ſe vidiſſe, eiuſꝗ; eſſentiam ſe ignorare, Galenus ingenuè fatetur. Soranus verò medicus non animantis principium, ſed nerui alicuius ſubſtantiam ſiue concretionem, dracontion eſſe autumat. Quod Auicenna venam Medeni, Abinzoar verò cenſet eſſe exituram de apoſtemate neruo ſimilem, quam Arabes & Mauri halalnachaidini appellant. Peculiare id eſt, Arabiam & Ægyptum incolentibus vitium, ſubſtantia neruoſa, colore, craſsitudine, lumbricis non diſſimile, muſculoſis brachiorum & crurium partibus innaſcitur, per quæ ſe varicum inſtar expandit, & ſe cum intolerabili dolore non rarò complicat. Hoc non niſi iuſto plumbi appenſi libramine ſenſim educitur, abruptum lethale cenſetur. Hoc Albucaſis decem & non rarò viginti palmarum longitudinem excedere expertus eſt, Europæ incognitum malum: de quo Plutarchus ita pereruditè ſcribit Symp.8.cap.9. Qui mare rubrum accolunt, vt Agatharcides teſtatur, nouis affliguntur morborum ſymptomatis, quæ parua ſunt, & dicuntur dracontia. Hæc ſuras & brachia exedunt, & ſeſe inclinant & proſpiciunt: contrectata verò ſeſe rurſus illatebrant ac fugiunt: complicata verò in muſculis phlegmones intolerabiles excitant. Hæc nec prius, nec modò vllis niſi Arabiam incolentibus acciderunt. Hæc omnia Ioannes Langius epiſtolarum lib.2. epiſtola 42. Dracunculi ſeu dracontia ſunt in puerulis ſubtercutanea quædam animantia viua lumbricorum formam præ ſe ferentia, Leonellus Fauentinus.

Nomina propria à dracone deſumpta. Virorum. Locorum.

¶ Dracontides vnus è 30. tyrannis, Suidas. Δρακοντίδης, in Veſpis Ariſtophanis traducitur, ὡς πονηρὸς καὶ πλείσταις καταδίκαις ἐνεχόμενος. ¶ Dracus Achæorum dux Achaici motus primus author, ad Iſthmon à L. Mumio conſule victus eſt, Liuius.

Inſulæ Aphricæ adiacentes prope terram, ὕδρας, δρακόντιος, αἰγίμορος, λάρυννησία, Ptolemæus. Draconis Inſula in Lybia eſt, Stephanus. ¶ Δράκονον, mons & ciuitas in Icaria inſula. Idem. ¶ In mari fauces octo miliarium os draconis appellatur, Petrus Martyr. Ocean. decad. prima libro ſexto. Caput draconis locus eſt ſic vocatus in India occidentali, Idem. Fons draconis locus iuxta Ieruſalem, Nehemiæ ſecundo.

b. Τῶν ὀρνίθων, ἀετοὶ ἀῤῥενωποί. πέρδιξ δὲ θηλύμορφος. τῶν μέν γε μὴν ἑρπετῶν, ὁ μὲν δράκων ἀῤῥενικώτατος, ἡ δὲ ἔχιδνα, θηλύμορφος. Adamant. ¶ In Nilo ſunt animalia quædam ad ſimilitudinem draconis, vulgò cocatrix vocant (forte crocodili ſunt) Haithonus. ¶ Fuit & Orthus Geryonis canis in Erythea, cui canina capita duo, & draconum ſeptẽ erant, Varinus in Scylla.

¶ Sauro-

¶ Sauromatæ plurimos alunt equos, vtpote Nomades, quibus non tantum ad bellum vtuntur, sed dijs etiam suis immolant & cibo adhibent. Vngulas colligunt, purgant & diuidunt (διαιροῦσι) ad similitudinem squamarum in draconibus, &c. Pausanias in Atticis. ¶ Gorgonum capita draconum squamis obsita fuisse dicuntur, Gyraldus. ¶ Cucurbita crescit qua cogitur forma, plerunque & draconis intorti figura, Plinius.

c. Et cantabunt vlulæ in ædibus eius, & dracones in palatijs deliciarum, Esaiæ 13.22. Idumæa erit habitaculum draconum, atrium filiarum struthionis, Esa. 34.13. Ponam Ierusalem in aceruos, habitaculum draconum, Ierem. 9.11. Faciam planctum velut draconis, & luctum veluti filiarum struthionis Mich. 1.8. Frater fui draconũ & socius filiabus struthionum, Iob. 30. Hieronymus scribit, si dracones decertant cum elephantibus, victos lamentabilem & horribilem vocem edere, Lauaterus. Est celebris in scripturis luctus draconum & struthionum in deserto horribiliter eiulantium, Mich. 1. Malach. 1. Iob dicit se fuisse fratrem draconum & filiorum struthionum socium: designans magnam miseriam, Oecolampadius. ¶ Et onagri steterunt in excelsis, attraxerunt ventos tanquam dracones, Ierem. 14. Quia magnus est ardor (inquit interpres) in serpentibus propter calorem internum coguntur ventum haurire, vt temperent interiorem æstum quo vruntur. Quod enim dicit propheta, perinde ac si diceret: Nihil habebunt vnde famem aut sitim expleant: ac proinde enecabuntur inopia cibi & potus: quam dracones serpentes & venenata pleraque ferunt sine grauiore incommodo, modò libero cœlo fruantur, vt narrãt Aristoteles & Plinius. ¶ Deuorauit me & contriuit me Nabuchadnezar: statuit me vt vas inane: absorpsit me veluti draco, Ierem. 51. ¶ Quum contristi nos in loco draconis, & operuisti nos vmbra mortis, Psal. 44. In loco draconis (scilicet marini) id est in abyssomaris: hyperbole pro extremis angustijs.

d. Telephus simul recumbens cum matre incestum stuprum cum ipsa confecisset, nisi eos prius diuino ductu draco diremisset, Ælianus. ¶ Draconi similis est virtus indagatrix, quæ diligenter omnia perscrutatur rimaturque studiosissimè: ideoque ab acuto visu nomen illi factum, Pierius. ¶ Lycophron Circen dracænam vocat, διὰ τὸ ἄγριον, ἢ διὰ τὸ ὀξυδερκὲς καὶ δραστήριον, Isacius Tzezes.

Ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη Οὔρεος ἐν βήσσης &c. Homer. Iliad. β.

Ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσι Βεβρωκὼς κακὰ φάρμακ' (τὰ ἰοῦ ποιητικὰ φάρμακα. ὡς μύρμηκας καὶ κανθάρους) ἔδυ δέ τέ μιν χόλος αἰνός. Σμερδαλέον δὲ δέδορκεν ἑλισσόμενος περὶ χειῇ, Sic Hector Achillem expectabat. Idem Iliad. χ. ¶ Super leonem & basiliscum calcabis, conculcabis catulum leonis & Draconem. Psalm. 91. ¶ *Aquilam adhuc iuuenem in ouilia*

Demisit hostem inuidus impetus, *Nunc in reluctantes dracones*
Egit amor dapis atque pugnæ, Horatius in Odis.

f. g. Vesci draconum corde hepateue oportuit Apollonium, vt per hæc Arabum sapientiæ particeps fieret, Eusebius in Hieroclem. ¶ Non (defuit) puppim retinens Euro tendente rudentes: In medijs Echeneis aquis oculique draconum, Lucanus lib. 6. de venefica necyomantiam exercente agens. ¶ Fel draconum apud Moysem puto, idem quod amaritudinem, hoc est letalem amaritudinẽ, quam in veneno potißimùm habent, Augustinus Steuchus in Iobũ.

h. Circa templum Nemei Iouis cupressetum est, quo in loco cum nutrix Opheltem in herba posuisset, à dracone peremptum memorant, Pausanias. ¶ Postquam Græci à Troia digredi simularunt, & Sinon proditor à Troianis in vrbem admissus esset, qui suis eam prodidit, dracones duo, Porcis & Charibæa à Calydnis insulis, in quas cõiecerant se Græci, enatantes, Laocoontis filios peremẽre ob coniectum in equum ligneum hastile, Cælius lib. 8. ca. 13. De his agit Vergilius Æneidos lib. 2. qui primùm serpentes illos & angues nominat: postea verò dracones, inquiens: *De ijs qui à draconibus interfecti sunt.*

At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, sæuæque petunt Tritonidos arcem:
Sub pedibusque Deæ, clypeique sub orbe teguntur.
Tum verò tremefacta nouus per pectora cunctis
Insinuat pauor, & scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur *Læserit, &c.*

¶ Narrat Petrus Damianus de quodam agricola, qui quadam die valde manè surrexit, & vidit draconem enormis magnitudinis, lignum putauit, fessusque super eum vt requiesceret, sedit, mox indignata bestia deglutiuit. ¶ Ab ipso statim initio, cum hæc regio (Heluetiæ) primùm purgari cœpisset, fœdus in ea serpens & horribilis Draco repertus est supra pagum Vuiler. Is pecudes simul & homines ita profligabat, vt pagus Oedwiler diceretur, quasi villa deserta. Ibi quidam ex indigenis, nomine Winckelriedt, cum ob homicidium exulare coactus esset, pollicebatur, si bona cum gratia in pristinam sedem reciperetur, se serpentem illum interfecturum. Id ei magna cum lætitia concedebatur. Sed cum dracone debellato, illico brachium, quo cruentum gladium tenebat, hilaris attollens, de victoria sibi ac popularibus gratularetur, draconis sanguis ei in corpus destillans, præsentem ei mortem attulit, Stumpfius in Chronicis.

¶ In diebus Philippi regis via in monte Armeniæ fuit, de qua Rex interrogauit vt super

illam nullus transiret quin mortuus caderet. Socrates ergo speculum de calybe contra illum posuit, in quo duos dracones magnos vidit, qui aperuerunt os suum, & egrediebatur corrumpens aerem fumus ex orificijs eorum. Rex verò præcepit ad montem illũ exiri, & ipsos interfici: sicq; salubris factus est locus ille, Aristoteles de proprietatibus elementorum. ¶ Hercules in cunis dracones occidit. Pindarus carmine 1. Nem. ¶ Corcyræi Diomedē inuocarũt, qui draconē quo infestabantur interemit, Heraclides. ¶ Orpheum aucupio intentũ draco inuasurus erat, quem interceptum canes occiderunt, vt ipse recitat in poemate de lapidibus, quod etiamnum extat, Tzezes. ¶ Sanctus Donatus episcopus spuit in os draconis eumq; interfecit: quem octo iuga boum ad cremandum vix trahere potuerunt. Hic draco (teste Sozomeno) in via publica circa pontem iacebat, caprasq;, oues, equos, boues & homines deuorabat, Olaus magnus. ¶ In Tauricana insula inter paludes Mœotidas est ciuitas nomine Kirkel, & supra eam in rupe alta castrum ex lignis & argilla factum. In hac rupe, vt fertur, draco commorabatur, & trucidabat homines & iumenta: propter quem incolæ fugientes, habitationes propinquas vacuas reliquerũt. Et quia Græci & Italici insulam inhabitantes, gloriosam Dei genitricem Mariam precati sunt, vt eos à dracone liberaret, viderunt successu temporis candelam ardentem intra rupem: inciderunt ergo & secuerunt rupem ad ascendendum, & peruenientes ad candelam ardentem, imaginem sanctissimæ genitricis Mariæ conspexerunt, coram qua lumen arsit, draconemq; desubtus per medium ruptum iacentem, &c. Nouus orbis lib. de Sarmatia Asiana.

Dracones mortui in vitam reuocati.

Xanthus historiarũ author, in prima earũ tradit, occisum draconis catulum reuocatũ ad vitam à parente herba, quam balin nominat: eademq; Thylonē, quē draco occiderat, restitutũ saluti, Plin. A Polyide occisus draco, in vitã reuocatus est, ab alio dracone herbã quandã ei imponente: qua postea Glauco etiã mortuo Polyides imponens eundē resuscitauit, Isacius Tzezes, Scholiast. Lycoph. ¶ Draconē circũ implicatũ filio, pater sagitta occidit filio illæso, Antholog.

Metamorphoses.
Iuppiter in draconem.

¶ Arnobius lib. 5. de Cerere à Ioue delusa in tauri forma, & Proserpina ab ipso compressa in draconis forma. Parit (inquit) mensem post septimum, luculenti filiam corporis, quam ætas mortalium consequens, modò Liberam, modò Proserpinam nuncupauit. Quam cum verueceus Iupiter bene validam, floridam, & succi esse conspiceret pleniores, &c. mox subdit: In draconis terribilem formam migrat, ingentibus spiris pauefactã colligat virginem, & sub obtentu fero mollissimè ludit atq; adulatur amplexibus: fit vt & ipsa de semine fortissimi compleatur Iouis: sed non eadem conditione qua mater. Nam illa filiam reddidit lineamentis descriptam suis: vt ex partu virginis tauri specie fusa Iouialis monumenta pellaciæ. Auctorem aliquis desiderabit rei, tum illum citabimus Tarentinum, notumq; seuanum, quem antiquitas canit, dicens: Taurus draconem genuit, & taurum draco. Porrò & Eusebium audiamus de eadem re loquentem: Ceres inquit, Persephonem peperit, educatur puella, cui Iuppiter qui genuit, draco factus, coniungitur. Vnde in Sabaziorum mysterijs draco in spiram inuolutus, in sacrificijs, ad factorum memoriam, imò verò in testimonium tantæ turpitudinis (vt sic dixerim) adhibetur. Peperit & Pherephatte (id est Persephone) tauriformem filium: vnde Poetæ quoq; nonnulli taurum laudant draconis patrem, & draconem rursus tauri patrem. Hæc ex Arnobio & Eusebio vt à Gyraldo citantur syntagmate 6. in Proserpina. Scripsit & Clemens eadem de re his verbis: Iuppiter cum Proserpina filia coit factus draco, conuictus quisnam esset. Sabagiorum certè mysteriorum signum est ijs qui initiantur, Deus qui sinum peruadit. Est autē is draco qui extrahitur è sinu eorum qui initiantur, euidens argumentum Iouis incontinentiæ. Parit autem Proserpina quoque filium taurina specie. Certè ait quidam Poeta, taurus pater draconis, & pater tauri draco. Hæc Clemens Oratione ad Gentes. Poetæ draconem Tauri patrem canunt, per illum Iouē, per hunc Bacchum intelligentes, Pierius ex Lycophrone.

Caput Orphei in draconem.
Qui in dracones mutari dicantur.

¶ Caput Orphei in draconem mutatum, Plutarchus de fluuijs in Hebro. ¶ Protei conformatio in diuersa capita, imaginum falsarum rationem continet quibus deludimur. Sunt enim qui in voluptate summum statuant bonum: hunc per suem exprimi concipimus. Draco eorum nobis errores innuit, qui terrena pulchritudine felicitatem metiuntur, Cælius. Et alibi: Timæus Pythagoricus (inquit) mutationem in bestias induci putat falsò, ad terrorem hominum impiorum, vt pœnæ saltem formidine à vitijs retrahantur. Et mox: Non desunt qui ista sic interpretentur, vt animarũ quæ similem brutis duxerint vitam, aliæ inter alias bestiarum turbas diuersentur. Quod ipsum Platonis doctrinæ valde consentaneum putat Olympiodorus. Quod si habitum intelligamus, non speciem, arbor erit apud Platonem, qui nutritioni deditus, vel Herculis quæstum in ea attriturus, die noctuq; torpebit: miluus qui raptu viuit per concupiscentiam: leo qui egregie militabit: draco qui crudeliter in genus humanum debacchabitur, Idem.

Virga Mosis in draconem.
Draconis dentes in homines armatos.

¶ Virga Mosis iussu Dei coram Pharaone proiecta in terram, versa est in draconem, Exod. 7. ¶ Cadmus oraculo monitus, vt vaccã à grege secretam, quæ lunæ signum in latere haberet, sequeretur: & vbi fessa procubuisset, ibi statueret vrbē: parens præcepto in eam terram deuenit, quæ postea à boue Bœotia dicta est. Hic cum ad fontem Castaliũ Marti sacrum socios aquatum misisset, à dracone interfecti sunt: cum ipse quoq; illuc iuisset, vt vidit à dracone socios consumptos, serpentē interfecit, & dentes eius Mineruæ monitu humi sparsit, ex quibus armatorũ multitudo progignitur, quæ inter se domestico bello confligit: ita vt ex ea quinq; relinquerentur, qui Palladis consilio fœdus & pacem inierunt, & auxi

lium Cadmo in Thebis instaurandis tulerunt, Ouid. Metam.3. ¶ Iason Æsonis filius missus Colchon ad pellem auream apportandã, vbi Aetæ Solis filij regiã contigit, pulchritudine sua perculit Medeam, quæ obligatum Iasonem vt fidem præstaret coniugij erga se coegit, atq; ita tauros spirantes ignem, & draconem custodientẽ templum venenis atq; carmine coegit parere Iasoni, vt proscisso solo dentes obsereret serpẽtis, ex quibus seges armatorũ procresceret: inter quos vt ei præceptum erat à Medea, iacto silice, coegit eos inter se dimicare, qui mutuo bello conciderunt, Idem Metam.7. ¶ Medea fugiens Aeoliam Pitanem à læua parte reliquit, Factaq; de saxo longè simulachra draconis, &c. Idem. ¶ Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα, Id est, Prima Leo, postrema draco, media ipsa chimæra, id est, capra, Lucret. Chimæræ pars extrema in draconẽ desijsse fingitur: Amorem lasciuum per figmentũ illud significari tradunt, Pierius. Fabulæ allegoriã & singularum annaliũ in ea significationes interpretatur, Cæl. lib.13. cap.9. Vide plura de Chimæra in lib. de quadruped. viuiparis in hist. Capræ, litera H.a. ¶ Κητὼ ex Phorcyne peperit draconẽ velleris aurei custodẽ. Hes. in Theog. Hunc ita describit Ouid. Metam.7. agens de ratione qua Iason serpentẽ illum sopiuit ad vellus aureũ tollendum: *Draco in saxũ. Chimæræ pars extrema draco* *De draconibus velleris aurei, & hortorum hesperidum custodibus.*

Peruigilem superest herbis sopire draconem,
Qui crista, linguisq; tribus præsignis, & vncis
Dentibus horrendus, custos erat arboris aureæ.
Hunc postquàm sparsit Lethæi gramine succi,
Verbaq; ter dixit placidos facientia somnos,
Quæ mare turbatum, quæ concita flumina sistunt,
Somnus in ignotos oculos vbi venit, & auro
Heros Aufonius potitur, &c.

Diodorus Siculus bibliothecę rerum Antiquarũ lib.4. hanc fabulam ita narrat: nempe, Aëta in Ponto regnante, responsum datum esse, illum tunc mortem obiturum, cum externi nauigio delati aureum vellus sustulissent. Hac ex causa, inquit, tum verò innata crudelitate ostentauit se hospites sacrificare, vt diuulgata tanti sceleris fama, externi omnes eum accessum abhorrerent. Templum quoq; muro circumdedit, custodesq; frequẽtes apposuit ex Taurica accitos: de quibus à Græcis mirandæ fabulæ finguntur. Decantatũ enim est, tauros ignem spirantes circa templum esse: à dracone insuper custodiri vellus. Verum taurorum nomen à custodum robore traductum est: à crudelitate verò cædis hospitum, tauros ignem efflare confictũ: modo simili cum templi custos Draco appellaretur, traduxerunt: poëtæ admirandam stupendamq; eius animantis naturam, &c. Hæc Diodorus. ¶ Asserunt quidã, in Libya in Hesperidũ hortis mala aurea à terribili Dracone asseruari. Alij pecudũ greges exquisita pulchritudine Hesperides habuisse: quæ ob decorem à poëtis aureæ dictæ sint, quemadmodũ & Venerem ob egregiam formã auream appellant. Nonnulli eas pecudes colore auro simili fuisse volũt: eoq; hoc appellatas nomine. Draconem verò, extitisse pastorũ curam: qui vi corporis fortitudineq; præstantes, custoditis gregibus latrocinia prohiberent. Sed hoc pro arbitrio accipiant legentes. Horũ custode interfecto, Hercules aurea poma ad Eurystheum adduxit, Idem. De hortis Hesperidum & peruigili dracone, ne famæ licentia, vulneretur fides, ratio hæc est, flexuoso meatu æstuariũ è mari fertur adeo sinuosis lateribus tortuosum, vt visentibus procul lapsus angueos fracta vertigine mentiatur, itaq; quod hortos appellauere, circundat, Solin. cui assentitur etiã, Plin. Fabulantur Gręci, Herculis statuã effingi solitã sinistra manu mala tria gestantẽ, quæ claua conquisiuisset dracone interempto, id est, cõcupiscentia subacta: ita enim comparantur poma tua, id est iræ cõprimuntur ardores, & habendi cupiditas temperatur, ac deniq; voluptatum sedantur titillationes, Cæl.

¶ Ἄραβες μὲν κοράκων ἀκούουσιν, Τυρρηνοὶ δ᾽ ἀετῶν. τάχα δ᾽ ἂν καὶ ἡμεῖς καὶ πάντες ἄνθρωποι συνίεμεν πάντων τῶν ζώων, εἰ καὶ ἡμῶν τὰ ὦτα δράκων ἔλειψε. Id est, Arabes quidem coruos audiunt, Tyrrheni verò aquilas. Forte & nos & omnes homines quæuis animantia intelligeremus, si & nostras aures draco lauisset. Porphyrus lib.3. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. ¶ Mammæa Alexandri Seueri mater, pridie quam puerũ eum pareret, somniauit se dracunculũ enixam edidisse. Nam & Alexandro Macedoni draco dominij claritatem præsagiuit, qui matri Olympiæ congressus erat in somnis. Hoc idẽ de Pomponia Africani Scipionis matre traditũ est, & ipsi draco circumfusus nihil attulit nocumenti. Dedit & Augusto Imperij presagiũ ostento simili. Nam cum Actia mater eius ad solenne Apollinis sacrũ media nocte venisset, positaq; in templo lectica, dum cæteræ quoq; matronæ dormirẽt, obdormisset, visus est draco repẽte ad eam irrepere, pauloq; post digressus: illa verò expergefacta quasi à concubitu mariti se purificauit, & statim in corpore eius extitit macula veluti picti draconis, quæ nunquã eximi potuit, adeò vt publicis inde balneis perpetuo abstinuerit. Spartacus venalis cùm Romã delatus esset, deprehensus est dum quiesceret, habere sub capite draconẽ in spiram complicatũ, quem Thracia itidem mulier conspicata vaticinandi peritissima, signum esse dixit magnæ cuiusdam & formidabilis potentiæ, quæ tamen infaustum esset exitum habitura. Tiberius Cęsar serpentem draconem in delitijs habere solitus, eiq; manu sua cibum ministrare, quem cùm is corrosum à formicis reperisset, monitus est cauendã sibi vim multitudinis, Pier. ¶ Cæcinnæ dracones emicuisse de extis læto prodigio traditur, Plin. Dracones in extis apparuisse, letũ fecere auspiciũ: contra Graccho sacrificanti ad exta irrepsisse adeso iecinore necẽ futurã & imminens fatum portenderunt, quæ mox subsecuta sunt, Alex. ab Alex. *Auspicia omnia & prodigia ex draconibus.*

¶ Scriptum est in Romanis annalibus, ac sæpius notatum, quo tempore dracones vel qua magnitudine in vrbem Romam delati sint. Nam inundante maximè Tyberis fluuio visi per vr-

b em traditur: quod ipsum temporibus contigit. Sed illud propè incredendum quibusdam videri solet, quod imperante quidem Mauricio Augusto Romæ accidit. Quum enim Tyberis in maximam altitudinem excreuisset, multa serpentum genera, per alueum Tyberis æstuante fluuio deuecta sunt, inter hęc draco mira quadam & insigni magnitudine per vrbem transiens, vsque ad ipsum mare descendit, quod & mox horribile prodigium pestis maxima secuta est, Petrus Crinitus. Anno 1499. 26. die Maij Lucernæ Draco visus est, qui è lacu per Rusam secundo flumine deferebatur, multis magna cum admiratione spectantibus, vt narrat Etterlius, Stumpfius in Chronicis.

Draco visus pestis secuturæ ostentum.

Dracones in aere volantes & dira portendentes in Germania visi.

¶ Visi sunt nonnunquam & in Germania Dracones viui, & in aëre volantes, media luce dieq́;, sed vsq; dira incendia portendentes. Nam factum est & obseruatum non procul à Rheni littore prope oppidum Niderburgum ad millesimum ferè lapidem meridiē versus supra Sanctogoarinum patriā nostram, vt ter sereno cælo diuersis temporibus & æstatibus Draco ingens in aëre veluti pendens caudamq; vibrans, media, vt dixi, luce à pluribus inquilinis conspiceretur, & postea quidem secutum est, vt toties quoq; idem oppidum incendio conflagraretur, maximo indigenarum omnium malo atq; infortunio, vt cui incendio tunc tanquam fatali nemo hominum obsistere aut reluctari quantacunq; opera aut vi in aduersum nitenti valuerit. Tam fuit infaustus ostenti euentus. Animaduersum & hoc est, sub idem tempus ferè, & aliquoties etiam conspecti sunt oculis incolarum viui Dracones in fonte sese non procul ab isto conflagrato loco lauisse, è quo dein qui forte ex improuiso bibissent, aquamq; hausissent homines vel animalia ventribus inflatis mox concidissent interijssentq́;. Decretum igitur est publicè re ita manifestata atq; comperta, eum fontem tanquam pestiferum & exitialem lapidibus terraq; opperiri, ne porrò & alijs internecioni foret. Eos equidem qui hæc verè meminissent ipsi aut vidissent, audiui homines senes admodum ac fide dignos. Itaque non ficta tibi, sed quæ reipsa sic habent contigeruntq́; refero, Iustinus Goblerus ad Gesnerum.

Draconis ostento Nero seruatus.

Draco Cleomenis cadaueri circumplicatus

Draco cur heroibus cōsecratus.

¶ Cum missi essent à Messalina vxore Claudij, qui Neronem meridiantem quasi Britannici æmulum strangularent, fertur eos dracone è puluino se proferente conterritos refugisse, Suetonius in vita Neronis. ¶ Qui Cleomenis corpus cruci affixum seruabant, nunciabant sese draconem permagnum vidisse, qui cadaueris corpus circumplexus, ita illius faciem tegebat, vt nullam auem ad eam depascendam accedere pateretur. Qua de causa reuerentia quædam & diuinitatis opinio regi accessit, &c. Nec antea huiusmodi cessauit opinio, quàm à sapientibus viris huius rei causa prodita est. Tradunt enim sicut ex bobus apes, ex equis fuci, ex asinis crabrones generantur, ita humana corpora & præsertim medullas, humoremq́; ex eis profluentē, serpentes producere. Itaq; non absq; ratione permoti antiquiores, heroibus draconem consecrarunt, Plutarchus in vita Cleomenis. ¶ Durant in Liternino Africani prioris manu satæ oliuæ. Subest specus in quo manes eius custodire draco dicitur, Plinius.

De diuinatione draconum.

In Lauinio sacer est lucus magnus & opacus, iuxtaq; ipsum ædes Iunonis Argolidis. In eodem luco latibulum est amplum & profundum Draconis cubile. In lucum quotannis virgines certis diebus ingrediuntur, quæ mazam gestant manibus, oculos fascijs deuinctæ. Eas recta ad latibulum diuinus quidam spiritus sine offensione deducit. Quod si virgines fuerint cibos tanquam puros & Deo gratæ animanti conuenientes admittit Draco: sin minus, non attingit, corruptas esse intelligens & diuinans. Formicæ verò hanc relictam ab illo mazam minutatim confractam vt leuius ferant, è luco exportant, expurgandi gratia loci. Hoc cum fit, ab indigenis animaduertitur, & quæ ingressæ fuerant, indicantur examinanturq́;: & cuius pudicitiā esse violatam constiterit, pœna legibus constituta plectitur. Dracones igitur non esse expertes vaticinationis hoc modo demonstrarim, Ælianus.

De draconibus sacris & eorū cultu.

Draco Aesculapio sacer.

¶ Deos aliquot animalium nominibus veteres appellarunt: vt Solem, lacertam, leonem, draconem, accipitrem, Porphyrius lib. 4. de abstinent. ab animatis. ¶ Æsculapius draconis effigie à Nicagora Echetimi vxore ad Sicyonios mulorum bigis inuectus esse dicitur. Neque desunt qui super Æsculapio comminiscantur historiam. Educatum quippe draconem ab eo in Pelei montis loco, qui Pelethronius à florum vbertate nuncupatur, Pierius. De hoc etiam Nicander in Theriacis:

Nunc viridem & nigrum post dicta venena draconem
Aspice, quem patula fago Phœbeia proles
In Gelido Peli nutriuit culmine iuxta
Læta Pelethroiæ quondam dediuia vallis, &c.

Draconem Æsculapio dicauere, quod genus vigilantissimum dicatur, quæ res febri maximè necessaria est, Volaterranus. De draconibus Epidaurijs, Æsculapio sacris antea dictū est in B. Lucianus in dialogo qui Alexander vel Pseudamantes inscribitur describit imposturas cuiusdam præstigiatoris impudentissimi, qui cùm draconem Pellæum enutrijsset, eum Æsculapium esse mentitus, miris artibus homines illius temporis ludificatus est.

Draco Indis sacer.

¶ Alexander cùm alia pleraq; animalia apud Indos inuenit, tum Draconem, quem quia sacrum in antro quodam Indi existimarent, & summo religione colerent, idcirco precibus Alexandrum obsecrarunt, ne in illum inuaderet, quod quidem ipsum ille annuit, Ælianus. De illius draconis magnitudine prodigiosa antea dictum est in B. Ex Indis nonnulli draconem quinque

quinque iugerum velut Liberi patris simulachrum coluerunt, Alexan. ab Alexand. Gyraldus.

¶ Babylonij draconem ingentem adorarunt, quem Daniel potestate à rege accepta, massa ex pice, seuo, & pilis confecta & in os draconis iniecta interemit, vt refertur in historia de Idolo Belo & dracone quæ est inter hagiographa.

¶ In Melite Ægyptia Draco diuinis honoribus afficitur in turri quadam: adsunt ei sacerdotes & ministri, mensa & crater ponuntur. Crateri quotidie immittunt libum ex farina subacta melicrato, & recedunt: postridie reuersi craterem inueniunt vacuum. Et cùm aliquando maximus natu summo videndi Draconis studio teneretur, solus ingressus, & libo proposito, recessit: & mox Dracone mensa conscensa epulante, ille subito magno cum strepitu fores (quas pro more clauserat) aperuit. Draco indignatus abijt. At ille viso quem voluerat, suo quidem malo, mente captus, & suum confessus crimen, mox obmutuit: & paulò post collapsus interijt, Ælianus. ¶ Draco apud Albam in luco iuxta templum Iunonis Argiuæ colitur à virginibus, quem certis adeunt diebus, suis pascentes manibus, à quo cum cætera capiunt auspicia, tum virginitatis integritatem deprehendunt, Volateranus. De quo antea quoque retulimus ex Æliano.

De sacro in Aegyptia Melite dracone & pœna curiosi qui illum videre voluit.

Draco sacer apud Albam.

Locus est apud Epirotas Apollini sacer, & muro septus. Intra illum Dracones sunt Deo grati. Ad hos virgo sacerdos nuda accedit, & cibum Draconibus porrigit. Eos Epirotæ à Pythone Delphico prognatos aiunt. Quod si virginem accedentem illi placidè aspexerint, & alimenta promptè susceperint, annum fertilem & salubrem significare creduntur: sin & terribiles erga illam fuerint, & porrecta cibaria non receperint, contrarium anni futurum statum alij diuinant, alij sperant, Ælianus. Epirotæ Apollinem venerantur, in cuius templo draconem colunt ob memoriam Pythonis, à quo se prognatos dicunt, ex eoque cibum appetente aut auersante auguria capiunt, Volaterranus.

Epirotici Dracones.

¶ Haliæ Sybaridis filia cùm in Phrygia lucum Dianæ ingressa esset, Draco quidam sacer prægrandis apparuit, & cum ea coiuit, vnde Ophiogenæ dicti primam sui generis originem trahunt, Ælianus.

Alter in Phrygia.

Draco sacer fuit Palladi, Æsculapio, Saluti, Cælius. Draco Baccho consecratus à veteribus, Plutarchus. Græci rectè dicunt & sentiunt columbam Veneri sacram, draconem Mineruæ, & canem Dianæ, Idem. Οἰκουρὸς δράκων dictus est qui Palladis ædem custodiebat, seu ὁ τῆς πολιάδος φύλαξ, ὁ τῆς ἀκροπόλεως φύλαξ, vt Hesychius explicat, apud quem plura de hoc serpente reperies.

Quibus dijs Draco consecratus antiquitus fuerit.

Οἰκουρὸς δράκων.

Delphicum oraculum dicitur aliquando fuisse desertum & inaccessum, propterea quod eo loco fera quædam immanis (nempe draco) habitaret. Sed qui hoc scripserunt rem bene non intellexerunt. Siquidem solitudo draconem in eum locum attraxit: non autem draco solitudinem fecit, Plutarchus.

Draco in Delphico oraculo.

¶ Medeam afferunt fecisse quibusdam incantationibus, vt draconum specie Diana per aërem ab Hyperboreis vecta, apud Peliam diuertere videretur, Diodorus. De Medeæ autem incantationibus agens, Ouidius inter cætera ait,

De draconibus currus per aëra trahentibus.

Nec frustra volucrium tractus ceruice draconum.
Currus adest, aderat demissus ab æthere currus:
Quo simul ascendit, frenataque colla draconum
Permulsit, manibusque leues agitauit habenas, &c.

Ouidius Metamorph. 7. ¶ Triptolemus iunctis draconibus sulcauit auras, Seneca. Nunc spiris Zephyros tranans, Claudianus de Cereris draconibus. Draconibus vecta Ceres Proserpinam quæritabat. Tzezes Hesiodi interpres ait dracones illos significare volumina quæ Triptolemus de agricultura conscripsit, Pierius.

¶ Argutum dictum apud Græcos contra potentiores cum quadam libertate iactari solitum, ὄφις εἰ μὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται. Hoc dicto innuentes, quem imperatorem statuas, ei necesse esse Reges & Principes multos deglutire, vt ille rex Regum fieret, & dominantium dominus, Pierius. Hoc prouerbium ex vulgi fæce desumptum putat, Erasmus.

Prouerbia. Serpēs nisi serpentem ederit non fiet draco.

¶ Idem Erasmus in Prouerbio virum improbum vel mus mordeat, scribit hoc prouerbium ita à quodam inuersum fuisse, Bonos viros vel à mure morderi, malis ne draconem quidem audere dentes admoliri: hoc est insontibus passim noceri, propterea quod ij impune lædi posse videantur, vtpote non relaturi iniuriam. ¶ Emblema est apud Alciatum sub lemmate, Ex arduis perpetuum nomen: pictus est draco alatus quadrupedes persequens passeris pullos cum his versibus.

Boni viri vel à mure mordentur, malis ne draco quidem dentes admouere audet.

Crediderat platani ramis sua pignora passer,
Et bene, ni sæuo visa dracone forent.
Glutijt hic pullos omnes, miseramque parentem
Saxeus, & tali dignus obire nece.
Hæc, nisi mentitur Calchas, monimenta laboris
Sunt longi, cuius fama perennis eat,

Dracontopodes. DRACONTOPODES, id est serpentes sunt magni & potentes, facies virgineas habentes humanis similes, & in draconum corpus desinentes. Credibile est huius generis illum fuisse, per quem Diabolus Euam decepit: quia (sicut dicit Beda) virgineum vultum habuit. Huic enim diabolus se coniungens vel applicans, vt consimili forma mulierem alliceret, faciem ei tantum ostendit, & reliquam partem corporis arborum frondibus occultauit, Author lib. de natura rerum.

Dracones domorum. VESGA, Arabicè sunt reptilia, vt stellio, subnigra dicta in Catalonia DRACONES domorum, qui cum mordent, inflatur locus, donec denticuli infixi extrahantur, sicut etiam denticuli stellionis vel lacertæ, Arnoldus.

DE DRACONE PYTHIO SEV PYTHONE.

Python vnde natus & quomodo interfectus.



PYTHON à Poëtis serpens fuisse dicitur, natus ex putredine terræ post diluuium Deucalionis. Hunc Apollo interfecit, & ab interfecti nomine dictus est Pythius, Textor. De hoc Ouidius Metam. 1. *Sed te quoque maximè Python*
Tum genuit, populisq́; nouis incognite serpens
Terror eras: tantum spatij de monte tenebras.
Hunc Deus arcitenens, & nunquam talibus armis
Antè, nisi in damis, capreisq́; fugacibus vsus,
Mille grauem telis exhausta pene pharetra
Perdidit effuso per vulnera nigra veneno.
Néue operis famam posset delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ serpentis nomine dictos. Hæc Ouidius.
Cæruleus tali prostratus Apolline Python. Claudianus 7. Paneg.

Græci Apollinem Pythonem dictum fabulantur ex nece Draconis. Latonæ enim Apollinem Dianamq́; parituræ Iuno dicitur obstitisse. Sed vbi quandoq́; partus effusus est, draconem ferunt, qui Python vocitabatur, Deorum cunas inuasisse, Apollinemq́; in prima infantia sagittis beluam confecisse, Macrobius Saturn. lib. 1. Imo cum Latonam ex Ioue grauidam persensisset, immisso contra illam Pythone serpente per omnem terrarum orbem persecuta est, donec errando ad sororem Asteriam perueniens, ab ea suscepta est in Delo, vbi Dianam & Apollinē peperit, qui eam errare amplius nequaquam pasi fuêre, Perottus.

Vnde nata fabula de Pythone. ¶ Est insuper peruagato inter homines sermone vulgatum ab Apolline quendam eius loci (id est, soli Delphici) incolam sagittis confixum illic extabuisse, & ex eo vrbi nomē contigisse. Qui ab Apolline occisus fuerit, draconem eum fuisse poetæ scripsere, cui custodiam Tellus oraculi mandasset, Pausanias. Hunc Pythonem hominem fuisse sceleratissimum cognomento Draconis vult Strabo lib. 8. Inuenimus qui scribant, violentum fuisse hominem Pythonem, Draconis cognomento: qui dum sagittis debellaretur, inter adhortandum proclamasse Apollinem ferunt, vel Latonam, vt Macrobio placet, ἰὴ παιᾶν, id est, immitte feriendo: vnde inoleuerit mos, vt conserturi aciem sic Pæanis celebrationem clamitent, Cælius. Python serpens à putredine terræ natus dicitur. Hunc ab Apolline sagittis interfectum fuisse fabulantur Poetæ, eò quòd terræ putredo solis calore absumatur, Calepinus.

Apollo post interfectum Pythonem expiatione indigens. ¶ Apollo & Diana Pythone cæso vt se expiarent venisse Ægialē tradunt, sed incusso terrore in Cretam ad Carmanorem diuertisse, Pausanias. Cleombrotus quæ ab extraneo quodam ad littus rubri maris habitante philosopho audierat narrans, inter cætera ait: philosophum illum nouisse etiam quæ de serpente Pythone feruntur, ac dixisse eum qui serpentem illum occidisset, non tantum per decennium exulasse, ac Tempe fugisse, sed ex toto orbe migrasse, vnde tandē post nouem magni anni reuolutiones, expiatus & purificatus redierit, ac ita verè φοῖβος, id est, purus & lucidus oraculum Delphicum recuperarit, quod interea temporis Themidis custodiæ comissum fuerat, Plutarchus de defectu oraculorum.

Etymon. Πυθὼν, Serpens dicitur à πυθῶ, quòd est putredo, eò quod ex putredine terræ post diluuium Deucalionis natus dicitur, Calepinus. *Hic Draco Delphines etiam dictus est.* ¶ Hunc Draconem Delphinem etiam vocatum testatur, Suidas. Illud non omiserim, inquit Cælius, Delphinem nuncupari ab Apollonio libro Argonauticon secundo Draconem ab Apolline confectum. Cuius etiam versiculos apposui,

Ὥς ποτὲ πετραίῃ ὑπὸ δειράδι παρνησοῖο
Δελφύνην τόξοισι πελώριον ἐξεναρίξεν.

Id ipsum verò interpres item comprobauit, additq́; à quibusdā masculino genere pronunciari, ab alijs fæminino, quod (inquit) melius est. Sic verò appellat in Periegesi Dionysius Afer; id quod plerisq́; negotium facessit. Quod autem Delphines vocaretur qui Delphicum custodiebat oraculum Leandrus dixit, & Callimachus, Hæc Cælius.

¶ Πύθων,

Homonyma. Pytho vrbs.

¶ Πύθων, ὁ, ὁ τόπος. Πύθων ὁ, ὁ δράκων, Ammonius. Πυθὼ & πυθὼν, ἡ, vrbs est Phocidis, quæ & Delphis appellatur, Apollini sacra: nomen à πύθεσθαι sortita, διὰ τὸν ἐκεῖ τοξευθέντα ὑπὸ Ἀπόλλωνος καὶ σαπέντα δράκοντα, vt Eustat. tradit. Alij verò dictam volunt διὰ τὸ συνιέναι τοὺς ἐκεῖ χρωμένους πυθέσθαι (ἤτοι μανθάνειν) τὰ μέλλοντα, Thes. ling. græc. Phocis regio est Græciæ, in qua vrbs Delphi, in eaq; vrbe templum Apollinis quod Pytho dicitur, in quo tripos æneus collocatus erat, &c. Et paulò post. Delphi autem dictum est templum Apollinis, eò quòd Delphines draco ibi inuentus est, quem Apollo interfecit: & Pytho, quòd ibi computruit: vel à percontando, quod Græce est, πυθέσθαι, Suidas in πυθώ. Interiecto dein tempore vrbem ipsam non solum Delphos sed & Pytho nominarunt finitimi. Testantur id Homeri versus de Phocensium delectu. Sed enim qui subtilius populorum origines exquirunt, Delphi existimant filium fuisse Pythin, & ab eo dum regnaret vrbi nomen impositum. Est insuper peruagato inter homines sermone vulgatum ab Apolline quendam eius loci incolam sagittis confixum illic extabuisse & ex eo vrbi nomen contigisse, quòd eius temporis homines persimili voce in ijs quæ corrumperentur significandis vterentur, Pausanias. Quam vrbem (scilicet Delphos) Python ob interfectum Pythonem dictam comperimus, Alex. ab Alexand. Pytho ciuitas erat in Phocide, cuius incolæ dicerentur Delphi: vnde est, πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ, Cælius.

Python dæmonium fatidicũ.

¶ Πύθων, dæmonium fatidicum, Suidas. Act. Apostol. cap. 16. fit mentio ancillæ quæ habebat πνεῦμα πύθωνος, id est, spiritum Pythonis, quæ diuinando quæstum magnum faciebat dominis suis. Hunc autem Pythonis spiritum Apollinis numen esse gentiles credebant. Vocatur ergo Python, dæmonium cuius afflatu prædicebant futura. Hesychio πύθων est ὁ ἐγγαστρίμυθος vel ἐγγαστρίμαντις. Plutarchus quoq; πύθωνας suo tempore vocatos fuisse tradit τοὺς ἐγγαστριμύθους, Εὐρυκλέας πάλαι, lib de defectu oraculorum, vbi Turneb. Engastrimythos, id est genios è ventre hariolantes, quos olim Eurycleas vocabant, nunc Pythonas dicunt.

Pythõ. Byzantius.

¶ Python Buzantius orator, actus in exilium, in Macedonia degens, multos impulit ad proditionem, vt ad omnia Philippo adiumento essent: quibus rex ad perdendos hostes vtebatur, Suidas. Huius meminerunt, Æschines & Demosthenes in orationibus, item Athenæus in Dipnosophistis, & Lucianus in Encomio Demosthenis.

Python Æneates.

Fuit & Python Æneates qui cum Heraclide Thraciam liberauit occiso Cotye rege, cuius meminit Plutarchus in tractatu contra Epicureum Colotem & alibi. ¶ Alexander Ptolemæi dexteritatem habebat suspectam, Arij verò turbulentiam, & Pythonis nouarum rerum studium timebat, Ælianus.

Deriuatá. Pythius.

A Pythone serpente fit Pythius, quo nomine dictus est Apollo: vnde Pylades, Pythius hinc etiam dictus Pythone perempto,

Vel quia putrescant fœda calore Dei. Theogon. lib. 2.

Pythia vates.

Pythia dicta est etiam ipsa vates, seu Apollinis sacerdos: Pythia quæ tripode à Phœbi lauroq; profatur, Lucretius. Pythia vates à Iuuenali dicitur. Vocatur etiam πυθιάς, apud Plutarchum Hell. περὶ ἧς ἡ πυθιὰς εἶπε.

Pythium.

Pythium & Delium aræ dicebantur, vel templa Apollini aut Delio dicata, quod ex Liuio liquet, Cælius. Pythium ædes Apollinis Athenis, à Pisistrato condita, in qua tripodes dedicabant, qui cyclio choro Thargelia vicerant, Suidas. ¶ Fuit & in Creta Pythium, in Gortynæ meditullio, cuius incolæ dicti Pythies, vbi & Apollinis visebatur templum. Erat & suum Macedonibus Pythium, vbi & Pythia fiebant. Porro Pythium prope Astacenum sinum, vnde Pythiani dicti, & Pythiana pocula, Cælius. ¶ Pytheum verò dicebatur oraculi locus, Idem. Alex. ab Alexan. ¶ Spartæ Pythij vocabantur qui Delphos ad consulendum oraculum mittebantur, quiq; publicè cum regibus pascebantur, Herodotus in Erato lib. 6. De ijs apud Xenophontem mentio est, sed perobscura in libro de Lacedæmoniorum repub. dictione quoque mendosa in Latina translatione. Quin & Athenis erant Pythij & Deliastæ, vt scribit Philochorus apud Sophoclis interpretem in Oedipo Coloneo. Sed & libro primo Quintilianus in etymologiæ rationibus quæri ait: vnde Bruti, Publicolę, Pythij: quem locum ignorare se interpretes fatentur: quum tamen historia sexta meminerit Herodotus quoq;, Cælius.

Pytheum. Pythij.

Pythia festa.

Pythia festa & Ludi Pythici, Alex. ab Alex. Sunt autem ludi Apollinares in honorem Apollinis Pythij ob interemptum Pythonem instituti, Hesychius. De quibus Ouidius lib. primo metamorph. In Pythone Pythius Draco colitur, & frequens serpentis conuentus appellatur Pythia, Clemens orat. ad Gentes. Dies festus maximo Græcorum conuentu Pythone celebratur, propter Draconem mortuum, Idem. ¶ Sciendum est, Pythicum agona, grassantibus in adeuntes Cirrhæis, labefactatum, fuisse ab Thessalo reparatum Eurylocho, quem Achillem dicunt iuniorem, vt scribit Euphorion. Fuit quoq; agon hic initio χρηματίτης, veluti pecuniarium dicas: quoniam vincentibus ea fuit merces proposita: mox autem Stephanites, nexis lauro corollis, ex Thessalicis Tempe tralata à pubescente puero: quod ob dracontoctoniam in Creta apud Chrysothemidem Apollo expiatus, Thessaliam ingressus illinc secum arborem pertulisset, Cælius.

Pythicũ agon.

Pythicus nomos.

¶ Non negligendum verò illud, fuisse item Pythicum nomen auleticum, cuius partes quin

que ex ratione expugnati ab Apolline draconis: pera, catacelеusmus, Iambicum, spondeum, catachoreusis. Pera quidem, id est πεῖρα Dei consilium habet, esset ne dignus congruénsue certamini locus. In catacelеusmo draconem prouocat: in Iambico pugnat, in quo & inflantur tubæ, quæ Salpistica vocant crumata: dicitur & odontismus, id est dentiũ arietatio & fremitus, quod draco faciebat, quum sagittis impeteretur. Spondeum verò victoriam significat. In Catachoreusi epinicia, id est celebritas ex comparata victoria ab Apolline continetur. Sunt qui aliter distinguant, & Anacrusin volunt esse certaminis præludium. Amperam verò primùm certandi periculum, Catacelеusmum certamen ipsum, Iambum autem & dactylum pæana, qui eiusmodi efficiatur rythmis victoriæ gratia. E quibus alter hymnorum sit proprius, iambus autem obloquiorum. Syringes verò belluæ deficientis languorem imitantur efficiuntq́. Traditur illud quoq́

Pythium carmen.

Pythium carmen pro heroico dici: quoniam fit ab Apolline oraculis celebratum; vel quod Pythone confecto, territi accolæ texuerint hexametrum primi, Hæc Cælius.

Pythias.

¶ Scitu non indignum & illud, sicut Olympiada dicimus vigesimam aut trigesimam, ita & Pythiada vsurpari ab eruditis consuesse, Idẽ. Καὶ μὴν οἶσθά με τῷ πυθίῳ λειτουργοῦντα πολλὰς Πυθιάδας, Plutarch. in lib. An seni capess. resp. Idem reperitur apud Athæum lib. 22. ¶ Πυθιὰς βοὴ apud Suidam, id est ἡ μετ' αὐλοῦ γινομένη φωνὴ, τὸ πύθιον μέλος: vnde (inquit) πυθαύλης dicitur. Sic verò appellabant τὸν παιᾶνα.

Pythonicus. Pythonissa.

¶ A Pythone dæmonio fatidico fit Pythonicus, vt spiritus Pythonicus, & Pythonici, qui eiusmodi spiritu diuinatore correpti sunt: ijdem qui πυθόληπτοι. Hinc etiam Pythonissa, mulier spiritu illo correpta, quam etiam Tibullus Pythona appellat, Delphica (inquiens) Python, tanquam Pythonis vocabulum duobus generibus sit commune, Calepinus.

Composita. Πυθόμαντις Πυθόχρηστος Πυθόληπτος Πυθαύλης. Πυθιόνικος.

Πυθόμαντις pro vate Pythico, & πυθόμαντις ἑστία, id est ἡ τῆς μαντικῆς πυθοῦς οἰκία apud Sophoclem reperitur. Idem in Oedypo tyranno πυθομάντεις fatidicos dixit. ¶ Πυθόχρηστος dicitur ὁ πυθοῖ χρησθείς, id est Delphico oraculo responsus aut editus vel comprobatus. Πυθόχρηστοι νόμοι apud Xenophontem in repub. Laced. Πυθόχρηστον μάντευμα, Arristoteles. ¶ Πυθόληπτος, ὁ ὑπὸ τοῦ πυθίου ληφθείς, id est Pythio numine afflatus, Suidas. ¶ Πυθαύλης, Pythij carminis cantor, vel qui Apollinis cum Pythone certamen tibia exprimit, seu ὁ αὐλῶν τὸν πυθικὸν νόμον. De qua re vide plura apud Poll. lib. 4. cap. 10. sub finem. ¶ Πυθιόνικος, Pythionices. Qui Pythijs ludis vicit. ὁ πυθίοις νενικηκώς, vt Plutarchus loquitur.

Nomina propria. Pythius Lydus. Pythia. Pythonis κώμη. Pythopolis.

Pythius fuit Athys filius, vir Lydus ditissimus, qui omnem regis exercitum, ipsumq́ Xerxem magnificentissimo hospitio excepit, magnamq́ pecuniæ summam ei obtulit: de quo plura vide apud Herodotum in Polymnia lib. 7. ¶ Pythia apud Pythitatem Parianæ regionis fuit, & montem Pythium imminentem habuit, Æneas Syluius. ¶ Pythonis come, id est vicus, locus est in Asia, quò primò aduentus sui tempore conueniunt Ciconiæ, & eam quæ vltima aduenit, laniant vniuersæ, Plinius lib. 10. cap. 23. ¶ Pythopolis vrbs fuit condita à Theseo in Asia, sic dicta quod ex oraculo Pythiæ eam condidisset. Huius meminit Plinius inter Mysiæ vrbes, lib. 5. cap. 32. Est & Pythopolis Cariæ, sic dicta à Pythe seu Pythio illo diuite, qui & Xerxem conuiuio excepit, & militibus eius senos Daricos aureos in capita distribuit, Stephanus.

Icon.

¶ Leontius statuarius fecit Apollinem citharœdum, serpentemq́ eius sagittis confectum Plinius.

Dracones Epirotici à Pythone prognati.

¶ Epirotæ Apollinem venerantur, in cuius templo draconem colunt ob memoriam Pythonis, à quo se prognatos dicunt: ex eoq́ cibum appetente aut auersante auguria capiũt, Volaterranus. Ælianus verò non ipsos Epirotas sed dracones, qui Apollini apud illos sacri habentur, à Pythone Delphico natos existimari scribit. De quibus plura in historia Draconis H.h.

Prouerbia, Pythia & Delia sunt hæc tibi.

Pythia & Delia. Aiunt Polycratem Sami tyrannum, cum Pythia & Delia simul fecisset, Delum misisse percontatum, an sacrificium præfinito tempore offerret, cui Pythia, id est Apollinis sacricula responderit: Hæc tibi & Pythia sunt & Delia: significare volens ea esse vltima: paulò post enim perijt, Hæc Suidas. Erasmus verò paulo aliter huius adagij rationem exponit: ait enim hoc dictum vsurpari, quum supremum aliquod opus significamus; perinde quasi dicas: Hæc summa omnium quæ gesturus es in vita. Citatur adagium ex Menandro. Natum aiunt ab oraculo quodam, reddito Polycrati Samiorum tyranno. Nam is posteaquam Rheneã insulam cepisset, eamq́ consecrasset Apollini, constitutis apud Delum ludis pulcherrimis, Delphos misit, consulturos vtrum oporteret eos ludos Delios an Pythios appellare. Respondit oraculum, ταῦτά σοι καὶ πύθια καὶ δήλια, futurum innuens, vt propediem excederet è vita: idq́ euenit. Itaque res in prouerbiũ versa, Hæc Erasmus.

Post Pythia venisti. In Pythij templo cacare. Iterum atq; iterum ad Pythũ via.

¶ Post Pythia venisti: dicitur in eos qui negotio cuipiam egregio non interfuerunt: quod serius, iam re peracta, accesserint, Idem. ¶ In Pythij templo cacare dicebatur qui rem nephariam & periculosam faceret: quod Pisistratus tyrannus extructo templo inscripserat, ne quis inibi ventrem exoneraret, & aduenam quendam deprehensum è medio sustulit, Idem. ¶ Iterum atque iterum ad Pythum via: dictum de ijs qui molesti sunt eadem de re iterum atque iterum percunctando: quemadmodum solent ignari viæ, quemcunq́ obuium habuerint de via rogare. Porrò Pythus ciuitas Apollini sacra, quæ visebatur plerisq́, Idem.

DE SERPENTIBVS ALATIS: QVOS VVLGVS DRACONES VOCAT.


QVoniam superius in historia draconis, retulimus ex diuersis authoribus quosdam dracones alatos esse, visum est iam subiungere, quæ varij scriptores de serpentibus alatis disserunt, quia vt Cardanus testatur, hos angues aligeros vulgus etiam dracones vocat.

Serpentes alati Indici.

Megasthenes in India scribit serpentes gigni volucres, non die sed noctu infestas, quæ vrinam quoque reddunt, cuius contactu animalium partes putrescant, Ælianus. ¶ Mons qui Narsingæ regnum diuidit à Malabaris, multas alit feras: inter quas alatos angues arboribus insidentes. Quos aiunt, solo afflatu, vel etiam obtutu eos, qui propius accedant, interficere, Iulius Scaliger.

Arabici.

Ibes nigræ anguium volucrium cateruas pestilentes ex Arabia intra Ægyptios fines & ingredi prohibent, & pro terra sibi amica propugnantes illud vniuersum agmen interficiunt atque consumunt, Ælianus. Est Arabiæ locus ad Butum vrbem ferè positus, ad quem locum ego me contuli, quòd audirem volucres esse serpentes. Eò cùm perueni, ossa serpentum aspexi, & spinas multitudine supra fidem ad enarrandum, quarum acerui erant magni ingenti numero. Fertur ex Arabia serpentes alatos ineunte statim verè in Ægyptum volare, sed eis ad ingressum planitiei occurrentes aues Ibides non permittere, sed ipsos interimere. Serpentis porrò figura qualis hydrarum, alas pennatas non gerit, sed glabras & alis vespertilionis valde similes, Herodotus. Cùm Arabicæ paludes pennatorum anguium mittunt examina, quorum tam citum virus est, vt morsum ante mors quàm dolor insequatur: sagacitate qua ad hoc valent, aues (Ibides) excitatæ, in procinctum eunt vniuersæ, & priusquam patrios terminos externum malum vastet, in aëre occursant cateruis pestilentibus: ibi agmen deuorant vniuersum, Solinus. Ibes auertunt pestem ab Ægypto, quum volucres angues, ex vastitate Libyæ vento Africo inuectas, interficiunt atque consumunt. Cicero 1. de natura Deorum, qui ex Libya alatos illos angues inuehi scribit, cùm cæteri ex Arabia eos aduolare scribant. Ibes occurrunt pennatis agminibus anguium, qui ex Arabicis emergunt paludibus venena malignantes, &c. Ammianus Marcellinus. Non Arabum volucer serpens, Lucanus libro 6. agens de venefica mortuum excitante per necyomantiam. Quoniam autem accidit vt corpora integra serpentium alatorum quorundam condita viderim, qui pedes habent, quiqꝫ ex Arabia in Ægyptum volare dicuntur, eorum effigiem hic apposui, Bellonius.



In Arabia thuriferas arbores obseruant colubri subalati exiguo corpore, discolori specie, permagno numero circa singulas arbores, iidem videlicet qui aduersus Ægyptum facto exercitu tendunt, nec vllo alio ab arboribus quàm styracis fimo submouentur, vniuersam terram oppleturi, vt Arabes aiunt, nisi (vt iidem narrabant) simile quiddam illis contingeret ei quod monuimus contingere viperis, Herodotus. Casiam fabulosa narrauit antiquitas circa paludes reperiri, propugnante vnguibus diro vespertilionum genere, aligerisqꝫ serpentibus, his commentis augentes rerum pretia, Plinius.

Syrenæ serpentes alati in Arabia.

In Arabia serpentes sunt cum alis, quæ Sirenæ (aliàs prima per ypsilon scribitur) vocantur, quæ non solum plus currunt equis, sed etiam volare dicuntur, quorum tantum virus est, vt morsum ante mors insequatur quam dolor, Isidorus. De his dictum est in Dracone A.

Serpentes alati in Aethiopia.

Sunt quæ vel pennis vel membranis volant omnia bipeda aut apeda. Angues enim circa Æthiopiam tales volare narrantur, Aristoteles histor. animal. lib. 1. cap. 5. Altararat, id est serpens volans, Aut. exp.

Draco pennatus in Gallia visus.

¶ Esse porrò serpentes quosdam, membranaceis pinnis alarum instar vtentes, memoriæ proditur: quod ætate nostra, ita esse, compertum est. Delatus enim est ad Franciscum Gallorum regem draco pennatus, apud Sanctones à rustico, cùm in eum inuolaret, ligone cæsus: hunc multi eruditi, spectatæqꝫ fidei homines se vidisse nobis testati sunt. Putabant autem, ex transmarinis regionibus, vento pulsum in eam prouinciam, emigrasse. Nam Gallia monstris huiusmodi caruit, Brodæus Miscel. lib. 3. cap. 1. ¶ Ad Pyrenæos Bigerones est genus serpentum ferum, breuius (ijs quorum antea fecerat mentionem, quos quaternum pedum longitudinem, & humani brachij crassitudinem æquare dixerat) quadruplo crassius: quorum lateribus alarum more ac facie panduntur cartilagines, Iul. Scaliger.

Serpentes alati in Germania

¶ Anno Domini 1543. audiui in finibus Germanicæ propè Stiriam subitò multos serpen-

tes apparuiſſe, quadrupedes, lacertorum inſtar, alatos, morſu irremediabili. Froſchouerus narrabat ex bibliopola Stirio auditum, Geſnerus.


Deſcriptio ſerpentum alatorum quos Cardanus vidit. ¶ De ſerpentibus alatis, dum Lutetiæ eſſem, quid viderim apud Gulielmum Muſicum referam. Habebat ille quinque tales, quales nunc deſcribam: qui cùm omnes diuerſis temporibus habiti eſſent, forma verò eadem penitus, indicabant non fuiſſe commentitios: neque enim diuerſi homines, eadem ad vnguem, & maximè diuerſis temporibus fingere poſſunt. Erant autem bipedes, alis exiguis, vt vix volare poſſe crediderim: caput paruum & ſerpentum capiti ſimile, color lucidus, plumæ nullæ, nec pili: magnitudo eius qui præcellebat alios, cuniculi. Præſtitiſſet ſi conficti fuiſſent, alas tam grandes addere, vt poſſe volare exiſtimarentur: delatos ex India conſtat: dracones vulgus vocat. Cardanus de Varietate rerum lib.7. cap.29.

¶ Medea iugulato Pelia niſi pennatis ſerpentibus iſſet in auras, non exempta foret pœna, &c. Ouid. lib.7. Metam.

DE DRYINO QVI ET CHELYDRVS DICITVR.

A.

Nomina. E Hydro Nicander ſub Cherſydri nomine diſſeruit: Dryinus verò eius quem hydrum appellat, alius eſt, Matthiolus. Serpens (inquit Nicander) quem alij dryinam (δρυΐναν prima inflexione) alij hydrum & chelydrum vocant in concauæ quercus fagiue latebris abſtruſa viuit. Nomen animali δρυΐν@, à loco vbi victitat ferè: Dryinas nuncupatur ab alijs, atque item chelydrus inter genera ſerpentum, meminit in Theriacis Nicander, Cælius. ¶ Hydri ſiue Natrices



quandiu aqua in lacunis eſt, perrarò exeunt: vbi defecit æſtu, inuiti Druinæ fiunt. Quibus ego ſuo loco Querculis nomen feci. Quanquam olim fruſtra dubitaui an eſſet iaculum, Iul. Scalig. ¶ Chelydrum ex recentioribus quidam cum Cherſydro confundunt. Seruius quoque, Chelydri (inquit) dicti ſunt quaſi Cherſydri, quia in aquis & in terris morantur. Idem ſcribit Iſidorus. Terram & aquam indifferenter inhabitant Chelydrus & Andrius, Olaus magnus. Sed & veteres quidam, vt Vergilius, Lucanus, & Ælianus ſcriptor Græcus non diſtinxerunt, quod ex tetro, quem ei attribuunt odore deprehenditur: qui Chelydro proprius eſt, non hydro hydræue aut Cherſydro, nec alij, de quo authores meminerint, ſerpenti: vt Vergilius Æneid.7. de Vmbone ſacerdote,

Vipereo generi & grauiter ſpirantibus hydris
Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat.

Alibi verò hunc grauem odorem Chelydris tribuit, canens his verbis,

Diſce & odoratam ſtabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare graues nidore Chelydros.

Deſcriptio. ¶ Serpentes qui à veteribus Dryini vocabantur, hodie vulgo Dendrogailla nominantur, Bellonius. ¶ Cheriſidal ſiue Alidras (Cherſydrus vel potius Chelydrus legerim) genus ſerpentis quod terram fumare facit, naſcitur in Africæ parte interiore. Obſcurus quidam author deſcriptionis orbis terrarum in tabula. ¶ Ilicinus ſiue duriſſos (pro dryinos) Auicenna 46.3.42. & Albertus. A Conſtantino glandoſa dicitur. ¶ Dryini nomen Germanicum fingi licebit, ein Eychſchlang, vt Ge. Agricola quoque finxit, à quercubus: vel à fœtore, ein Stinckſchlang. Eliota Anglus vocat Chelydrum à ſea ſnayle.

B.

Serpentes dryini (magis placet δρυΐνας in prima declinatione, vt Nicander habet) appellati, abundant magis iuxta Helleſpontum. Latibula autem habent in quercuum radicibus. Eſt autem dryinus fœtidus: vnde & ſiquis eum non videat, fœtore loci cognoſcitur. Eſt autem cubitorum duorum longitudine, obeſus, & aſperrimis ſquamis circa vniuerſum corpus munitus. In his ipſis ſquamis muſcæ pennis æreis latibula ſua habere dicuntur, quæ tandem ipſos ſerpentes occidunt, Aëtius libro 15. cap.29. Colore per dorſum nigro eſt (αἰθαλόεις τὰ νῶτα) interpres Latinus vertit, Candidus eſt tergi color, quem ſequitur Matthiolus, qui vertit, Candet dorſum, ſed perperam) capite lato & plano (humili non acuto) ſicut in hydro (Cherſydro) Corporis odor teter eſt, talis ferè qualis corij equini madidi (πλαδόωντος) dum cultro raditur, wie ein ſtinckende gerwer haut, Nicander. ¶ Bellonius in ſuis Singularibus ſcribit ſe alium ſerpen-

tem non nosse aut vidisse, qui ad maiorem amplitudinem & crassitudinem perueniat, eo quem dendrozailla vocat, eundemq; esse cum dryino veterum asserit: nec qui altius sibilet. Aliquando (inquit) vnum tantæ magnitudinis cepi, tantiq; ponderis, vt cum sacco impositum rusticus duo milliaria ferre non posset quin quiesceret. Corium fœno repletum crassitudine tibiam hominis carnosi æquabat.

C.

Dryinus in radicibus quercuum viuit, Galenus. In concauæ quercus fagiue latebras abstrusa viuit: & relictis paludibus, domesticis sedibus, in pratis moluridas (animalia locustis similia) & ranas paruas venatur. Quòd si à myope (id est asilo, Gillius vertit crabrone) infestetur, statim in concauam quercum bene penitus perfugit, Nicander. Scholiastes Nicandri dryinam in palude perenni (ἐν ἀενάῳ λίμνῃ) morari scribit, &c. Sequutus videtur Scholiastes authorem, qui confundit hydrum cum chelydro, vt de hydro potius quam chelydro dictum videatur in palude perenni degere. Hydri siue natrices quandiu aqua in lacunis est, perrarò exeunt: vbi æstu deficit, inuiti druinæ fiunt, Iul. Scaliger. Ilicinos siue durissos, habitat in ilicibus, (alius vertit, in locis vbi sunt quercus multæ) Auicenna. ¶ Chelydrus eundo sese conuoluit per terram, Textor. Semper directus ambulat: nam si torserit se dum currit statim crepat, Solinus vt quidam citant, Isidorus. Lucanus cenchrin semper recto limite ferri cecinit. Natus & ambiguæ coleret qui syrtidos arua Chersydros, tractiq; via fumante chelydri, Lucanus lib. 9. Fumum enim eum emittere dicunt grammatici qua serpit: ego non tam fumum quàm tetrum odorem ab eis moueri puto. Hinc & Mantuanus, —*Clades fumosa chelydrus.* Et Pamphilus: *O quæ fumiuomos geris chelydros.* Et Macer vt quidam citant: *Seu terga expirant spumantia virus, Seu terra (tellus) fumat, qua teter labitur anguis.*

Habitatio.

Incessus.

Fœtor.

G.

Natura huius est vehementissimè venenosa & calida: & proinde ponitur in primo serpentium ordine, Ardoinus. Ab eo percussi hominis teterrimus odor (ἀποπνιγόεσσα ὀδμή) manat. (Ἀποπνιγόεσσα, teter odor vertit interpres: sed videtur reddendum odorem suffocantem, præfocantem siue strangulantem. Potest verò hæc strangulatio ab odoris grauitate prouenire. Testatur hoc ipsum paulò post sequens Nicandri vocabulum, περιπνιγέες τε πέλονται, id est intercipitur vox.) Cutis in corpore flaccida & fœtida fit: Ῥινοὶ δὲ πλαδόωσιν ἐπὶ χροΐ. (Πλαδόωσιν, interpres Latinus sequutus Scholiastem Græcum vertit, admodum male olentem: & Gesnerus fœtent. Πλαδῶ verò significat, humore madeo, abundo, ac velut prægnans sum. Cutis corporis flaccescit madet, humore scilicet ibi collecto. Et fortè intelligit pustulas cutaneas excitari per corpus, cuiusmodi sunt nomæ dictæ. Quod verò paulò ante dixit, αὐαίνεται, siccatur, interpretandum est.) Venenum enim serpendo eam celeriter depascitur. Oculis etiam offusa caligo miserum grauat & inquietat. Sunt qui veluti balantes (Balantes, μυκάουσι, Scholiast. μυκάτουσιν, vbi Scholiastes legisse videtur μηκάτουσι per η balantes vel μηκάουσι. μυκάω boum ferè, quanquam Homerus quoque capris μυκᾶν tribuat.) vocem ægrè, tanquam in suffocationis periculo, emittant. Vrina cohibetur. Οὖρα δ' ἀπέσυνται: vbi Scholiastes, ἤγουν ἀποσύφεται, ἀντὶ τοῦ ὠχρὰ φαίνεται, quod non placet.) Aliqui dormitantes stertunt (id est asperè sonant, propter impeditam respirationem) & crebro singultiunt: & vomitum vel biliosum vel cruentum reddunt. Denique sitientes corpore tremunt, Nicander. ¶ Adeò autem malignæ ac nocentis naturæ est, vt si quis eum calcet modò, illius pedes excoriet, & tumorem ingentem circa crura inducat. Et quod magis mirum videri potest, aiunt etiam medici curantis ægrum manus excoriari. Si quis autem, inquiunt, animal ipsum occidat, omnia quæ odoratur ab eius fœtore corrupta putat (ita vt alium odorem nullum percipiat: Ægineta, & Galenus ad Pisonem.) Porrò qui ab eo percutiuntur, his tumor insurgit nigricans, (tumor circa morsum cum rubore, Ægineta) dolor vehemens, nome, delirium, corporis siccitas, singultus, vomitus biliosus, aut omnino vomitus simplex: vrinæ suppresio, tremor, interceptio vocis, stupor, scissura & mortificatio percussorum locorum. Plurimi etiam intereunt. Porro & hi ipsi quoque ex his quæ in viperæ morsu dicta sunt, opem sentiunt: itemq; ex communibus remedijs iuxta consequentium accesionum proportionem adhibitis, Aëtius. Cui & Ægineta multa similiter tradit. ¶ A dryino (inquit Dioscorides, ὑπὸ δρυΐνου, qui genitiuus potest à recto cum δρυῖνος, tum δρυΐνας, qui potior est, formari. Apud Æginetam legitur ὁ δρυῖνος paroxytonum in ος, in nostro codice: vnde corruptum esse apparet: nam in ος proparoxytonum esse deberet: in ας verò, quod probamus, rectè penacuitur) morsis vehementes cientur dolores, & pustulæ circumcirca oriuntur, (emendauimus hæc ex Ægineta) aliquando (ὅπου loci aduerbium pro temporis aduerbio) & aquosa sanies emanat (nimirum ex ijsdem pustulis.) Consequitur et erosio (δηγμός, mordicatio scilicet stomachi: nam Ægineta habet καρδιωγμός, dolor in ore stomachi, Constantinus:) & strophi, id est torsiones. Prodest autem eis aristolochia cum vino pota: trifolium præterea, & asphodeli radix similiter sumpta. Prosunt tritæ potæq; de quouis quercuum genere glandes. Ilicis etiam radices tusæ, & loco pro cataplasmate impositæ, dolorem leniunt, παρηγοροῦσιν. Æginetæ nostri æditio habet ἀρήγουσιν, id est auxiliantur, Hæc ille, & Actuarius inde mutuatus.

De dryini veneno, morsu et cura.

¶ Accidit ex morsu eius excoriatio cutis eius quem momordit, & eius qui permiscetur ei, & curat ipsum: & habet odorem malignum, mortificans eum qui præsens est morti eius, siue sit lædens, siue non lædens. Et accidunt ex eo iterum accidentia morsus viperarum. Cura ipsius est cura viperarum, & confert eis propriè bibere aristol. longam cum vino, & similiter alhandat coctum, & asphodeli radicem & vinum, Auicenna. ¶ Adijciemus hic quæ Ælianus de hydro, chersydro & hydra scripsit, quæ propriè ad chelydrum pertinent, vnde apparet Ælianum hæc nomina confudisse. Ab hydro (inquit) percussum Aristoteles dicit statim odorem teterrimum reddere, ex eoq; quòd tam malè oleat, ei neminem appropinquare posse. Idem quoque ait, eundem percussum cum obliuione circumfundi, eiusq; oculis multam caliginem offundi, tum rabiem & summum tremorem eidem exoriri, tertioq; die perire, Hęc Ælianus de anim. lib. 4. cap. 57. Et rursus lib. 8. cap. 7. In lib. de Theriaca (inquit) Apollodorus ait, eum qui chersydrum conculcauerit, etiamsi morsus non fuerit, mortem cum vita commutare: quòd eius tactus quiddam omnino tabificum habere dicatur: tum ei qui curare & quoquomodo remedium afferre morienti tentauerit, ex sola eius, qui conculcauit tactione pustulas ipsi exoriri. Et rursus eiusdem libri cap. 13. In Corcyra hydræ (ὕδραι) serpentes procreantur, quæ se retrouersus ad insequentes retorquent: & spiritum malum anhelantes (φυσήσασαι πνεῦμα ἄτοπον) ab impetu suos insectatores reprimunt, ab seq; auertunt.

H.

Etymologia dryini & chelydri.

Dryini nomen huic feræ mortiferæ inditum est, quod in quercuum cauernis, quæ propè radices sunt, stabuletur. Græcis enim quercus δρῦς dicitur, Matthiolus. A Græcis chelydrus etiam dicitur, quòd sit cute aspera admodum, quemadmodum chelone, id est, testudo. Chelydrus quoq; ex eo quod squamas habeat asperas et rudes, dicta fuit (ὡς τραχύδερμον διὰ τὸ γῆρας, Varin.) Hinc etiam Dryinus, quia tergam habet asperrimis squamis obductum, chelydrus dictus fuit. Latinè squamus dici posset: sic enim cutem callis plenam, qualis est Agricolarum, & aliorum qui laboribus paulo vehementius sunt addicti, appellant, Greuinus lib. 1. de venenis. Epitheta chelydri apud Rauisium. Medusæi, Sylius lib. 7. à Medusa dicti, cuius crines erant serpentes. Fumiuomus, fumosus, sinuosus, maculosus, rigidus. Item teter, & nigri, Vergilio 2. Georg. nocentes interpretatur Seruius. Chelydrus dictus anchoroma, Arnoldus. Aliqui testudinem quoque marinam chelydrum vocant. ¶ Apud Varinum & Hesychium Cylindri, Κύλινδροι, serpentes memorantur, fortè ijdem sunt qui & Chelydri.

Cylindri.

b. *Tum modò dependens tricbili, modò more Chelydri*
Intortus cucumis, prægnansq; cucurbita serpit. Columella.

g. *Et bellare manu, & chelydris cantare soporem*
Vipereumq; herbis hebetare & carmine dentem. Silius de Marsis.

Georgius Fabricius scribit vidisse se Romæ in templo Bacchi, quod nunc est S. Constantię, propè infracto sepulchri marmore Bacchantium turbam, qui angues ore gestarent, & caprum ducerent: de quo more prudentius Christianus poëta in libris contra Symmachum:

——Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & virides discindunt ore Chelydros,
Qui Bromium placare volunt, quod & ebria iam tum
Ante oculos regis Satyrorum insania fecit.

Cernuntur etiam serpentes innumerabiles sub quercubus in æstatis initio, ducem (cui crista candida vt corona eminet) tanquam apes suum rectorem sequentes. Creduntur veterum relatione lapidem flatu suo gignere, ex aliqua venenata particula eo in loco vbi manent, inter folia producta, vel reperta, Olaus Magnus.

Videtur (licet rarò) mirum spectaculum in Aquilone, quomodo profundè sub radicibus arboris betulinæ manent serpentes, quorum multitudo suo afflatu calorem in radicibus excitat, vt folia huius arboris semper durante hyeme viridia permaneant. Quocirca gens naturæ secreta ignorans arborem sacram putat, quasi magno numini consecratam, Idem.

Christophorus Encelius serpentem à corylis denominatum alicubi in Germania rarissimum describit: qui an chelydro sit cognatus, inquirendum. Credibile est (inquit) quod aucupes & venatores ferunt, gallos de syluestribus gallinis, quæ à corylis nomē inuenêre (bonosas vocant recentiores) senio confectos oua more fœmellæ ponere, quæ excludant buffones, & ex illis nasci basiliscos syluestres (non probo hoc nomen) die haselwürm: sicuti ex ouo galli domestici post nouem annos excluditur basiliscus per rubetam domesticus, id quod testatur experientia (imò fabula) &c. vt recitauimus in historia auium inter gallinas feras in Attagene.

DE SERPENTIBVS QVORVM NOMINA INCIPIVNT AB E.

DE ELEPHANTIIS SERPENTIBVS.

SVnt & Ammoditæ. Est & cenchris, elephantię, chersydri, chamædracontes, Solin. Elephantiæ serpentes sic dicti, quod is quē momorderint hoc genere lepræ afficiatur. Eliota Anglus.

DE ELOPE VEL ELAPE.

Elops vel Elaps ſerpentis cuiuſdam nomen eſt, quem inter innoxios Nicander in Theriacis recenſet, his verbis,

Ἀλλά γε μὴν ἀβλαπτα κινώπετα βόσκεται ὕλαις
Οὓς ἔλοπας, λιβύας τε, πολυστεφέας τε μυάγρους
Φράζονται.

Scholiaſtes interpretatur ἔλοπας, τουτέστιν ἀσθενεῖς. Fortaſſe idem eſt qui & Cæcilia ſeu Typhlops, ſic dictus διὰ τὸ ἐλλείπειν τὴν ὄπα, id eſt, quòd deficiat viſus. Vel, ἔλοπας, quaſi ceruinas ſerpentes dixeris, ab ἔλαφος fortè. Serpentes quidam ceruini dicuntur, ſimiles nigris illis, qui in multis regionibus præcipuè Apulia notiſsimi ſunt, nec multum veneni habent, Monachi in Meſuen. Aëtius lib. 13. cap. 32. de peliade & elape agens ſic ſcribit, Signa quidem horum animalium apud veteres non ſunt deſcripta, vtpote quæ omnibus ſunt manifeſta. Et paulo poſt: Elapis porrò morſum tormen voluuloſum conſequitur. Aliàs communibus auxilijs curantur. Maximè verò his quæ tormina leniunt, & vrinam cient, Hoc Aëtius. Sunt & ſeruatis piſcibus medicinæ. ſalſamentorumque cibus prodeſt à ſerpente percuſsis, & contra beſtiarum ictus, mero ſubinde hauſto, ita vt ad veſperam cibus vomitione reddatur. Peculiariter à chalcide, ceraſte, aut quas ſepas vocant, aut elape dipſadeue percuſsis, Plinius.

Bellonius in ſingularibus ſcribit in Lemno inſula reperiri quoſdam ſerpentes qui Laphiati *Laphiati.* vulgo vocantur, quem eundem eſſe dicit cum eo qui à veteribus elaphis vocabatur. *Elapis.* Fortaſſe elaps vel elops dicere voluit, niſi fortè elephantias intelligat de quibus paulo ſupra. Elops eſt etiam piſcis cuiuſdam nomen quem quidam accipēſerem eſſe volunt. In Catalogo piſcium Tarẽtini ἔλαψ legitur. Matron Parodus de conuiuio quodam apud Athenæum, Appoſitus eſt (inquit) & ἔλωψ: per ω in vltima. Elops vel ellops piſcis eſt rarus, quo capto ob ſecundam nauigationem nautæ ſe ſuaque nauigia ſertis coronant, cumque plauſu & tibiarum ſono ad littus appellunt. Hunc ſacrum à poëta vocari exiſtimant aliqui, Geſnerus annotauit. Plura vide in elope inter aquatilia. ¶ Ἔλλοψ verò per duplex lambda, mutum ſignificat, eſtque epithetum piſciũ apud poëtas. Etymi meminit Plutarchus Simpoſ. lib. 8. probl. 8. Ἔλεγε δὲ τῆς ἐχεμυθίας τοῦτο γέρας εἶναι, τοὺς ἰχθῦς καλεῖν ἔλλοπας, οἷον ἰλλομένην τὴν ὄπα καὶ κατειργομένην ἔχοντας. Ἔλλοπες pro piſce, exponuntur ab Heſychio, δασεῖς, καὶ τραχεῖς καὶ ποικίλους: ex quarum cauſarum aliqua fortè ſerpentes etiam ἔλοπες dicti ſunt διὰ τὴν αὐτῶν δασύτητα, ἢ τραχύτητα, ἢ διὰ τὸ ποικίλον. Ἐλῶπες Heſychio ſunt μισθωτοὶ ἐν τῷ ἕλει ἐργαζόμενοι.

DE SERPENTIBVS QVORVM NOMINA INCIPIVNT AB H.

DE HAEMORRHOO.



Haemorrhovs & hæmorrhois *Nomina.* ſuis ipſorũ nominibus ſimilem hominibus perniciem inferunt, quippe percuſsi ſanguine per os, nares, totoque corpore effuſo ſic intereunt, Galen. Hæmorrhois aſpis nuncupatur, eo quod ſanguinem ſudet qui ab eo morſus fuerit: ita vt diſſolutis venis, quicquid vitæ eſt per ſanguinem euocet. *Hæmorrhous et hæmorrhois* Græcè enim ſanguis αἷμα dicitur, Iſidorus. Hæmorrhous rectè dictus eſt à ſanguine, eò quòd ab eo punctus nimium emittit ſanguinem, Alexander. Αἱμοῤῥοῒς ὄφις, Euſtathius.

Emorrhois vel Affodius dictus ab eo quod diſſoluendo venas necat ſanguinis fluxu, Arnoldus. *Affodius.* Afudius ſerpens magnus qui egredi facit ſanguinem ex poris omnibus, Syluaticus. *Afudius.* Auicenna lib. 4. fen 6. tract. 1. cap. 36. agit de ſerpentibus qui egredi faciunt ſanguinem ex poris omnibus: Sicut ſunt, inquit, Afudius & Sabrin. *Sabrin.* Albertus verò de hoc ſerpente agit ſub tribus nominibus, Halſordio primum, deinde hęmorrhoo, poſtea Sabri, non animaduertens ſolam eſſe *Halſordius.* nominum non autem naturæ ſerpentis differentiam, quum ſit eadem in omnibus ſanguinem humanum exinaniendi vis, vt etiam Albertus ipſe ſub eiſdem nominibus teſtificatur. Allegat autem in ſolo Sabri Semerionem quem Sabrim idemmet Albertus fatetur parum ab Halſordio differre. Verum in hoc ſerpentis genere nõ eſt alia differentia quam ſexus aut nominũ: quoniam hæmorrhous mas & hæmorrhois fœmina ſunt nomina Græca; halſordius & ſabrim barbara fortè idem maris ac fœminę diſcrimen importantia. Ideo rectius Auicenna tacuit hæmorrhoum qui nomine tantum ab Afudio vel Alſordio ſiue Sabri diuerſificatur. Olaus Magnus ab Alberto deceptus eius errorem etiam ſecutus eſt, ſiquidem tres ſpecies huius ſerpentis enumerat; ac primum dicit de horum genere eſſe Sabrim & ſimiles quorum morſus aperit omnes po-

ros naturales aurium, oculorum, narium, & quibus sanguis emanat, &c. Paulò post addit. Est & alius serpens cinerei coloris hæmorrhois dictus, vnius cubiti, hominem morsu suo per sanguinis fluxum interficiens. Sequenti capite agens de serpentibus candidis & varijs addit, de quorũ genere est sabrim iam descriptus et Alfordius siue Affordius, similem naturã cum sabrim habens, Hæc Olaus Magnus. Ex cuius verbis satis apparet vnum eundémque esse serpentem. Ardoynus etiam separat hæc serpentum nomina: Vocat autem Affodium, sabtin vel sabrin, & addit etiam de hæmorrhoo.

B.

Formæ corporis descriptio.

Hæmorrhous è genere viperarum, pedem vnum longus est, tum à capite in tenuitatem eius corporis habitus procedit. Colore est partim flammeo, partim nigro: eius caput tanquam cornibus quibusdam inhorrescit, Ælianus ex Nicandro, qui sic paraphrasticè hunc serpentem descripsit, libro 15. cap. 13.

Vnum longa pedem, totoq́ gracillima tractu,
Ignea quandoq́ est, quandoq́ est candida forma,
Constrictumq́ satis collum, & tenuissima cauda.
Bina super gelidos oculos frons cornua profert,
Splendentum quadam radiorum albentia luce,
Syluestres vt apes populatricesq́ locustæ.
Insuper horribile ac asprum caput horret. Hæc Nicand.

De Hæmorrhoo & hæmorroide. Animalia hæc colore quidem sunt arenoso, magnitudine autem tres palmos æquant, & in tenuem ac angusta figura caudam paulatim desinunt. Sunt autem igneo oculorum fulgore, rectaq́ & tardè proreptant. Per corpus verò multis notis albis & nigris variegata sunt, & asperioribus squamis oblita, quapropter dum serpunt, sonus auditur, Aëtius. De Afudio & Sabrin Sapientes quidam dixerunt, quòd isti duo serpentes corpora habent arenosa, & super corpora eorum sunt puncta nigra, & alba: & longitudo eorum est longitudo cornuti. Et dixerunt quidam, quòd ipsi sunt minores viperis; & capita eorum, & ipsorum caudæ sunt minuta & sunt coloris arenosi: & quandoque sunt nigri, & rubei, & albi, & sunt super eorum capita squamæ albæ incisæ, & sunt æqualium dentium, Auicenna. Hæmorrhois cinerei coloris est, vnius cubiti, Olaus Magnus. Candidi & varij, de quorum genere est Sabrin & Alfordius, Idem. Colore partim sanguineo, partim nigro est Hæmorrhois, Textor, & Volaterranus.

C.

Incessus.

Sensim & pigre serpit, ventris squamis terram premens: tortuosa non recta via progreditur, & gradiendo leuiter substrepit, vnde eius segnities & infirmitas ostenditur, Ælian. *Et instar*

Ipsius obliquè sua paruula terga cerastæ
Claudicat: ex medio videas appellere dorso
Paruum nauigium, terit imam lubrica terram
Aluus, & haud alio tacitè trahit ilia motu,
Ac per arundineum si transeat illa grabatum. Nicander in theriacis.

Fœmina quidem ventri incumbens per terram repat, & gressum infernè circa caudam firmat; mas verò circa ventrem ingressu nititur, & collum in serpendo extendit, Aëtius. Incessu tardo & directo serpunt, ruffis, vt quidam scribunt, pedibus. Fœmina in aluum iacet serpendo, meatumq́ versus caudam inferiore situ continet. Mas autem versus aluum habet, ceruicemq́ serpendo porrigit, Hermolaus, qui perperam pedes huic serpenti tribuit. Eorum incessui est strepitus propter siccitatem corticum ventrium ipsorum, ac si esset strepitus foliorum virgæ (alias cannarum vel arundinum) & sunt grauis motus, Auicenna. Tarde pigreq́ serpit, nec nisi obliquo itinere, Volaterranus, Textor.

Quibus in locis versatur.

Hæmorrhous in saxorum cauernis domesticam sedem habet, Ælianus.

Rimosas colit illa petras, sibiq́ aspera tecta
Et modicè pendens facit inflexumq́ cubile. Nicander.

In petrosis recessibus commoratur, Volaterranus.

G.

Naturæ huius serpentis, eiusq́ veneni Ardoinus meminit, quanquam vt dictum supra distinguat hæc nomina, quasi diuersæ sint species, scribens: Natura cuiuslibet prædictorum est omnino consimilis; est enim calida excessiuè, & venenosa valdè, & orificium venarum & pororum omnium aperitiua; & quilibet eorum est in primo serpentium ordine. Primùm vt momordit, statim punctus cyanei (liuidi) coloris exoritur, venter copiosè fluit & exhauritur: & prima statim nocte sanguis per nares fauces & aures cum biliosa saniè emittitur. Vesica sanguineam vrinam reddit. Cicatrices siquæ sint in percussi corpore, etiamsi consenuerunt, tamen recrudescunt, & rumpuntur. At si hæmorrhois fœmina morsum alicui inflixerit, sanguis etiam per summos vngues emanat, & gingiuæ quoque veneno inficiuntur, & sanguis ab eis fluit copiosus, & eliduntur dentes, Ælianus.

Morsus signa & symptomata.

Protinus

Protinus horrendos vbi mordens intulit ictus,
Decolor accurrit ſpecies, quædamq; nigredo,
Anxia corda dolent, gelidæ ſitis ingruit vndæ.
Quin & ſanguinei prima ſub nocte fluores
Ipſis proſiliunt è naribus, auribus, ore,
Veſicaq; ſimul, quæ ſunt in corpore plagæ,
Rumpuntur, quadamq; cutis fuligine marcet.
Ergo caue, in primisq; ſuum ne fœmina virus
Inuomat: hæc quoniam diro quem preſſerit ore,
Ignitas queritur gingiuas, atq; per ipſos
Erumpens vngues miro fluit impete ſanguis,
Et male olente madent fœdi putredine dentes. Nicander.

Ab hæmorrhoo ictis vehementes cruciatus accidunt, qui anguſta contractaq; corpora ex continuo dolore reddunt. Ex plaga copioſus cruor effluit, & quacunq; parte corporis cicatrix vlla fuerit, ea ſanguine manat. Excrementa per aluum cruenta eijciuntur, profluenſq; ſanguis in globos coit: à pulmone ſanguinem extuſsiunt, & in vomitiones effuſi ſine remedio commoriuntur, Dioſcorides, P. Ægineta & Actuarius. ¶ Conſequitur horum morſum color icti loci cruentus, mali coloris & nigricans: ex quo nihil in principio effluit, præterquam paucum quippiam aquoſum. Stomachi adeſt dolor, & ſpirandi difficultas. Deinde ſanguis ex naribus profluit, & ex foraminibus ipſius morſus. Et quicquid eſt in toto corpore cicatricum, id rumpitur & ſanguinem profundit: atq; hæc quidem in maris hæmorrhoi morſu contingunt. A fœminæ verò hæmorrhoidis morſu adhæc & anguli oculorum ſanguine manant, & gingiuæ dentium, & vnguium radices: & vt ſimpliciter dicam, per omne corpus ſanguinem efferri contingit. Dentes præterea excidunt, & gingiuæ putreſiunt, Aëtius. ¶ Iſti ſerpentes (ſcilicet afudius & ſabrin) ſunt mali: & cum mordent, diſrumpuntur pori & meatus omnes fluentes & manantes, etiam ex vlceribus conſolidatis, cum dolore continuo & vomitu ſanguinis, & ſputo ſanguinis. Et paulò poſt. Horum quidem ſerpentum morſus diſrumpit poros, & meatus naturales, faciens ex eis manare ſanguinem, ita quod ex angulis oculorum, & comprimitur in ſanguine, & ſputo ſanguinis narium, & vomitu & dolore in ſtomacho. Et dixerunt quidam, quòd locus apoſtematur, & denigratur, & currit ex eo res parua aquoſa, & ſoluitur venter, & conſtringitur anhelitus, & difficultas fit vrinæ, & abſcinditur vox, & mollificantur membra, & vincit ſuper corpus diſpoſitio obliuionis, & accidit ſpaſmus, & cadunt dentes, & moritur patiens, Auicenna. Sabrin & ſimilium morſus aperit omnes poros naturales aurium, oculorũ, narium, è quibus ſanguis emanat, & aquoſa ſanies pauca ex membro corporis læſo ſurgit, dolor in ſtomacho, conſtringitur anhelitus, oritur difficultas reddendi lotium quam ſubſequitur ſpaſmus. Et paulò poſt. Hæmorrhois hominem morſu ſuo per ſanguinis fluxum interficit, Item. Alfordius ſiue affordius ſimilem naturam cum ſabrin habet, Olaus Magnus ex Alberto. Hæmorrhois ictos ſanguinis excreatione per omnia membra euacuatos perimit, Volaterranus. Hæmorrhois morſu ſanguinem elicit, & diſſolutis venarum commercijs, quicquid animæ eſt, euocat per cruorem, Solinus.

At non ſtare ſuum miſeris paſſura cruorem
Squamiferos ingens Hæmorrhois explicat orbes. Et paulò poſt.
Impreſsit dentes Hæmorrhois aſpera Tullo
Magnanimo iuueni, miratoriq; Catonis.
Vtq; ſolet pariter totis ſe effundere ſignis
Corycij preſſura croci: ſic omnia membra
Emiſere ſimul rutilum pro ſanguine virus.
Sanguis erant lachrymæ: quæcunque foramina nouit
Humor, ab ijs largus manat cruor: ora redundant,
Et patulæ nares: ſudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis: totum eſt pro vulnere corpus. Lucanus lib. 9.

De morſu Tullo inueni inflicto cecinit hoc modo etiam Georg. Pictorius.

Impreſsit dentes Hæmorrhois aſpera Tullo
Magnanimo, fluxu ſanguinis & perijt.

¶ Hæmorrhoi dipſadiſq; morſus velut immedicabiles à pleriſq; maiorum deplorati relinquebantur. Quare ſi peculiaribus remedijs egeamus, communia experiri operæpretium erit, vt ſcarificationes, vſtiones, acres cibos, meraci potum, & quæ anteà in dipſade definiuimus. Quinetiam decocta vitis folia, & cum melle trita, Dioſcorides. Hæmorrhoi morſui præter iam dicta etiam hæc benefaciunt, vitis folia cocta cum melle læuigata: per os autem Hæmorrhoi ipſius caput crematum potui datur, aut allium cum irino oleo: eſui dantur etiam vuæ paſſæ, P. Ægineta. ¶ Horum porrò curam facere oportet, primum quidem ſanguinis eruptioni obluctando ac reſiſtendo per ea quæ aptè ſanguinem ſiſtere poſſunt, deinde cataplaſmata plagæ imponendo ex folijs vitis coctis tritis cum melle, & portulacæ folijs cum polenta. Antea verò quàm cruenta *Curatio.*

prodeat vrina allium multum edant, & vinum multum dilutum bibant, & ad vomitum cogantur: deinde confestim theriace exhibeatur, & postea pisces multos, alliis tritis cum oleo tinctos, edant. Sumant item in cibo panem & vuam passam dulcem, & deinde vino diluto largè hausto vomant. Plaga verò aqua frigida proluatur. Vesica autem spongijs calidis foueatur, Aëtius. ¶ Cura eorum est proxima curæ alasilet, & viperarum, inquantum datur eis in potu vinum plurimum, & euomunt super ipsum post cibationem cum eis, quæ sunt sicut oua tarica, & pisces salici, & alia. Et iteretur super eos vomitus: deinde comedant post illud panem, & pisces positos super prunas, & comedant vuas passas: Et semen raphani iterum est ex eis, quę conferunt ipsis & propriè cum vino: & succus papaueris cum radice lilij cœlestis cum vino. Et confert eis inquantum est expulsio sanguinis, emplastratio cum portulaca, & farina hordei aut folijs vitis decoctis, aut arnoglossa, aut gallis. Et ex eis quæ retinent sanguinem per cauterium, sunt porri, & vrtica & ruta cum farina hordei, & albumine oui, Auicenna. ¶ Si cerastes, aut dipsas, aut hæmorrhois percusit, asphodeli, quod Ægyptiacæ fabæ magnitudinem æquet, arefactum, in duas potiones diuidendum est, sic vt ei rutæ paulum adijciatur. Trifolium quoque & mentastrum, & cum aceto panaces æquè proficiunt. Costumq; & cassia, & cinnamomum rectè per potionem assumuntur, Celsus. ¶ Allium contra viperarum ictus & priuatim hæmorrhoidum prodest, ita vt non aliud magis, si cum vino iugiter adsumatur, aut tritum cum eodem bibatur, Dioscorides. ¶ Mustum serpentibus aduersatur maximè hæmorrhoidi & salamandræ, Plinius. Albumen oui vtiliter contra hæmorrhoidis serpentis morsus crudum sorbetur, Dioscorides. (Plinius eam vim luteo adscribit.) ¶ Portulaca quam peplium vocant, non multum satiua efficacior est: cuius memorabiles vsus traduntur: sagittarum venena, & serpentum hæmorrhoidum & presterum restringi, pro cibo sumpta, & plagis imposita extrahi. Cùm ipsa non est, semen eius simili effectu prodest, Plinius. (Accipio portulacam syluestrem vulgarem non peplium Dioscoridis.) ¶ Aduersantur serpentium sceleratissimis & hæmorrhoidi & presteri flos aut mora rubi, Idem.

H.

Etymologia.

Hæmorrhous dicitur ἀπὸ τοῦ αἵματος, id est, à sanguine, & à verbo ῥέω, id est, fluo: quia profluuium sanguinis morsu suo excitet, Αἱμόῤῥοος, ρους, ὁ, mas dicitur: fœmina verò αἱμοῤῥοΐς, ἡ.

Homonyma.

¶ Αἱμόῤῥους dicitur etiam mulier quæ menstrua patitur. ¶ Hæmorrhoides etiam sunt ora venarum sanguinem effundentia, Celsus. Hæmorrhois genus est morbi particularis ex sanguine profluente, vel ex naribus, vel ex gingiuis, vel ex sede, nonnunquam & ex ore, nullo cum dolore: Aristotele teste lib. 3. de partibus.

Epitheta.

¶ Hæmorrhois ingens, aspera, Lucanus, Thonios, Nicander. Ratio cur sic eam Nicander dixerit, ad regem Ægypti Thonum referenda est, quia in ea scateat regione serpentum id genus, Cælius.

Fabula, cur hæmorrhous obliquè tanquam elumbis incedat.

¶ In hanc feram incidisse aiunt Canobum Menelai gubernatorem in Ægypto, Thonide regnante: & Helenam cùm vim veneni intellexisset, serpentis spinam confregisse (pharmacum Græcis & venenum & remedium significat) & pharmacum exemisse: in quem verò vsum hoc eximere & reseruare voluerit, ignoro, Ælianus. Nicander, ex quo hæc transferuntur, non scribit Helenam exemisse spinam aut aliud quippiam ex hoc serpente, reseruandi gratia (quanquam scio spondylos de serpentium spina nostro tempore quosdam vrere, quos morbis quibusdam, vt elephantiasi incipienti mederi putant) sed simpliciter illi iratam confregisse spinã eius, & hinc esse quòd obliquè ceu claudicantes & elumbes procedunt. Hi sunt Nicandri versus, prout sunt in Latinum sermonem conuersi,

Quondam animosa Helene cygni Iouis inclyta proles,
Euersa rediens Troia (nisi vana vetustas)
Huic indignata est generi, Pharias vt ad oras
Venit, & aduersi declinans flamina venti,
Fluctiuagam statuit iuxta Nili ostia classem.
Namq; vbi nauclerus se fessum fortè Canobus
Sterneret, & bibulis fusus dormiret arenis,
Læsa venenosos hæmorrhois impulit ictus,
Illætamq; tulit letali dente quietem.
Protinus euiparæ cernens id filia Ledæ,
Oppressæ medium serpenti feruida dorsum
Infregit, tritæq; excußit vincula spinæ,
Quæ fragili illius sic dempta è corpore fugit,
Et graciles hæmorrhoi obliquiq; cerastæ
Ex hoc clauda trahunt iam soli tempore membra.

Hæc Nicander in theriacis.

Serpentes Indici et ex Hæmorrhoi genere fuisse videntur

Erat in eo tractu (scilicet Indiæ, quò Alexander Porum persequens exercitum traiecerat) magna vis serpentum, qui haud magni corporum varietate distinguebantur. Aliqui æneis virgis specie erant consimiles: nonnulli densam & hirsutam cristam arrigebant: atque omnium ea

erat


erat morſus vis, vt mortem citiſsimam inferrent. Siqui enim ab eis læſi fuerant, grauiſsimo torquebantur dolore, fluebatq́ é toto corpore cruentatus quidam ſudor, Diodorus Siculus.

DE HYAENA SERPENTE.

HYænam ſi videas vno quidem anno marem, altero videbis fœminam. Si verò nunc fœminam, poſtea marem. Vtriuſq; enim ſexus particeps eſt. Eundem marem cui ante nupſerat, vxorem ducit. Quotannis autem genitalia immutat. Illos igitur veteres Cæneum & Tireſiam, non oſtentatione verborum, ſed rebus ipſis exprimit & declarat hoc animal, Ælianus. Idem de hoc ſerpente ſcribit Orus in Hieroglyphicis. Sed plures hoc de hyæna quadrupede ſcribunt, vt dictum eſt in lib. de quadrupedibus viuiparis in hiſtoria hyænæ. Vide Locum. Et ſanè incertum eſt, num tale quoddam ſit ſerpentis genus, nec etiam veriſimile, talem ſexus mutationem in eo deprehendi poſſe.

DE HYDRO QVI ET CHERSYDRVS ET NATRIX DICITVR.

A.



SERPENTIVM alij terreſtres ſunt, alij aquatiles, quãquam maxima pars ſit terreſtris, exigua verò aquatilis, ſcilicet fluminum incola. Sunt etiam maris indigenę ſerpentes terreſtribus ſimiles, Ariſtoteles. ¶ Ὕδρος, ὄφεως εἶδος, id eſt, hydrus, genus eſt ſerpentis, Heſychius & Varinus. Accipitur quidem hydri nomen apud Gręc. plerunq; pro certa ſpecie, quę in aquis dulcibus degit, verùm Ælian. marinos etiã hydros dixit, quos alij (vt Arrianus in Periplo) ſimpliciter ὄφεις θαλαττίους. Indicum mare (inquit ille libro 16. cap. 8.) hydros gignit marinos. Lacus enim (nimirum Indiæ, λίμναι, marinos lacus & ſalſos acceperim non mediterraneos aut dulcis aquæ) hydros maximos producunt. Solinus etiam cap. 57. hydros marinos nominat: ſed de marinis poſteà, nunc de paluſtribus ſiue fluuiatilibus dicetur à nobis. ¶ Hydrus à Nicandro dicitur dryinus qui & chelydrus. De hydro verò diſſerit ſub cherſydri nomine, Matthiolus. Quam Latini natricem, & Dioſcorides hydrum vocant, Nicander cherſydrum appellare videtur. His in locis parum aquæ habentibus aut paludibus verſans ranis infeſtiſsimus exiſtit. Cùm verò palus iam ſolis ardoribus exiccata eſt, tum in arido viuens mortiferam plagam infligit, Gillius ex Nicandro. Canit autem Nicander ſimilem eſſe cherſydrum aſpidi. Scholiaſtes ἴσας interpretatur tum ſpecie corporis ſimiles, tum magnitudine pares: & hydrum ait primum eſſe appellatum: poſteà etiam cherſydrum, quod in vtroque elemento viuat. Cùm ſol aquas in quibus degebat ſiccarit, Καὶ τόθ' ὅγ' ἐν χέρσῳ τελέθει ψαφαρὸς τε καὶ ἄχρους, Nicander. Hoc eſt hi verò in terra manet ſqualidus & decolor: quaſi in aqua pulchrior & nitidior ſit. Serpens hic cherſydri appellationem inde habet, quòd in principio quidem in aquoſis degit locis, & hydrus appellatur: poſteà verò ſiccos incolit locos, & compoſitum cherſydri nomen inuenit. In terra itaq; degens, cherſydrus appellatur, & tum ſeipſo ſæuior redditur. Ὕδωρ aqua eſt, vnde hydrus item corriuatur, quem Latini natricem vocant: poſteriores Gręci etiam cherſydrum, quoniam non in aquis modò, ſed in terra etiam victitat, Cęlius. ¶ Hydra fœmina eſt hydri, Perottus. Hydram (Lernæam) ſe arbitrari Pauſanias ſcribit, feram magnitudine hydros excedentem alios, Cælius. Sed de hydra illa ab Hercule confecta poſt ſeorſim agetur. Hydra ὁ ἔχις, id eſt vipera, Heſychius. Ὕδρα ὁ ὕδρος ὄφις. οἱ δὲ τὸν χερσύδρον, Idem, Ælianus etiam hydras (fœminino genere) in Corcyra procreari dicit, quæ ſe retrouerſus ad inſequentes retorquent, & ſpiritum malũ anhelantes, ab impetu ſuos inſectatores reprimunt, à ſéque auertunt. Hi fortè ſunt chelydri vel dryini. Hydra ſerpens curtus, cauda tenui, & circa collum gracili, in Libyæ deſertis agit. Virus habet pernicioſiſsimum, neque aliud morſui remedium ferunt, quàm eam membri partem excindere, priuſquam virus in reliqua membra penetret, Leo Africanus. Sophocles alibi hydram, alibi echidnam nominat ſerpentem qui læſit Philoctetem, quare inquirendũ, an duo hæc vnius ſerpentis nomina ſint, Euſtathius. Mihi quidem proculdubio ſerpentes duo diuerſi videntur: Echidnam verò dixiſſe poëtã ſpeciem pro ſpecie, vel ſpeciem pro genere accipiendo, vt ſæpe fit à poëtis. Hodie etiam viperarum & natricum nomine tum vulgò, tum eruditi quidam abutuntur, vt Cardanus, cùm ait, Viperæ quæ aquas inhabitant (id eſt colubri aquatiles) parum aut nihil veneni retinent. ¶ Ὑδρηλὶς, ſerpens aquæ. Ὑδρηλίς.

Nomina. Hydrus. Cherſydrus. Hydra.

Κασσρὺς. Enhydris. Natrix.

ticus, Hesychius. ¶ Κασσρὺς, hydra, apud Cretenses, Idem & Varinus. ¶ Enydris (melius Enhydris cum aspiratione) Plinio coluber est in aquis viuens, lutrix à Theodoro dicta. Hermolaus in Plinium. Vide in Lutra quadrupede A. Miror ego cur nouum potius nomen Gaz. comminisci voluerit, quàm prisco natricis vocabulo vti, quo Cicero, Columella, Lucanus & alij boni authores vsi sunt. ¶ Natricem aquatilem esse serpentem etymologia indicat, à nando vel natando dictam. Hydrus anguis in aquis plerunque degit, à quibus nomen sibi vendicauit. Sunt & qui Natricem, quod aquis innatet, vocent, Matthiolus. Natrix cùm speciem anguis significat masculinum quoque inuenitur, Priscian. lib. 5. Et Natrix violator aquæ, Lucan. lib. 9. Et Natrix inimicus aquis, Mantuanus in Alphonso. Cur Deus omnia nostri causa cùm faceret (sic enim vultis) tantam vim natricum viperarumque fecerit, Cicero Acad. 4. Natrix serpens aquã veneno inficiens. In quocunque enim fonte fuerit, veneno eum immiscet, Isidorus.

Nomina Hebraica. Barbara.

¶ Munsterus in trilingui Lexico Zepha nomen Hebraicum צפע hydrum interpretatur: in Dictionario autem Hebraicolatino aspidem, aut regulum: nocentiorem esse addens quàm sit nachasch, id est serpens simpliciter dictus. ¶ Barbara aut corrupta è Græco nomina apud Auicennæ interpretem, item Arnoldum, & Albertum leguntur hæc: Handrius, Andrius, Abides pro Hydro: item Kedusudurus pro Chersydro. Hunc serpentem, inquit Auicenna, lib. 4. fen. 6. trac. 1. c. 29. quùm est in aqua, nominant Greci Andrius. Et quando habitatio eius est in campo, nominatur Kedusudurus. Capite autem 31. de hydra, dubitat an ipsa & Andrius vnus sit. Sed cùm quæ in morsu hydræ signa ab Auicenna referuntur, eadem apud Dioscoridem & Paulum in his, quos hydrus momorderit scripta reperiantur, non est dubium quin idem sit serpens. Tyrus animal aquaticum est, vocatum trihane, Albertus. Echidrus serpens in aqua degens, Syluaticus. Aspistichon, id est, serpens qui deget in aqua propter vehementiam siccitatis suæ, Idem.

Vulgata. Nater. Nadera.

¶ Hydrum, chersydrum & natricem Ge. Agricola Germanicè interpretatur nater/alij wasser nater/wasserschlang. Itali marasso de aqua. Angli vvatter ader. Poloni vvodnyuuaz, id est aquatilem serpentem. Albertus naderum serpentem nominat, quasi Latinam vocem, quæ à Germanica deflexa est. Angli nader proferunt, nostri nater/apud Vincentium monachum Bellua. Padera nomen corruptum est, vt & pader & panthera, pro nadera. Videtur autem Germanicũ nomen à Latino, quod est natrix, factum. Quænam autem sit serpens à Germanis propriè nater dicta, nisi chersydrus fuerit, ignoro. De ea quæ apud Vincentium Belluacensem, & innominatum de naturis rerum scriptorem reperi, huc ascribam. Nadera est serpens in Germania, crassitie brachij, colore ventris aureo, dorso virenti. Huius flatus adeò noxius esse dicitur, vt si virgã recenter cæsam ori eius adhibeas, in cortice virgæ vesicæ felleæ excitentur. Quin & fulgentem gladium ori eius admotum lingua veneno inficit: quod vsque ad summum gladij delatum, tetro cæruleoque colore ipsum tingit, ac si flamma violenta corriperetur. Hominem si in pede momorderit, momento venenum per corpus omnẽ spargitur. Vim enim habet igneam hoc virus, quare semper superiora petit: & cùm ad cor peruenerit, cadit ac moritur homo. Remedium inuentum est, vt morsus pedibus suspendatur, capite demisso, ita venenum ascendere non potest. Locus infectus excinditur, & medicamentis sanatur æger, Hæc illi. Videtur autẽ esse chersydrus, propter igneam sui veneni vim, & mortis accelerationem. Tum quia pustulas excitat, sicut padera etiam in virga admota. Fortassis autem etiam dicta fuerit padera ab aquæ vsu, in qua primùm versata fuerit, vt etymon sit Germanicum. Sed nihil ego certum statuo. Quid si per padera legas naderos vel nadera ex Alberto Magno? Naderam serpentem (inquit Albertus) aiunt esse ordinis secundi (hoc est veneni interficientis, licet non intra paucas horas.) Inuenitur in Germania, duorum & amplius cubitorum longitudine, & crassitie brachij humani sub cubito. Venter eius declinat ad cinereitatem (sic loquitur) auream, & dorsum viret aliquantulũ. Venenum eius serpit ex loco morsus in totum corpus, nisi citiùs excidatur. Dicitur etiam inficere virgas & gladios contactu linguæ, ita vt colorem eorum immutet. Si nadera in ventre fuerit, vrinam propriam cum sudore equi in balneo propinato, Ex Germanico libro manuscripto.

Vbi reperiantur hydri.

Calabria chersydris frequentissima est, Solinus.

Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
Squammea conuoluens sublato pectore terga.
Atque notis longam maculosus grandibus aluum,
Qui dum amnes vlli rumpuntur fontibus, & dum
Verè madent vdo terræ ac pluuialibus austris,
Stagna colit, ripisque habitans hic piscibus atram
Improbus ingluuiem, ranisque loquacibus explet.
Postquam exhausta palus, terræque ardore dehiscunt,
Exilit in siccum, & flammantia lumina torquens
Sæuit agris, asperque siti, atque exterritus æstu. Vergil. 3. Georg.
Natus & ambiguæ coleret qui Syrtidos arua Chersydros. Lucanus lib. 9.

Descriptio.

In Corcyra hydrę (ὕδραι) procreantur, Ælian. Circa Tarracinã Italię Isigon. tradit lacũ esse Myclæam nomine, & iuxta ciuitatẽ desertã: cuius ciues propter hydrorũ multitudinẽ pulsi fuerint, Sotion.

Sotion. ¶ Enhydris eſt ſerpens maſculus & albus, Plinius. Nigri coloris ſerpentes, partim aquas, partim terras inhabitant, partim tubera in paludibus exiſtentia (Gothicè Tuuar dicta) partim rupes petroſas aquis contiguas. Hi ſerpentes de genere aquaticorum ſunt, atq; nigri exiſtunt, Olaus Magnus. Orpheus hydrum nigrum cognominat. In orbe terrarum pulcherrimum anguium genus eſt, quod in aqua viuit, hydri vocantur, Plinius. ¶ Quædam in fluido degunt, partim greſsilia, partim ſine pedibus, vt natrix, Ariſtoteles. ¶ Dryinæ caput eſt planum (& humile) ſicut hydro, Nicander. Cæterum ſimilitudine eſt aſpidis terreſtris paruæ, prætera quàm quod ceruicem non ita latam habet. Hoc enim inſigne ſolum aſpides præ his habent, Aëtius. Eſt minor quàm alſilati ſurda, & latioris capitis, & deterior & nocibilior, Auicenna. Cherſydri linguas duas habent, Scholiaſtes, Nicandri & Cælius. Atqui hoc ſerpentibus omnibus & lacertis commune puto, vt linguas non quidem duas ſed bifidas habeant. Linguis micat ore triſulcis, Virgilius. Natricum fel adnexum iecori eſt, Ariſtoteles.

Hydrus lapidem habet in capite, quem excoriatus euomit. Suſpende ſerpentem viuum, & ſuffito eum cum lauro, coniurans eum ſic: Per Dominum qui te creauit, &c. (ſuperſtitioſum & impium vniuerſum hoc genus incantandi eſt.) Poſtquam autem euomuerit lapidem, collige eum panno ſerico mundo, & ſerua. Vis eius ita probatur. Imple concham æneam aqua, & circumliga lapidem conchæ ſignatæ: & inuenies quotidiè decreſcere cotylas duas, id eſt, vncias xviij. aquę. Ego enim cuidam mulieri hydropicę circumcinxi lapidem, & liberata eſt: cuius ventrem cum menſurarem, quotidiè decreſcebat vltra quatuor digitos, donec ad locum ſuũ venter rediijt: quo tempore mox abſtuli. Nam ſi diutius reliquiſſem lapidem, naturalẽ quoq; humiditatem deſiccaſſem. Amplius itaq; eſt lapis (*ſic habet codex noſter manuſcriptus, pro amplius legi poteſt vtilis*) ad menſuram geſtatus. Neq; verò hydropi ſolum, ſed etiã rheumati pedum, & fluxui lachrymarum, & capiti, deniq; cuiuis particulæ fluxionibus tentatæ ſtrenuè ſuccurrit, & naturali quadam vi omnem nimiam humiditatem conſumit, Kiranides. Hydrinus (inquit Camillus Leonardus Piſaurenſis lib. 3. de lapidibus) ab aliquibus ſerpentinus dicitur, rheumatizantibus compatitur: et ab omni nimia humiditate humanũ corpus curat. Hydropicorum corpora ad priſtinum ſtatum reducuntur, ſi per tres horas cum eo in ſole ſteterint: nam fœtidiſsimam aquam per ſudorem emittent. Sed cautè vtendum monent: quoniam non ſolùm extraneam humiditatẽ, verum etiam naturalem & complantatã ex naturali humido extrahit. Venenoſos vermes fugat, ac eorum morſibus remedium præſtat. Sumptum verò dicunt lapidem veſicæ frangere, Hæc ille. Mirum eſt quod affirmant: Coluber fluuiatilis funiculo à cauda præligatus ſuſpenditur, ſubiecto vaſe aqua pleno, in quod dehiſcat: ore aliquot poſt horis vel diebus lapidẽ eructat, qui exceptus vaſe quod ſubiacet, totam aquam ebibat. Alligatur lapis hydropicorum ventri, atq; in totum exhauſta aqua liberat, Iacobus Hollerius. Chriſtoph Encelius cùm de draconite lapide ſcripſiſſet, ſubdit: Noſtri quoq; hydri, & chelydri (cherſydri) **vnſere grawen waſſerſchlangen** in capitibus gemmas ferunt nonnunquã, vt vidi (lapides eum vidiſſe apparet, an verò in ſerpentibus vel alibi naſcantur, nõ conſtitiſſe ei) quas dicere poſsis draconites à ſimilitudine. Forſitan hæ quoq; ex illorum cerebris naſcuntur: vel, vt volunt alij, ex ſpuma quam verno tempore excitant attritione mutua, vel ore ſibilanti, indurata ſole: **weñ ſie den ſchlangenſtein blaſen**/ vt de bufonibus dictum eſt. Tales noſtras draconites vidi coloris cærulei, aut nigri, in forma pyramidis. Albertus ſeſe draconitem vidiſſe dicit exemptã tali noſtro chelydro (hydro vel cherſydro) nigram, non perlucidam, in circuitu coloris pallidi, pulcherrimã habentem deſcriptam ſerpentem in ſuperficie. Fugat & hęc venenata, vt vera dracontias, & ſanat venenatos morſus, Hęc ille. Et mox in cap. de ophite lapide: Ophites (veterum) ſic dicitur, quia colore ſerpentes repræſentat. Et illa ſpecies lineis cinereis & nigricantibus omnino eſt noſtris chelydris (hydris) colore ſimilis ad oſtium Tangræ, vbi fuit olim regia ſedes Caroli 4. In arce templũ eſt varijs ornatum gemmis, in quo vndiq; parietes ophite tali ſplendent. Videtur autem cùm huiuſmodi lapides forma pyramidis à ſe viſos ait, de illis ſentire quos linguas natricũ vulgò nominant, **naterzungen**: ego gloſſopetras Plinij eſſe conijcio: quarum ſpecies maior exhibita eſt in lib. de aquatilib. pag. 210. inter canes in Lamiæ hiſtoria. Ad linguam pene habet ſimilitudinem ea gloſſopetra nigricans, quam Germani natricis linguã vocant, cui ſimilis non eſt, ſed magis linguæ pici. In Saxonibus Luneburgi reperitur in terra aluminoſa, Ge. Agric. Sunt qui ſudore hunc lapidem venenum prodere dicant, vt & alia quædã: mihi quidem rationi conſentaneũ non videtur, quando tot venenorum diſcrimina ſunt, ex æquo ad omnia affici. Oppidũ Germaniæ Ænipontẽ nominant, in quo gloſſopetram huiuſmodi ſeſquicubitalem oſtendi audio. Olim Gallus quidam ſua lingua Suyne vocari gemmam retulit è ſerpentibus ſeptem caudas complicantibus: colore pullo, quæ aureis denarijs Gallicis denis veneat. Ego ſerpentes huiuſmodi reperiri, aut omnino in vllis ſerpentibus lapides, antequam grauior aliquis & oculatus id teſtetur, non facilè aſſenſerim, Geſnerus.

Hydri lapis.

Natricis lingua Naterzungen.

Gloſſopetra.

C.

Natrix in aquis degit, victùmque inde emolitur: ſed aërem non humorem recipit, & foris parit, Ariſtoteles. Paludes pleræq; omnes quòd aquas contineant corruptas, piſcibus carent, ranis & ſerpentibus plenæ ſunt: atq; interdum hirundinum (fortè hirudinum) nexibus, vt palus

Quibus in locis degat.

Agnani inter Puteolos & Neapolim, Ge. Agricola. Hydrus in aquis plurimum degit, & in paludibus frequenter natat, super aquas pectus erigens, Kiranides. In thermis etiam, id est calidis aquis aliquando reperiuntur, vt in Thermis ad Limagum fluuium vt postea amplius dicetur. Hydrus primum in terra viuit, & Chersydrus appellatur, deinde in aqua, Hermolaus, sed authores veteres contrarium tradunt, nempe primum in aqua viuere, ac deinde paludibus exiccatis in terra. ¶ Hydrum in ἔχιν, id est, viperam transire, stagnis exiccatis legimus Geoponicorum Græcorum 15.1. Hydri siue Natrices, quandiu aqua in lacunis est, perraro exeunt: vbi defecit æstu, inuiti Druinæ fiunt. Quibus ego suo loco Querculis nomen feci, Iulius Scaliger. ¶ Aristides chersydros λίχνυς, id est gulosos esse scribit, Scholiastes Nicandri. Interit & curuis frustra defensa latebris Vipera, & attoniti squamis astantibus Hydri, Vergilius de peste canens. ¶ Hydros ranis vesci authores sunt Nicander, Aratus, Vergilius.

D.

Hydri antipathia ad vulpem & ranam.

Hydrus animal est astutum, Kyranides. ¶ Vulpes & Nili angues dissident, Plinius. ¶ Hydrum valde & metuit & odit rana: quamobrem multo clamore illum vicissim terrere ac perturbare conatur, Ælianus 12. 15. de animalibus. Idem Variorum 1.3. Peculiari quadam sapientia (inquit) præditum est genus ranarum Ægyptiarum. Si enim in Hydrum Nili alumnum incidat Rana, subito demordet frustum arundinis, & id obliquum gerens, fortiterque tenens, non remittit pro virili parte. Ille verò ranam cum ipsa arundine simul deglutire non potest. Non enim tantam amplitudinem os habet, quantum arundo extenditur. Atque ita Ranæ prudentia vincunt & superant Hydrorum robur. Hydro conspecto rana Physignathus murem in dorso gestans submergitur, in Batrachomyomachia Homeri. Audio terrestres etiam ranas à serpentibus quæ in terra & syluis degunt, vorari.

E.

Enhydridis serpentis masculi & albi (Hydri è Nilo nimirum) adipe perunguntur qui crocodilum captant, Plinius.

G.

Hydri venenũ.

Hydri in aqua viuunt, nullis serpentium inferiores veneno, Plinius. Paludem (inquit Columella 1.5.) non oportet esse edificijs vicinam. Nam caloribus noxium virus eructat, &c. & natricum serpentiumque pestes hyberna destitutas vligine, cœno & fermentata colluuie venenatas emittit: ex quibus sæpe contrahuntur cæci morbi, quorum causas ne medici quidem perspicere queunt. Rubeta ranæ species est, quæ palustris vitæ conditionem in terrestrem mutauit. Hac autem mutatione, similiter vt Chersydrus, ægrè curabilem afflictionem eis qui in eam inciderint, inducit, Aëtius. Et rursus in capite de Chersydro: Equidem in humectis locis humido victu exsatiatus, non purum venenum habet: quum verò terrestris fit, maximè merum & nocentius id acquirit. Aqua in qua hydrus vel habitat vel moritur, assumpta, eadem quæ cantharides mala infert, Bertrutius. Natrix serpens aquas etiam & fontes veneno inficit, Isidorus. Et natrix violator aquæ, Lucanus. Viperæ quæ aquas habitant, parum aut nihil veneni retinent, Cardanus. Πικρὸς δ' ἀποστίπτεται ὕδρης ἰός. Nicander de toxico: quasi id ex hydræ hidriue sanguine fiat: Vide mox in Hydra fabulam Herculis. ¶ Hydro simpliciter & Chersydro, quidam etiam veterum attribuunt quæ Dryini sunt, quæ in Dryini historia superius requirenda sunt. ¶ De serpentis quem Germani natricem vulgò (Nater) vocant veneno, supra in A. dictum est.

Morsus signa.

¶ Ab hydro demorsis vlcus dilatatur, & ampliatur (subinde) & liuidum euadit. Sanies ex eo multa & atra & male olens, non secus atque ex nomis, id est ijs quæ serpunt vlceribus, expuitur, Dioscorides & Ægineta. Qui à Chersydro morsi sunt eis communiter eadem accidunt, quæ in aliorum serpentium morsu: veluti est tumor, continuus dolor ardens, liuidus locus & feculentus, vertigo oculorum, exolutio, vomitus biliosi fœtidi. Propriè autem motus totius corporis inordinatus, vt & per ventrem quædam inordinatè ferantur. Mors autem intra tres dies, Aëtius. Nicander cutim circa morsum putridum humidumque aridam intrinsecus tendi ait, & putredine rumpi: dolores ingentes & æstuantes affligere: frequentes passim per membra pustulas (πρηδόνας) exoriri. Auicenna agens de hoc vno serpente duobus capitibus & sub duobus nominibus, nempe Andrio & Hydra, vtriusque morsus hæc signa adfert: Ac primum de Andrio, Accidit (inquit) ex morsu eius, vt incipiat morsus cum dolore vehementi, & inflammetur: deinde fit viridis, & corrodit, & accidunt morso vertigo, & vomitus choleræ fœtidæ, & motus inordinatus, & debilitas virtutis, & moritur secundum plurimum in hora tertia, & non transit tertiam, (Aëtius diem tertium dixit non horam.) Si autem euadit, quoniam est aquosus, (an quoniam hydrus in aquis degit, & nondum in terram egressus est?) aut quoniam complexio morsi est fortis, comitantur eum ægritudines, à quibus forsitan non sanabitur. De Hydra verò, morsus (inquit) eius egreditur, & dilatatur, & obfuscatur color eius, & egreditur ex eo humiditas nigra, plurima, fœtida valde: & prolongatur curatio eius, & fit difficilis. Quare oportet, vt consideret alius à me in hoc, & cognoscat dispositionem eius vt permutetur ad secundum ordinem serpentum, Hæc ille. Auicennæ verba Albertus etiam transcripsit lib. 25. de animalibus, in vocabulo Andrius.

¶ Morsis

¶ Morſis medentur, origanum tritum, & aqua ſubactum (φυραθὲν), Marcellus maceratum: ſed præſtat ſubactum vertere, vt commodius imponatur morſui: imponendum enim eſſe Ægineta monet) lixiuia cum oleo indita (vt Ruellius vertit) Lixiuia oleo temperata, vt Marcellus, neutrum probo. Græcè legitur κονία τε ἐνεθεῖσα ἐλαίῳ. pro ἐνεθεῖσα repono δ᾽ευθεῖσα, vocabulum idem quod φυραθεῖσα ſignificans, ex Paulo: qui tamen non ſimpliciter lixiuium, ſed è quercu requirit: & quod mox ſequitur è quercus radice remedium omittit. Lixiuium igitur iubet Dioſc. cum oleo ſubigi & agitari: niſi quis κονίαν hic non lixiuium, ſed vel calcem vel cinerem interpretatur. Nam hæc quoq; eadem voce interdum ſignificari Cornarius in ſuis in Galeni libros de compoſitionum ſecundum locos commentarijs docet. Vtrumuis cum oleo ſubactum mazæ inſtar commodius imponeretur quàm lixiuium oleo, nimis liquida mixtura. Aetius etiam Cornario interprete iuxta locum affectum calcem viuam & ſimilia cum oleo imponi iubet: aut Ariſtolochiæ cortex, aut querna radix minutim contrita: & hordei farinam cum aqua & melle, ad ignem pariter colliquata. Bibuntur autem (locus hic apud Æginetam corruptus eſt: nam præcedens medicamentum imponi non bibi oportet) binæ ariſtolochiæ drachmæ in oxycrata (vel cræmate, id eſt vino aqua permixto, Æginetа) cyathis duobus (ſex, vt Marcellus Vergilius habet, & codices Græci noſtri. Ruellius vertit duobus ex Æginetа) Marrhubij (πρασίου, Hermolaus non rectè legit πράσου, id eſt porri) ſuccus vel decoctū alterius (ὁποτέρου Ægineta omiſit) cum vino. Fauus etiam recens datur in aceto, Dioſcorides. Ægineta addit inter ea quæ ſumuntur, naſturtium ſylueſtre, aut aſphodeli fructum florémue, aut fœniculi ſemen cum vino, ſalutaria eſſe. Eadem & Actuarius habet, ſed mutilata eius lectio eſt, quam à Ruellio conuerſam habemus. Curatio multo vix tempore & magno negotio procedit, Ægineta. Communia remedia et antidoti theriacæ aduerſus hunc quoq; morſum auxiliantur: priuatim verò cupreſſi pilularum, & myrti baccarum, vtriuſq; drachma trita, & cum melle roſaceo aut vino mulſo in potu exhibita. Iuxta affectum locum calcem viuam & ſimilia cum oleo imponito, Aetius. Curatio eius eſt curatio communis, & illud quod ei appropriatur, eſt vt bibat de nuce cupreſſi mundata cū granis myrti, de vnoquoq; aureum vnum cum aqua mellis aut vino, & ſimiliter ariſtoloch. pondus ʒ.ij. cum vino aut cum aceto commiſto, & ſimiliter ſuccum praſſij. Et emplaſtretur cum calce, & oleo, & calamentho montano, & corticibus radicis quercus, & ſimilibus, ſingulariter & cōpoſitè. Et de eis, quæ illis admiſcentur, eſt farina hordei, Auicenna. Aduerſus cherſydri (aliàs legitur chelydri) ictum proficit panaces, aut laſer, quod ſit ſcrupulorum p.2. (aliàs) III.ſ.) vel porri (praſi nimirum legit pro praſij) ſuccus cum hemina vini ſumendus eſt, & edenda multa ſatureia. Imponendum autem ſuper vulnus ſtercus caprinum ex aceto coctum, aut ex eodem hordeacea farina, aut ruta, aut nepeta cum ſale contrita melle adiecto: quod in eo quoq; vulnere, quod ceraſtes fecit, æque valet. Celſus 5.27. Hydrorum iecur ſeruatum aduerſus percuſſos ab ipſis auxilium eſt, Plinius. Eryngе illinitur plagis, peculiariter efficax contra cherſydros ac ranas, Idem. Ad canis rabioſi & hydri morſum, verbenacam in vulnus apponito, Apuleius ſi bene memini. Hydri morſum dolor & putredo comitatur. Siſtitur autem putredo aqua marina aſperſa, Euſtathius. — *Curatio.*

¶ Homerus Iliad. β. in Catalogo, Philoctеten nauium aliquot ex Methone, Thaumacia, Meliboea & Olizône ducem, in Lemno morſum ab hydro, ibidem à Græcis relictū, & magnis doloribus afflictum fuiſſe tradit. Ἕλκεϊ μοχθίζοντα κακῷ ὀλοόφρονος ὕδρου. Philoctetes in Lemno cum purgaret aram Mineruæ aureæ cognominatæ, ab hydro morſus eſt, & propter incurabile vulnus ibidem à Græcis relictus: nouerant enim Vulcani (cui ea inſula ſacra eſt) ſacerdotes à ſerpentibus morſos curare. Sed cum in vatis eſſet Ilium capi non poſſe abſq; ſagittis Herculis, quas ille Philocteti reliquerat, eò quod rogum in quo vitam finiturus erat in Oeta, alijs omnibus detrectabilis, ipſe ſuccendiſſet, poſtea à Græcis vocatus eſt, Scholiaſtes. Philoctetes ab Hercule amatus eſt, Porphyrius. Hic cum ab hydro morſus eſſet in pede & vulnere neq; lethali, neque tamen facile curabili, affectus: eo ſerpente & erodente, cum perpetuis lamentationibus & clamoribus, Græcis moleſtus eſſet, in Lemnum ab eis expoſitus eſt, poſtea verò vocatus autorem malorum Paridem occidit. Porphyrius ſecundum aliquos Philocteten morſum eſſe ait circa Tenedum, aut Imbrum, & deinde in Lemno demum expoſitum eſſe: alij circa inſulam quandam Chryſen nomine. Cum Sophocles non modò hydrum ſed echidnam quoque nominauerit in Philoctetæ hiſtoria, eiuſdémne animantis duo nomina ſint hydrus & echidna quærendum, Euſtathius. Philoctetes (vt memorant Grammatici) Pæantis filius & comes Herculis fuit: cui idem moriens in Oeta monte mandauit, ne cui corporis ſui reliquias indicaret: idq; iurare eum adegit, deditq; pro munere pharetram, & ſagittas hydræ felle intinctas, &c. Vide Onomaſticon noſtrum. — *Hiſtoriæ morſorum ab hydris.* *Philoctetes.*

¶ Dædala (τὰ) vrbs Lyciæ, à Dædalo ibi ſepulto: cum eum coluber aquaticus ex amne Nilo, in paludem, in quam Dædalus commeabat, egreſſus, momordiſſet, Plinius 5.27. Meminit etiam Stephanus. — *Dædalus.*

¶ Orpheus, Menalippum conſobrinum ſuum, venatorem & amatorem Euphorbi, cum ater hydrus in pede momordiſſet, atq; is periclitaretur de vita, ſcobem oſtritæ (aliàs oritæ) lapidis iuſſit inſpergere vulneri: quo facto mox liberatus eſt, vt canit Orpheus ipſe in carmine de Oſtrite lapide. *Tibi has miſerabilis Orpheus* — *Menalippus.*

Haudquaquam ob meritum pœnas (ni fata resistant) *Immanem ante pedes hydrum moritura puella*
Suscitat: & rapta grauiter pro coniuge (Eurydice) *sæuit.* *Seruantem ripas alta non vidit in herba,*
Illa quidem dum te fugeret per flumina præceps, Proteus ad Aristæum apud Verg. 4. Georg.

Ex hydro remedia.

¶ Dentes dolentes circunscarificant enhydridis serpentis masculi & albi maximo dente. At (ac) in superiorum dolore duos superiores adalligant: è diuerso inferiores. Huius adipe perunguntur qui crocodilum captant, Plinius. ¶ Iecur aquatici colubri: item hydri tritum potumq́; calculosis prodest, Idem, Et alibi: Enhydridis iecur vesicæ vitia & calculos sanat. Item: Hydri iecur (vtiliter) bibi contra calculos traditur. Hydrorum iecur seruatum aduersus percussos ab ipsis auxilium est, Idem. ¶ Habet syphar hydrorum nostrorum suas vires in medicina: suffitu enim sanat sedem & vuluam prolapsam, Christophorus Encelius. ¶ De lapide hydri, & remedio ex eo dictum est supra in B. ¶ Baculus quo anguirana excussa sit, parturientes adiuuat, Plinius.

H.

Etymologia.

Hydrus (ὕδρος) dicitur ἀπὸ τοῦ ὕδατος, quod aquam significat. Chersydrus dicitur, quia & in aquis & in terris moratur. Nam χέρσον dicunt Græci terram, ὕδωρ aquam, Isidorus. Natrix à natando dicitur, Volaterranus.

Epitheta.

Μέλας ὕδρος, id est niger hydrus, Orpheus. Vergilius etiam hydros nigros dixit: Ouidius longum. Sunt & hæc apud Rauisium: Immanis, turpis, stridens, sæuus, cadmæus, echionius, sons, gorgoneus, pinguis, toruus, liuens, rabidus, Niligena, cœruleus, Libycus, intortus, sepulchralis. Chelydri epitheta pleraq́; huic etiam conuenient: præsertim cum chelydrum ab hydro multi nō distinguant. ¶ De hydro quadrupede, hæc est lutra quæ & enhydris & enhydrus dicitur, 2

Homonyma.

dictum est in quadrupedum historia. ¶ Hydrus, ὕδρος, nomen syderis est Proclo. alijs hydra. ¶ Corinthi erat palma ærea, sub qua sculpti erant hydri & ranæ, anathema è templo Apollinis delphici allatum. Vide in Rana h. inter quadrupedes ouiparas. ¶ Insulæ paruæ, Africæ adiacentes prope terram à Ptolomæo numerantur, ὕδρας Δρακόντιος, &c. Aliàs legitur Hydra, insula Libyæ iuxta Carthaginē. Hydrus hydruntis, vrbs est in littore Adriatici maris inter Leucas & Brundusium, Perottus. Dicitur & Hydruntum Italiæ oppidum in Calabria. Est & montis Apuliæ nomen & fluuij, &c. Ex aduerso Tricranæ insula est Aperopia nomine: ab ea non longè abest quæ Hydrea dicitur, Pausanias in Laconicis lib. 2. Tiberius sagacissimus senex C. Caligulę

Natrix.

ingenium ita perspexerat, vt aliquoties prædicaret exitio suo omniumq́; Caiū viuere, & se natricem (serpentis id genus) populo Romano, Phaetontem orbi terrarum educare, Suetonius. 3
¶ Natrix vocatur herba, cuius radix euulsa virus hirci redolet, Plinius. Natrix pro serpente, Lucilius lib. 2. Si natibus natricem (penultima breui, si probè legitur, scuticā forte aut virgam intelliget, quæ serpentis instar curuetur & mordeat) impressit crassam & capitatam. Quod si pro fœmina nandi perita accipiatur, notum est produci, Despauterius.

Portentum.

Fabula de Hydro ranarum rege constituto à Ioue & ranis vescente, in Rana h. ex Seruio recitata est. ¶ Est in Noruegia lacus Mos (sic & nostri paludem appellant) in quo apparet ostentum serpens miræ magnitudinis, qui, vt cometæ orbi reliquo, sic is portendit Norduegiæ mutationem rerum. Visus est recentissimè anno salutis M.D.XXII. altè eminens super aquas, conuolutus in spiras: existimatus est coniectura collecta procul visu cubitorum quinquaginta: & fuit secuta eiectio regis Christierni, Iacobus Zieglerus. 4

Prouerbia.
Hydris immitior.
Hydrus in dolio.

Hydris immitior, prouerbiali sensu dicitur ab Erasmo Rot. ¶ Hydrus in dolio, ὕδρος ἐν πίθῳ, prouerbium hoc, vt ingenuè fatear (inquit Erasmus) nondum apud vllum veterum authorum reperi, neq́; Græcum neq́; Latinum: & haud scio an de vulgo sumptum sit. Neq́; enim libet credere virum eloquentē & in literis non postremi nominis ex sese commentum esse. Nam refertur ab Antonio Sabellico in epistola quadam familiari. Addit & fabulam prouerbij parentem, huiusmodi: Rusticus quidam cum sensisset minui vinum in dolio conditum, admiratus quid esset rei, circumspicere cœpit, num qua rima extillaret liquor: vbi nihil huiusmodi comperisset, pergit vicinos in suspicionem apud sese vocare, ne se absente vas relinerent vinumq́; potitarent. Obsignat itaq́; diligenter dolium ad opus exiturus. At reuersus signis illæsis vinum nihilominus imminui videt. Tum verò fortunam agricolarum deplorare, quibus non in vite solum 5
verumetiam in dolijs calamitas præstò esset. Ad extremum exhausto dolio hydrus in imo repertus est, vini potor. Ea res in vulgi iocum abijt. Admonet Plinius lib. 10. cap. 72. serpentes quanquam exiguo indigeant potu, tamen vinum, cum est occasio, præcipuè appetere, Iuuenalis de muliere vinosa Satyra 6. *Tanquam alta in dolia longus*
Deciderit serpens, bibit & vomit.

Adagium ipsum haudquaquam inelegans nec aspernandum. Quod si quem nihil mouet recens author, licebit vsurpare, cum quis occulta calamitate premitur, causa atq; authore non extante: aut cum diuturni mali tandem author deprehenditur. ¶ Coruus aquatum missus ab Apolline, cum diutissimè expectasset dum ficus maturescerent, ijs tandem maturis saturatus, nigris longum caput vnguibus hydrum, & hunc aquarum obsessorem in mora sibi fuisse fingit, 6
vt dictum est in Coruo h. ¶ Diriguere oculi: tot erinnys sibilat hydris, Vergil. 7. Æneid. Hæc loca (Italiam) non tauri spirantes naribus ignem Inuertere satis immanis dentibus hydri, Idem 2. Georg.

DE HYDRA MVLTICIPITE, FABVLOSA, QVAM HERCVLES CONFECIT.

HYDRAM fœminino genere veteres aliqui pro hydro, aut chersydro, chelydróue dixerunt: vt supra in Hydro indicauimus. Nos hic de fabulosa tantum illa multorum capitum fera, quam Hercules confecit, agemus. Fera est multorum capitum, & multas serpentum facies habens, Varinus. ¶ Iuxta Amymonæ fontẽ platanus excreuit, sub qua hydram fuisse alitam asserunt, Pausanias circa finem Corinthiacorum: vbi etiam scribit, hydram se arbitrari feram magnitudine hydros excedentem alios: cuius venenum ita foret ἀνίατον, (incurabile,) vt Hercules eius felle sagittarum spicula tingeret. Caput præterea habuisse vnum probabile esse, etiamsi Pisander Camireus, quò videretur res meticulosior, & poema plausibilius, plura ei contribuit. Hydra serpens cristatus ab authore Culicis (poematij Virgilio attributi) multis describitur. Serpentes alati quidam sunt in Arabia: quorum figura qualis hydrarum est: alæ non pennatæ sed glabræ, Herodotus.

Hydram nonaginta capitum serpentem, vt Simonides: vt Alcæus, quinquaginta (*Alcaus ἐννεακέφαλον eam vocat, πεντηκοντακέφαλον Simonides. Sed hi numero vsi sunt multitudinem significante, more poetico: numerus enim nouenarius neq; non quinquagenarius ex ijs sunt qui multa significant, Pierius in Hieroglyphicis*; vt alij septem, vel quinq;, (*vel octo, vt Erasmus Rot. vel nouem, vt Suidas,*) quorum vnum immortale vocabatur, in Lerna palude: vnde tot sunt vulgò facta adagia, igne superauit: vel, vt ab alijs proditur, sagittis (τόξοις) confecit: à quibus hydræ sanguine infectis toxici vocabulum effluxit: vel quod ex ipsius hydræ sanguine natum est, vt Nicandri scribũt expositores. Cum autem hydræ vno amputato capite alia (*plura, Suidas: duo in vnius excisi locum, Palæphatus: tria Isidorus*) facem ferunt ab Iolao vulneri apponi solitam: atque sic demum deuictam & extinctam hydram tradunt, (ex Diodoro.) Cancrum quoq; hydræ suppetias ferentem interemit, implorato, vt dicitur, Iolai auxilio: ex qua re illud emanauit, Ne Hercules quidem contra duos: tametsi alij in alias historias prouerbium hoc referant. Sunt qui hydram & cancrum sophistas fuisse interpretentur ex Platone: quorum sophismata & cauillos Hercules ingenij ac mentis vi absolue rit: (*Sophistarum quidem mos est cauillari, & quæstiones dubias ita proponere, vt vno soluto dubio multa renascantur, Perottus. Plato in Euthydemo asserit Hydram fuisse callidissimum sophistam, cui pro vno sermonis capite amputato, multa repullulabant, Innominatus*) licet id potius, si quis modò sanè verba perpendat, per similitudinem quandam à Platone dicatur. Alij, vt pluribus refert Palæphatus in libro de fabulis) Hydram arcem seu turrim quampiam minutissimã, (*oppidulum, Palæphatus*) fuisse opinantur, quæ à quinquaginta viris custodiretur: arcis verò rex Lernus vocabatur, qui à Carcino, id est Cancro viro quodam fortissimo adiutus contra Herculem pugnauit. Hercules autem ab Iolao Thebanis copijs auctus ambos superauit, Hydramq; castellum euertit incenditq;. Alij secretiore arcano fabulæ locum datum volunt, quod scilicet Hercules animi sui ac continentiæ ignita tanquam face identidem renascentia libidinum cæterorumq; vitiorum Lernæa capita represserit, atq; penitus extinxerit. Nec desunt qui per Hydram & Lernam, inuidiam, seu mauis inuidentiam significari existiment: quæ difficillimè extinguitur, cum abiecti animi indiciũ sit, vt planè ex Ouidij & Plutarchi descriptione conspicitur. Græci scriptores illud de Hercule Lernæ viru infecto obseruant, eum oraculum accepisse, se aliter liberari non posse, nisi ad flumen herbam inquireret: cuius radix colocasion, caulis verò qui supra terram est, ciborion vocatur, quo nomine vas etiam dicitur. Vnde cum apud Belum fluuium eam reperisset, veneno est liberatus. Idq; quoniam in Phœnicia contigit, vrbs in eo loco condita est, quæ Ace ex re (*remedio*) nomen sumpsit, quæ & Ptolemais dicta est. Hæc omnia Gyraldus in Hercule.

Ex Lil. Greg. Gyraldi Hercule.

Lerna malorum, Λέρνη κακῶν, prouerbium est (vt & Ilias malorum, & mare malorum, & thesaurus malorum) de malis plurimis simul in vnum congestis & accumulatis. Parœmiam Strabo commemorat lib. 8. scribens: Lernam lacum fuisse quempiam, Argiuorum ac Mycenæorum agro communem: in quem cum passim ab omnibus purgamenta deportarentur, vulgò sit natum prouerbium Lerna malorum. In hoc lacu poetæ fingunt Hydram illam septem capitũ constitisse, quam Hercules igni Græco confecerit. Eam autem Hydram Hesiodus scribit ex Echidna & Typhaone prognatam, alitam à Iunone: nimirum in odium Herculis. Zenodotus ait, locum quempiam fuisse in Argolica: in quem cum omne sordium genus promiscuè conijcerent, fœtidas inde ac pestilentes nebulas solitas exhalare: quanquam rectius autumant, vt adagium ad Danaidum fabulam referatur, &c. Itaq; quoties hominẽ significamus vehementer infamem, atq; omni turpitudinis genere contaminatum, aut cœtum hominum pestilentium, quasiq; sentinam & colluuiem facinorosorum, rectè dicemus Lernam malorum. Apud Hesychium Cratinus comicus theatrum, quod ex varia mixtaq; hominum colluuie constaret, Λέρνην θεάτων appellauit, Erasmus Roterod. — Lerna malorũ.

Poetæ finxerunt (inquit Perottus) Hydram multorũ capitum in Lernæa palude fuisse, quorum aliquot excisis totidem (*pro vno duo vel plura, vt supra dictum est,*) continuo renascebantur. Quod monstrum cum totam eam regionem deuastaret, tandem ab Hercule claua primò ictum,

deinde propter peſtiferum afflatum ſagittis petitum, poſtremò cum ſeſe ſolitis cauernis condidiſſet, lignorum congeſta ſtrue igne conſumptum eſt, Seneca: Quid ſæua Lernæ monſtra, numeroſum malum? Non igne demum vicit, & docuit mori? Hoc ideo factum quidam exiſtimãt: quia cum Lernę palus frequenter ſiccaretur, ac denuo impleretur aquis, Hercules deprehendit venas terræ incendio poſſe præcludi: atq; ideo poſtquam exhauſit eam, ignẽ adhibuit, & ſi qua vnda prorumpebat, obſtruxit. Hinc monſtro Hydræ nomen fabulæ impoſuerunt: quoniã ὕδωρ aquam ſignificat. Ego inde datum huic fabulæ locum exiſtimo, quod anguium genus, ſub quo hydra continetur, omnium fertiliſsimum ſit: & niſi incendijs ſemina exurerentur, non eſſet fœcunditati eorum reſiſtere, Hæc ille.

Hydra draco multorum capitum qualis fuit in Lerna palude prouinciæ Arcadiæ: hæc Latine excetra dicitur, quod vno cæſo tria capita excreſcerent: ſed hoc fabuloſum eſt. Nam conſtat (ſecundum hiſtoricos) hydram lacum fuiſſe aquas euomentem, quæ vaſtabant vicinas ciuitates: in qua vno meatu clauſo multi erumpebant. Quod Hercules videns loca ipſa exuſsit, & ſic aquæ meatus clauſit: nam hydra ἀπὸ τοῦ ὕδατος, id eſt ab aqua nomen accepit, Iſidorus. ¶ Hydram Echidnæ filiam Heſiodus facit, matrem Chimæræ. Ouidius ipſam quoq; Echidnam nuncupauit. Pars quota Lernęæ ſerpens eris vnus Echidnæ. Latinè quidam excetram, quod vno exciſo capite tria excreſcerent, inquit Iſidorus. Cum excetra, cum Anteo deluctari mauelim quàm cum amore, Plautus in Perſ. Hiberam excetram ſcitè obtrectatorem dixit virulentum Hieronymus, Cælius. Idem in Procemio Eſdræ contra detractores ſuos loquens: Licet hydra (aliàs excetra) ſibilet, victorq; Sinon incendia iactet, nunquam meum iuuante Chriſto ſilebit eloquium. ¶ Panaces Aſclepium contra ſerpentium morſus prodeſt. Hoc Æſculapius decerpſit iuxta ripam Melanis fluuij Bœotiæ, & percuſſum ab hydra Iolaum Iphicli filium hoc remedio ſanauit, Nicander in Theriacis.

H. 6. Anaxilas comicus fabuloſa quædam veterum monſtra pro improbis ſcortis interpretatur. Eius verba recitaui in philologia de cane carcharia, pagina 210. Phlangon meretrix tanquam Chimæra quædam πυρπολεῖ τοὺς βαρβάρους. Οἱ Σινώπη δ' αὖ σωνόντες, οὐχ Ὕδρα συνέισι νῦν; Γραῦς μὲν αὕτη. παραπέφυκε δ' ἡ Γνάθαινα πλησίον, Ὡς τὰ πολλά γ' εἰσὶ ταύτης. ἐστὶ διπλάσιον κακὸν, vt Athenæus lib. 13. ex eodem refert. Verſus vltimi ſenſus videtur, Gnathænam Sinopæ vetulæ ſubnaſcentem, duplo ipſa deteriorem eſſe. ¶ Et centum geminus Briareus, & bellua Lernæ, Vergilius ſexto Æneidos. Hydram Lernæam decantent Poetæ, & veterum fabularum opifices, quorum è numero eſt Hecatæus hiſtoricus, Ælianus.

Epitheta. ¶ Hydræ epitheta à Rauiſio memorantur hæc: Renaſcens, Lernæa, ſtridens, immanis, colubrifera, dira, vallata colubris, ramoſa, improba, fœcunda, virens, Argolis, ſuperba, nocẽs, ferox, multiplex, horrenda, ſeptemplex, frigida, rediuiua, tumens, populoſa.

Icones. ——— clypeoq; inſigne paternum
Centum angues, cinctamq; gerit ſerpentibus hydram, Vergil. 7. Æneid. In Elide Iunonis templum eſt, in quo (præter alia ſimulachra) Hydram fluuij Amymonæ beluam ſagittis conficienti Herculi, aſtat Pallas, Pauſanias in Eliacis.

Sydus. ¶ Hydra ſydus eſt in cœlo (Proclus Hydrũ nominat) in qua coruus inſidere exiſtimatur, &c. vt ſcribit Higinus, & nos in coruo h. recitauimus. Ea tamen non eſt quam Hercules confecit. Cancer etiam ille qui Hydram aduerſus Herculem defendit, à Iunone inter ſydera relatus exiſtimatur: vt in Cancro fluuiatili H. recitauimus.

Hydra inſula eſt Dolopum. Plura vide ſuperius in Hydro h.

Propria. H. Toxicum aliqui natum fabulantur è ſanguine Hydræ, quam Hercules τόξοις, id eſt ſagittis interemit, Scholiaſt. Nicandri. Hercules Philoctetæ donauit pharetram & ſagittas Hydræ felle intinctas. Vide in Onomaſtico noſtro. Veſpę in viperam quam mortuam perſpexerint inuolantes, veneno aculeum imbuunt: ſic & Hercules hydræ veneno iacula tinxit, Ælianus.

¶ Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra Intus habet ſedem, Vergilius 6. Æneid. de inferis. Proxima (pugna) Lernæam ferro & face contudit hydram, Vergilius de laboribus Herculis.

Prouerbia. ¶ Hydram ſecas, prouerbium eſt apud Platonẽ libro de repub. quarto: Ἀγνοοῦντες (inquit) ὅτι τῷ ὄντι ὥσπερ ὕδραν τέμνουσιν, Id eſt, Ignari ſe reuera tanquam hydram ſecare. Eſt autẽ hydram incidere, ita vnum aliquod incommodũ tollere, vt in eius locum alia plura recipias. Adagiũ natum à fabula Hydræ Lernęæ, cuius vno reciſo capite plura renaſcebantur. Plutarchus in Commentario de fortuna Alexan. Ὕδραν τέμνων ἀεί τισι πολέμοις ἀναβλαστάνουσαν, id eſt Hydram ſecans ſemper aliquibus bellis repullulantẽ. De Alexandro loquitur, cui vno bello confecto ſubinde aliud atq; aliud exoriebatur. Cyneas cognita Romanorũ multitudine identidẽ poſt acceptam cladem copias inſtaurantium, dixit ſibi videri aduerſus Lernæam hydram pugnare. Hinc Hor. in Odis: Non hydra ſecto corpore firmior. Vinci dolentem in Herculem. Accommodari poterit ad eos qui litibus inuoluuntur nunquam finiendis. Lis enim litem parit, & ſæpenumero vna enecta tres ſubnaſcuntur, &c. Eraſmus Rot. Meminit & Suidas huius prouerbij, & vſum eſſe dicit ἐπὶ τῶν ἀμηχανίων, id eſt de rebus quas nunquam aliquis perficiat (vtpote quæ ſubinde grauiores & intricatiores ſe exerant.) ¶ Magis varius quàm hydra, prouerbium eſt de callidis &

lidis & doloſis, quòd hydra ſerpens ſit verſicoloribus notulis diſtincta. Aptè dicetur in vafros ac verſipelles, aut etiam parum ſibi conſtantes, Eraſmus.

Hydram ſepticipitem eſſe (inquit Nic. Erythræus) tam verum eſt, quàm Caſtorem & Pollucem ortos ouo, Plutonem in inferno regnare, natos è ſerpentū dentibus armis inſtructos homines: & quæ præter alia primus finxit Homerus, arma à Vulcano Achilli fabricata, vulneratā à Diomede Venerem, perlatum vtribus Vlyſſem, &c. Hæc autem admonuimus propter nonnullos vſq; adeò rerum imperitos homines, qui proximis diebus Venetijs hydram ſeptē capitibus terribilem ad poëtarum exemplum ſummo artificio fictam ſpectantes horruerūt, etiam de tam terrifico monſtro naturam ipſam vehementer accuſantes, Hæc ille. Videtur autē de fictitio illo mōſtro ſentire, cuius hîc figurā ſubijciemus, qualis in charta quadā typis impreſſa & euulgata



eſt. Inſcriptio erat hæc: Anno à Chriſto incarnato triceſimo ſuprà ſeſquimilleſimū, menſe Ianuario, ſerpens monſtroſus, cuius typū imago hæc cum magnitudine, tum colore refert, è Turquia ad Venetos perlatus; deinde Francorū regi datus, ſexq; millibus ducatorū æſtimatus eſt. Additur & cōiectatio authoris innominati, ſed Germani, vt apparet, his verbis: Nō dubiū eſt monſtra ſignificare mutationē rerum. Sed Germania aut orbis Chriſtianus ita eſt afflictus, vt ei præter exitium accidere nil grauius queat. Vnde in ſpe ſum ea monſtra non eſſe ipſi ad maiorē calamitatem extimeſcenda. Sed res Turchæ ad ſummū potentiæ & felicitatis peruenerūt, quali etiā ſtatu maxima, quæ hactenus fuerunt imperia, corruerunt. Illi minari iſta diuinârim, ſub cuius ditione monſtrū natū & repertū eſt: & capita eius ab occipitio referunt geſtamen pilei Turchici, &c. Hic diuinator quiſquis eſt, primum res'ne vera an ficta eſſet quęrere debuerat. Mihi cum Erythræo planè commentū artis videtur. Auriculę lingua, naſus, facies, toto genere à ſerpentiū natura diſcrepant: quòd ſi figmenti author, rerum naturæ (quæ in ipſis etiā monſtris plerunq; non vndiquaq; degenerat) non imperitus fuiſſet, multò artificioſiùs potuiſſet imponere ſpectatoribus. Sed eſto res vera: cur tamē Turcæ potiùs quàm nobis minabitur? Itáne molles & blandi nobis, ne dicam cæci, erimus, vt culpam noſtrā non agnoſcamus, & omne malū omen in hoſtes noſtros reijciamus? Quòd ſi ab illis malis & peccatis, quorū cauſa Deus hunc potentiſsimū hoſtem tot iam ſeculis in nos graſſari permiſit, pœnitudo aliqua & emendatio in nobis appareret, vt propitiū deum, ſic mala omnia à nobis auertenda, & noſtros ac veræ religionis inimicos ruituros, ſpes nō dubia foret. Nunc quoniā nulli aut (prôh dolor) pauciſsimi reſipiſcūt ac emendantur, quis non metuat magis magiſq; ſemper hanc pœnam, & hoc flagellum aduerſum nos inualiturum, donec vel funditus pereamus, vel cauſa malorū cōmuni tandem ad optima quæq; conſenſu (quod equidē opto magis quàm ſpero) tollatur. ¶ Venetijs in theſauro principū ſepticipitem ſerpentem aſſeruatum, incredibili ferè pretio ob raritatē redemptum, olim quidam mihi ceu teſtis oculatus retulit, haud ſcio quàm verè.

DE SERPENTIBVS AQVATICIS DIVERSIS.

Anius lacus Puteolis vicinus est, quem ego arbitror hodie Sudatorij lacum vocari à balneo, quod in eius est margine, &c. Eminet inter alios huic ad Austrū mons silicibus plenus, ex quo Iunio veniente mense tot serpentum inuicem glomeratorum globi se præcipitant, vt mirabile visu sit, omnesq; in subditum se demergunt lacum: nec est qui vnquam exeuntē viderit aliquem aut innatantem, vel aliter prodeuntem, Io. Bocatius in libro de lacubus.

Iuba dicit in Troglodytis lacum insanum malefica vi appellatū, ter die fieri amarū salsumq;, ac deinde dulcē: totiesq; etiam noctu, scatentem albis serpentibus vicenum cubitorum, Plinius.

Aspides quædam chersææ, id est terrestres cognominantur, ad discrimen earum quæ chelidoniæ dicuntur, & circa fluuiorum ripas, præcipuè Nili, latent, vt pluribus in Aspide dictum est.

Palustribus draconibus crista nō est: montanis verò, iuuenibus quidē adnascitur crista, mediocriter prominens: prouectis verò ætate, grandior, Philostratus, Vide in Dracone.

Olaus magnus in Tabula Septentrionali aues duas aquatiles pingit in lacu quodā, quarum altera serpentem ore tenet.


In Cuba insula serpentes noua totius corporis specie ac forma præditi, sesquipedis plerunq; longitudine, qui ex terra & ex aqua viuunt, in lautioribus erāt epulis, Pet. Bembus historię Venetæ libro 6.

MERGVLI dicti serpentes, vt audio, ex Africa adferuntur: qui quales sint, & an in aqua mergantur vt nomen sonat, non habeo quod dicam.

Ctesias Cnidius refert in flumine, cui nomen Argades, quod ad Persicam Sittacē est, Serpentes abunde gigni, capite albas, reliquo corpore nigras: quatuor cubitorum longitudinē habere, & quos percusserint interimere: interdiu eas haudquaquā videri solere, sub aqua natantes: noctu verò vel aquantibus vel lintea lauantibus (idq; fieri non raro) perniciem inferre, Ælianus de animalibus 16.42.

Anno natiuitatis domini millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, Maij die 21. Luceriæ in Heluetijs vrbe præclara, inusitatæ formæ & magnitudinis serpens sub ponte Vrsæ fluminis tranare visus est, cum è lacu descenderet: auriculis latis, longitudine ad sex passus, vt conijciebant qui viderunt: corpore alioqui similis (*aequalis*) vitulo: ex codice manuscripto qui Chronica Tigurinorum continet.

In Thermis nostris ad Limagum fluuium sitis angues aliquando reperiuntur in ipsis balneorum alueis, à quibus tamen neminē hactenus læsum audiui. Ego catulos tantum binos vidi, initio Maij, dodrante paulò longiores, colore fusco vel cinereo obscuro. Vnius cauda paulatim se attenuabat, alterius verò ventrē versus incrassabatur citius, quæ forte fœmina erat. Venter albus maculis nigris distinguebatur, vt in alijs ferè serpentibus. Oculi adhuc pulchri & integri erant (quanuis ante biduū occisi essent) parui: pars media albicans, ambientibus circulis duobus pallidis, siue ex luteo albicantibus. Caput longiusculum, non latū. Redemptores balneorū qui cauere volunt ne alueos subeāt, laminas ferreas crebris pertusas foraminibus emissarijs addūt: per hæc enim caloris desiderio irrepere solent. Satis magnos fieri audio. Vnū ex his pictum cum apud me videret Bellonius, hydrum esse dicebat. Similis quidem & Rondeletij pictura est: sed in nostra non adeo in exilem & longam tenuitatē cauda desinit, & ceruix minus crassa est, nisi per ætatem forsan increscat. Solent enim capita in minori ætate proportione maiuscula esse.



Natrix torquata.

Aliud serpentis genus apud nos reperitur (cuius effigiem hic exhibemus) quod similiter in aquis aliquando reperiri audio, & apparere interdum per lacum à felibus denominatū nostris, veloci natatione traijcere. Colore ferè cinereo sunt, & ad magnā longitudinē perueniunt, crassitiem verò minorem quàm nigri nostræ regionis serpentes. Nota eorum insignis in collo maculæ candicantes è pallido, torquis instar, non tamen absoluentis circulū. Inter vtrasq; maculas in summo ceruicis angustum est interstitium, duarum fortè squamularū, vbi maculæ vtrinq; tanquam

quam trianguli forma in acutum desinunt. Dentes omnino exigui, & mihi ferè inuisibiles, ore in duas partes dissecto, & supino inspecto, apparebant: sunt enim interiùs, hamati retrorsum. Maculæ nigræ splendidæ vtrinq; singulæ post torquem sunt. Vidi huius generis vnum, Septembris decimo mihi allatum, tres dodrantes cum quatuor digitis longum, aliâs etiã maiorem: venter albus est, præsertim superiori parte, (quam pectus dixeris, oblongum, album) inferiùs nigricat. Maculæ latera versus nigræ sunt. Dorsi color fuscus vel cinereus est. Caput simum, depressum. Has natrices torquatas aliqui nostratium Natern/ alij Heckenatern/ id est natrices venenum infligentes vocant: inferiores Germani, præsertim Flandri, Schnacken. Iidem vaccarum vbera (vt veteres de bois scribunt) ab his serpentibus sugi aiunt, & postridie sequi sanguinem. Eosdem aliquando in dormientiũ ora irrepere fertur: & homines illos, quos subierint, suauiter canere. Elici autem serpentes, si supra lactis feruidi vaporem hiantes se contineant. Non morsu tantùm, sed astrictione etiam partium quas inuaserint, nocere audio: degere fermè in pratis & locis vmbrosis: interdum in aquis vel has ipsas, vel simillimas: vocem ædere satis sonoram, similem rubetarum quarundam voci, sed magis continuã & suauiorem. Ego huius generis serpentem torquatam, vnam aliquando viuam habui, prope finem Iunij mensis: quæ postridie quàm mihi allata est, oua quatuordecim peperit. Erat is annus admodum pluuiosus: quamobrem plurimos huiusmodi serpentes apparere aiebant.

IACVLVS serpens est idem qui Acontias. Itaq; quæ ad hunc serpentem pertinent pete ex historia Acontiæ: de quo tamen, præterea & Georgius Pictorius in Lerna κακῶν sic canit:

Insidias & arboribus sua præda venantur
Serpentes Iaculi, qui celebres volitant.

DE SERPENTIBVS QVORVM NOMINA INCIPIVNT A LITERA L.

DE LIBYE SERPENTE.

LIBYES, serpentes quidam, Hesychius. Libyas inter serpentes innoxios qui in syluis & frutetis, & charadrijs versantur recenset, Nicander in Theriacis, his versibus,

Ἄλλα γε μὴν ἀβλαπῆα κινώπετα βόσκεται ὕλην
Οὕς ἔλοπας, λιβυάς τε, πολυστεφίας τε μυάγρους
Φράζονται, &c.

Scholiastes autem, λιβύας, inquit, τοὺς ἀμμώδεις ἀπὸ τῆς χροίας φησίν: multi enim tales in Libya sunt. Ex quibus verbis apparet eum existimasse hos serpentes Libyas dictos esse Ammoditas, de quibus antea egimus, sed plurimum fallitur, est enim longe alius ammodites, siquidem ab eo percussos festina, vt plurimum, mors sequitur, hos autem Libyas innocuos facit, Nicander.

Libyes propriè dicuntur Afri, qui Libyam id est Africam incolunt. ¶ Est & λίβυς nomen proprium viri.

DE SERPENTIBVS QVORVM NOMINA INCIPIVNT A LITERA M.

Miliaris serpens est qui aliter Cenchrines vocatur, de quo supra dictum est.

DE MOLVRO.

MOLVROS quoq; Nicander in Theriacis enumerat inter serpentes innoxios. Lonicerus hos serpentes interpretatur quasi cauda ingredientes. Plura de hoc serpente apud alios authores nõ reperiuntur, quod sciam. ¶ Μολουρὶς aliud significat. Scoliastes enim Nicandri μολουρίδας esse dicit ἀκρίσιν ὁμοίας, locustis similes, Hermolaus in Corollario de Locustis sic scribit: Nicander Mastacen appellat pro brucho, Aristoteles Attelabon. Clitarchus in Ambracia locustas omnes mastacas dici voluit, vt molurin, quæ frumenta depopulatur. Mylacrides verò Græci quandoq; in Comœdia pro gallinis vsurpant, quanquam Aristophanes ita appellat bestiolam inter molas nascentem. Apud Camertem habetur μυλακρίδαι, αἱ βολακρίαι τὰ ζωΰφια. Aliâs μολουρὶς Hesychio est μόλις οὐρῶν, ægre reddens vrinam: item κολοβὴ λόγχη, id est cuspis mutilata: & αἰδοῖον, id est, pudendum.

DE MYAGRO, OROPHIA ET SPATHIVRO SERPENTIBVS DOMESTICIS ET MVRIVM VENATORIBVS.

NICANDER in Theriacis inter serpentes plerunq; innoxios numerat etiam Myagros, Myagrus.
quos πολυστεφέας (multis coronis & lineis insignes, Schol.) cognominat. Scholiastes μυόθηρας, id est murium venatores esse scribit, & alio nomine ῥοφίας dici. Ego ὀροφίας scribendum asseruerim, id est domesticos. Nam ὀροφίας ὄφις apud Pollucem legitur & apud Hesy-

chium ὀροφίας ὄφις τῶν κατ' οἰκίαν. Mures ac ſerpentes ὀροφίαι dicuntur, qui circa ὀροφὰς (hoc eſt ædium tecta) verſantur caſq́ erodunt, Varinus ex Scholijs in veſpas Ariſtophanis. Dicitur & ὄφις οἰκουρὸς: ſic enim nominat Ariſtoph. in Lyſiſtrata ſerpentem circa domos verſantem. (Quamuis οἰκουρὸν ὄφιν, τὸν τῆς πολιάδος φύλακα δράκοντα interpretentur Heſychius & Varinus.) Mures autem ab hoc genere ſerpentum captari veriſimile eſt, cum circa domos degat, vbi victus alius non facile ſuppetit. Serpentem impugnat muſtela, eum præcipue qui mures venatur, videlicet ea cauſa, quia ipſa etiam mures perſequitur, Ariſtoteles, haud dubie de myagro intelligens. ¶ Myagron herba etiam eſt cuius meminit Dioſcorides, quam & melampyron vocari ait. Aetio lib. 13. cap. 31. quantum conijcio μύαγρος ſpathiurus eſt. Eſt autem is, ſimiliter vt Parcas innoxius, & mures comedit.

Spathiurus.

Hic ſerpens (inquit Aetius) in locis iuxta chalcidem magis inuenitur. Eſt autem animal ex craſſo in caudam abiens tenuem: latum habens caput ac mures comedens. Neq́ verò hic morſu enecat, ſed inflammationes tantum inducit. Quapropter ab eis percuſsi conſimilibus remedijs curantur quibus & à Parea morſis, Hæc ille. Dictus autem eſt ſpathiurus forte quod ex corpore craſsiore & latiore ſpathę inſtar in οὐρὰν ideſt caudam tenuem deſinat: vel vt author theſauri græcæ linguæ annotat; quoniam cauda in mucronem deſinat, ſeu cauda mucronata ſit, in modum ſpathis σπάθης id eſt enſis.

Vnck à Saxonibus & alibi vocari audio ſerpentem magnum, duos cubitos longum, percraſſum, viridem, collo varium, innoxium ferè. Eundem quoq́ aut alium ei ſimilem, alio nomine Hußunck, id eſt ſerpentem domeſticū nominant (noſtri Hußſchlang proferunt) in huius capite vtrinq́ aliquid eminere aiunt ceu murium auriculas: non eſſe nocentem, & circa domos verſari: oberrare noctu potius: parci eis à pleriſq́. Sæpe magna caudæ parte abſciſſa diu eos ſuperuiuere. Hic forſitan myagrus veterum fuerit. Nomen Vnck ab Italico ancca factum videri poteſt. Vide in Angue. Vnde & Schlang fortaſsis conſonantibus aliquot præpoſitis. Idem ſcilicet fuerit coluber Vergilij Georg. 3. *Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere & vmbræ.* Sed de colubro plura ſuperius dicta ſunt.

Serpens domeſticus nigricās Carbonarius.

Plura occurrunt (inquit Geſnerus lib. de aquatilibus in Hydro; vnde & ſuperiora deſumpta ſunt) de ſerpente domeſtico noſtro nigricante, partim ex auditu dum hæc traderem, partim ex inſpectione aliàs mihi animaduerſa. Circa Lucarnum & Verbanum lacum, ideo non occiditur in vinetis, quoniam infeſtus eſt muribus, quin & muſcis eum inſidiari audio: vnde nō myagros modò à muribus ſed à muſcis etiam μυίαγρος vocari poterit. Aliqui in Italia ſerpentem nigrum appellant, vt Matthiolus Senenſis, vulgò Serpe nero, alij ab eodem colore, Carbon vel Carbonazzo. Circa Verbanum Amiroldo vel Baron (ſed Baronis nomen Pareæ potius conuenit, de quo infra.) Luſitani cabra, ſiue à carbone ſiue à colubra per metatheſin facto nomine. Sed aliud id genus eſſe puto: morſu enim occidere aiunt. Galli Anguille de haye, id eſt anguillam ſæpium. Homines ferè non lædit nec impetit morſu ſed cauda verberat, vt qui percutitur ab eo videatur ſibi ſe baculo percuti. Requiritur à Matthiolo ad remedia morbi Gallici, capite & cauda amputatis. (Inteſtina quoque, viſcera, pingue & fel auferuntur) corpus reliquum ad remedia quædam editur. Aluntur à nonnullis furfure in ampullis vitreis. Circa domos & ſterquilinia verſantur, caloris nimirum gratia, & in ijſdem aliquando pariunt. Vaccas aliquando ſugunt cauda cruribus earum circumplicata. Ante annos aliquot ex pago Horgen ad lacum noſtrum ſito, Maio menſe ſerpentem hunc ad me delatum his verbis deſcripſi. Caput ei latum eſt, compreſſum & reſimū. Color in ſyncipite cinereus, obſcurior quàm alibi: dorſo toto cinereus color obſcurus. Maculæ vtrinq́ ad latera nigræ, oblongæ, paribus interuallis: maximas autem & latiſsimas ſplendentes maculas nigras vtrinq́ in collo gerit. Latera capitis poſt oculos ceu calli quidam eminent, vt de aſpidibus ſcribit Nicander. Poſt medium corporis ante principium caudæ, ſquamæ magis diſtant: ſic vt appareat inter ſingulas cutis nigricans: alibi verò admodū confertæ ſunt. Lingua nigra, bifida. Longitudo totius pedes hominis mediocris tres cū dimidio. Collū anguſtius, venter percraſſus. Laterū ſquamæ parte ima & latiores ſunt & paululum candicant. Venter ſquamas habet tranſuerſas, ita vt ſemicirculis ſquamoſis compactus videatur. Illorū quidam in extremo maculas nigras refulgentes habent, quę per interualla ordine inter oblongiores laterū maculas (de quibus iā dixi) conſpiciuntur. Sunt autem iſti ſemicirculi varij. In ſupino capite paruæ & multæ ſquamæ albæ: deinde in collo ſemicirculi albi, cū paucis maculis nigris. Hinc dorſum verſus plus eis nigri, minus albi ineſt: paulatim ampliante ſe nigredine, hoc eſt plus ſpacij obtinente, decreſcente autem albedine. Eſt autē iſta ventris nigredo, prę ſertim quæ longius à capite diſceſsit, obtuſior, nec ita ſplendet vt in maculis quas prædiximus. Cauda longa digitos 8. paulatim attenuatur: initium eius ſupina parte maximè conſpicuū eſt, vbi deſinunt ſemicirculi, & excrementi foramen patet. Deinceps autē inferior eius pars, binis ad exitum vſq́ ſquamis conſtat, ſuperior pluribus & minoribus. Dentes habet multos, paruos, ſerratos, duplici ordine. Alſalach eſt ſerpens niger longus, groſſus, cuius pellis eſt nigra, Andr. Bellunenſis. Forte eſt carbonarius ille ſupra dictus. Serpentibus nigris, qui in multis regionibus præcipuè Apulia notiſsimi ſunt, longi atque nigerrimi, nec multum veneni habent, ſimiles ſunt ſpecie illi qui Ceruini dicuntur, Monachi in Meſuen.

NATRIX ſerpens eſt qui & Hydrus vocatur. De quo ſuprà fuſè dictum eſt à nobis. De natricis veneno, Georg. Pictorius in Lerna κακῶν:

Natrix humorem circa vitalia fundit Lætiferum, pura qui violatur aqua.

OROPHIAS Serpens. Vide paulo ſupra in myagro.

DE SERPENTIBVS QVORVM NOMINA INCIPIVNT A LITERA P.

DE PAREA.

PAREAS ſerpens vel Paruas (Παρείας vel Παρύας) ſic enim vult Apollodorus, igneo (πυῤῥός, ruffo) colore eſt, & acerrimo oculorum ſenſu, (εὔωπις τὸ ὄμμα) & largo (lato) ore, nihil mordendo nocet: ſed mitis cum ſit, deorum humaniſsimo Æſculapio ipſum conſecrarunt, & eius miniſterio dedicarunt, Ælianus 8. 12. Pareæ (Παρεῖαι) quidam ſerpentes nominantur, quod buccas vel genas (παρειὰς) maiuſculas habeant. Hyperides in oratione contra Demadem dicit, rhetores ſimiles eſſe ſerpentibus: ſerpentes enim omnes quidem odio dignos (μισητοὺς) eſſe: ex ipſis verò viperas nocere hominibus: pareas autē deuorare viperas, Suidas & Varinus. Videtur autē ſentire Hyperides, rhetores omnes malos eſſe, ſed ex ipſis alios aliȷs nocentiores hominibus: non impunè tamen, quoniā hi quoq; ab aliȷs vincantur aut deuorentur rhetoribus. Et rurſus idem Suid. in ὄφεις Serpentes pareas (παρίας, malim per ει. diphtongum penultimam) inquit vocant, quorū buccæ ſunt inflatæ; παρειαὶ ἐπηρμέναι. Videntur autē mites eſſe, non lædere homines, vorare viperas, & ſacri eſſe myſteriȷs. Παρεῖαι (præſtat penultimam circumflecti) ſerpentes, genus eſt ſerpentiū magnis buccis, quod minimè mordet homines, Heſych. Παρύας apud Ælian. per υ. diphth. non placet: aut enim per ει. diphth. propriā, deriuando à παρειά, aut per η. iota ſubſcripto impropriam à παρήιον, ſemper ſcripſerim. Nam & μιλτοπάρηος (& καλλιπάρηος) inquit Varinus, debebat per dipthongum (ει.) in penultima ſcribi, à παρειά. ſed vſus obtinuit vt per η. ſcribatur: tanquā à primitiuo παρήιον tetraſyllabo fiat μιλτοπαρήιος. & per ſynæreſin μιλτοπάρῃος. Non exprimit autem ſubſcribendum eſſe iôta, quod tamē apud eruditos obſeruari video. Παρειὰ cōmune eſt, παρῃὰ Doricum, παρειὰς (vt Παλλὰς) poëticū. Πάρειον etiam pro πρᾷον, quod eſt mite & manſuetum accipi inuenio: vt paream ſerpentem inde fortaſsis appellatū aliquis coniecerit: ſed magis probo ſuperiorem originem, quæ doctorū conſenſu nititur. Παρείας, παρά τὸ πεφυσιωμένας ἔχειν τὰς γνάθους, ἤγουν τὰς παρειάς, αἳ καὶ φοῦγγαι (buccæ) λέγονται. Morſus eius innoxius eſt, Etymologus. Euſtath. παρειὰς etiam in brutis animalib. dici annotat, ſed impropiè. Παρείας adiectiuum videri poteſt, quoniā ὄφεις παρείας apud Suidam & Heſychium legimus, hoc eſt ſerpentes bucculentos. Bucculentū autem pro eo qui grandi ore ſit, vel malis plenioribus, Plautus dixit Ἐρυθρίας, ὠχρίας, & huiuſmodi nomina, inter adiectiua & ſubſtantiua ambigere videntur. Germanicè hunc ſerpentē ad exprimendum etymon Græcum interpretari licebit ein Baggenſchläg. Eſt enim nobis Baggen, quod Latinis bucca vel mala. Et cōtentus iter cauda ſulcare pharias, (aliâs phareas: meliùs pareas, vt Iſidorus legit, & Vuottonus quoq;) Lucan. lib. 9. Grammatici ſerpentē eſſe dicunt, qui ſerpens ſulcum in terra faciat cauda, & ſuper eam ferè ambulet. Alberto etiā hoc carmen citanti phareas ſerpens eſt, qui quaſi totus erectus graditur ſuper caudam, & partem corporis caudæ coniunctam. Lonicerus apud Nicandrum Moluros quoq; ſerpentes interpretatur, quaſi cauda ingredientes. Pareas (Vuottonus legit Parous aut Pareas) ſerpens in Syriæ locis reperitur: colore autem, aliȷ quidem æs referunt, aliȷ verò nigricant. Morſum etiam ſi inflixerit, nō enecat: verùm quemadmodū amphiſbæna & ſcytala, ita & hic plaga ſua tantùm inflammationē inducit. Quare ex ȷſdem etiā curentur, & ex his quę de cherſydro referentur, Aëtius 13. 31. Παρειαὶ, oxytonum, ſunt genę hominis: παρεῖαι verò penanflexum, ſerpentes quidam quorū ſublimes ſunt buccæ, Ammonius. Cario ſeruus in Pluto Ariſtophanis, cum noctu in æde Æſculapȷ anus ollam atharæ ſeu pulmenti plenam cuſtodiret, & manum obtenderet: clam, inquit, ſibilans arrepſi, & mordicus manum illius, tanquā pareas ſerpens (*hic enim nimirum in huius dei templo tanquam ſacer ei alebatur*) arripui, Ὁ δ᾽ ἀξ ἰλαβόμην ὡς παρείας ὢν ὄφις, &c. Scholiaſtes hunc anguē mordere negat: vel, ſi mordeat, non obeſſe. Meminit (inquit) eius & Demoſthenes, τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας (*per appoſitionē ſcilicet*) dicens: & Lycurgus (*Hyperides, Suidas*) in oratione contra Demadem. Habetur autem hoc genus etiam in Alexandria, & in templis Dionyſȷ. Eſt & Pyrrhias, πυῤῥίας, ſerpens à colore dictus apud Heſychium & Varinū: haud ſcio an idem qui pareas: pyrrhus quidē color ruffus eſt: & pareæ quidam colore æs referunt Aëtio: poteſt autem æris color ruffus dici. Sunt & paroi equi colore ruffo, de quibus dixi in Equo B. Rauiſius Textor phariam ſerpentem pedes habere prope caudam abſurdiſsimè ſcripſit. ¶ Paream eſſe puto ſerpentem illum qui à Marſis in Italia hodie Baton vocatur: cuius generis vnum Veneȷs olim manibus cōtrectaui viuū, apud Marſum quendam: à quo Baron nominabatur, (quod nomē etiam colubro domeſtico nigro aliquos attribuere audio,) & Buba (id nomen à Boa vel Boua factum videtur,) & ſerpagerina: (quo nomine &

alium serpentem cætera huic similem, sed bicipitem vocabat.) Caput ei elegans, subflauum: reliquum corpus nigricat, & maculis purpureis distinguitur, caudam versus paulatim attenuatur. Longus est (de eo quem vidi loquor) circiter dodrantes quatuor cum dimidio. Adfertur ex regionibus ad Orientem sitis, (vnde Germanicum nomē ei facere licebit **ein orientischer Vnk**.) In lateribus linea quædam secundum longitudinem conspicua eminet, quę paulo citra caudam desinit, & circiter palmum (digitos quatuor) retro caput incipit. Veneni nihil habet, neq; mordet. Totum ipsius caput circulator ori suo inserebat: addens (si bene memini) vbi hic serpens degeret, nullos alios noxios inueniri. Videtur & Pagerina nomen à Pareia factum esse.

DE PELIADE.

AETIVS lib. 13. cap. 32. agens de Peliade & Elape, inquit, Signa quidem horum animalium apud veteres non sunt descripta, vtpote quæ omnibus sunt manifesta. Contingit à Peliade morsis dolor circa locum, & putrefactio, non periculosa tamen, & vexatio ac obfuscatio oculorum ex veneni nimirum ad ipsos distributione. Curantur autem succo ptisanæ cum oleo in potu exhibito, & oxylapathi decocto, & simplicioribus remedijs ad ictericos descriptis. Oculi verò lotio pueri venerem nondum experti proluantur tum per se, tum muria ammixta. Caput item similiter ex ijsdem perfundatur. Post purgationem deinde corporis opobalsamum cum melle illine, aut collyrium aliquod visum acuens quod meatus rarefacere potest. Simul enim cum lachrymarum profusione, & venenum excernetur. Si verò dolor consequatur oculorum, cum lenibus collyrijs mitigare oportet, quæ tamen non stupefacient, Hæc Aëtius.

DE PORPHYRO.

EST apud Indos serpens dodrantali magnitudine, aspectu similis pulcherrimæ purpuræ: caput candidissimum habens, dentibus omnino carens, quem venatores in feruentissimis montibus nanciscuntur, ex quibus Sardo gemma effoditur. Hic non mordet, sed quemcunq; locum vomitu suo consperserit, in eo putredinem oriri necesse est. Si autem è cauda suspendatur, venenum duplex emittit, vnum dum viuit, quod nigrum est, electri speciem referens: alterum, vbi mortuus est, nigrum & ipsum. Et illius quidē prioris quod ab eo viuente profluxerit, si tantum detur quantum est Sesamum, confestim enecat, cerebro eius qui ipsum biberit per nares effluente: alterum autem si detur, tabem inuehit & vix intra anni spatium perimit, Ctesias. Terram Indiam historici permulta ferre venena, & plantas dicunt, è quibus partim salutaria sunt contra morsus serpentū, partim mortifera. Cuiusmodi vi est Porphyrus serpens, dodrantis magnitudine, colore accedente ad purpuræ similitudinem: capite verò plusquam niueo, & lacte multò candidiore: Locis Indiæ calidissimis reperitur ei mordendi idcirco potestas est nulla, quod dentium expers sit: ergo hac ex parte eum quasi mansuetum dicere possumus. Nō item ex omnibus partibus: nam eius vomitio si quod vel hominis, vel alterius animalis attigerit membrum, totum computrescat necesse est. Idcirco eum captum à cauda ex arbore suspendunt, vt illi caput ad terram versus propendeat: tum sub eius os vas subijciunt æneum, in quod ex eius ore guttæ redduntur: quæ primū vt deciderunt, continuò concrescunt, aspicienti vt amygdalinæ lachrymæ speciem præbeāt. Ab eo extincto vas remouetur, in cuius locum alterum etiam vas æneum supponitur, in quod saniosus liquor, aquæ similitudinem speciemq; gerens, ex iam mortui ore serpentis defluit: Similiterq; hic concrescit, atq; condensatur. Horum tamen vterq; colore differt ab altero: hic niger est, illæ primæ guttæ electri similes sunt: è quibus si cui magntudine Sesami in cibo potioneue detur, acerrima primum cōuulsione percellitur, deinde ei oculi peruertuntur, cerebrum per nares expressum delabitur: sicq; ille miserabiliter quidem moritur, sed tamen celeriter. Sin quis sesamo minus ex illis sumpserit, non continuò is quidem moritur: sed certe ex hoc malo non euadit, sed deniq; cum mora extinguitur. Quod si ex eo ipso nigro qui ex mortuo iam serpente defluit, sesami quoq; magnitudine quis comederit, suppuratus extabescit, anniq; interuallo consumitur: pleriq; eorum in bienniū processerunt, paulatim morientes, Aelianus, Volaterranus, Textor.

Strabo serpentium palmarium meminit, qui sunt colore puniceo vsque ad ilia assilientes, quorum morsus incurabilis est.

DE PRESTERE.

PRESTEREM serpentem quidam grauissimi authores eundem esse cum dipsade volunt. Dioscorides enim agens de Dipsade, Hic serpens, inquit, propter continuam sitim, & prester, & causon, aut dipsas appellatur. P. Ægineta similiter, vnde, inquit, propter

pter continuam potus assumptionem Prester ab vrendo, dipsas à sitiendo serpens appellatur. Ælianus quoque Dipsadem & presterem dici, & causonem ab ardore testatur. Sunt tamen & alij probati authores qui alterum ab altero distinguunt, duasque serpentis species faciunt. Idem enim Ælianus quodam loco separatim de presteris morsu eiusque Symptomatibus scribit, quæ à dipsadis morsu eiusque signis non parum differunt. Solinus item & Lucanus vtriusque serpentis seorsim meminerunt, ijsque diuersas proprietates tribuunt.

¶ Prester, græcè πρηστὴρ dicitur παρὰ τὸ πρήθειν, quòd tum incendere & inflammare, tum inflare significat. Sic autem dictus est hic serpens, quòd morsu suo corpus ictum inflammet vel inflet: vt post dicitur. ¶ Numerorum cap. 21. dicitur Deus misisse in populum murmurantem הנחשים השרפים id est serpentes vrentes vel ignitos: Immanuel Tremelius & Franciscus Iunius in translatione bibliorum verterunt, presteres: Dicuntur enim שרפים à שרף quod vere significat, sicut prester, παρὰ τὸ πρήθειν quod idem græce significat.

¶ Prester quem percusserit, distenditur, enormique corpulentia necatur, extuberatus, Solin. ¶ Prester aspis semper ore patenti & vaporante currit. Cuius poëta (Lucanus libro 9.) sic meminit.

Oraque distendens auidus fumantia prester.

Et rursus eundem immitatus Georg. Pictorius in Lerna κακῶν sic:

Oraque distendens auidus fumantia prester
Inficit, vt læsus tumida membra gerat.

Hic quem percusserit, distenditur, enormique corpulentia enecatur. Extuberatum enim putredo sequitur, Isidorus, qui postrema verba ex Solino descripsit, sed malè intellecto. Neque enim Solinus scribit, extuberatum ex ictu presteris putredinem sequi, sed cum dixisset, eum qui à prestere percussus fuerit, enecari extuberatum: addit, Ictus Sepium statim putredo sequitur. Vnde apparet id quod de putredine sequente dicit, non ad ictum presteris, sed sepis referendum esse. ¶ Primum vt morsum Prester è genere serpentium effecit, statim ignauiam infert, & immobiles reddit: pòst menti obliuio, & tenebræ offunduntur, vt neque notionem habeat morsus, neque respirare, neque meiere queat: simul & percussum à pilis iam nudatum suffocatio sequitur, cum conuulsionibus & morte acerrimis doloribus referta, Ælianus lib. 17. de animal. cap. 4. ¶ Prester ictum extemplo sideratione quadam reddit immobilem, ac mente alienum: mox pilis defluentibus cum pruritu ac ventris solutione absumit, Volaterranus, Textor. ¶ Et inflatis prester qui faucibus æstum expuit, Mantuanus.

¶ Ecce subit facies leto diuersa fluenti.
Narsidium Marsi cultorem torridus agri
Percussit prester: illi rubor igneus ora
Succendit, tenditque cutem pereunte figura,
Miscens cuncta tumor toto iam corpore maior:
Humanumque egressa modum super omnia membra
Efflatur Sanies, latè tollente veneno.
Ipse latet penitus congesto corpore mersus.
Nec lorica tenet distenti corporis auctum.
Spumeus accenso non sic exundat aheno
Vndarum cumulus: nec tanto carbasa Coro
Curuauere sinus: tumidos iam non capit artus
Informis globus, & confuso pondere truncus.
Intactum volucrum rostris, epulasque daturum
Haud impunè feris, non ausi tradere busto,
Nondum stante modo crescens fugêre cadauer. Lucan. lib. 9.

¶ Viperæ quæ prester dicitur venenum lethale est hominibus, Bellonius. ¶ Portulaca quam peplium vocant, non multum satiua efficacior est: Cuius memorabiles vsus traduntur: sagittarum venena, & serpentium hæmorrhoidum & presterum restringi, pro cibo sumpta, & plagis imposita extrahi. Cùm ipsa non est semen eius simili effectu prodest, Plinius. (accipio portulacam syluestrem vulgarem, non peplium Dioscoridis.) Aduersantur serpentium sceleratissimis hæmorrhoidi & Presteri flos aut mora rubi, Plinius. Castorei testes aduersum Cerastem & presteras cum panace aut ruta ex vino bibuntur, Idem. Priuatim contra presteris morsum sarda prodest, Idem.

¶ Πρηστὴρ Prester ignis cœlestis, aut nubes inuoluta igni, cum vento vehementissimo, Suidas. Flatus ardentior accensusque dum furit, Prester vocatur, amburens contacta pariter & proterens, Plinius. ¶ Eo nomine etiam est impetuosior ventus, ac transuersæ in collo venæ, necnon fulminis species, Cælius. ¶ Πρηστὴρ dicitur etiam τῆς φάρυγγος τὸ ἔξωθεν, ὑπὸ τοῦ φυσᾶσθαι πιμπράμενον, καὶ οἰδούμενον, in ira nimirum, teste Polluce lib. 2. Hesychius verò πρηστῆρας dici scribit τὰς ἐν πλαγίῳ τοῦ τραχήλου ἡμῶν φλέβας.

Πελόνωτοι ὄφεις οὕτω λεγόμενοι, Suidas, à dorſo ſerrato ſic dicti videntur.
Regulus ſerpens idem qui Baſilicus. Itaq; quæ ad hunc pertinent pete ex hiſtoria Baſiliſci.

DE SERPENTIBVS QVORVM NOMINA INCIPIVNT A LITERA S.

Serpentes virides Valleſiani Grünling.

SAVRITAE ſerpentes apud Heſychium, à colore viridi fortaſsis lacertorum dicti fuerint: quod ſi verum eſt, quærendum eſt an ijdem ſint anguibus Plinij per excellentiam dictis, de quibus antea. Sunt & apud Valleſianos virides ſerpentes, quos à colore Grünling appellant. Sed eos perquam venenatos eſſe audio.

DE SCYTALE.



Nomina. Scytale. Sciſcetalis. Situla. Seyſeculus.

SCYTALE ſerpentis genus & epiſtola Laconica, Varinus. Scytale ſerpens, Sicalis ſeu Picalis Arnoldo dicitur: Auicennæ Siſcetati (Sciſcetalis potius legendum.) Albertus verò hunc Serpentem duplicauit, eumq; vno in loco Situlam, alterò Seyſeculum appellat. Ait enim Situlam in duas ſpecies diuidi, alteram quam Græco vocabulo dipſadem vocat: alteram quam generis nomine Situlam. Et de hac ſecunda ſpecie dicit, quod eſt ſerpens ex varietate miro modo pulcher, ita quòd admiratione detinet intuentes, &c. quod Solinus de Scytale ſcribit. Seyſeculum verò deſcribit eſſe ſerpentem ferè ſicut ille qui ſalit ad duas partes quem Græci amphiſelenem vocāt, &c. quod Dioſcorides & Aëtius huic etiam ſerpenti Scytalæ tribuunt. Quare apparet Albertum pro Scytale Situlam accepiſſe, & nominum vicinitate, proprij generis ſerpentem alteri contribuiſſe, ac perperam ex vna ſpecie ſerpentis, duas feciſſe. Vide plura apud Nic. Leonicenum lib. de Dipſade. ¶ Ἐλεών, ὄφις ὃν ἔνιοι σκυτάλην καλοῦσι. Heſychius. ¶ Scytalen alij Cæciliam interpretantur, Matthiolus. Ex eo quod hic ſerpens fœniculo, vt alij omnes, non veſcitur, factum exiſtimo, vt Latini quidam eam Cæciliam quaſi cæcam dicas, quod fœniculo abſtineat, ne viſum recuperet, appellauerint. Cęciliam tamē Typhlopem potius eſſe crediderim, Greuinus.

Ἐλεών. Cæcilia.

Deſcriptio.

¶ Scytale tanta refulget tergi varietate, vt notarum gratia videntes retardet, & quoniam reptando pigrior eſt, quos aſſequi nequit, miraculo ſui capiat ſtupentes: in hoc tamen ſquamarum nitore hyemales exuuias prima ponit, Solinus. Tanti autem feruoris eſt, vt etiam hyemis tempore exuuias corporis feruentis exponat: de quo Lucanus Lib. 9.

Et Scytale ſparſis etiam nunc ſola pruinis
Exuuias poſitura ſuas. Iſidorus, Textor.

¶ Nicander autem in Theriacis ſerpentem hunc ita deſcribit, prout verſibus Latinis redditus eſt,

Bifronti ſimilem reperis Scytalam Amphisbenæ,
Pinguior eſt tamen, & cauda, quæ nulla ferè exit,
Craſsior, vt quantum ſolita eſt comprendere lignum,
Curua manus ſtrictum quoties tenet ipſa ligonem.
Tam prolixa, vagans pluuio quàm reptile cœlo,
Quod fœcunda genus ſua gignit viſcera tellus.
Nec poſtquam iuuenis venienti tempore veris,
Magna Deûm quando profert ſerpentia mater,
Liquerit obſcuram conſueta cubila petram,
Et nitidos tepido ſub ſole extriuerit artus,
Pandentis ſe fœniculi teneram exedit herbam,
Sed per opaca morans imi decliuia montis
Se tenet, & multo grauiter latet obruta ſomno,
Eq; alta ſua conquirit ſibi pabula terra:
Nec licet id magno cupiat ſtudeatq; labore,
Areſcente ſitim potis eſt depellere fauce. Hæc Nicander.

Scytale forma cum Amphiſbæna non diſsimilitudinem habet, præter quàm quòd cauda eſt tum pinguiore, tum craſsiore. Scytale eadem eſt latitudine qua manubrium ligonis, & longitudine lumbrici. Cùm verno tempore ex cauernis ſaxorū prodit, fœniculi ramos exedit, Gillius. Iohannes Lonicerus (inquit Greuinus lib. 1. de venenis) qui Nicandrum Latinè reddidit, & Petrus Gillius in appendice quadam in Ælianum ſcripta, cum poëtæ noſtri mentem non ſatis aſſequere-

assequeretur, scytalem crassitudine manubrium ligonis, longitudine verò vermes terrestres æquare affirmat. Quod tamen Nicander minimè voluit, sed cùm scytalem crassiorem amphisbæna esse proposuisset, eam crassitudine ligonis manubrium, Amphisbænam verò terrestres tantum vermes æquare dicit. Decepti itaque fuerunt, quòd vocabulum Græcum ad scytalem non amphisbænam referri debere crediderunt. Habet hæc serpens præ cæteris omnibus peculiare aliquid. Prima enim ex omnibus cubile suum relinquit. Et exuuijs positis more reliquarum omnium, ad locum quendam sibi familiarem secedit statim, nec fœniculo, vt aliæ omnes, vescitur. Gillius loco citato, scytalem contra & è cauerna sua exire, & fœniculo vesci asserit. Ex quo certè apparet, eum tam hunc quam alterum Nicandri locum perperam intellexisse. Hæc Greuinus. ¶ Animalia hæc (amphisbæna & scytala) inter se similia sunt: non enim ex crassis in caudam tenuem abeunt, sed æqualis crassitudinis per totum existunt, vt neque cognoscant videntes ea, iuxta vtram partem caput aut cauda sint sita. Differt autem amphisbęna à scytala, in eo quod ex vtraque parte progrediatur: vnde & amphisbæna Græcis est appellata. Cæterùm ab vtroque animante demorsis, contingit morsum obscurum esse, ac vix apparere, veluti sunt muscarũ punctura: quapropter etiamsi mordeant, non enecant tamen, verum inflammationes inducunt, veluti contingunt etiam ab apum ac vesparum stimulis. Quare transferantur ad hos quoque quę de illis sunt relata, verùm facultate intensiore. Aiunt autem scytalam chalcidicam eiusmodi accessiones sequi, quales à vipera morsos. Vnde & ijsdem remedijs ad eius morsum vtendũ, Aëtius. ¶ Consimilia supra dictis in vipera eueniunt ijs, qui à scytala & amphisbæna demorsi sunt, eademque ferè auxiliantur. Quare hoc venenum priuatam descriptionem sortitum non est, neque visum est dignum, quod alio genere comprehendatur. De ijs autem mentionẽ hoc loco fecimus, quoniam ferè remedijs ad viperas scriptis, percussi ab eis adiuuari soleant, Dioscorides, Ægineta. ¶ Sciseptalis color est similis salienti ad duas partes, sed ille est deterior, & accidentia eius sunt illa. Et cura illius est illa cura, Auicenna. Siseculus est serpens ferè sunt ille qui salit ad duas partes, quem Greci amphisilenẽ vocant, quasi duo capita habentẽ, & morsus istius est sic uti morsus illius, quia iste quidam modus illius, licet in hoc differat, quod non adeò expressè duo capita habere videatur. Et hæc de hoc serpente dicunt Auicenna & Albertus. Merito autem contra Auicennam & Albertum dubitare quispiam possit, qualis sit morsus vel accidentia, quæ ex morsu amphisbęnæ & scytalę consequuntur, & quis sit modus curationis, siquidẽ neuter ea expressit. Hic autem error inde prouenit, quoniam verba Auicennæ & Alberti ex Dioscoride & Paulo desumpta sunt, sed inuerso seu mutato ordine: Dioscorides enim & Paulus, cum de viperæ morsu, accidentibus & cura egissent, similia dixerunt accidere morsis à scytale & amphisbæna, & eadem esse remedia. Auicenna igitur & Albertus vel debuerunt eundem ordinem sequi, vel si mutare voluerunt, quænam essent eorum morsus accidentia & curatio legentibus manifestare. ¶ Scytale serpens est duplicis speciei: vnus admiratione suæ pulchritudinis detinet inspicientes, piger, paruus, & ignei veneni, ita etiam quòd ille quem lædit, statim moriatur: atque Slaa Gothicè vocatur. Hic frigidissima hyeme pellem deponit, sicuti stupefaciens aspis, quæ pellem mutat. Hic etiam velut alij serpentes in hyeme latitantes, se recipit in viscera terræ, à solis videlicet ingressu in Libram, vsque dum Arietis signum exeat: intra quem terminum si solis attractu antra exierit, atque calore haud tempestiuo nimis diu delectatus fuerit, niue geluque antrum constringente, moribundus extra illud relinquitur. Alius (teste Isidoro) amphisbæna dicitur, &c. Olaus Magnus lib. 21. cap. 46.

Slaa Gothicè dicitur hic serpens.

¶ Mus araneus, quem Græci σκυτάλην appellant, quamuis exiguis dentibus, non exiguam pestem molitur, Columella lib. 6. cap. 17. At pro σκυτάλην, puto potius legendum μυγαλῆν.

Mus araneus scytale dictus.

H.


¶ Scytale dictus est hic serpens quod magnitudine æqualis est baculo, in quo ligo inseritur, vt Nicander asserit. Est enim σκυτάλη manubrium cuiuscunque generis instrumenti, quemadmodum asciæ, vel alterius, Greuinus. Sex scytale significat. Scytus enim (vel scutica) est id quod verberat nates puerorum. Scytale etiam piscis est, sic vocatus quod similis sit flagello seu puerorum scuticæ. Et digitorum ossa vocantur etiam scytalę. Et virga quadrangularis fabrorum marmorum. Et omnis virga dicitur scytalus & scytale. Sexta autem digna auditione Laconum scytale. Est & species serpentis septimò scytale, Ioh. Tzetzes. ¶ Σκυτάλη, φλαγέλλιον, λῶρον, Hesyc. Σκυτάλαι, θύλακες δερμάτινοι. Item ὄφεων φλαγέλλια, λῶρα. Item ἱππικαὶ ἴλαι. Item πίνακες ἐφ' οἷς ἡ δίκη γράφει τὰ τῶν ἀνθρώπων ἁμαρτήματα, Idem. Dicuntur & vectes seu palangæ siue phalangæ σκυτάλαι vt Exod. 30. ¶ Σκυτάλη etiam apud Lacedæmonios erat genus quoddam epistolæ secretæ, de quo vide Plutar. in Lysandro & Harpocr. & Suidam. Gell. lib. 17. cap. 9. sic describit. Surculi erant duo teretes, oblonguli, pari crassamento, eiusdemque longitudinis, derasi atque ornati consimiliter. Vnus imperatori in bellum proficiscenti dabatur, alterum domi magistratus cum iure atque cum signo habebant. Quando vsus venerat literarum secretiorum, circum eum surculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei satis erat, complicabant volumine rotundo & simplici, ita vt oræ adiunctæ vndique & cohærentes lori, quod plicabatur, coirent. Literas deinde in eo loco per transuersas iuncturarũ oras, versibus à summo ad imum proficiscentibus

Scytale Laconica.

inscribebant. Id lorum literis ita perscriptis, reuolutum ex surculo, imperatori commenti illius conscio mittebant. Resolutio autem lori literas truncas atque mutilas reddebat, membraque earum & apices in partes diuersissimas spargebat. Id vbi ille ad quem erat missum acceperat, surculo compari, quem habebat, capto ad finem, perinde vt debere fieri sciebat, circumplicabat: atque ita literæ per ambitum eundē surculi coalescentes, rursum coibant, integramque & incorruptam epistolam & facilē legi præstabant. Hoc genus epistolę Lacedęmonij σκυτάλην appellant, Hęc Gel.

DE SEPEDONE ET SEPE.

DE SEPEDONE.



SEPEDONEM eundem esse serpentem cum sepe multis argumentis fit verisimile: nam prǽterquam quod hæc duo nomina idem prorsus significant, nec præterea de sepedone apud vllum alium antiquitatis authorem priuatim quicquam reperio, Gesner. Eadem etiam omnino symptomata in morsu sepedonis à Nicandro describuntur, quę ab Aëtio in morsu sepis. Nisi fortè quis hanc distinctionem admittat, quam Nicandri Scholiastes adfert. Is sepedoni vnicum colorem κόκκινον, purpureum tribuit. Sepem verò χροιῇ ἀλλόφατον, διὰ τὸ μεταβάλλειν εἰς χρώματα πολλά, quod in varios colores mutetur, pro rei nimirum vel loci, cui appropinquat in colore diuersitate, vt Scholiastes interpretatur. Verum conijci potest, eum in descriptione sepedonis non hoc voluisse, quod Scholiastes annotauit, sed potius varium colorem intellexisse. Solent enim tapetia, quorum meminit, ornatus gratia coloribus diuersis distingui. Proinde vt modo dictum sepedon & seps, eadem mihi videntur, quia venenum vtriusque celerrimam & putredinem, vitiliginem, capillorum defluuium similiter accidere post vtriusque morsum traduntur. Quia tamen Nicander & Ælianus de vtroque serpente seorsim agunt, nos etiam separatam vtriusque descriptionem ex authoribus afferemus.

Σηπεδὼν serpens dicitur ὅτι σήπει τῶν δακόντων τὰ σώματα, id est, quia eorum qui morsi sunt corpora putrefacit, Scholiastes Nicandri. Author Thesauri linguæ Græcę Σηπεδόνα ait esse lacertæ genus: in quo plurimum fallitur, cùm sepis quidem nomen pro lacerta chalcidica, sepedonis verò nusquam positum reperiatur. ¶ Spectaficus serpens Alberto dicitur σηπτικὴν τὴν σάρκα, fortè sepedon, Gesnerus.

Iam quæ sepedonis species sit, qualeque corpus,
Accipe: diuersa (scilicet ab Hæmorrhoo de quo prius egerat) tractum ratione figurat.
Quinetiam mutilæ nulla insunt cornua fronti,
Et color, hirsuti qualem est spectare tapetis, (id est varius et diuersus)
Grande caput, breuior, dum currit, cauda videtur:
Quam tamen obliquo maiorem tramite ducit.
Quod fit ab hoc vulnus, magnos nocuosque dolores
Excitat, interimens quia fundit & ipse venenum,
Quo sata marcentes tabes depascitur artus;
Indeque siccata resolutus pelle capillus
*Spargitur, & volitans candentis * pappus acanthæ,*

* (In Greco κατα ψυχθέντος, concussi vel decussi cardui, vel vento inflati, nam ψύχω est φυσάω.)

Præterea fœdum turpi vitiligine corpus,
Et veluti vrenti maculas à sole videre est. Nicander in theriacis.

Inter feras inutiles & vel numerari indignas sepedon est, perniciosus serpens: quem tum figura hæmorrhoo cognatum tum colore similem esse, Nicander cecinit. Sed celerior esse videtur: & quoniam per gyros & flexiones graditur, parua apparet: quod quidem causa est, quamobrem inspectantes nesciant de eius magnitudine iudicare. Vulnus quod infert acerbitatis plurimum habet, & bene penitus intrat, & putrefacit: qua ex vi nomen traxit. Inexpiabili celeritate ipsius venenum in vniuersum corpus transitionem facit: Capillus etiam tabe quadam putrescit & funditus interit, tum superciliorum & palpebrarum pili defluunt, oculi offusi tenebris obscurantur: & corpori maculæ, tanquam adusta à sole cute, superueniunt, Ælianus. Sipedon malum & ipse reptile, coloris similitudine hæmorrhoïdis soror, vti placet Nicandro, velocior aliquantulum. Iter simili ferè modo & hic obliquat, morsu altius penetrat, illico marcescente plaga, vnde & nomen auspicatur, Volaterranus. Sipedon reptilis est, Hæmorrhoide aliquanto velocior, iter obliquat, morsu profundè penetrat, plaga mox putrescente, Textor.

H.

Σηπεδὼν propriè significat putredinem. ¶ Sepedones Græci non à sepia inflectunt, sed vlcera intelligunt eo nomine putrescentia, Cælius. Celsus apud Hippocr. interpr. σηπεδόνες cancri. Polluci, σηπεδὼν est ἕλκους νομὴ λευκοῦ, ὑπώχρου, δυσώδους: quod vitium os maximè infestat, ita vt interdum dentes ossaq́; absistant.

DE SEPE.

A.

SEps è genere serpentum, Ælianus. Σῆπες, ζῶα ἑρπετὰ, ἢ ὄφεις, Hesychius, Varinus. Seps est aspis exiguus, Arnoldus: confunditur autem nomen aspidis, & tanquam genus ponitur vt serpens. ¶ A sepe demorsorum membra omnia diffluunt, atq; solutæ dilabuntur. Putriam Latinè ideò appellare ausi sumus, Iul. Scaliger. ¶ Serpens nominatus selsir, & est putefaciens, Auicenna. ¶ Reperi in * * capsa duas serpentum species, quas alibi nusquam videram. Græci vulgo serpentes illos vocabant sapidi, alij sipiti; quæ dictiones sepi vel σηπὶ antiquorum respondent, Bellonius. ¶ Sepas serpentes aliqui volunt eosdem esse cerastis, Matthiolus. *Nomina. Seps. Putria. Selsir. Sapidi. Sipiti.*

B.

Seps ex eo magnam admirationem excitat, quòd colorem in eorum quæ contingit similitudinem immutat: eius imi quatuor dentes caui sunt, & tuniculis quibusdam occultantur, ex ijs venenum emittens celeriter & putrefacit & interimit, Ælianus. *Descriptio.*

Præterea candes niue et asper veperibus Ochrys | *Quà sitibundus, & haud vno apparere colore*
Ruffis reptilibus scatet, & caua vallis, & altæ | *Visus seps habitat, seps semper concolor illi*
Ac rigidæ salebris rupes, numerosaq́; saxa, | *Quà sub fossa tenet tecta atq; cubilia, terræ.* Nic. in th.

Seps colorem quem attigerit reddit. Quatuor recuruis dentibus armatus. Quem petit morsu, tabe exanimat, Volaterranus.

¶ Serpens qui seps appellatur, longitudine quidem duorum cubitorum reperitur, ex crasso autem in tenuem abit, rectà verò ac tardè proserpit: caput habet latum, os acutum: vniuersum autem corpus multis albis notis respersum, Aëtius. ¶ Auicenna de serpente selsir putefaciente agens, sic ait, existimauerunt quidam, quòd sunt serpentes, qui sunt in regionibus Assem (Syriæ) & in Ægypto, habentes capita lata, parua colla, curtas caudas, ventres rotundos, & non sunt super eorum capita lineę, & squamæ, sed super corpora eorum sunt lineæ diuersi coloris: & quum incedunt, non rectificantur, imo contrahuntur, Hæc Auicen. ¶ Ægyptū Elati filium Arcadiæ regem incautum seps confecit. Vidi & ipse aliquando serpentem hanc: magnitudine est minimę viperæ: cineris colore, notis inter puncta varijs, capite lato, gracili collo, aluo obesiore, perbreui cauda. In serpentum genere seps & cerastes, quo fermè modo gradiuntur cancri, in obliquum repunt, Pausanias in Arcadicis.

G.

Natura (Selsiris Auicennæ) calida est & venenosa, similis satis naturæ viperarum, & reponitur in secundo serpentiū ordine, Ardoin. Vnde Georg. Pictorius in eius descriptione scribit,

Hic hyemis calidus frigora nulla timet.

Ictus sepium statim putredo sequitur, Solinus. Seps tabificus aspis, qui dum momorderit hominem, statim eum consumit: ita vt liquefiat totus in ore serpentis, Isidorus. Seps exigua serpens, quæ non solū corpus, sed & ossa veneno consumit. Cuius poëta (Lucanus) sic meminit, *De morsu & symptomatibus.*

Ossaq́; dissoluens cum corpore tabificus seps. Idem.

——Miseriq́; in crure Sabelli
Seps stetit exiguus, quem flexo dente tenacem
Auulsitq́; manu, piloq́; affixit arenis.
Parua modò serpens, sed qua non vlla cruentæ
Tantum mortis habet. nam plagæ proxima circum
Fugit rapta cutis, pallentiaq́; ossa retexit.
Iamq́; sinu laxo nudum est sine corpore vulnus:
Membra natant sanie: suræ fluxère: sine vllo
Tegmine poples erat: femorum quoque musculus omnis
Liquitur, & nigra distillant inguina tabe.
Dissiluit stringens vterum membrana, fluuntq́;
Viscera, nec quantum toto de corpore debet,
Effluit in terras, sæuum sed membra venenum
Decoquit: in minimum mors contrahit omnia virus.
Vincula neruorum, & laterum textura, cauumq́;
Pectus, & abstrusum fibris vitalibus omne,
Quicquid homo est, aperit pestis: natura profana
Morte patet: manant humeri, fortesq́; lacerti:

Colla caputq; fluunt. calido non ocius Austro
Nix resoluta cadit, nec solem cera sequetur.
Parua loquor, corpus saniem stillasse perustum:
Hoc & flamma potest: sed quis rogus abstulit ossam,
Hæc quoq; discedunt, putresq; secuta medullas
Nulla manere sinunt rapidi vestigia fati.
Cyniphias inter pestes tibi palma nocendi est:
Eripiunt omnes animam, tu sola cadauer. Luc.lib.9.
Mole breuis seps, peste ingens, nec viscera solum,
Sed simul ossa vorans. Mantuanus in Alphonso. 1

¶ Cæterùm his qui ab eo percusi sunt, ex vulneribus manifestus sanguis excernitur, paulò post verò sanies graueolens, tumor & dolor languidus est: at affectæ partes putrefactæ dealbantur, ac totum corpus vitiligini (quæ alphos appellatur) simili colore inficitur; defluunt capilli toto corpore, atq; intra tres aut quatuor dies pereunt, Aëtius. Accidunt ei quem mordent, apostema dolorosum, & putrefactio totius corporis post contritionem eius, & capillorum casus. Et quandoque festinat putrefactio perdens illud quod sanum est, & sunt quasi species viperarum, Auicenna. Seps modicus est serpens, cuius tamen ictu percussa putrescunt membra. Nam quicquid momordit, in putredinem resoluitur, Textor.

Curatio. ¶ Porrò opem & hi sentiunt ex eisdem rebus quę in viperę, & in cerastę, & ammodítæ morsu relatæ sunt. Exhibenda est præterea portulaca multa in cibo, & vinum bibendū myrtites meracius. 2 Conueniet item spongiā calido aceto imbutam morsui imponere, & ex butyro cum melle locum illinire, aut milium cum melle, aut paleas vnà cum terra eis adhærente exustas imponere, Aëtius. ¶ Oportet vt sit cura eorum cura communis: & cura media curæ viperarum: deinde curatio eius quod accidit ex morsu eorum de dispositionibus & accidentibus, Auicen. ¶ Laurus excalfactoriam naturā habet & folijs & cortice & baccis. Illita serpentum venenis resistunt, maximè sepis, dipsadis, & viperæ, Plinius. Oximeli profuisse fatentur contra serpentes quas sepas vocant, Idem. Acetum mulsum contra morsum eius viperæ, quam sepa vocant, haustum meconium, ixiámue auxilio est, Dioscorides. Sepis morsui medetur portulaca, oxymel, Idem. Salsamentorum (piscium salsorum) cibus prodest à serpente percusis, & contra bestiarū ictus, mero subinde hausto, ita vt ad vesperam cibus vomitione reddatur, peculiariter à chalcide, ce- 3 raste, aut quas sepas vocant, aut elape, dipsadéue percusis, Plinius.

H.

Etymologia. Σῆπα παρὰ τὸ σήπειν τοὺς πληγέντας nominari scribit Nicandri Scholiastes. Seps serpens id nomen habuit, quia parti quam morsu violarit, subitam infert putredinem, virus sui effera malignitate, Ambrosius Paræus. Homonyma. ¶ Hoc nomine etiam vocatur Lacerta chalcidica. Lacerta quam hi sêpa, alij chalcidem vocant, in vino pota morsus suos sanat, Plinius & Dioscorides. Ideo verò chalcis dicitur, quod quibusdam lineis, ęris speciem similitudinemq; gerentibus, eius dorsum distinguatur. Σῆπά γε μὴν πεδανοῖσι δομὴν σαυρῆσιν ἀλύξεις, Nicander in theriacis, Hoc est, Vitabis etiam sepem corpore similem humilibus lacertis. Vide plura in lib. de quadrupedibus ouiparis in chalcide. ¶ Est & multipedæ genus. Millepedam quę non arcuatur sepa Græci vocant, 4 alij scolopendram minorem perniciosamq;, Plinius Apparet autem tum serpenti, tum lacertæ, tum insecto hoc nomen à vi venenosa factum, quòd vim habeant septicam, hoc est exedendi, et tabem atque putredinem quandam corporibus morsu suo inferendi.

¶ Est & tuberculi maioris ac pestilentis nomen seps apud Hippocratem, ab erodendo impositum, Hermol. Meminit Hyppoc. lib. 3. Epidemiorum sect. 3. circa principium: Ἄνθρακες πολλοὶ κατὰ θέρος, καὶ ἄλλα ἃ σὴψ καλεῖται, ἐκθύματα μεγάλα. Et rursus lib. 6. (secundum diuisionē Gręci codicis) sectio. 8. Lumbos dolenti (inquit) recursus ad latus, & pustulæ quæ seps vocantur. Κατὰ δὲ τὴν αὐτοῦ τοῦ σπέρματος φύσιν (locus obscurus, quòd ex abrupto citetur) ὁ καλούμενος σὴψ, καὶ τὸ τοῦ σταφυλίνου σπέρμα, Phanias, vt citat Athenæus lib. 9. vnde hoc saltem apparet quòd seps plantæ cuiusdam nomen sit. Epitheta. Τόθι δίψιος ἐμβατέει σήψ, Nicand. id est, ὁ ξηρός, ὁ ποιῶν δίψαν τοῖς δακνομένοις, Scholiastes. Tabificus seps, Lucanus. Exiguus, Idem. Parua serpens, Idem. 5


De serpentibus quibusdam qui quòd morsos vel tactos putrefaciant ad sepis naturam accedere videntur.

Serpens quidam minutus est, quem aliqui sacrum appellant, quem angues prægmagni fugiunt. Magnitudo huic ad cubitum, species hirsuta quicquid momorderit continuò circiter putrescit, Aristot. Aristoxenus quodam loco dicit, virum qui serpentem quandam interfecisset, nullo morsu ab ea affectum, ex solo tactu vitam amisisse; illiusq; vestem, quam eo tempore quo serpentem interimebat, gestaret, non ita multò post putruisse, Ælianus de animal. 8.7.

De serpentibus aquatilibus diuersis egimus suprà in Hydro, sed ijs duntaxat qui in dulcibus 6 aquis degunt. Hic porro de marinis dicendum.

DE

DE SERPENTE MARINO.



SERPENTES murænis & myris forma & natura valde affines sunt. Sunt autem in mari multæ serpentum species; vt Aristoteli placet, lib. 2. de hist. animal. cap. 15. Εἰσὶ δὲ καὶ θαλάττιοι ὄφεις, παραπλήσιοι τὴν μορφὴν τοῖς χερσαίοις τἆλλα πλὴν τὴν κεφαλήν. ἔχουσι γὰρ γογγροειδεστέραν. γένη δὲ πολλὰ τῶν θαλαττίων ὄφεών ἐστι. χρόαν ἔχουσι παντοδαπήν. οὐ γίγνονται δ' οὗτοι ἐν τοῖς σφόδρα βαθέσι. Sunt marini serpentes forma terrenis similes, dempto capite: id enim habent congri magis simile. Sunt autem marinorum serpentum genera plura. Varij sunt coloris. Non nascuntur in præaltis maris locis, Rondeletius.

Peculiarem alit Serpentem mare, terrestri ferè respondentem, qui vel Aristotelis testimonio sæpe tricubitalis euadit. Anguillam ac Congrum, colore, pinnis & branchijs referret, nisi rostro esset, quàm Muræna, longiore, ac numerosis tenuibus dentibus vallato: oculis non ita grandibus, cute glabra, ad dorsum prominente, nullis squamis aspera, qua facilè deglubi potest. Ventre ex albo in rufum colorato: spirasque toto corpore, vt & Serpentes terrestres, ducit. neque viuus impune nuda manu, vt nec Muræna, contrectari potest. Plinius Draconem marinum appellauit, quem è mari in arenam emissum ex Aristotele refert, cauernam in arena mira celeritate excauare, quod idem de Serpente marino retulit Aristoteles, apud quem ὄφις θαλάττιος vocatur. Estque (inquit) corpore ad Congrum accedente, sed obscuriore & acriore. quod ego nigriore & longiore interpretor. Idem tamen Plinius alibi Ophidion appellat, Bellonius. Ὁ ὄφις ὁ θαλάττιος τὸ μὲν χρῶμα παραπλήσιον ἔχει τῷ γόγγρῳ, καὶ τὸ σῶμα: πλὴν ἐστὶν ἀμαυρότερος καὶ σφοδρότερος. ἐὰν δὲ φοβηθῇ καὶ ληφθῇ, εἰς τὴν ἄμμον καταδύεται ταχὺ τῷ ῥύγχει διατρυπήσας. ἔχει δ' ὀξύτερον στόμα τῶν ὄφεων, Aristoteles historiæ 9. 37. Quæ eius verba Theodorus sic transtulit: Serpens marina colore & corpore congro proxima est, sed obscurior atque acrior. hæc si capta dimittatur foris, in arenam rostro quamprimùm adacto terebrat, subitòque tota, est ore acutiore hæc quàm terrestres. Bellonius obscuriorem colorem interpretatur nigriorem. ἀμαυρότερον quidem Græcis, si colores inter se conferantur, minùs intensum minusque splendidum in eodem genere significare puto. quòd verò acriorem pro longiore accipit, nullo vel Græcorum vel Latinorum exemplo facit. Græcè quidem σφοδρότερος legitur, quod est vehementior. vehementia autem in agilitate simul ac robore coniunctis posita est, vt Galenus alicubi docet. Cæterùm pro his verbis, Ἐὰν δὲ φοβηθῇ καὶ ληφθῇ: Vuottonus reddit, si timeat atque piscatores euadat. Plinius cùm alibi draconem Aristotelis, araneum appellet: ex hoc tamen loco pro serpente marino draconem marinum transtulit: Draco marinus (inquit) captus atque immissus in arenam, cauernam sibi rostro mira celeritate excauat. & quanquam Rondeletius draconem siue araneum piscem idem facere tradit, certum est tamen Aristotelem de serpente tantùm hæc protulisse. quamobrem ne quis hac occasione res diuersas confundat, cauendum est: id quod Albertus fecisse videtur. Lege in Corollario de pisce araneo, libro de aquatilibus. *Ophidion.* ¶ Bellonius ophidion ab ophi, id est serpente marino, non distinguit, Rondeletius diuersos esse ostendit. *Viperæ mar.* ¶ Viperæ marinæ pisces parui sunt, longitudinis cubitalis, cornu paruulum gestantes in fronte: cuius ictus est letalis, quamobrem piscatores pisci huic capto caput amputant, & defodiunt in arena: reliquum corpus in cibum reseruant, Albertus & Isidorus. videntur autem non alij hi pisces, quàm aranei esse, quamuis non cornu in fronte, sed aculeos in capite venenatos gerunt. Idem de animalibus libri 2. tractatus primi, cap. 8. Aquatiles & marini serpentes (inquit) sunt similes terrestribus, præterquam in capite. quoniam caput marinorum est durissimum, & asperum, & minùs quàm caput terrestrium pro sui corporis magnitudine. In mari Oceano, qua Germaniam attingit, inuenitur serpens magnitudine ferè cruris humani: qui aculeum retro in cauda corneum habet: quo amputato à piscatoribus reliquum corporis in cibum venit. versatur autem in profundo maris. & non verè est serpens, quanuis sit piscis serpentinus, Hæc ille. coniicio autem pastinacam esse piscem aut cognatum, quo de loquitur: quem caudæ ratione fortassis aliquis serpentinum dixerit. *Hydri mar.* ¶ Hydrus dici potest omnis aquaticus serpens, tum in dulcibus, tum in salsis aquis. nam & marinos serpentes, hydros vocat Ælianus, quos alij simpliciter ὄφεις θαλαττίους. Indicum mare hydros gignit marinos, caudis latis. Lacus etiam (*fortè Indiæ*) hydros maximos producunt. Cæterùm marini isti serpentes, asperum potiùs serratis dentibus, quàm venenosum os videntur habere, Ælianus 16. 8. Plinius 6. 23. tradit apud insulas quasdam ante Persidem, hydros marinos vicenûm cubitorum terruisse classem. Inter Carmaniæ promontorium & Arabiam quinquaginta millia passuum interiacent, deinde tres insulæ, circa quas hydri marini egrediuntur vicenûm cubitorum longitudine, Solinus. In Africa magnitudo anguium mira, sicut & fertur. iam enim nonnulli vbi triremi applicuissent, ossa boum multorum vidisse narrant, quos absumptos esse ab anguibus non dubitarent, cum triremes productas in altum, quamprimùm angues insectarentur, & nonnulli aggressi triremem euerterent, Aristotel. histor. 8. 28.

Sinthus fluuius maximus est eorum qui circa mare rubrum sunt, & plurimum aquæ in mare emittit, ita vt procul ab eo in pelagus aqua candicans profluat. cæterùm nauigantibus è pelago versus hanc regionem, (*qua se exonerat Sinthus*,) coniecturam de loco faciunt à serpentibus qui ex alto eis occurrunt. *Graæ.* Siquidem serpentes graæ (γραῖαι) dicti locorum circa supráque Persidem indicium faciunt, Arrianus in Nauigatione maris rubri. Et paulò post: Sinus qui Baraces

vocatur,

vocatur, valde periculosus est nauigantibus, & vitandus, &c. ad eum autem è pelago tendentibus, loci indicium faciunt serpentes qui prægrandes & nigri occurrunt. nam in sequentibus locis, & circa Barygazam minores, & colore luteo & ad aureum inclinantes (χλωροὶ καὶ χρυσίζοντες) obuij sunt. Et inferiùs: Barare vicus situs est ad fluuium illic exonerantem, &c. & hæc etiam regio è pelago adnauigantibus prænoscitur ex serpentibus, qui illic obuij fiunt, nigri & ipsi, sed minores, capite quale draconum est, oculis sanguineis. ¶ Draco marinus, est piscis sine squamis. hunc postquam multùm excreuerit, & violentiam magnam facere voluerit, nubes cœli rapiunt in aërem, & per montes membratim dissectum dispergunt, vt non sit amplius. Lingua eius bifurca est sicut cauda equina, digitos duos longa. hanc in oleo serua. Gestantem enim absque fatigatione & infirmitate tuetur: quod ipse in maritimis Assyriæ regionibus obseruaui. Eiusdem adeps cum succo herbæ draconteæ mane & vesperi inunctus, vtilis est ad dolorem capitis, & initium elephantiæ vel lepræ, & omnem scabiem cutis, Kiranides 1.4.

Is quem hîc depinximus terreno vel fluuiatili serpenti simillimus est, ad trium vel quatuor cubitorum longitudinem accedit. Corpore rotundiore est quàm anguilla, capite congro similis est. Maxilla superior inferiore longior est. Dentes habet in maxillis & in palato murænæ modo, sed rariores. Pinnulas duas ad branchias veluti anguilla. Colore est fuluo, venter & rostrum cinereo. Oculi flauescunt. Internis partibus à muræna non differt. Nullus est omnino qui primo aspectu hunc serpentem esse non iudicet, Rondeletius. E.

Serpens marinus Aristotelis rarus est & paucis cognitus: & quanquã bonus in cibo sit, sicut alij longi lubricíq;, vt congri, anguillæ, mustelæ: propter nimiam tamẽ cum serpente terrestri similitudinem, plerique ab eo viso tanquam non pisce abhorrent, Bellon. in Gallico de piscib. lib.

DE SERPENTE RVBESCENTE.

SERPENTEM hunc marinum, (inquit Rondeletius a quo hæc desumpsimus) primus mihi monstrauit vir humanissimus & eruditissimus Gulielmus Pelicerius Monspeliensis episcopus. Is ob raritatem minimè prætermittendus hoc loco fuit: quem nonnulli myrum esse putauerunt, sed falsò, vt ex descriptione liquet. Nam branchias osseo operculo squamosorum modo intectas habet, pinnasq; ad natandum maiusculas, quibus muræna & myrus carent. Sed Dorionis myrum alterum esse ὑποπυῤῥίζοντα, id est, rubescentem non absurdè quis existimauerit.

Est igitur serpens de quo nunc agimus, corporis specie serpentibus terrenis similis, colore rubro vel phœniceo: lineis obliquis & sinuosis à dorso ad ventrem ductis, eam lineam, quæ à capite ad caudam protensa est secantibus. Scissura oris non admodum magna, dentes habet acutos, serratos: branchias opertas squamosorum piscium instar. In dorso à capite ferè ad caudam veluti capillamenta tenuia à sese disiuncta, in ventre similia. Cauda in pinnã vnicam desinit, Hęc ille. Cum circa Abydum obambularem, in paruis quibusdam alueis seu canalibus salsis, inueni serpentis terrestris speciem, qui toto ferè die in mari viuit, quemadmodum coluber in dulci aqua, somni verò causa in terram egreditur. colore fermè rubet, sed maculis etiam fuscis aut cinereis varius est, Bellonius in Singularibus Obseruationibus. Idem hic fortè aut cognatus est serpenti marino rubescenti Rondeletij.

¶ Cum multæ sint marinorum serpentium species, Germanicè communi nomine omnes Meerschlangen / vel Meernatern appellabimus. ¶ Serpentes marinas vidi, quarum color ad Congrum accederet, rostrum longum & tenue esset: aterior corporis pars sexangula, à ventre ad caudam quadrangula pertineret, Gillius. Verùm hæc animalia Rondeletius non serpentes mar. Aristotelis, sed acus ab eodem dictas esse ostendit. ¶ Albertus Magnus ab initio libri quarti de animalibus, aquatilium genera diuersa enumerans: Octauum (inquit) serpentinum vocatur, eò quòd sit simile colubro. Et inferius capite octauo: Constat in mari esse animal exangue, serpentinum, quod simile videtur esse serpenti qui vocatur tyrus: & est rubri coloris, habetq; alas pinnularum consequentes se in corpore suo, & mouetur motu alarum. & hæc tamen videtur esse continua interiori suo. quare ista non sunt eadem cum pisce serpentino, cuius suprà meminimus. sed accedunt ad ligni naturam, minus tamen quàm præcedentia. De ligneis autem (vt ipse nominat) aquatilibus, id est zoophitis quibusdam, plura ab initio eiusdem capitis scribit.


Laocoon (libro 2. Æneidos) Neptuni sacerdos,

Solennes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago: pariterq́; ad littora tendunt.
Pectora quorum inter fluctus arrecta, iubæq́;
Sanguineæ exuperant vndas: pars cætera pontum
Pone legit, sinuatq́; immensa volumine terga.
Fit sonitus spumante salo, &c.

In Balthico vel Suecico Oceano flaui quidam serpentes marini reperiuntur, triginta aut quadraginta pedes longi: qui, nisi irritati, neminem lędunt. Eorum iconem Olaus Magnus in tabula sua E.m. dedit huiusmodi.



In eadem tabula ad B.d. alius serpens marinus ad centũ aut ducentos pedes longus, vt descriptio habet, (vel etiam trecentos, vt numerus iconi adiunctus præ se fert,) circa Noruegiam in-



terdum apparet, mari tranquillo infestus nautis, adeò vt hominem quandoque è naui abripiat. Nauim ab eo inuolui aiunt tantã, quantæ ferè in nostris fluuijs aut lacubus maiores fieri solent, quæ mercium vecturæ destinantur, inuolutam subuerti: spiras super mare tantas aliquando erigere, vt nauis per vnam transire posset. Figuram, qualis in Olai tabula est, apposui.

Ex Germanico Schiltbergeri cuiusdam Bauari Monacensis libro, De peregrinationibus suis, quas captiuus à Turcis obiuit, nuper euulgato Francfordiæ.

Pugna serpentium aquatilium & terrestrium.

In Regno Genyck vocato vrbs est nomine Sampsen. Eam, quo tempore ego apud Vueiasitam Turcarum regem eram, colubri aquatiles, & serpentes terrestres innumeri, circunquaq; per miliaris ferè spatium, circundabant. Venerant autem hi è syluis, quæ multæ sunt in vicina regione Trieuick dicta: illi verò è mari. Hi dum colliguntur per nouem dies, nemo præ metu ex vrbe egredi audebat: quamuis nec hominem nec alia animalia lęderent: quamobrem vrbis ac regionis princeps, ne quisquam etiam hominum eos læderet, edicebat: non sine iussu diuino rem adeò mirabilem & magnæ alicuius mutationis signum euenire interpretatus. Decimo die duo hæc serpentium genera inchoatum diluculo conflictum, ad Solis vsque occasum produxerunt. quo animaduerso, princeps cum paucis equitibus vrbem egressus, pugnam spectare voluit. cedebant autem aquatiles terrestribus. Reuersus in vrbem, ac postridie summo mane denuo egressus, nullos ampliùs viuos, sed occisorum tantùm serpentium octo millia reperit. quos omnes scrobe defossa, humo tegi curauit: & Vueiasitæ regi, nuper ea vrbe potito, rem omnem literis nunciauit. qui hoc ostento tanquam prospero sibi & felicia portendente gauisus est.

SITVLA serpens est qui & dipsas: De quo supra. Addendum tamen & hæc ex Georg. Pictorio descriptio, in Lerna malorum.

Situla paruus item serpens sputamine lædit
Et sensus tollit, tollit itemq́; motum.

SPATHIVRVS serpens de quo supra in myagro.

DE SPONDYLE.

ANimalium cæterorum (quidam existimant legendum exterorum) nullum aliud radices à nobis dictas (vitis syluestris, aristolochiæ, peucedani, centauri) attingit, excepta spondyli, quæ omnes persequitur. Genus id serpentis est, Plinius libro 27. capite 13. Ge. Agricola non serpentem, sed insectum esse docet, quòd Germanicè dicitur engere in libro de animantibus subterraneis. Spondylis (inquit) vermis intra terram reperiri solet, ita conuolutus, vt verticilli, quod Græci spondylum vocant, speciem præ se ferat: vnde nomen inuenit. Ei longitudo & crassitudo minimi digiti; caput rubrum. Sed quia hic vermis caret pedibus & serpit, Plinius scribit genus id serpentis esse. Aristophanes quoque ait σφονδύλην φίλην ἔχει, βδέλλῃ προσφερῆ, δυσώδη ὄντως. ¶ Spondyle Plinij, Typhle vel Typline antiquorum, Bellonio est, quæ acus Aristotelis Rondeletio: quod non probat Gesnerus. Vide in Corollario acus inter aquatilia. ¶ Spondylus nodus seu vertebra spinæ dicitur; item calculus æneus, quo suffragia sua iudices Athenis dabant, vt est apud Iulium Pollucem: item verticulum quod apponitur fusis, vt nendo melius vertantur, Martialis libro 7. pro animalium ossiculis vtitur. Est etiàm spondylus ostreorum generis, de quo in libro de aquatilibus plura reperies. ¶ Spondyle radix quædam silphio similis veteribus memoratur, Eustathius. ¶ Est & sphondylion herba, quam Dioscorides libro 2. describit.

DE SERPENTIBVS QVORVM NOMINA INCIPIVNT A T.

DE Taranta serpente Georg. Pictor. in Lerna malorum.

In vita lædit nullum Taranta crudelis
Post mortem serpens sed violentus erit.

Τελαϛὸς, εἶδος ὄφεως, Hesychius & Varinus.

Typhlops vel Typhlinus serpens est qui aliter vocatur Cæcilia. Vide quæ superius dicta sunt de Cæcilia.

DE TYRO.

TYrus idem esse fertur, quod vipera. Nam & authores in medicina loquentes de carne serpentina vel tyriaca conficienda rarò vel nunquam de tyro sub hoc nomine faciunt mentionem, sed de vipera, Actor. Viperam Arabes ex Græcorum lingua, vt assolet, vocabulo detorto deluxatoq́, thiron vocant nomine generis speciei imposito: nam θηρίον, fera est, Cælius. Vocant Arabes tyrum viperam, vt ex Serapione facilè quis comprehendere poterit: quum quæ echidnæ Græci tribuunt, ille suo tyro conscripsit, Amatus Lusitanus. Nicolaus Leonicenus libellum conscripsit de tyro seu vipera, in quo pluribus argumentis probat eundem esse tyrum cum vipera. Arabum tyrus vipera est, quam Græci θῆρα κατ' ἐξοχὴν appellant, Gesnerus. De hoc plura dicemus in viperæ descriptione: quò etiam referemus ea quę ad hunc serpentem pertinent, præter pauca, quæ hîc adscribemus, quòd ad viperam referri commodè nequeunt.

Eosmari, id est, tyrus serpens, Syluaticus. Alfahex, id est, tyrus, Idem. Serpentis nigri qui tyrus vocatur, meminit Albertus in cura falconis, Idem. Tyrum aliquando simpliciter pro serpente ponit. Tyria etiam à quibusdam vocatur. Tyria cum panem comedit, claudit vias dentium suorum adeò quòd non potest mordere nec nocere: & qui nescit fraudem & ingenium eas tyrias venantium, ex eo vtique admiratur, Galenus de theriaca ad Cæsarem particula 6. vt citat R. Moses in Aphorismis. Id autem narrat Galenus libro de theriaca ad Pisonem de viperis, quibus circulatores mazas quasdam obijciunt, quæ dentium foramina obstruunt, vt hac ratione morsus fiant imbecilles, & videntibus magnum videatur miraculum, quòd ab ijs morsi nullum damnum patiantur.

¶ Tyrus est serpens in partibus Hiericho circa solitudines Iordanis infestus auibus & animalibus: maximéque ouis auium, quæ cum ipsis auibus comedit: huius carnes confectæ cum quibusdam admixtis omne toxicum venenum expellunt: quam confectionem tyriacam dicunt. Ferunt autem nonnulli hunc ante passionem Christi nullum habuisse remedium, maximéque fuisse hominibus infestum. Ipsa verò die passionis vnum ex eis infestissimum circa partes Hierusalem casu fuisse comprehensum, & ad Christi latus in cruce suspensum, atque ex illa die totum illud serpentis genus accepisse virtutem. Tum contra venenum ipsius Tyri, quod tyricon dicitur, tyriaca nihil valet. Et hoc veneni genus, id est, tyricon quod est irremediabile malum accipit draco de ipso tyro. Tyrus senectute confectus hoc modo pellem suam deponit, excoriat prius corium quod inter oculos est, ita vt si nescias, bestiam cæcam

putes, deinde corium capitis aufert, quo facto reliqua pars facilius spoliatur, & cùm spoliatus fuerit habet modum & formam embryonis. Tyrus ouat intus, & antequam egrediatur fit animal & generat sibi simile. Author de natura rerum, & Vincentius Belluacensis.


¶ Fit & quæ iuuentutem instaurat aqua cum tyri carne, fit & cum helleboro, qualem apud patrem meum vidi, sed hę diuexant corpora, & iuuentutis imaginem fucatam reddunt, non pręstant iuuentutem, Cardanus lib. 2. de subtilitate.

¶ Est præterea serpens exiguus, quem in Italia quidam tyrum appellant, forsitan dipsadum generis, Gesnerus in pandectis.

DE SERPENTIBVS QVORVM NOMINA INCIPIVNT A LITERA V.

DE VIPERA.

A.



Nomina.

Vipera.

VIPERA suum inter serpentes locum habet: vnde satis mirari non possum, inquit Mercurialis lib. 2. de venenis, Augustini Suessani infantiam, qui in comment. ad primum Arist. de gen. anim. cap. 10. scribit, viperam non esse serpentem, eo quòd serpens ab Arist. dicatur ὄφις, vipera verò ἔχις. Certè mera est puerilitas, eo maximè quod ipsemet Arist. 5. de gen. anim. cap. vlt. viperam ponit inter genera ὀφίων, id est serpentũ. Quanquam duas habet conditiones à reliquis serpentibus diuersas, vna quod viuum fœtum edit: altera quòd cæteri serpentes hyeme in terra latent, vipera verò in saxis: vt pluribus posthac dicetur, Hæc Mercurialis. Viperam Arabes (vt in tyro iam diximus) ex Græcorum lingua, vt assolent, vocabulo detorto deluxatoq́; thiron vocant, nomine generis speciei imposito: nam θηρίον id est therion, fera est, pudendo magni Alberti errore: qui & in plerisque alijs huius scientiæ videtur peccasse. Nam quos Galeno Pauloq́; trohiscos, siue pastillos theriacos appellare moris est: quoniam ex therio, id est, vipera commiscentur, Auicenna in mentione Andromachi theriaces, trochiscos thiri vocat. Porro quæ à Serapione sunt de thiro obseruata, de vipera rectè pronunciari ex Dioscoride Galeno ac Paulo recognoscimus, Cæl. Rhodig. antiq. lect. lib. 6. Tirum tamen serpentem esse à vipera diuersum Auicenna Arabs quinto sui libri de medicina volumine, videtur existimasse. Siquidem in varijs theriaces descriptionibus aliquando trochiscos tiri, aliquando trochiscos ex viperis recipi præcepit, vt plures magni in medicina nominis iuniores, Auicennæ (vt arbitror) authoritatem secuti, alios esse trochiscos ex viperis, alios ex tiro crediderint. Gentilis quoque eiusdem Auicennæ expositor, viperam apud hunc authorem non tirum non vnam aliquam specialem serpentis naturam, sed pluribus generibus seu speciebus communem interpretatur. Nicolus Florentinus sermone 4. capite 18. de speciebus serpentum agens, aliquando viperam speciem serpentium cornutorum qui in Ægypto nascuntur insinuat: non multo post ex authoritate Aristotelis serpentes ouantes intra se tenentes oua, tiros nominat. Subiungit esse tertij ordinis serpentes graciles, oblongos, viperas nominatos, & esse illos qui propriè inueniuntur apud nos, quorum

Tyrus.

rum aliqui sunt minoris malitiæ; aliqui maioris, adeò vt sint proximi surdis; & inter aspides nominantur. Idem author alio loco eiusdem capitis ita scribit: De viperis etiam malis reperiuntur apud nos, & ex istis sunt quædam curtæ & grossæ, dictæ nostro idiomate scorzoni. Ex quibus verbis apparet ipsum quoque sub nomine viperarum plura serpentium genera comprehendisse; adeò vt aspides viperas nominauerit: Nam Galenum quoque in libro de theriaca ad Cæsarem ita scribentem allegat: dictum est de regina Ægypti, quæ interfecit seipsam impositione manus super tirum, quæ ipsa hora appositionis mortua est. Sed talem effectum Galenus in libro de theriaca ad Pisonem, non de tiro vel vipera, sed de aspide altero serpentis genere testificatur. In eodem errore fuit Bartholomæus Montagnana qui echidnam quæ vipera est siue tirus, vt ipse fatetur ex aspidum genere facit, cum Galenus in libro de theriaca ad Pisonem echidnas ab aspidibus manifestè discernat, Hæc Nicolaus Leonicenus libro de tiro seu vipera. ¶ Nepa quibusdam placet; serpentem esse fœmineam; quæ in hora libidinis æstuantis, mari suo compari caput præcidens ipsum necat: vnde & ipsa in partu necatur viceuersa. Sic ergo eadem est nepa, quæ & vipera; Phisiologus. At nepam esse scorpium constans ferè omnium probatorum authorum est sententia.

Hebraicè אפעה Vipera, Ies. 59. 5. & Io. 6. Alij dicunt esse serpentem suo afflatu venenosum, nempe basiliscum siue regulum, Pagninus, Munsterus. צבעים secundum Hebreos sunt אפעים id est viperæ; dictæ à varietate colorum, 1. Reg. 15. Munsterus. Arabice, alasafrai & alfaliai est nomen speciei viperæ ex qua fit theriaca, And. Bel. Vipera alphe dicitur Arabibus, Nicolaus Leonicenus. Eofman, serpens vnde fit tyriaca, Synon. Afis, id est vipera serpens, Syluat. Videtur hæc vox translata à Græca voce ὄφις, vt ita appelletur vipera κατ' ἐξοχὴν. ¶ Græcè, ἔχις καὶ ἔχιδνα; sed prior mas, sequens fœmina est. Hodie in Græcia serpens quidam ochendra dicitur, teste Bellonio, nomine ab Echidna corrupto, quamuis vera vipera esse ipsi non videatur, Germanicè brandtschlangen/Matthiolus. Ein nater/otter/Dasypodius. Ein heckenater/vipernater, Gesnerus. Gallicè, vne vipere. Hispanicè, biuora, & bicha. Italicè, vipera, marasso, & scurtio si Nipho & Leoniceno credimus, vel scorzonei si Nicolo Florentino, vt ante diximus: sed Hieronymus Massarius in quadam epistola ad Gesnerum scribit scorzo & scorzone apud Italos esse nomina generica ad omnes serpentes qui repunt, ac dentibus feriunt. Marassus verò Italis dictus an sit vera vipera antiquorum, video etiam à quibusdam dubitari. Quanquam id à pluribus viris doctis affirmetur. Nicolaus enim Leonicenus in libris de dipsade & de tiro probat hoc argumento marassum esse viperam, quòd Aristoteles & alij veteres scriptores affirmant, solam viperam inter serpentes viuum animal parere, quod facit etiam serpens marassus ab Italis dictus, Cælius Rhodig. antiq. lect. lib. 6. cap. 16. idem confirmat his verbis. Viperam suspicor vulgo dici marassum, quæ nomenclatura nec barbara est, nec citra rationem excogitata, quippe à Marsorum populis interpretatione etymologica duci nomen videtur: quia id genus maximè consectarentur Marsi, circumferrentque. Quod etiam authoritate Galeni probat eodem loco: ac postea addit. Nec me fallit, ex eruditioribus quendam ædito etiam libello, marassum à vipera, disparasse: quo Nicolai Leoniceni viri vndecunque scientissimi placita vberius de huius animalis natura conuellat. Brodæus verò in Miscellaneis suis scribit eam viperam quam circulatores Itali ostentant (quæ haud dubie marassus est) quamque Romæ cuidam familiari suo dono datam sæpe diuque aspexit, antiquorum viperam sibi non fuisse visam. Quod verò quidam viperam à cæteris serpentibus distinguere solent quod animal pariat, non sibi placere, quod certum sit id etiam cerastæ visu venire. Nam qui bestiam hanc discendi studio in Ægypto & Africa dissecuerunt, catulis grauidam multoties offenderunt. Hieronymus Massarius marassum ait esse serpentem venenosum, qui longitudine crescit vnius cubiti, coloris cinericij: oculos minimos habet, sed ignitos: ita vt faculæ duæ ardentissimæ videantur: & dum vexatur, sibila emittit, ita vt ad ictum vnius lapidis audiatur: & puto, inquit, asinos illos agyrtas absque necessitate addidisse nomen suffili: cum enim hæc vox nihil aliud significet quam sibila; credo idem esse marasso, & suffili.

¶ Viperarum species diuersas facit Auicenna. De eis enim, inquit, sunt viperæ alesilati, & de eis sunt viperæ quercinæ, & de eis sunt facientes sitire, & reliquæ quas dicemus. Sed apparet Auicennam velle viperam non esse nomen speciei, sed generis potius, multas sub se species comprehendentis, vnde etiam multa viperis tribuit, quæ ad alios serpentes quoque pertinent, vt annotat Nicolaus Leonicenus in libris iam nominatis.

B.

Viperæ per vniuersum orbem terrarum visuntur, Herodotus in Thalia. Habitatores ab Amyclis, quas ante Græci condiderant, serpentes fugauere. Illic frequens vipera insanabili morsu: breuior hæc cæteris, quas in alijs aduertimus orbis partibus, ac propterea, dum despectui est facilius nocet, Solinus. Syagro promontorio Arabiæ thuriferæ propinqua est insula Διοσκουρίδου, in qua crocodili & viperæ plurimæ, & lacertæ permagnæ sunt, &c. Arrianus. Viperis hos Europæ montes abundare, nempe Scironem, Pannoniam, Aselenum, Coracem, Riphæum scribit Nicander in Theriacis; In Asia verò Ægagem, Bucarteronem, & Cercaphum. Viperæ

Marassus.

Quibus in locis reperiantur viperæ.

& cerastæ in Ægypto reperiuntur, Bellonius. Negabant quondam Marsi, gens quæ in Italia impunè serpentes venaretur & tractaret, viperas in nostro orbe nasci, ob cœli temperiem, & molliorem soli naturam. Id tamen non credere se Galenus ait. Omnes contra Aphricæ, peculiare hoc naturæ malum potius, quam animal esse testati sunt. Iidem non satis certè genus & formam viperæ descripserunt: alijs dipsadem, alijs præsterem, alijs aliud genus & nomen viperæ assignantibus: alijs hac forma, alijs illa describentibus. Ex M. Verg. com. in Dioscoridem. Quod tamen hic author de viperis in genere dicit, Galenus tantum de viperis dipsadibus scripsit de simpl. medic. facult. libro 11. vt etiam rectè annotauit Barbarus. Viperas per omnem Europam reperiri scribit Cornarius in libro de peste. Bellonius quoque se in Anglia, Gallia, Italia, Græcia, Asia & Ægypto viperas reperisse testatur. Et quanquam Aristoteles in mirabil. in Creta viperas vllas nasci negat, tamen idem Bellonius scribit in ea serpentes reperiri qui & chendræ vulgo nominantur, quæ vox ab echidna deducta videtur vt supra dictum est. Lusitaniam viperarum maximam copiam alere scribit Amatus Lusitanus. In Hispania etiam reperiri idem testatur commentarijs suis in Dioscor. Nicolaus Leonicenus in lib. quem de tyro seu vipera conscripsit, constanter affirmat, in Italia copiosè inueniri viperas, & vulgo marassos, siue scurtones appellari. Ego verò eas hactenus in Germania nunquam videre potui, Cordus in Dioscor. Viperam Italia modo aut non habet, aut non agnoscit quanquam sunt qui marsos angues, vt inquit Eustathius, & vt vulgus ipsum nunc vocat marasos, pro viperis accipiant: ita passim vocantibus Hispanis, ex quibus qui sunt minus atri, aspides ruribus dicuntur, Herm. Barbarus in Dioscorid.

Discrimina pro locorum diuersitate. ¶ In Æthiopia & Libya viperæ nigræ sunt, velut & homines, quod etiam Pausanias testatur, Cardanus de subtil. rer. Scio magnum esse discrimen inter viperas pro locis & regionibus in quibus nascuntur & educantur. Curiositas enim & desiderium eas cognoscendi fecit, vt in Anglia, Gallia, Italia, Græcia, Asia & Ægypto eas repererim diuersas ac differentes inter se corporis forma & colore, Bellonius in singul.

Magnitudo. Vipera magnitudine est cubitali & interdum maiori. Nicander in Theriacis viperas quandóque magnas quandóque paruas esse dicit; Europam autem paruas & breues habere. Nymphis librorum quos conscripsit de Ptolomæis nono, viperas dicit in Troglodytide, si cum alijs conferantur, ingenti nasci magnitudine, ad cubita quindecim quandoque, Ælianus. Nearchus in India quindecim cubitorum à se visam asserit. Aristobulus verò nouem cubitorum & palmi viperam se vidisse refert. Strabo lib. Geogr. 15. in India viperas esse scribit, quarum corpora non modo excedant longitudinem octo vel nouem cubitorũ, sed etiam sexdecim cubitis sint longę.

Fert Asia vltra tres longis qui tractibus vlnas
Se tendant, rigidum quales Bucarteron, atque
Arduus Aegagus, & celsus Cercaphus intra
Se multos refouet, Nicander in theriacis.

Senum quoque pedum in Asia viperas esse nonnulli prodidere, Scaliger. In aurea Castiglia frequentes esse viperas quæ longitudine 20. pedes æquent, quibus caput non minus est quam hædo testatur Cardanus. In Hispania verò hoc animal cubitale ad summum est, Amatus Lusit. in Dioscorid. Vipera maxima tres palmos magnos vel sesquicubitum longa est Aëtio, vt exponit Cornarius.

Sexus. Ἔχιν ab ἐχίδνα sexu non natura nonnulli differre aiunt. Illum marem esse, hanc fœminam. Alij etiam natura differre existimant. Et sunt quidem qui dicunt conuulsione illum affici quem ἔχις percusserit, non item quem ἐχίδνα. Alij dicunt huius album morsum esse; illius liuidum. Cùm morsum inflixit ἔχις (inquit Nicander) duorum dentium vestigia apparent: cum ἐχίδνα, plurium, Ælianus. Inter cætera fœmina à masculo differt, quòd caninos dentes duobus plures habeat, quemadmodum sanè Nicander hisce versibus dicit,

Masculus emittit, notus color, ipse caninos
Binos perpetuo monstrat, sed fœmina plures.

Galenus lib. de theriac. ad Pisonem, vbi etiam cum fœminas ad theriacæ confectionem sumi præcipit, sic eas describit. Animalia sunto colore sufflaua, admodum agilia, collum maximè porrigentia, oculis subrubentibus, inuerecundis atque intuitus feri: capite latiore, corpore toto & ventre vastiore, gressu ad extrema magis caudæ, quæ non inuoluta est, sed potius contorta, incessu quieti proximo. Hac enim re, inquit, fœmina à masculo differt. Hæc Galenus. Fœminarũ inter viperas hoc signum est, quòd masculi, omni latere vnum habent dentem; & fœminæ plures vno, Auicenna. Id autem de dentibus caninis intelligendum est iuxta Galenum. Fieri enim potest vt mas etiam plures duobus ex alijs dentibus habeat qui canini non sunt, Nican. Leonicenus.

—— Summæ circa vltima spiræ
Fœmina pone trahit ceu mancam vipera caudam
Perpetuo duris horrentem tergora squamis,
Et per opaca pigrum raptat dumeta volumen.
Ipse sed acre caput mas fert prolixior illa

Quandoque

Quandoq;, & quandoq; minor, sed non ita lato
Ventre patet, mutila est, similisq; per omnia cauda:
Prolixi semper crassus, similes quoq; squamæ: Nicander.

Vipera fœmina colore quidem est subflauo, multis instar rotarum notis exornata, magnitudine cubitali, longissima verò palmos tres æquat. Caudam autem habet aceruatim in tenuitatem desinentem, non paulatim imminutam: estq; omnino carne nuda cauda & aspera. Oculi verò subrubri & caput latius & angustius collum. Ventrem autem sinuosiorem habet; & in gressu ad summum caudæ nititur, sensim verò inambulat, & quatuor habet caninos dentes. Vipera verò mas eiusdem est coloris; verùm caput angustius & collũ crassius habet, & vniuersum corpus tenuius & quodammodo prolixius: gressum autem superne circa ventrem firmat, & alacrius mouetur: dentes autem caninos solum duos habet, paulatim verò cauda ei imminuta est, quemadmodum & reliquo serpentium generi, non aceruatim velut in vipera fœmina dixi; & per hoc sanè à fœmina differt, Aetius. Valde differens est mas à fœmina: nam fœmina caput habet latius quàm mas, ceruicem minus elatam, dentes quatuor, corpus crassius sed breuius, caudam magis extensam, tardius incedit. Contra verò mas habet caput angustius, ceruicem magis elatam, solos duos dentes, corpus & longius & tenuius & velociter incedit. Cæterum viperæ sunt colore cineritio, interdum subflauæ, maculis nigris, vt plurimum, interstinctæ; Mercurialis lib. 2. de venenis. ¶ Viperæ sunt serpentes habentes capita plana, quæ sunt lata; propriè ad propinquitatem colli minuti, subtilis valdè: quorum caudæ sunt curtæ strepitum facientes & sonitum in incessu, Auicenna. In Hispania hoc animal cubitale ad summum est, capite presso, acuto, in quo verruca cernitur; dorso variegato, & catena quadam depicto, Amatus Lusitanus in Dioscoridem. In genere viperarum præstantissimæ sunt quibus caput latum cauumq;, & in rhombi figuram dispositum, oculi viuaces, duoq; dentes tantum canini, vnguis in nare vel cauda: cauda verò breuis breueq; corpus, cuius color liuidus, incessus motusq; celer, & caput erectum, Cardanus. *Forma.*

¶ Viperæ dentes gingiuis conduntur. Hæc eadem prægnans veneno, impresso dentium repulsu virus fundit in morsus, Plinius. Viperæ marassi caput ostendit Gerardus Bouman medicus Cliuensis: in quo dentes oblongi in superiore mandibula vtrinq; spectabantur quatuor: alij dentes supra infraq; non apparebant propter paruitatem, sed aciculam infricando asperitas stridoq; percipiebatur. Sed ne longi quidem illi in viuis apparent nec in mortuis, nisi auferatur vesicula intra quam latet, & intra quam condere eos ac promere pro arbitrio possunt. Continetur & humor intra vesiculam illam venenosus, quem simul cum morsu immittit (vt & scorpius è centro suo, quod cauum esse creditur) Gesnerus. ¶ Auriculæ omnibus animal duntaxat generantibus, excepto vitulo marino atq; delphino, & quæ cartilaginea appellauimus & viperis. Hæc cauernas tantum habent aurium loco, &c. Plinius. ¶ Vulua viperæ & intra se parientibus, duplex, Idem. In hoc verò loco Nicolaus Leonicenus duplicem errorem commisisse Plinium ait. Primùm inquit duplicem viperæ vuluam atq; intra se generantibus tribuit, quasi vipera non sit de numero eorum animalium, quæ extra se generant. Secundò, neq; inquit vipera duplicem vuluam habet, imò vnam tantum, cuius, sicuti in cæteris quæ intus quidem oua, extra autem animal pariunt, ea pars qua oua continentur, infra lumbis adiungitur, & supra intestina ostium continetur, quemadmodum tum in libris de partibus, tum etiam de generatione animalium multis alijs in locis, testis est locupletissimus Aristoteles. Quod si per duplicem vuluam bifidam, seu bipartitam Plinius insinuat, non erit hoc viperarum & similis naturæ animalium peculiare, imò omnium aliarum, quæ tam intra quàm extra animal generat: quod etiam de bobus & mulieribus hoc eodem loco Plinius affirmat, Hæc Leonicenus. Gerardus Bouman, qui viperam secuit aiebat se obseruasse vuluam eius bifidam esse. Viperæ oua ad instar monilis, Ald. ¶ Serpentes aliqui vngulam habent, vt viperarum genera quædam, Cardanus. ¶ Viperæ ac Cerastæ Ægyptiacæ pellem habent facile cedentem: quod experientia comperi. Cum enim eas excoriassem, ac pellem fœno vel stramine compleuissem, duplo crassiores erant quàm cum viuæ essent, Bellonius. *Dentes.* *Aures.* *Vulua.*

¶ Dicit Phisiologus, quod vipera habet faciem humanam vsq; ad vmbilicum: ab vmbilico verò vsq; ad caudam, crocodyli figuram. Meatus digestibilis quasi foramen acus est: & ideo more cæterarum concipere non potest sed tantum per os. Cauernas habet loco aurium, & tres dentes tantum, Vincentius Belluacensis.

C.

Vescuntur viperæ tum herbis quibusdam tum animalibus, & quibus assuetæ solent nutriri, cuiusmodi sunt buprestes, cantharides, & quas vocant pityocampas: hæc enim idonea ipsarum sunt alimenta, Galenus lib. de ther. ad Pisonem. In montibus Phœniciæ ex esu radicum viperas magis efferari scribit Pausanias. In Arabia balsamorum non modò suauissimo succo eas vti, verum etiam vmbra delectari, idem testatur. Scorpium deuorari à vipera certum est ex Aristotelis testimonio lib. 8. cap. 29. de histor. animal. *De viperarum cibo & potu.*

¶ Viperæ vini incontinentes sunt, Idem. ¶ Vipera modò magnum modò paruum gyrum a-

Motu & incessu. git: duris squamis horret, segni tractu serpit, irritata oculis valde rubet, & geminam linguam iactat, simul & caudam contorquet, Gillius ex Nicand. ¶ Cæteri quidem serpentes cauernas *Latibulis.* subeunt terræ (hyeme scilicet) sed viperę sub saxis conduntur, Aristot. Contra verò Plinius: Serpentium inquit, vipera sola terra condi dicitur, cæteræ arborum aut saxorum cauis, quod scripsisse videtur Aristotele male intellecto. Hic serpens in terra conditur, Vincentius Belluacensis. De viperis illud amplius ex Galeni doctrina sciendum. Animantia inquit, quæ frigidiori sunt natura, per hyemem ob frigoris vim perinde ac si mortua essent, latitare solent: atque tum viperas quoque videas, si manibus tractentur deferanturque, haudquaquam mordere. Nam per æstatem tum hoc animal tum serpentes reliqui omnes, præsertim sub caniculæ feruore, quum vehementer æstuant, furorem præ se ferre videntur, adeo vt ne exiguo quidem momento quiescere omnino possint, Cœlius Rhod. ¶ Vipera exuit tam vere quàm autumno, Aristot. Plinius. *Venatione.* Viperæ post hyemem de cauernis egredientes, oculos suos super fœniculum fricant vt illuminentur, Auicenna.

Coitu & partu. ¶ De viperarum coitu & partu recitabimus prius ea quæ plerique veteres authores scripserunt, deinde aliorum ac præcipue recentiorum sententiam veriorem afferemus. Viperæ cum libidine agitantur, & per paria coeunt: fœmina collum maris in emittenda genitura comprehendit, & arctè amplexa non prius dimittit quàm deuorauerit: & mas quidem hoc modo perit, fœmina verò talem luit masculo pœnam, quod filij dum adhuc intra vterum sunt, patrem vlciscentes matricem ambedunt, eiusque aluo ambesa, ita partum faciunt, Herodotus in Thalia.

Cum durum fugiens morsu ignescentis echidnæ
Frendit echis, vel vbi feruente libidinis æstu
Sæuo dente sui resecat caput illa mariti.
Ast vbi post vegetam cœperunt pignora vitam,
Iam propinqua adsunt maturi tempora partus,
Indignam chari mortem vlciscentia patris
Erosa miseræ nascuntur matris ab aluo. Nicander in Ther.

Vipera inter omnes alias feras caput habet perniciosius: siquidem aiunt ipsam os aperire ad suscipiendam maris genituram, qua accepta caput illius abrodere. Atque hunc ipsis esse praui complexus modum. Deinde fœtus ex semine prognati, naturali quadam vltione parentis vterum erodere & foras prorumpere feruntur: ac ita ipsos patris vindices, matrē perimere. Quod nobis egregius Nicand. versibus suis ingeniosè scriptum reliquit, Galenus. Vipera sua circumplicatus fœmina cum ea coit: hæc verò sine molestia iniri se patitur: postquam verò ad coeundi finem peruenerunt, vxor pro coitus consuetudine malam amoris compensationem rependit: nam ei ad collum inhærens, morsu abscindit caput. Itaque ex viperino coitu hic perit, illa verò prægnans efficitur. Non autem oua parit sed animantes partus edit iam iam idoneos ad perniciem inferendam. In ipso enim partu matris aluum distrahunt & lacerant, perque disruptum ventrem erumpunt, vlciscentes patrem in hunc modum, Ælianus, hist. animal. lib. 1. Viperæ mas in coitu caput inserit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. Terrestrium eadem sola, intra se parit oua vnius coloris, & mollia vt pisces. Tertia die intra vterum catulos excludit: deinde singulos diebus singulis parit, viginti ferè numero. Itaque cæteræ tarditatis impatientes, perrumpunt latera, occisa parente, Plinius. Vipera dicta quod vi pariat. Nam cum venter eius ad partum intumuerit, catuli non expectantes naturę maturam solutionem, sed corrosis eius lateribus vi erumpunt cum matris interitu, Lucanus: *Viperei coeunt abrupto corpore nati.*
Fertur autem quòd masculus ore inserto viperæ semen expuat. Illa autem ex voluptate libidinis in rabiem versa, caput maris ore receptum præcidit. Ita fit vt parens vterque pereat, masculus dum coit, fœmina cum parturit, Isidorus. Plutarchus in libro quo loquaces taxantur, belonis viperisque similes eos autumat, quæ pariendo rumpantur. Nam dum tacenda curiosius quæ effutiant, venari hinc inde student, eroduntur persæpe perduntur que ab ijs quæ nequeunt continere. Idem approbasse videtur Apuleius in Magia, nec tacuit Hieronymus. Suppetit grammaticorum astipulatio quoque astruentium echidnam inde ratione etymologica dici, παρὰ τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ τὴν γονὴν ἄχρι θανάτου, quod ad interitum vsque fœtum intus contineat. Præsto est magni item Basilij in Hexaemero sententia: Viperas inquit, vtero deuorato, fama est, in lucē prodire. Comprobat & libro secundo Horus, Viperæ fœtum scribens ἐκβιβρώσκοντα τὴν γαστέρα τῆς μητρὸς ἐκπορεύεσθαι. Circumfertur & Græca sententia, sicut viperulæ arroso matris vtero, lucem indipiscantur, & ita & liuorem animam, in qua concipitur δαπανᾶν. Cœlius Rhodig. antiq. lect. lib. 6. cap. 16. Hactenus recensuimus opiniones eorum qui & marem à fœmina in coitu, & fœminam à fœtibus in partu interimi senserunt. Nunc ad alios veniemus qui vtrumque negant, & quorum sententia non tantum verisimilior sed & vsu & experientia probata est.

¶ Fuerunt ætate nostra qui has quas putamus viperas vtriusque sexus electas viuarijs inclusere, easque aliorum instar animalium coniungi, concipere, parere educareque fœtus suos experimento compererint, nullo parentum desiderato, Pierius. Coeunt masculus & fœmina caudis ad medium vsque corpus optime conuolutis complexisue; altera verò superiori corporis parte eleuata

eleuata, multis cum ore oſculis datis. Ineſt verò maſculo membrum genitale ea in parte vbi amplexantur; quod intus occultum habet. Fœminæ vero vulua ex directo ineſt, vt cuiuis curioſo manifeſtum euadet. Proinde philoſophos & medicos in hac re huc vſque erraſſe, qui per os viperam concipere, & eius viſcera in partu à catulis arrodi contendebant, manifeſtius eſt quàm à me in hoc loco dici poteſt, Amatus Luſitanus, cent. 2. ¶ Viperæ catulos Theophraſtus ſcribit parentis vterum non exedere atq; conficere. Neque ſanè vt quiddam ludens dicam, foribus effractis obſtructum exitum perrumpere, ſed fœminæ vterum anguſtijs compulſum non amplius reniti poſſe ſed diſrumpi. Cuius ſententia ita rem habere mihi ad veritatem planè perſuadet. Siquidem & marinæ acus, quia tenues ſunt, & haudquaquam ſinuoſam & capacem aluum habeant, idcirco ſimiliter à ſuis fœtibus afficiuntur, vt iam ante ſcripſi. Interim verò Herodotum rogo ne mihi ſuccenſeat, ſi ea quę ſuper viperarum partu ipſe aſſert, ego fabuloſa cenſeam, Ælianus. Apollonius apud Philoſtratum viperam eſſe viſam refert ſerpentes quos peperiſſet lambentem quaſiq; expolientem, Cæl. Rhodig. antiq. lect. lib. 6. Vidimus nos & plures alij experientia comprobarunt, viperas prægnantes pyxidibus incluſas parere, quæ inde ex partu, nec mortuæ nec viſceribus perforatæ manſerunt. imò potius viuæ illæſæ vt prius, in dies multos perdurarunt, Amatus Luſitanus in comment. in Dioſcoridem. Vipera è ſerpentibus vna animal edit, cum intra ſe oua primùm peperit. Ouum hoc vnius coloris & molle, vt piſcium eſt. Fœtus supernè conſiſtit, nec cortice continetur, ſicut nec piſcium quidem. Parit catulos obuolutos membranis, quæ tertia die rumpuntur. Euenit interdum, vt qui in vtero adhuc ſunt, abroſis membranis prorumpant: ſingulos diebus ſingulis parit, plures quàm viginti, Ariſtoteles hiſtoriæ animalium lib. 5. capite vltimo. Qui locus Ariſtotelis male intellectus tum Plinio tum reliquis ſcriptoribus erroris occaſionem præbuiſſe videtur. Quod enim Ariſtoteles de membranis ſcribit, quibus ruptis fœtus exeant, id de matris vtero intellexerunt. Hæc enim eſt ſententia Ariſtotelis, viperam ex ouo intra corpus gignere catulū, qui catulus membranis obuoluitur, quæ membranæ poſt exitum catuli in lucem diſrumpuntur: ſed aliquando contingere, vt catuli membranis obuoluti, interim dum adhuc ſunt in vtero matris, diſrumpant ipſas membranulas, & foras exeant. Eſt etiam alter error Plinij ex verbis Ariſtotelis male intellectis, & à Theodoro Gaza perperam translatis: vt Nicolaus Leonicenus in libro de Dipſade oſtendit his verbis. Verba Ariſtotelis de viperæ partu ita in græco codice ſcripta inueniuntur: Τίκτει δ᾽ ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ καθ᾽ ἕν, τίκτει δὲ πλείω ἢ εἴκοσιν. Theodorus Gaza cum Plinio aberrans male ſic interpretatur, ſingulos diebus ſingulis parit plures quàm viginti numero. Nos verò verbum ex verbo ita interpretamur. Parit autem vna die ſingulos, parit autem plus quàm viginti numero. Eſt autem ſenſus horum verborum, non quod ſingulos ſingulis diebus pariat, imò quod vna die plus quàm viginti numero, ſingulos tamen, hoc eſt non binos aut ternos, aut quaternos ſimul ſed vnum poſt alterum. Quod etiam facit maraſſus fœmina, quæ plures vna die, ſigillatim tamen parere viſitur. Vtrum autem plures quàm viginti numero ſemper vna die pariat, vel aliquando pauciores, non puto hoc ex rerum natura conſtare. Fieri enim poteſt, vt ſicuti in pleriſque alijs animalibus numerus fœtuum non eſt præfinitus, ita neque in huius ſerpentis partu Ariſtoteles de ipſo, non id quod ſemper fiat, ſed potius quod crebro contingat, in animalium hiſtoria ſcribere non dubitauerit, Hæc Nicolaus Leonicenus. Quod Ariſtoteles ſcribit viperam parere catulos membranis obuolutos, volui viperas prægnantes ac parientes obſeruare, ſed viſæ ſunt mihi, ſalua veritate, catulos abſque membranis in lucem ædere, Bellonius. Cartilaginea & viperæ cum intra ſe oua generent, mox animal foras pariunt, perfectum generant ouum. Ita enim ex ouo animal gignitur, ex imperfecto nullum: non extra. Hęc pariunt oua, quia natura frigida ſunt, non quia calida vt quidam volunt, Ariſtoteles. Vipera animal edit poſtquam intra ſe oua peperit, cum cætera ſerpentum omnia genera oua edant in lucem. Quo fit, vt viperæ vni vulua ſimilis vt cartilagineis ſit, Idem. Viperæ vbi intra ſe oua pepererunt, mox animalia gignunt, Theophraſtus lib. 7. cap. 14. Vipera ſola ex ſerpentibus non oua ſed animal parit, Suidas. Complurium ſcripta mihi modicè placent, qui eo tantum nomine viperam à cæteris ſerpentibus diſtinguere ſolent, quod animal pariat. Id enim Ceraſtæ quoque vſuuenire certum eſt, Brodęus. Id etiam confirmat Bellonius, nempe ceraſtas animal parere: ſed ceraſtas inter viperas ponit Nicander, ac nulla alia re quàm quod cornutæ ſunt à viperis differre tradit Greuinus. Herodotus verò in Thalia ſcribit etiam ſerpentes eſſe in Arabia ſubalatos, qui eodē modo quo viperæ coeunt ac pariunt. Vnde ſequeretur non ſolas viperas inter ſerpentes animal viuum parere. Sed, vt docet Nicolaus Leonicenus in lib. de dipſade, nō deſtruitur propterea Ariſtotelis ſententia: quia ſecundùm eundem philoſophum alatum & inalatum non variant ſpeciem, vt probat primo de partibus animalium argumento formicarum & cicindelarum, quæ in eadem ſpecie & alatæ & non alatæ inueniuntur. ¶ Safiæ alia etiam eſt viperæ generatio: ſiquidem Ariſtoteles vt apud interpretem Theocriti legitur, lacertam exiccatam ait in viperam mutari, Pierius.

¶ Cum impetu libidinis plana eſt muræna in aridum progreditur, & ſponſi iniquiſſimi deſiderio permota, latibulum viperæ maris intrat, ibiq; ambo inter ſe colligantur atque coitu im-

plicantur: vt vulgi quidem hominum opinio ait. Vipera quoque mas stimulis libidinis concitata ad mare accedit: & vt adolescens in amoribus dissolutus cum tibia fores pulsat amatæ, sic vipera mas sibilo edito amatam euocat: ea è mari exit, natura diuersorum locorum incolas in cupiditatem vnam & cubile idem cogente, Ælianus. Vipera infestissimũ animal eorum quæ serpunt cum muræna congreditur, sibiloq; se adesse significans ex profundo eam ad concubitum euocat: hæc autem morem gerit, & cum venenata bestia copulatur, Basilius Hexam. Orat. 7.

Fama est, si modò vera, quod hæc (muræna) sua pascua linquat
Atq; eat in siccum, cogente libidine, littus,
Et cum vipereo coiens serpente grauetur, Nicander in Theriacis.

Athenæus ex Andrea idem quoq; prodidit: cuius hæc verba sunt. Andreas in libro de his quorum venenatus est morsus, ait murænas quæ ex mare vipera genitæ sunt, morsu interficere. ¶ At hanc opinionem paucis refellit Plinius de murænis loquens. In siccum littus elapsas vulgus coitu serpentum impleri putat. Aristoteles myrinum (myrum) marem vocat qui generat. Locus est Aristotelis lib. 5. histor. animal. cap. 10. quo murænæ & myri discrimen explicat. Et Nicandri Scholiastes Græcus scribit Archelaum existimasse murænas in terram exeuntes cum viperis coire, & illis dentes esse viperinis similes: Andream verò affirmasse id falsum esse, ac neque viperam in mari versari, neque murænam in terra. Eadem Athenæus ex Andrea profert: Andreas (inquit) in libro de his quæ falsò creduntur, scribit falsum esse murænam ad lutulenta loca venientem cum vipera commisceri: neque enim viperæ in huiusmodi locis degunt, gaudentes limosis solitudinibus. Fabulosum est igitur viperas cum murænis congredi, cum vipera sui generis marem habeat. Quod si cum serpentibus murænæ coirent, cum marinis potius quàm cum terrenis copularentur. Sed fabulæ occasionem dedit myri maris cum serpentibus tanta similitudo, vt qui myrum murænæ copulatum viderint, serpentem esse crediderint: maximè cum serpentum more corpora commisceant, teste Aristotele: Quæ pedibus carent (inquit) & longo sunt corpore vt serpentes, vt murænæ, ijs coitus complexu mutuo partium supinarum peragitur.

D.

Nequitia. *Virulentia & coniugio aliena.*

Vipera nequissimum genus bestiæ & super omnia quæ serpentini sunt generis astutior, Ambrosius. ¶ Cum proximum est vt vipera complexu venereo iungatur cum Muræna, venenum vomitione eijcit atque expellit, vt blandus decorusq; sponsus videatur: postea edito sibilo (tanquam Hymenæo quodam ante nuptias misso) sponsam appellat: atque vbi mutuam veneris libidinem inter se expleuerunt, hæc quidem ad mare regreditur: illa verò exsorpto veneno & recollecto, ad domesticam sedem reuertitur, Ælianus. Cum hic serpens (de vipera agẽs) inter omnia ferè serpentum genera crudelior sit, ad fœminam tamen suam blandus est (vt dicunt Ambrosius & Basilius) absentem nanque fœminam mas requirit, & blando sibilo proclamat: & vbi comparem aduentare senserit, venenum euomit ob reuerentiam eius, honorans gratiam nuptialem, Vincentius Belluacensis. Sed cum falsum sit viperas cum murænis coire, vt prius ostensum est, apparet etiam fabulosum esse quod de hac nuptialis gratiæ reuerentia dicitur.

Storge erga fœtum.

¶ Tantum nimirum erga filios amorem, non modò in hominum verumetiam in serpentium atque immanium ferarum corda inseruit Deus, vt vipera visa fuerit, quos peperisset, lingua lambere & tanquam expolire: vt prudenter dictum sit, procreationem tam charam omnibus animalibus quàm animam esse, Gillius.

Antipathia viperarum ad hominem.

¶ Viperæ domesticæ nusquam reperiuntur. ¶ Si viperæ collum summa cautione contineas, in osq; illius diductum expuas, sputum in eius ventrem delapsum, tanta ei pernicie existit, vt inde ex tabe vipera putrescat, Ælianus. ¶ Viperas bubus noxias esse Vergilius in Georgicis testatur his verbis:

Ad animantia. Boues.

Sæpe sub immotis præsepibus, aut mala tactu
Vipera delituit, cœlumq; exterrita fugit:
Aut tecto assuetus coluber succedere, & vmbræ,
Pestis acerba boum, pecoriq; aspergere virus,
Fouit humum: cape saxa manu, cape robora pastor,
Tollentemq; minas, & sibila, colla tumentem
Deije: iamq; fuga timidum caput abdidit altè,
Cum medij nexus, extremæq; agmina caudæ
Soluuntur, tardosq; trahit sinus vltimus orbes.

Pullos anserũ vel gallinarũ.

In anserum struendis cellis seruanda sunt eadem quæ in alijs generibus pullorum, ne coluber, ne vipera felesq; aut etiam mustela possit aspirare: quæ ferè pernicies ad internecionem

consternunt

consternunt teneros, Columella. Nessotrophij tota maceries opere textorio leuigatur extra intraq́;, ne feles aut vipera prorepat, Idem. ¶ Tradunt naturæ rerum experti, myoxum (id est glirem) latitare, & fœtus suos simul in eodem loco multos parere, quinq́; & amplius: *Myoxos seu glires.* Viperas autem hos venari. Et si inuenerit totum latibulum ipsa vipera, quum non possit omnes deuorare; pro vna vice ad satietatem edit vnum aut duos, reliquorum verò oculos expungit & cibos affert excæcatosq́; enutrit, donec voluerit vnumquenq́; eorum deuorare. Si verò contigerit, vt aliqui inexperti in hos incidant, ipsosq́; in cibum sumant, venenum sibijpsis sumunt, eos qui à viperæ veneno sunt enutriti, Epiphanius in fine primi tomi secundi libri contra hæreses. ¶ Mures cum vocem felis aut viperæ sibilum exaudiuerunt, è cauo suo musculos alius aliò transfert, *Mures.* Ælianus. ¶ Hyperides in oratione contra Demadem ait: Oratores similes esse serpentibus: nam serpentes odiosos esse omnes: ex ipsis autem serpentibus homines quidē à viperis lædi, à Parijs *Parias.* autem ipsas viperas deuorari, Suidas. ¶ Albertus refert, viperam ascendisse arborem, picæq́; pullos edisse: superueniens pica pugnauit cum vipera, sed in coxa capta clamabat: ad cuius vocem aduolauit socia, quæ viperam assiduè in capite percutiens, interemit deiecitq́;, Cardanus *Picam.* de varietate rerum lib. 7. ¶ Scorpium deuorari à vipera certum est, Aristoteles hist. animal. *Scorpium.* lib. 9. Scorpionem cum vipera eadem phiala Paduæ conclusimus, quæ sese mutuo paulò post interemisse, animaduertimus, Gasp. Vuolfius. ¶ Terrena testudo cum origanum comederit, viperam præclarè contemnit. *Testudinem.* Quod si facultatem eius non assequatur, comesa ruta contra hostem armatur. Iam si vtriusque facultate caruerit, à serpente exeditur planeq́; conficitur, Ælianus. Testudines aiunt cum viperas ederunt, superedere origanum. Quod nisi statim inuenerint mori. Huius rei multi periculum facientes, cum testudinem id facientem (edentem viperam) viderint, euulsere origanum: quo facto paulò post ipsam viderunt morientem, Aristoteles in mirabilibus. Quod autem Aristoteles de origano scribit, id Plinius de cunila bubula refert, inquiens: Testudo cum viperam ederit, mox cunilam edit, quod cum sæpius ita factum animaduertisset quidam, cum gustata cunila viperam testudo repeteret, herbam euulsit, quo facto testudo interijt.

¶ Animalia multa aliquo noxio comeso, mox aliud quod iuuet assumunt, seu viperæ ... tam vbi allium comederunt, Theophrastus de causis plantarum, 6. 4. ¶ Vipera semel percussa arundine obtorpescit, pluries roboratur, Zoroaster in Geop. ¶ Luf (id est ari) quando fricatur radix super corpus non mordet ipsum vipera, Auicenna. ¶ Dracunculi folia qui manibus affricuerit, aut radicem exsecuerit, posse à vipera feriri inficiantur, Dioscorides, Aetius. *Dracontæam.* Dracontæam tere, & vnge manum, & non mordeberis à vipera. Fructus verò ipsius herbæ tritus cum aqua, & positus in equis peregrinantium, fugat eas, Galenus. Qui lauit manus suas folio draconteæ, & succo eius, & decoctione eius, non mordet ipsum vipera, Auicenna. ¶ Viperæ *Fagum.* si fagi ramulum admoueris πήσσει, id est contremiscit, Andreas à lacuna, non volabit, vt Cornarius Zoroast. in Geop. Viperam sistit fagi ramus, si admoueatur, inquit Plutarchus in Symposiacis, Cæl. Rodig. ¶ Mira res est, si hinc ponantur folia fraxini, & hinc ignis, atque in medio *Fraxinum.* constituta fuerit vipera, potius eligit sese in ignem conijcere quàm supra fraxinum transire, tanta est antipathia huius ad fraxinum, Mercurialis. ¶ Rutam viperalem appellatam tradit Apu *Rutam.* leius, quod serpentibus & viperis resistat, Pierius. ¶ Vt vipera non mordeat. Ex succo solatri *Solatrum.* vnge manus, Galenus. ¶ Sinapis interficit eam (viperam) & quando ponitur super semitas *Sinapi.* eius refugit ab eo, Auicenna.

¶ Dicitur si vipera bonum intueatur smaragdum, mox eius oculi eliquantur & fluunt à *Smaragdum.* capite, Rasis.

¶ Viperæ eruca planta delectantur, Cardanus de varietate rerum. Circa plantam quæ Sabina dicitur in agro Comensi viperarum multitudo conuenit: plures quoque super arborem *Sympathia ad erucam & sabinam.* serpunt, Idem.

E.

Serpentes viui incōtinentes sunt, proinde aliqui viperas vino cum fictilibus ad sepes dispo *Viperarum venatio.* sito venantur: ebriæ enim capiuntur, Aristoteles. Marsi homines viperarum sunt venatores, Amatus. His etiam aduersus serpentes vim naturalem inesse tradit Plinius. Veruntamen, vt autor est Galenus libro de theriaca ad Pisonem: Marsi qui suo tempore extabant, contra serpen- *De Marsis viperarum venatoribus & eorum fraude.* tium venena nullam vtique propriam habebant facultatem, sed fraude quadam vniuersam decipiebant plebeculam. Ipse enim loco citato ita scribit: Circulatores hi nunquam congruo tempore viperas venantur, sed multo post venationem, cum non amplius vigent. Captas autem ipsas crebrò sibijpsis assuefaciunt, & cibis non solitis enutriunt: imò carnes ipsis permittentes, et continuè mordere cogentes vt virus ex earum ore vacuetur efficiunt. Quinetiam mazas quasdam obijciunt, quæ dentium foramina obstruant. Atque hac ratione morsus fiunt imbecilles, vt videntibus magnum sit miraculum, talis ipsorum ad fraudem parandam artificij imperitis, Hæc Galenus. Cæterum inquit Matthiolus in commentarijs suis in Dioscoridem, id fraudis doli ue genus, nostro etiam tempore locum habet, in his præsertim circulatoribus & circumfo-

Fraus circumforaneorum, qui se de D. Pauli stirpe mentiuntur.

raneis, qui ex diui Pauli stirpe (quod tamen planè mentiuntur) se prognatos prædicant. Quippe quod ferè omnes Apuli sint ex Leccia vrbe oriundi, aut ex circumstantibus locis: quanquam facile possunt originem duxisse à Marsis eorũ vicinis, qui sexcentenis aut fortasse millenis annis ante diuum Paulum extitere. Cauendum est igitur ab eorum nugis: nam quicquid loquuntur pollicenturq́, id omne fraudulenter & dolosè agunt. Capiunt enim viperas obeunte iam hyeme, & vt magis ab eorum morsibus se tueantur, manus sibi perquam diligenter inungunt quodam vnguento hac in venatione ab ipsis experto. Vnguentum illud conficiunt ex oleo syluestris raphani semine expresso, dracunculi radicis, & asphodeli succo, leporis cerebro, saluiæ folijs, lauri baccis & alijs quibusdam additis. Affirmant eo vnguento perunctos à serpentibus ici non posse: quod ego facile crediderim, cum etiam apud Nicandrum in theriacis vnguentum reperiatur, quo qui fuerit perunctus, à feris ici non posit (de quo vnguento in historia serpentis egimus.) Capiunt igitur qui Marsos se faciunt viperas, aliudq́ quoduis serpentum genus hoc modo. captisq́ statim caput saliua perfundunt, cuius contactu non parum mitescunt, & veneni feritatem deponunt, quod hominis saliua sit illis prorsus contraria, Hæc Matthiolus. Capturi viperas manus inungunt melissophyllo: ita negant nocere. Hoc & Psyllorum antidotum ingreditur, Gesnerus.

F.

Vsus viperarũ in cibo.

In Ægypto Ægyptios ipsos viperis alijsq́ serpentibus similiter atq́ anguillis victitare prodidit Galenus lib. 3. de alimentorum facultatibus. Quibus item eos vesci traditum est, qui occidentales nouiterq́ repertas Indias incolunt, perinde ac ij qui orientales inhabitant, vt lib. 7. author est Plinius, Matthiolus in Dioscoridem. Isigonus eos qui Athon montem incolunt macrobios existimat, quia viperinis carnibus alantur. Itaq́ neq́ capiti nec vestibus eorum noxia corpori inesse animalia, Plinius.

Apparatus viperarum ad cibum.

¶ Viperarum carnes palàm videre est excalfacientes & desiccantes: vbi condiuntur ceu anguillæ, nempe oleo, sale, anetho, porro & aqua, seruato nimirum modo, Galenus. Detracta cute, caput caudaq́, quoniam carne vacant, amputari debent: quippe commentitium est quod præcipitur, certam vtrinq́ mensuram præcidi oportere. Reliquum verò corpus exemptis interaneis elotum dissectumq́ discoquitur cum oleo, vino, salis exiguo & anetho, Dioscorides. Viperas hoc modo apparatas edere oportet: primum quidem amputato capite & cauda, & detracta pelle exemptisq́ interioribus visceribus omnibus caro aqua pura bis ac ter lota, in olla instar anguillarum coquitur, aqua quidẽ sufficiente affusa, & oleo modico cum anetho & porro (alibi scribit addito marrubio & anetho modico paucoq́ oleo) post sufficientem deinde coc̃turam, iusculum moderato sale condiatur, atque ita edenda exhibeatur, itemq́ ius absorbendum, Aëtius. Elixatio viperæ est, vt sumatur vipera abscissis extremitatibus, mundificata à visceribus: deinde elixetur cum porris & anetho, & cicere & sale pauco, & decoquatur cũ aqua plurima, donec dissoluatur: & sumantur ossa eius tunc ab ea, & mundetur caro ipsius, & ponantur ossa eius tunc super micas panis de simila, Auicenna. Quidam viperis vtuntur in cibis. Primùm omnium occisæ statim salem in os addi iubẽt donec liquescat humor, quatuor digitorum mensura vtrinq́ præcisa exemptisq́ interaneis discoquunt in aqua aut oleo, sale, anetho & omnibus aut statim vescuntur aut pane colligunt vt sæpius vtantur, Plinius. Et de capite quidem amputando id cum ratione fieri dicit Galenus, propter venenum quod in ore continetur, sed vt cauda auferatur nullam habere rationem, quum neq́ sicca neq́ humida alimenti recrementa isthic habeantur. Idem tamen lib. 1. de antid. vtrinq́ quatuor digitorum mensuram de magnis viperis resecare satis esse dicit, Ianus Cornarius. Præscinditur tamen in apparatu viperæ pro elephantiacis cauda, non quia venenosa sed quia vngulosa & absque carne sicca & calida reperiatur, Amatus.

G. 1.

DE REMEDIIS QVAE EX VIPERA SVMI POSSVNT.

Viperinæ carnes ad Elephãtiasim.

Mirabile Elephantiasis remedium viperarum esus existit. Eæ verò apparatæ eo modo quo supra in F. dictum est, ægro in sole desidenti exhibentur, capite tamen probè velato. Neq́ verò semel tantum aut bis viperas edere satis est, sed sæpe id fiat quum extra periculum sit, & insuper commoditatem afferat. Sint autem viperæ recens captæ & ex humectioribus locis accipiantur. Nam quæ iuxta mare degunt vehementer siticulosæ sunt, Aëtius. Ius etiam coctarum viperarum absorbendum, Idem. Viperæ carnes calidæ & siccæ temperaturæ euidenter existũt, quæ corpus totum per cutem expurgant: hinc multi quos elephantia male habebat, esu potuue ipsarum consanuerunt: quæ in maritimis alijsq́ locis aridis degunt magis ad sitim faciendã sunt efficaces, Paul. Ægineta. Auerroes dixit carnem tyri purgare lepram, quoniam ipsius materiem pellit ad cutem, & ideo bibentes incidere primò in passionem tyriæ, id est cutis excoriatione, et postea ab ipsa liberari, Fumanellus. Et scias quod caro viperæ, & illud in quo est virtus carnis eius, est de nobilibus medicinis lepræ. Et non oportet vt sit vipera de luto, aut littoralis, aut de

de locis humidis, quoniam in ea secundum plurimum est parum iuuamenti. Et de eis, quæ plurimæ est malitiæ, est illa quæ sitim facit, cum qua est perditio, imo eligatur montana præcipuè alba. Et abscindantur capita earum & caudæ vice vna subito: & tunc si multiplicatur cursus sanguinis, & remanent viuæ, & agitantur agitatione plurima tempore longo, tunc istæ sunt bonæ. Post decollationem mundificentur & decoquantur, & comedatur ex eis & iure ipsarum, Auicenna. Et ex potatione vini in quo moritur vipera aut viuit, iam sanati sunt quidam accidentaliter, aut intentione interficiendi, vt moriatur ille leprosus & quiescat, Idem. Amatus centur. 2. agens de viperarum apparatu pro victu elephanticorum ait, Ius viperarum modo supradicto decoctarum primò ebibat decet: deinde carnes comedat, non secus ac veruecis, vel alitum, quæ in prandio quotidie sumuntur. Sed ieiuno stomacho, & in aurora carnes hæ comedi debent, dimidiæ saltem pro vice: & aliquando vnius integræ viperæ, prout virium robur adfuerit. A quarum esu cibum vel potum quemcunque per sex differat horas. Quòd si sudauerit, diligenter sudorem seruet, maximè expedit. Excoriari autem ægrotantibus cutis solet, vt serpentibus euenit, Hæc Amatus. Quod autem supra citati authores de vsu carnium viperinarum ad lepram seu Elephantiasim scripserunt id totum à Galeno desumpserunt, qui lib. de simpl. medic. facult. 11. cap. 1. hac de re pluribus agit, his verbis: Viperarum carnes palàm videre est excalfacientes & desiccantes, vbi condiuntur ceu anguillæ, &c. quòd autem totum corporis per cutim euacuent, discere tibi liceat vel ex ijs quæ ego iuuenis etiamnum in Asia nostra sum expertus, quæ singulatim deinceps narrabo. Homo quidam morbo quem Elephanta cognominant, laborans, aliquousque cum sodalibus conuersabatur, donec ex ipsius consuetudine conuersationeque quidam ipsorum morbi inficerentur contagione, & ille iam odoratu grauis, ac fœdus redderetur aspectu. Constructo igitur illi tugurio proximè vicum in iugo collis propter fontem, illic hominem collocant, tantum illi quotidie ciborum ferentes, quantum vitæ sustinendæ satis foret. Cæterum ad canis exortum, cùm fortè messoribus haud procul inde metentibus vinum esset allatum in fictili sane quàm fragrans: is quidem qui attulerat, deposito illo prope messores abijt: verum vbi eius bibendi aduenisset tempus, sublato fictili adolescẽs, vt pro more impleto cratere, competente aqua vinum temperaret, in cratera vinum effundit, & vnà excidit vipera mortua. Quare attoniti messores, veriti ne quod, si bibissent, inde sibi malum eueniret, suam quidem sitim aquæ potione sedare maluerunt: cæterum cum illinc discederent, præ humanitate videlicet ne misericordia homini illi elephanti obnoxio vinum largiuntur, rati expedire illi potius mori, quàm viuere in ea miseria: At ille vbi bibisset, admirandum in modum sanitati restitutus est: nam tuberosum omne illud cutis totius non aliter quàm animalium à testæ mollitie nuncupatorum malacostracon tegmen decidit: quod autem reliquũ erat, molle admodum apparuit, instar cutis cancrorũ ac locustarum, vbi extima testa fuerit detracta. Alterum quoque eiusmodi non dissimili casu in Mysia Asiæ, non procul ab vrbe nostra accidit. Vir quidam elephanto laborans profectus est ad aquarum sponte nascentium vsum, sperans inde nonnihil se commodi adepturum. Erat illi scortũ mancipium, iuuencula sanè formosa, compluribus amatoribus ambita. Huic tum alia quædam ex domesticis rebus, tum pœnum æger concrediderat. Profectis igitur illis, in ædibus, quibus vicinus erat locus squalidus & viperarum plenus, fortè fortuna ex illis vna in vrceum vini incidit negligentius positum: extinctaque est. Ac scortũ quidem in lucro id reputans quod fors euenisset, hero id vini propinat, atque ille ebibit: cæterum exinde ad eum modum quo ille qui degebat in tugurio, persanatus est. Atque hæc iam duo sunt experimenti ex fortuita occasione sumpti exempla. Porro tertium quoque annectam, quod ex nostra profectum est imitatione. Cùm quidam hoc morbo ægrotaret, animo magis quàm vulgus philosophico, & contemptore mortis, oppidò quam grauiter ferebat, satiusque dicebat mortem semel perpeti, quàm vitam viuere tam miserabilem. Itaque illi quæ superioribus duobus accidissent indico. Erat autem auguriorum peritus, & amico vtebatur, mirificè hanc disciplinam tractante. Itaque vbi ad augurium cum illo consedisset, persuasus est, vt quæ per experientiã essent cognita, ipse imitaretur: atque epoto vino quod sic erat veneno infectum, leprosus factus est: ac postea lepram eius nos consuetis remedijs sanauimus. Quartus præterea viuas capere viperas arte vtebatur. Sed illius in illo morbi tantum erant principia; itaque cura studiumque nobis fuit, vt illum quàm celerrimè sanitati redderemus: quocirca misso sanguine, atraque bile medicamento detracta, viperis quas capiebat vti iussimus, præparatis in olla anguillarum in modum. Atque hic ita sanatus est, euaporato per cutem affectu. Postremo & alius vir quidam opulentus, non nostras ille quidem, sed ex media Thracia, Pergamum aduenit admonitus somnio; vbi iubente Deo per insomnium, vt quotidie medicamentũ biberet, quod confectum est ex viperis, forisque corpus inungeret, non multos post dies morbus in lepram abijt: rursumque & hoc pathos quibus Deus præcipiebat medicamentis curatum est, Hactenus Galenus.

¶ Pullos & capos iure & carne viperarum cum pane subactis nutriuit Matthæus Gradi ad vsque deplumationem, curaturus hoc esu Elephanticos, Syluius. Dant aliqui carnes viperarum coctas ad comedendum gallinæ, etiam brodium ad bibendum, & in tanta quantitate dant quousque gallina deplumetur; quod tunc est signum quòd virtus talium carnium pene-

trauit & est imbibita: postea decoquunt gallinam & de ea dant ad comedendum infirmis, & de vsu illarum carnium viperarum recordor, quòd cum Ioan. Matth. Gradi curasset quendam leprosum, fama diuulgata vsque ad Galliam: & quidam alius accessit Papiam, vt curaretur à lepra: & inueniens ipsum mortuum accessit ad me, cui exhibui multa remedia: tandem deueni ad exhibitionem talium carnium quæ laudantur ab omnibus medicinæ authoribus: & dixi illi Gallo vt eas caperet, & fecit: & quòd erat multum auidus curari, accepit de eis in multa quantitate. Cùm autem mane ipsum visitarem, inueni ipsum cum sæuissimis accidentibus & venenosis, ita quod timui, ne carnes illæ ipsum occiderent: sed quia virtus erat fortis, expulit per partes cutis: & facti fuerunt per corpus quasi totum bubones, qui tandem deuenerunt ad saniem, & curatis illis remansit liberatus. Et propter hoc medici non sunt audaces in exhibendo multam quantitatem rerum venenosarum: Gatinaria cap. de cura debilitatis visus.

¶ Erat quædam nobilis in hac ciuitate laborans cutis affectione, quæ post multorum curationem ad meas deuenerat manus: in cuius curatione nihil proficientibus generosis pharmacis, ad extremum marito consentiente, viperinas carnes in ea probare constitueram, vnde fœmella vipera eo modo mundata ac præparata, quem Galenus præscribit in lib. de theriaca, commiscendo carnem ipsius viperæ cum galanga, croco, &c. coxi ipsam vsque ad extremam coctionem, deinde accepi pullum vnum quem in succo ac brodio ex vipera detracto coquere iussi ad sufficientiam. Nequid inde mali incurrat, primò ipsi exhibui mithridatum, tandem pullum cum prodio ipsi obtuli, ex cuius esu melius se habere dicebat, quo viso accepi aliam viperam masculum quem coxi sine appositione aliorum, eius brodium per tres dies ipsi exhibui, vnde statim sudare vehementissimè cœpit. Sudorem compescui syrupi viol. cum aqua simplici vsu: post sex dies squammæ decidebant, ipsa etiam fuit sanata. Insuper concepit masculum, quum antehac per 40. annos fuerit sterilis. Alteri mulieri verebar brodium de viperis ordinare, sed cocta optimè carne viperarum accepi amylum seu farinam, quam cum dicta aqua permiscui, positis ibidem carnibus, feci deinceps globulos ex illa farina, quibus columbos more hebræorum per tres dies alebam: tandem elixos patienti obtuli, vnde fuit optimè sanata, Helideus.

¶ Vinum in quo ipsi marasi suffocati fuerint, si bibatur morbo gallico mederi certo experimento tradunt, Alysius.

Viperinæ carnes ad insanabiles morbos.

¶ Antonius Musa medicus cùm incidisset in insanabilia vlcera, viperas edendas dabat, miraque celeritate persanabat, Plinius. Cùm Crateri medici seruus in morbum peregrinum & inusitatum incidisset, quo carnes ab ossibus disiungebantur, cæteraque medicamenta nihil prodessent, viperæ in modum piscis præparatæ esu sanatus est, Porphyrius libro 1. de abstinentia ab animalibus.

Ad oculorum debilitatem & strumas.

¶ Viperinæ carnes, si coctæ edantur, claritatẽ oculis adijciunt: neruorum vitijs auxiliantur: increscentes strumas reprimunt, Dioscorides. Ex ijs qui [illegible] excæcantur sunt qui viperarum esu visum conseruant. Porphyrius de abstinentia anima[illegible] oculi debilitatem & aquositatem & ferè cæcitatem curat brodium carnium viperarum decoquendo simul fœniculum; & debet præparari, id est, abscindendo caudam & caput per quatuor digitos, postea euiscerando, & bene abluendo extracta pelle, & similiter valent carnes [illegible] edantur in pauca quantitate, Incertus. Silentio præteriri non debet, quod à quibusdam in memoriæ proditum est, nempe strumis laborantes, sicuti & elephantiasi, viperarum ac serpentũ vsu mirificè adiuuari, Ioh. Tagautius.

An pediculos generent.

¶ Aiunt ijs qui viperas esitent, pediculos procreari: quod plane à veritate abhorret, Dioscorides. Id tamen affirmat Galenus his verbis: Conueniens sit generalis facultatis meminisse carnem viperinam dicendo exiccatoriam, & valenter digerentem, mediocriter verò excalfacientem. Properat autem, vt videtur, vis eius ad cutem, per eam videlicet quæ in corpore sunt excrementa exigens. Quibus ergo affatim est mali succi in corpore, ijs ingens prouenit pediculorum numerus, & à cute ceu squamma abscedit a[illegible] decidit extrema cutis, quam Græci vocant ἐπιδερμίδα, ad quam sistuntur ac retinentur crassi terrestresque humores ad cutẽ protrusi, à quibus quidem psoræ, lepræ & elephantes nascuntur, Hæc Galenus. Ius viperarum præter supradicta pediculos è toto corpore expellit, pruritusque etiam summæ cutis, Plinius.

Macrobios faciunt.

¶ Adijciunt aliqui longam senectutem agere, qui eo cibo (nempe viperis) vescuntur, Dioscorides. Isigonus Cirnos Indorum genus, centum quadragenis annis viuere: Item Æthiopas Macrobios, & Seras existimat, & qui Athon montem incolant: hos quidem, quia viperinis carnibus alantur, Plinius.

Remedia ex capite & cinere eius.

Viperæ caput impositum, vel alterius quàm quæ percusserit, sine fine prodest. Item si quis eam ipsam in vapore baculo sustineat: aiunt enim præcauere: Item si quis exustæ eius cinerem illinat: Caput quidem dissecant Scythæ inter aures, ad eximendũ lapillum, quem aiunt ab ea deuorari territa. Alij ipso toto capite vtuntur, Idem. ¶ Ius (viperæ elixæ) præter supradicta pediculos è toto corpore expellit pruritusque etiam summæ cutis. Effectũ ostendit & per se capitis viperini cinis. Vtilissime oculos inungunt, Idem. Viperarum capita vsta in olla ad cinerem, deinde trita cum decocto lupinorum amarorum crassissimo, & temporibus illita, fluxum oculorum diuturnum sistunt. Cinis ipsorum per se leuissimè tritus, & vt aridum collyrium adhibitus, hebe=

tus, hebetem viſum magnopere corrigit, Aëtius. Neruorum nodis medetur capitis viperini cinis ex oleo cyprino illitus, Plinius & Marcellus. Viperæ caput aridum aſſeruatum & combuſtum, deinde ex aceto impoſitum, igni ſacro medetur, Plinius. Viperæ caput linteolo colligatum, & collo ſuſpenſum, magnum ſane amuletum eſt contra anginas, quippe non ſolum iam tactas ſanat, ſed ne fiant, prohibet, Matthiolus.

¶ Cochlearum inanium cinis admiſtus ceræ, procidentium interaneorum partes extremas prohibet. Oportet autem cineri miſceri ſaniem punctis emiſſam è cerebro viperæ. Cerebrum viperæ illigatum pelliculæ, dentitiones adiuuat, Plinius. *Ex cerebro.*

¶ Fel vipere mirabile eſt in abſtergendo oculum, nec infert noxam veneni, Albertus. De felle non audacter ſuaſerim quæ præcipiunt: quoniam (vt ſuo loco docuimus) non aliud eſt ſerpentium venenum, Plinius. *Ex Felle.*

¶ Conſtat contra omnium ſerpentium ictus quamuis inſanabiles ipſarum ſerpentium exta impoſita auxiliari; eoſq; qui aliquando viperæ iecur coctæ hauſerint, nunquam feriri à ſerpente, Idem. Exta eius valent contra omnium ſerpentium ictum, vt dicit Plinius, Vincentius Belluacenſis. *Ex iecore & inteſtinis.*

¶ Viperæ adeps contra oculorum hebetudines ſuffuſioneſq; efficax eſt, addita cedria, melle Attico & pari oleo vetere. Pilos alis euulſos perunctis radicibus recens & per ſe illitus obliterat atque renaſci non patitur, Dioſcorides. Prodeſt ad oculos inungendos adeps viperinus, Plinius. Quidam viperarum adipem in principio ſuffuſionum conuenire tradunt, Aetius Fel aquilæ, hyænæ, vrſi & adeps viperæ miſcentur liquidis compoſitionibus ad ficoſas aliaſq; eminentias, & oculorũ ſuffuſiones apud Galenum 4.7. κ.τόπ. Adeps viperę caliginem oculorum tollit, Vincentius. Porrò quoniam viperarum adipem vbi radicitus pilos ſub alis euulſeris, prohibere illos recreſcere illitum referunt, viſum eſt mihi eius facere periculum eſſe ſatius. Ac vbi prout iubent feciſſem, mentitos comperi; ſicut etiam quod initia ſuffuſionũ ſanet, Amatus. *Ex adipe.*

¶ In podagra vtile eſſe aiunt adipe viperino pedes perungi, Plinius. ¶ Ambuſtis medetur adeps viperinus, Idem. ¶ Quidam viperæ purgatæ, vt ſupra dictum eſt, adipem cum olei ſextario decoquunt ad dimidias. Ex eo cum opus ſit ternis ſtillis additis in oleum perunguntur, vt omnes beſtiæ fugiant eos, Idem.

¶ Impetigines extrahit viperæ exuuium, Hippocrates lib. 2. de mor. mul. Viperæ pellicula in puluerem redacta impoſitaq; alopecijs mirificè pilos regenerat, Galenus lib. de ther. ad Piſonem. Pellium viperinarum cinis alopecias celerrimè explet, Plinius. Ex pelle viperarum cinerem facies, atque aſsiduè inſperges, emendabis ſine mora alopecias, Marcellus. Curant alopecias ex Plinio. Erinacei cinis, murium capita, ſinapi, & viperarum pelles. Braſſauolus de morbo Gallico. Echinum comburi cum viperinis pellibus raniſq;, & cinerem aſpergi potioni iubent magi, claritatem viſus promittentes, Plinius. Tunica viperæ quam proijcit cum innouatur, in vino cocta, dentibus & oculis medetur, Vincentius. *Ex pelle.*

¶ Viperam viuam in fictili nouo comburere, addito fœniculi ſucco ad cyathum vnum, & thuris manna vna, atque ita ſuffuſiones oculorum & caligines inungere vtiliſsimum eſt medicamentum, id echion vocatur. Fit & collyrium è vipera in olla putrefacta, vermiculiſq; enatis cum croco tritis, Plinius. Echeon medicamen ad viſum, quod fit ex cinere viperæ & melle, Syluaticus. *Echion.*

¶ Quidam viperas totas extendunt & ſiccant, poſteaq; terunt, ac eas in potu contra morbum articulorum exhibent, Aëtius. Alij viperam circa canis ortum circumcidunt (id eſt caput & caudam abſcindunt) vt diximus: dein mediam comburunt. Dein cinerem eum dant bibendum ter ſeptenis diebus quantum prehenditur ternis digitis, ſic ſtrumis medentur. Aliqui verò circumligant eas lino, quo præligata infra caput vipera pependerit, donec exanimaretur, Plinius. Fila multa, præcipuè purpura marina tincta, quibus viperæ collum ſuffocatum ſit, mirum in modum tonſillis, alijſq; in collo tumoribus, vel ſingula circumligata auxiliantur, Galenus. Viperæ laqueus faucium apoſtematibus medetur. Io. B. Porta. *Ex puluere cinere, & laqueo*

¶ Quidam in tribus heminis olei diſcoquunt viperam exemptis oſsibus, & pſilothri vice vtuntur, euulſis prius pilis quos renaſci nolunt, Plinius. Arthritici dolores vtiliſsime illinuntur oleo in quo decocta ſit vipera: hoc enim perfecte curat, Auicenna. Olei viperini cõfectio apud Leonellum Fauentinum his verbis deſcribitur. ℞. tres vel quatuor viperas, abſcindantur partes extremæ, caput & cauda per quatuor digitos: reliqua verò pars per quatuor fruſta diuidatur, & in olla perforata ponatur, quæ olla ponatur in ollam aliam maiorem, deinde orificia earum claudantur bene cum luto, vt ſpirare non poſsint: deinde collocetur aut ſtatuatur, in cacabo pleno aqua ebuliente, & ibi ſiet, continuè bulliendo per duas horas in olla, tunc extillabit liquòr à viperis, quæ erant in olla perforata: cum illo oleoſo liquore inungantur nucha & membra paralyticata, ſiquidem à proprietate valet paralyticis. Hactenus Leonellus Fauentinus. Oleum de ſerpentibus, Viperas intellige, & elige vt in theriaca: & abſcinde caput & caudam, & valebit elephantiaſi, Manardus in Meſuen. Oleum de viperis in Italia (Bononiæ *Oleum viperinum.*

præsertim) fiebat annno 1559. ita vt viuæ conijcerentur in oleum, & insolarentur dies 40. carnes earum tabescere aiunt, & ceu solui in oleum. Hoc inungi leprosis & in morbo gallico vtile, Incertus. Accipe viperarum nigrarum lib. iij. olei sesamini sesquisextarium in vase vitreato angusti oris probè obturato, ne vapor inde exhalet, incoquuntur, donec caro ab ossibus decidat: deinde vbi refrixerint, reponuntur. Cutim expurgat, impetigines aliaq; id genus vitia sanat, partibus affectis pennà illitis, Andernacus dialogo 8. tomi 2. suæ medicinæ. Oleum de viperis concisis in partes & insolatis in oleo tota æstate audio D. Fallopium mirificè extollere ad dolores Gallicos aliosq;, Gesnerus.

¶ Vincentius Stochetus Anconitanus iuuenis natus annos viginti, elephantiasi, laborans, cutim, ex viperarum sanie per vitream campanam destillata illinebat. Suadet Galenus 1 theriacam ebibitam, vel cuti illitam hoc morbo laborantibus summopere prodesse. At nos ex viperis destillatitium hoc magis conferre, vtpote morbo rebelli, & fere exossatæ elephantiasi dictæ, non sine optimo successu augurati sumus. Primò autem sanies ex viperis dissectis, & vasculis vitreis occlusis, ad ignem lentum destillabat: deinde oleum & aqua prodibant, de quibus postea sales concinnari poterant, Amatus Lusit. cent. 2.

DE THERIACA ET PASTILLIS THERIACIS.

Nomina theriacæ.

THeriace non solum quod ferrarum morsibus probè conueniat, sed etiam quòd feræ ipsæ 2 deinceps in confectura misceantur, congruè ex vtroque significato nominatur, Galenus. Theriaca Diacidnes dicitur, id est è vipera. Sic eam vocat Galenus scribens ad Glauconem. Dicitur autem τὸ δι' ἐχίδνης φάρμακον, & τὸ διὰ κίδνης, Κίδνην autem puto dici per ἀφαίρεσιν τοῦ ε & χ in κ, mutatione densæ in tenuem. Andromachus theriacam quæ viperas habet, Galenen, id est, tranquillam cognominat, Galenus lib. lib. 1. de antidotis. Vocantur pastilli de vipera siue orbiculi theriaci aut potius trochisci de tyro. Amatus cent. 2.

Confectionem theriacæ Galenus multis verbis describit tribus libris, nempe libro de theriaca ad Pisonem, libro ad Pamphylianum de theriacæ vsu, & libro primo de antidotis. Liber de antidotis videtur vltimus esse scriptus, ideoq; ab ipso maximè peti debere theriacæ confectionem: nam in ipso quædam reprehendit quæ in alijs fieri iubet. In libro enim ad Pamphilianum viperarum carnibus cum pane miscendis ius in quo decoctæ sunt, affundi iubet: quod in 3 libro de antidotis reprehendit: Rursus in illo ad Pisonem præcipit scillas inuolui luto, vt assentur, in libro autem ad Pamphylianum id reprobat: Sunt & alia quædam diuersa. Hinc colligitur primum scriptum esse illum ad Pisonem: secundò ad Pamphylianum, vltimò de antidotis. Ideoq; forsan non meminit aliorum quòd in primis non exactè tractasset rem. Ille tamen qui de antidotis est solum apparatum theriacæ docet, non autem vtilitates, nisi quantum carmine comprehendit Andromachus, quod in libris alijs duobus fusius docet. Huc autem adferemus quæ ad pastillos vipereos qui theriacæ confectioni admiscentur pertinere videbantur.

Viperæ theriacæ adhibentur.

Ac primum theriacam antiquissimam esse, & semper studiosè ambitioseque à medicis locupletatam, donec Andromachus Neronis medicus viperarum carnes ceu manum extremam 4 operi iam absoluto addit, testatur Galenus libro ad Pisonem & libro primo de antidotis. Solæ viperarum carnes theriacæ admiscentur, non autem aliarum serpentum: quia omnes reliqui aliquid maligni præ viperis habeant: viperæ autem minus alijs feris tabificam vim obtinere censeantur. Idem lib. de theriaca ad Pisonem. Ἐκ τῶν κατὰ τὴν περιχώρ μάλιστα εὑρισκομένων ὄφεων, οἱ ἰατροὶ τὰ πολλὰ τὴν θηριακὴν σκευάζουσι, Suidas.

Quales viperæ sumendæ sint.

Viperæ ad theriacam sumendæ sunt non quouis tempore, sed potissimum initio veris captæ, cùm latebris relictis foras in apricum prodeunt, & non adhuc virus tam prauum habent, Galenus ad Pisonem. Viperas non vt aliqui faciunt, æstate media, neque statim vbi cauernas egressæ fuerint, venari conuenit, æstate siquidem earum carnes sitim excitant, statimq; ab egressu frigidæ, siccæ & extenuatæ sunt. Opportunũ itaq; tempus est quod ijs medium intercedit, quodq; Andromachus ipse significauit, quo tempore & qui Libero patri sacra faciunt, vi- 5 peras lacerant, vere quidem finiente, nondum tamen æstate incipiente: vel si ver quod ad magnam sui partem hyemale fuerit, circa principium æstatis, non multò post Pleiadum ortum. Idem libro primo de antidotis & Aëtius libro decimotertio capite 90. Accipiantur viperæ quum est finis veris & incipit æstas. Et si fuerit ver hyemale, dimittantur vsquequo consequatur æstas, Auicenna.

¶ Viperas fœminas accipito. Cauere enim oportet ne mares in antidoti confectionem assumamus, Aëtius. Quomodo autem distinguantur viperæ mares à fœminis dictum est supra in B. Istis quidem trochiscis non conueniunt omnes viperæ, imo flauæ, & de flauis fœminæ, Auicenna. Videtur autem viperas vocare quosuis serpentes, ac per flauas, ipsas viperas 6 intelligere.

¶ Viperas

¶ Viperas autem quæ prægnantes sunt reijcere oportet, Galenus. Magis enim exasperatæ seipsis redduntur prægnantes, Aëtius.

¶ Porrò obseruandum est ne illæ capiantur, quæ in maritimis locis, quæúe in aliqua salsa aquarum lacuna degunt: antidotus enim quæ ex huiusmodi viperis confecta fuerit, sitim excitabit, Galenus lib. 1. de antidotis. Non oportet vt capiantur ex piscinis & littoribus fluuiorum & aquarum & marium, neq; petrosæ, quoniam in eis sunt quercinæ, facientes sitim, imo capiantur in loco longinquo ab humorositate. Et non capiantur illæ quæ sunt debilis motus, imo eligantur illæ quæ sunt velocis motus, habentes caput eleuatum, Auicenna.

Viperarũ caput ac caudam abscindere oportet: nam præterquam quod hæ particulæ virulentiores esse videantur: etiam duræ & parum carnis habent. Sufficit autem in magnis viperis, id quod vtrinq; amputatur, quatuor digitos æquare. Galenus lib. 1. de antidotis. Capita præcidimus, quia pessimũ humorem, nempe ipsum virus continent: Caudas verò atq; ipsa extrema corporis tollimus, tanquam caudæ partes, & vt arbitror, sordidiorem substantiæ portionem magis trahentes, adeoq; crebrius, motus gratia trahentes, quemadmodum partes quæ proximę sunt caudis piscium, minus pingues esse ob frequentem motum dicuntur. Idem lib. de ther. ad Pisonem. In libro vero vndecimo de simpl. medicam. facultatibus caput quidem viperæ totum abijci probat, ob venenum quod ore continet, verum à ratione alienum sibi videri scribit adimere & caudam. Nec enim, inquit, dicere liceat quòd id faciendum sit ob recrementa tum liquida tum sicca. Nam interfectis atq; excoriatis apertisq; exempta interanea omnia abijcimus, vt sola sit carnium substantia reliqua vnà cum arterijs venisq; per ipsas innatis, quarum minima moles est vt ad totam carnem, ac ne apparens quidem, nisi quis multum diligenter intentis oculis consideret. Hæc Galenus.

Capita & caudæ amputandæ

Viperis eo quo dictum est tempore captis, primum capita & caudas amputare quatuor digitorum longitudine conuenit (in tantum sanè quantum videris in eis carne nudatum, Aëtius) dum autem partes has abscindis, diligenter inspicere consilium est, num his amputatis, exanguia protinus, immobilia, prorsusq; emortua esse animalia videantur. Nam si tales offenderis bestias, nihil ad medicaminis compositionē conducere ipsas censeto. At si motum quendam in ipsis residuum conspicias, & sanguinem conseruare aliquandiu posse, has ceu præstantissimas antidoto præparando immittes, vt quæ haud ignauam, exolescentemq;, sed validam ad seruandam vim habere appareant, Galenus lib. de ther. ad Pisonem & Aëtius lib. 13. cap. 90.

Optimarum viperarum dignotio.

Fiunt ex vipera pastilli, qui theriaci vocantur à græcis, quaternis digitis vtrinq; amputatis exemptisq; interaneis & liuore spinæ adhærente, reliquo corpore in patina ex aqua & anetho discocto, spinisq; exemptis, & addita similagine, atq; ita in vmbra siccatis pastillis quibus ad multa medicamenta vtuntur, Plinius. Viperis ab vtraq; extremitate concisis tota cute detracta, adeps ceu nullius momenti, omniaq; interanea, tanquam excrementorũ receptacula eximenda sunt, totum verò reliquum corpus aquis primo abluendum (ex duabus aut tribus aquis lauandum, Aëtius) ac in vas quoddam fictile quam elegantissimè constructum, vel in lebetem probè extersum, splendidumq; conijciendum est: deinde aquæ pura fontis (congruenti mensura, Aëtius) superinfusa, viridiq; anetho (tunc enim viget) addito, ollæ prunas, vt coquatur subijcere conuenit: vel arida ligna, quæ quòd fumum non emittant, ἄκαπνα vocant, vel quod melius adhuc est vitium sarmenta. Salis autem, siquidem suo tempore viperas ceperis, tantillum immittere oportet: sin æstate iam incipiente, nihil. (Quod si efferueat olla, solet enim assiduè in decoquendo aqua ebullire, & ex olla effundi, quotiescunq; hoc ipsum contigerit, frigidam aquam irrorato, Aëtius.) Deinde carnibus iam benè coctis (sit autem tibi cocturæ mensura cum spinæ ab illarum carnibus seiunguntur) tunc lebete ab igne deposito, diligenter carnes à spinis segrega vt nihil ex spinis simul auferatur: (Ad manum deinde peluim appositã habere oportet mundam, & ex iusculo cocturæ aliquid continentem, atq; in eam ipsam depuratas carnes inijcere: facilè enim resiccantur, & proinde difficulter conteri possunt. At verò vbi carnes ipsas puras feceris ac manibus diligenter expresseris eas ponderato, & in pilam culinariam asperiorem conijcito, ac fortiter aliquandiu terito, paulatimq; iusculum instillato, Aëtius,) Atque his exquisitè contritis, panis ex purissima farina optimeq; confecti, qui præcipuè & bene fermentatus sit, & salis quod satis sit habeat, & in furno non sub clibano coctus, medicum quiddam admiscere oportet. Nonnulli tamen in commiscendo panem viperis hanc mensuram seruandam præcipiunt, vt panis pondus viperinarum carnium dimidio minus sit: Magnus & Damocrates æqualem panis modum æquali carnium adiungunt: alij ne tertiam partem excædat malunt. Ego verò quandoq; quartam, quandoq; & quintam panis imposui. Cæterum nisi probè coctus fuerit, periculum est, ne aliquid acciditatis medicamentum contrahat. At satius est, panem hunc ita coctum per aliquot dies loco aliquo sicciori prius exiccasse. Verùm cùm viperas & panem coniunxeris, diligentérque adeò subegeris, vt nulla viperinæ carnis particulam non contusa remanserit, ex ea massa iusculi quod satis est paulatim affuso, & opobalsami contactu inter effingendum vtens, pastillos conficito qui sunt tenues: nam crassi cùm difficulter siccescere soleant, & carnem putrescere, & panem acescere sinunt.

Pastillorum viperinorum apparatus.

Quamobrem panem quoque ante siccatum terere melius est, & non quemadmodum ante nos qui Cæsari theriacam faciebant, viperarum iure maceratum: id quod ipse quoque diu feci (quod etiam tradit lib.11. de medicament. simpl. facultatibus, Non tamen, inquit, tundentes miscemus, verum aqua in qua decoctæ fuerant viperæ maceramus) sed mihi postea melius esse visum est, panem anteà contritum viperarum carnibus exactè iam subactis admiscere: citius namque pa-

Pastilli viperi quomodo siccandi.

stilli siccantur, qui siccum panem non madidum acceperint. Sit autem cella, in qua pastillos siccabis in superiori domus parte, ad meridiem conuersa, vel saltem ad Septentrionem non respiciat, vt solis radios tota penè die admittat: tali enim loco commodè siccescent. Statim vbi fuerint conformati, ea parte collocentur, qua solares radij peruenire non possint. (In vmbra enim siccari eos oportet, Aëtius.) Frequenter autem ipsos conuertere opus erit, vt æqualiter vtraque ex parte siccescant, quod facere siquis omiserit, superior quidem pars celeriter acescet: inferior autem humida diutius permanebit, periculumque erit ne marcescant. Posteà verò quàm exiccati fuerint, maneant adhuc aliquot diebus eadem in cella longius, quàm prius à solis radijs, sæ-

Quibus in vasis recondendi.

peque denuo cōuertantur. Sufficient autem ad hęc omnia quindecim dies ad summū: post quod tempus donec theriacam conficere volueris, (opobalsamo optimo oblinendi, & post, Aëtius) recondi debent in vase stanneo, aut vitreo, aut etiam aureo. Vitrum siquidem, & aurū nullam fraudem admittit: stannum autem plumbi mistura adulteratur: quod vitare conueniet, non solum in hac, sed & in quibuscunque alijs antidotis: quemadmodum & argentum, si purum non fuerit: vasa namque ex eo fabricata celerrime rubiginem contrahunt, purum autem argentum, Romani candidum vocant. Cæterum longè melius est, haud multò post, quàm pastillos conficeris, ipsis vti, quanquam non multum detrimenti capiunt, etiamsi peracto anno, atque etiam multò pòst eis vtaris. Rectè namque à principio siccati, ad tertium, quartumque annum integri perseuerant, dummodo tamen aptè reponantur, & subinde puluisculus quidam, qui ipsis obnasci consueuit, mundis linteis interdum abstergatur. Is nanque si diutius inhæreat, pastillos perforabit. Perspicuum est autem eos inutiles euadere, qui perforati fuerint, quemadmodum ante quàm hoc ipsis accidat, etiamsi multum tempus intercesserit, vtiles permanent. Hæc Galenus lib.1. de antidotis, & lib. de ther. ad Pis. & lib.11. de simpl. medic. facult. Crito hoc plus de theriaca scriptum reliquit. Viperas vere finiente vel autumno, comprehendendas, eligendasque illas quæ magnæ & corpulentæ sint, anethoque imposito elixandas, carnibus autem è decem viperis collectis, vnam panis siliginei vnciam admiscendam censet, atque ita pastillos theriacales appellatos conficere, Idem lib. de vsu theriacæ ad Pamphylianum. Fuchsius libro de compos. medicamentorum vipereis pastillis, quorum tamen parandi rationem Andromacho acceptam refert, opobalsamum addit. Quamobrem non potui Fuchsium non mirari, quòd non solum præter Andromachi & Galeni institutum hoc fecerit, sed quòd etiam medicamentum addiderit, quo iam penitus diu destituimur, Matthiolus epistol. lib.5. Qui autem plura de theriacæ confectione & compositione cognoscere volet, & quæ viperinis pastillis adijcienda sint, legat Galenum libris supradictis & Aëtium libro 13.

Quot quantique morbi à theriaca adiuuentur.

Vsus autem theriacæ ad multa prodest. Non enim solum ad bestiarum morsus & venena à natura sua auxiliatur, sed & alias magnas affectiones auxiliare pharmacum per vsus experientiam inuentum est. Podagricos enim & articulorum dolores iuuat, Fluxiones exiccat, Hydropicis, Elephantiacis, Melancholicis, Quartanarijs, Ictericis, Abscissæ voci, sputo crueto, Nephriticis, Dysentericis, Calculosis, Anhelosis, Hepatis & lienis affectibus, Cholericis, Cardiacis, Epilepticis plurimum prodest. Lumbricorū omne genus ex intestinis exigit. Præstantissimum est pestis remedium. Etiam sanis frequens eius vsus salubris est. Senectam enim placidam, vitam longænam, & sanitatem stabilem promittit, excrementa consumit, actiones naturales roborat, sensus & mentem acuit, peregrinantes contra frigoris iniuriā armat, corpus à venenosis alijsque noxis præseruat & ægre passibilem reddit: Sanguinem bonū efficit, aëris & aquarum vitia emendat: nec solum instantibus morbis liberat, sed etiam ab imminentibus præseruat. De quibus plura vide apud Galenum lib. de ther. ad Pis. & lib. de vsu theriacæ ad Pamphylianum & apud Aëtium lib.13. cap.96. Res quæ in potu tribuuntur leprosis multæ sunt: nam de melioribus medicinis est theriaca maior, facta cum carnibus viperæ, Auicenna. Auenzohar theriacam non modo assumptā sed & linitam lepræ cōferre ait, Fumanellus. Trochiscos de vipera, aliqui addunt liquoribus destillandis contra Gallicum morbum vt refert Aug. Ferrerius.

DE SALE THERIACO.

PRæparantur & sales quidā ex his bestijs (id est viperis) qui faciūt ad omnia prędicta, medicè longoque temporis spatio præsidium præbere habiles, continuo autē vsu paulatim adiuuantes, Galenus. Sal ex eis ad eadem conficitur, sed inefficacior est. Viua autem vipera in fictile nouum demittitur: adijciuntur salis caricarumque tritarum, singulatim quinque sextarij, mellis cyathi sex, mox fictili operculum luto oblinitur, & fornacibus inassatur, donec sal in carbones redigatur, qui postea tritus in pulueris faciem reconditur. Plerunque, vt ori gratior fiat, immiscetur spica,

tur ſpica, aut folium nardi, aut malabathri momentum, Dioſcorides. Hi ſales hunc in modum præparantur: Viperæ prædictis (nempe in viperinorum paſtillorũ apparatu) ſimiles, & eodem tempore captæ, numero quatuor, non biduo plus poſt venationẽ adſeruatæ, ſumentur: verum ſi fieri poſsit, eodem die quo ſunt captæ. (Id verò nõ in meridie faciendum ſed mane. Tunc enim rigentes adhuc beſtiæ ad motum tardiores ſunt. Quòd ſi fagi etiam arboris ramulo viperas cædas, ad motum ipſas tardiores reddes, & mirabilem eis ſoporem induces, Aëtius.) Deinde ſalis ammoniaci, ſin minus, communis, colore albi, & leuiter ſplendeſcentis, modius Italicus, mox cum ipſis craſsius tundetur Gentianæ Creticæ libra vna ſemis, Ariſtolochiæ rotundæ, ſeſquilibra, centaurij tenuis comæ libræ duæ, cardamomi ſeminis, marrubij, ſingulorum vnciæ ſex, ſcordij, apij, chamædryos Creticæ, ſingulorum libra vna, Rutæ ſatiuæ ſeminis libra vna. Melle Attico hæc vniuntur, (& in 5. aut 6. paſtillos latiores quò probè exuri queant, reducuntur, Aëtius.) & dimidia ipſorum pars in nouum fictile conijcitur. Deinde quatuor viperæ viuæ, quibus adduntur etiam ſcillæ teneræ, recentes quinq; minutim conciſæ, ita reliqua aliorum dimidia pars adijcitur, ac vbi cooperueris ollam, lutoq; diligenter oblíueris, tribus quatuórue foraminibus operculum ipſius pertundes, vt per ea vapor coctionis modum indicet. Nam primus fumus exire videbitur copioſus, obſcurus, admodumq; turbidus, qui ignem beſtias iam inuaſiſſe nunciet: quando te animum quoq; diligenter aduertere moneo, ne tandem huius fumi aërem ex viperarum exhalatione infectum inſpires. Poſtea vbi vapor ceſſauerit, & tenuem quandam flammam per foramina eijci conſpexeris, tunc ipſa cocta eſſe quam optimè cenſeto, atq; ita ollam de igne tollito, tota die & nocte refrigerans. Deinde ollam aperito, exemptoſq; carbones diligenter tundito, & cum hiſce miſturis cribrato, Rutæ ſylueſtris ſeminis, hyſſopi Cretici, ſingulorum vncijs nouem, hormini ſeminis torrefacti vncijs tribus, thymi Attici ſummitatum vncijs nouem, malabathri Indici, foliorũ vncijs quatuor, baccarum iuniperi Laconici carnis libris duabus, coriandri ſatiui ſeminis vncijs ſex, piperis albi & nigri ſingulorum libris duabus, laſeris radicis vncijs decem, zingiberis non forati libris duabus, ſatyrij ſeminis vel radicis, pulegij montani, ſeſeli maſſaliothici rufi, tordili montani, ſeminis mentæ, ſingulorum vncijs ſex, caſiæ optimæ vncijs duabus, cinnamomi vncia vna. Conare autem ipſa contuſa cribrataq; rurſus contundere, & cribro frequenter incernere, vt ad amuſsim fiant leuia: atque ſic in vaſis vitreis repoſita non ſtatim vſurpare conuenit, ſed poſt decem ferè dies. Porrò ego ipſos præparaui, beſtijs non combuſtis, ſed ipſarum paſtillis, quemadmodum in theriaca oſtendi confici, miſcens ipſos quoque ijs quæ cum belluis comburuntur, vt quam habeant in ſe amarulentiam, eam in aduſtione deponant, tanta paſtillorum menſura adiecta, quantum viperarũ numerum habere coniecturabam, (Efficiunt autem quatuor viperæ magnæ, paſtillorum ſiccorum ſextantem & vnciæ dimidium, Aëtius.) & facti ſunt longe præſtantiſsimi, nec cinerem ex aduſtione in guſtu referentes, nec colore nigri, ſed etiam qualitate in vſu ſuauiſsimi redditi, & vires, ad ea quæ dixi peculiariter facere, euidentiores obtinentes, Galenus lib. de ther. ad Piſ. Aëtius lib. 13. cap. 97.

¶ Exuritur vipera in olla cum ſale, quem lingendo claritatem oculorum conſequuntur, & ſtomachi totiuſq; corporis tempeſtiuitates. Hic ſal & pecori datur ſalubritatis cauſa, & in antidotum contra ſerpentes additur, Plinius.

¶ Compoſitio ſalis theriaci quo Braſſauola in phagedænis vlceribuſq; malignis vtebatur ab eodem ordinata. ℞. Salis albi libras xx. Gentianæ contuſæ librã j. ſ. Ariſtolochiæ rotundæ librã j. ſ. ſummitatum centauri minoris libras ij. Cardamomi, Armoniaci, Marrubij an. librã ſ. ſcordij, chamædrios, ſeminis an. librã j. melir. libras xij. viperas num. ij. omnia ſimul ponantur in vas ferreum ſupra prunas & benè comburantur, tandem puluerizentur, & ſic erit ſal theriacũ iuxta Braſſauolæ compoſitionem Ferrariæ. ¶ Sal theriacus admodum bonus. Recipit ſalis ammoniaci, interioris ſcillæ, ſingul. librã ſemis. Silphij, piperis albi, ſin. vnc. ſemis. Piperis nigri, vnc. j. zingiberis exa. ij. coſti, vnc. ij cyperi, baccarum lauri, dauci cretici, ſingulorum exag. ij. ſcrup. ij. ammoniaci thymiamatis, ſcrup. 6. petroſelini, paſtilli theriaci, ſing. exag. ij. ſalem cum ſcilla contunde, & alia cum ijs conficiens dato, Myrepſus. ¶ Sal viperæ eſt ſal qui ponitur & reperitur in ventre viperæ ſalitæ, And. Bel. quod non placet Geſnerus. In Patauinis montibus reperiuntur maraſsi ſeu viperæ. Condiuntur ſale, aut ſeruantur in aliquo liquore Nam ſalem ipſorum doloribus à morbo Gallico (vt vocant) contractis, illitu remediari lego, Alyſius.

¶ Hi autem ſales theriaci ad omnia, ad quæ ipſa theriaca, valere dicuntur, quamuis non tantam habeant potentiam. Peculiariter autem medentur affectibus maximè ſumma in cute obortis, leucis dico, lepris, impetigini agreſti. Nam ſuperfluitates cuti ſubditas acreſq; potiſsimum diſcutiunt. Plurimi igitur ipſos manducantes, ſudoribus largiter diffluunt, ac corruptam vacuant ſubſtantiam, vt pedunculos quoque vocatos quoſdam eijciant ex corruptione propriè naſcentes. Dentes optimè abſtergunt, & flaccidas partes denſant, fluorem ipſis illabentem reprimunt, à putrilagine dentes præſeruant, erodi ipſos non ſinunt, Galenus. Propriè autem in affectionibus cutis curandis ſales commendantur, cuius generis ſunt leuce, lepra, impetigo agreſtis, elephantiaſis, alphos, ſcabies agreſtis, & raritas ac defluuium capillorum: huiuſmodi enim cutis vitia confeſtim delent, & acria recrementa ſubter cutem redundantia optimè diſcutiunt. *Ad quod conducant sales theriaci.*

o

Plerisq; enim ex eorum esu sudor prolicitur, atque ita per exudationem corrupta substantia eua-
cuatur, adeò vt quidam in principio pediculos exclulerint intra 14. ad summum dies: post hos
enim nullus in corpore pediculus apparet. Quidam verò pro pediculis sputa pituitosa reie-
ctant à salium reiectione initiũ facientes, deinde paulo pòst etiã sputa repurgata sistuntur. Licet
autem tum in prandio, tum in cœna eis vti, cum quibuscunque edulijs eos accipere velis, neque
vltra ad eorum acceptionem prouocare oportet. Tanta enim ipsis insita suauitas est, vt magis
voluptatis gratia eos confectos quis dicere possit: licet igitur vsque ad iij. cochlearia per diem
ex eis sumere, maximè si cibus prius in ventre sit probè concoctus. Qui enim eos accipiunt con
coquunt melius, & cibi appetentiores fiunt, floridius etiam corpus habent, & sensus omnes ve-
getiores. Suffusiones igitur incipientes, & nondum congelatas egregiè dissoluunt, neque pla- 1
nè quis suffusionem incurrat qui eos quotidiè accipiat. Purgationes item lunares propter ob-
turationem aliquam aut sanguinis coactionem suppressas cient. Iidem etiam largum & impe-
tuosum mensium defluxum sistunt. Quisquis autem eos præsumserit omnes venenorum & vi-
rus iaculantium bestiarum insidias euincet: neque etiam quum infectus fuerit, & posteà statim
sales acceperit, periculum incurret, maximè si corporis sui temperamentum per horum salium
vsum multo tempore apparatit ac veluti condierit, quemadmodum Mithridates fecisse dicitur.
Præstat & pestilenti constitutione instante ad auxiliare hoc & mali depulsorium pharmacum
confugere, præsertim si ei myricæ herbam ammiscueris. Morborum præterea omnium medici
sales existunt, maximè tamen eorum qui in renibus consistunt: lapides enim in eis atterunt, &
planè marcidos renes restituunt: vertigini vero & dolori capitis inueterato, morboq; comitiali 2
nulla alia consimilis medela exhiberi queat, si quis eos per integrum annum ex ordine largè su-
mat. Noui & arquatos diuturnos, & splenicos, ac colicos, qui frequenter in hanc affectionem
inciderunt, per eos sanatos, hydropem etiam maximè subter cutem per eorum vsum resiccaui,
& ingentem famem, bulimon Græci dicunt, dissolui. Vt quis etiam per frigidum aërem iter fa-
ciens minus frigore lædatur, comesti faciunt. Rigores autem per circuitum repetentes diutur-
nos cohibent, & tusses humectas resiccant. Tabidos verò iam mirabiliter ad bonam corporis ha
bitudinem reduxerunt paulatim edulijs aspersi: Exolutos autem à languore perfectè reuiuisce-
re faciunt. Scio namque plurimos membris penitus resolutos per ipsos sanatos. Ad podagram
demum maximè incipientem, & omnino ad omnes articulari morbo affectos vnicum hoc edu-
lium constructum esse videtur. Adhortor igitur eos qui à podagra liberati sunt vt eis continuè 3
vtantur. Cæterùm vix satis dignis verbis assequi queas, quantum diuturnas quartanas, & de-
liria ex atra bile oborta dilatent & remorentur, si ante accessiones & in interuallis quoque su-
mantur. Enecant item omne lumbricorum genus. Optimum est etiam ipsis dentes maximè cras-
siores confricare. Non enim albiores tantum eos reddunt, sed neque dens postea laxior factus
mouebitur, neque erodetur, neque stuporem incurret. Extrahunt etiam per caput recrementorum
rum copiam, ac caput purgant, & oculos leuiores reddunt, Hæc Aëtius lib. 13. cap. 97. Sal vipe-
ræ leprosis iuuatiuus est, Auicenna. Quidam sale cum vipera cremato in olla noua, & sæpius
sumpto, aiunt podagra librari, Plinius.

G. 2. 4

De viperæ veneno & morsu, deq; morsus symptomatibus & curatione.

De viperæ veneno. Quidam existimauerunt quòd venenum serpentum & viperarum est frigidum, & est error,
Auicenna. Contrà verò Galenus lib. de loc. affect. 3. cap. vlt. scribit omnia animalia quæ frigidi
sunt temperamenti hyeme se in latebras recipere: & propterea tunc temporis viperas ferè im-
mobiles manere. Ex quo loco minimè dubitandum est, Galenum censuisse eas esse frigidi tem-
peramenti. Scorpium & viperam ratione contrarij veneni sese mutuo interimere obseruaui-
mus. Nam cum in Italia essem mihiq; & Domino Georgio Cellario medico Tigurino collegæ
nunc meo, vipera data dono esset, venati sumus scorpium (nam in domo habitationis nostrę lo-
cus erat humidus qui hoc insecto scatebat) eum cum vipera ampullæ vitreę inclusimus, quę pau 5
lò post vtrinq; morsu & ictu datis interierunt: vtrum verò eorum prius obierit, non rectè me-
mini. Ex quo veneni contrarietatẽ facilè quis coniecerit, quando à simili nulla fit passio: at scor
pionis venenum frigidum esse satis constat, cui calidum viperæ venenum, exitio esse potuerit,
Casparus Vuolfius. Se de hac quæstione pluribus egimus in historia serpentis in genere.

De eius vi lethali. ¶ Nicolaus Florentinus & alij sectatores Arabum tres ordines venenorum effecerunt: pri
mum, eorum quę statim interimunt. Secundum, eorum quę non ita statim, sed breui tempore e-
necant. Tertium, eorum quæ paulò tardius: atque inter has species reposuerunt viperam, quasi
illius venenum serò interimat. Sed licet non inficias eam, in aliquibus regionibus viperas non
esse vsque adeò lethales, neque ita citò interimere: verumtamen non est dubitandum, alicubi ve
nenum ipsarum vsque adeò exitiosum esse, vt citissimè perimat, presertim verò si morsus factus 6
sit à vipera ieiuna in corpore ieiuno, si tempore æstatis in summo calore, & à vipera irata, Mer-
curialis. Fiunt deteriores viperæ aut regione, vt in Numidia, vbi & ferociores sunt & pernicio-
siores

flores, & scorpij similiter: velut & montanæ nemoralibus: aliæ cibo, vt quæ ranis rubetis; quas buffones vocant vescuntur, Cardanus. Audiui Phœnicem hominem cum diceret in montana Phœnices parte radicum quarundam pastu viperas magis efferari. Narrabat idem viperam ali quando cùm hominem assequi nequisset, arbori, ad quam ille effugerat, venenum afflasse; ac sta tim hominem enectum, Hæc ille. De viperis verò ijs quæ in Arabia inter balsami arbores ver santur diuersum quiddam accepi. Si quem enim morsu appetierint, plaga est qualis è ferri vulnere, veneni omnino expers: quòd scilicet balsami pastu liquoris vnius omnium odore præstantissimi, veneni acerbitas illa pristina mitescat, Pausanias. Idem de Helicone Græciæ monte agens ait, Quin & serpentium virus loci eius pastionibus infirmari aiunt, atque adeò vt si quem serpens vlla momorderit, vbi vel de genere Psyllorum qui in Africa sunt quenquam, aut aliquod ad id affectum medicamentum nancisci potuerit; facilè periculo liberetur, Hæc ille. Viperæ quæ aquas inhabitant parum aut nihil veneni retinent, Cardanus. Sed viperarum nomine abuti videtur pro quouis serpentum genere. ¶ Doctores referunt, quod siquis viperæ mor tuæ renes incautè calcauerit, grauiùs quàm venenum perhibetur nocere, & irremediabiliter vul nus serpere, Vincentius Belluacensis. Viperam mulier prægnans si transcenderit abortum faciet, Plinius. ¶ Fungi nati propè latibulum viperæ letales; Nicander. ¶ Scythæ sagittas tingunt viperina sanie & humano sanguine: Irremediabile id scelus: Mortem illico affert leui tactu, Plinius. Qua ratione autem id facerent licet colligere ex Aristotele in Admirabilium relatione, si tamen Aristotelis officinam resipit lucubratio illa. Obseruabant ergo Scythæ viperas, vbi iam peperissent, sic enim captas diebus aliquot liquescere sinebant: mox vbi computruisse viderentur satis, in ollam sanguinem hominis vnius totum infundebant, adobruebantque in ster quilinio, vase diligenter obturato: vbi verò & hic contabuerat, eximebant, sumentesque quod su pernatasset iam aquosum, saniéique viperinæ permiscentes, ita lethale conficiebant venenum, Cælius Rhodig. lib. 23. cap. 16.

¶ Reperiuntur in eis quos vipera mas momordit vulnera in plaga bina: in his verò qui à fœmina demorsi sunt vulnera quatuor, Aëtius, Nicander. Morsus quidem fœminæ cognoscitur per inuentionem fixionum plurium quàm duorum dentium in qua parte in momordit, Auicenna. ¶ Porrò morsum viperæ fœminæ quàm maris letaliorem esse testatur Nicander in theriacis his versibus, *De morsu viperæ, maris & fœminæ.*

Porrò ex vipereo, quod noris, germine peior
Fœmina, quæ veluti maiori accenditur ira,
Sic vehemente magis fert noxia vulnera morsu,
Et plus gliscenti se cauda & corpore voluit,
Vnde citatior hac ictos mors occupat artus.

Videntur minore cum periculo liberari quos vipera mas quam quos fœmina momordit, Ægineta. Contrà verò Auicenna lib. 4. fen. 6. tract. 1. cap. 32. ait, Deteriores viperarum, & draconum sunt de eis, qui sunt masculi: Fœminæ verò sunt incolumiores. Vnde Mercurialis lib. 2. de morb. venen. & venenis sic scribit; Vtrum fœmina aut mas venenum letalius inferat, controuersum inuenio, quandoquidem alij existimarunt à fœmina venenum exitialius effundi, alij contra putarunt marem venenosiorem esse fœmina. Sed hæc lis conciliari potest, quia & aliquo pacto venenum fœminæ letalius est, aliquo pacto maris: fœmina, quia quatuor facit vulnera, maiorem veneni molem pluribus morsibus effundere videtur: mas autem etsi duo tantum inferat, tamen vis ipsorum comparata moli veneni fœminæ multò acerbior & efficacior est, ita vt & qui dixerunt marem, & qui fœminam letalius venenum inferre, vtrique possint veritatem dixisse, Hęc Mercurialis.

Porrò ex viperæ inflicta plaga sanies aliàs pinguedini similis, aliàs cruenta, interdum sine vllo colore conspicitur. Sed quę vlcus ipsum caro circundat, germinans graui offert sese tumore: interdum rubens, tumque palam liuida cernitur: quandoque etiam aquosum onus concipit. Frequentes præterea bullæ, ceu vacui per ignem tumores, perinde ac corpus igni sit ambustum, in cute superne ebulliunt. Illic subinde putredines circumcirca accurrunt, aliæ quidem seorsum à vulnere, aliæ circa plagam veneno non dissimilem mortem edentes. Aspera itaque noxa, vehementerque ignescens totum corpus exedit: hic per guttur, atque collum coeuntes sonitus agminatim strepunt, quinetiam oculorum vertigine mœret. Illicoque membris grauans imbecillitas, & lumbis anxietas venit: at in capite caliginosum onus consistit. Atqui laborans ille alias siti aridum guttur suum exiccat, sæpeque ex vnguibus eum frigus tenet. Hyberna autem niue exuberans grando, omnia membra degrauat. Crebrò etiam biliosos ventris sui tumores expuit, toto corpore pallens, ac humeris circa membra sudor niue frigidior circumfunditur. Colorem inter dum liuidi plumbi gerit, alias obscurum, mox floribus similis est æris, Nicander in theriacis. Si vipera momordit, corpus intumet, vehementer arescit, subalbidumque colorem concipit: sanies à vulnere profunditur, primum oleosa, mox cruenta: pustulæ adustis similes erumpunt, & vlcus præoccupat longe lateque depascens, nec summa modo corporis, sed intima quoque corripit: gingiuæ ijs cruore suffunduntur; inflammatio circa iecur erumpit: tormina & biliosi vomitus *Morsus symptomata.*

sequuntur. Sopor tremor, & vrinæ difficultas accedit, & frigidus sudor effunditur, Dioscorides. Ex eis (scilicet vulneribus à vipera inflictis) primum excernitur sanguis, deinde sanies sanguinolenta & oleosa: adest tumor biliosus, feruidus, bullosus, subruber, deinde liuidus, & denigratus & proserpens. Os adest exiccatum, ardor, exolutio, & frigidi horroris insultus, aliquando & bilis vomitus, tormina, capitis grauitas, vertigo, pallor, singultus, febris, spiritus & anhelitus celer, color plumbeus, sudor frigidus, Aëtius. In viperæ tum maris tum fœminæ morsu similiumq; animalium virus iaculantium, dolor loci statim ab initio sequitur, mox totius corporis; apparent enim in morsu duo foramina paruo inuicem spatio discreta, fluitq; ex his sanguis humorq; saniosus, deinde oleosus, postremò etiam æruginosus, quem nonnulli virus viperarum esse dicunt. Præter hæc tumores iuxta morsum subrubri liuidiq; assurgunt, corporis color perit, vertigines oculorum, stomachi resolutio, & animæ defectus oboritur, quibusdam etiam vomitiones biliosæ, vrinæ angustia, insuper pustulæ in commorsa parte erumpunt, veluti in ambustis. Item depastio ipsam inuadit, ad viciniam procedens, gingiuæ his cruentantur, accedit etiam tremor, sopor, & frigidi sudores, Paulus Ægineta. Egreditur à principio rei ex loco duorum dentium, aut plurium, sanguis, deinde virus feruens. Et fortasse incipit aquosus, deinde spumosus, deinde vt ærugo æris, & tunc quidem conuertitur ad substantiam veneni, & colorem eius. Et dolet locus: deinde perambulat dolor eius: postea apparet apostema calidum, rubeum habens bothor, & vesicas, sicut ex adustione ignis: & quandoq; perambulat, deinde fit viride illud apostema prope morsum, & sub ore, & accidit in visceribus inflammatio, & in corpore rubedo cum rigore: deinde sudor frigidus & corruptio coloris, decliuis ad viriditatem, & commotio vertiginis, & frequentia anhelitus, & nausea & singultus, & quandoq; euomit humorem cholericum: & difficultas fit vrinæ, & grauatur caput: & quandoq; aduenit ei fluxus sanguinis narium, & apparet grauitas in dorso, deinde sudor frigidus, & tremor vehemens, & syncopis, Auicenna. Horum accidentia pleraq; in pharmacopola quodam, qui fortè ab vna viperarum quas habebat, læsus erat, videre licuit. Nam cùm è plaga vix duæ sanguinis guttulæ (magnitudine enim vix caput acus referebat) effluxissent, per integram ferè horam nihil incommodi percepit, qua elapsa propè, digitus non tantum cum vehementissimo dolore intumescebat, sed tota manus etiam citissimè, & nulla ferè mora interposita, & inflatio tantũ processerat, vt nisi ex consilio medici, qui tum vocatus fuerat, remediaq; idonea adhibuerat supra brachij iuncturã compressa fuisset, atq; impedita, breuissimo temporis spatio totum corpus occupasset. Nihilominus tamen deinceps sex horis elapsis, vomitus amaræ bilis, & totius corporis refrigeratio, manibus & brachijs exceptis cum valida expiratione, quæ tamen non ita diu durauerat, quòd maturè occurreretur, secuta sunt, Greuinus. Dicunt etiam alij quasi perpetuo sequi commorsos à vipera icteritiam, sed hoc à nemine scriptore probatæ fidei inuenio, neq; à Græco, neq; ab Arabe: illud benè verum est, commorsos à vipera modò pallidos, modò virides, modò flauos euadere: & ratio est, quia cùm hoc venenũ proprietate maximè aduersaria offendat, statim calorem natiuum iugulat: vbi hoc factum est pro varietate subiectorum, deinde corporum, non est mirum, si diuersa symptomata occurrant, ita vt in biliosis fiat effusio bilis, & color pallidus et flauus euadat, in melancholicis viridis & ater, in illis qui imbecillo sunt capite, & ventriculo, fiant alia symptomata quæ retuli, & tandẽ penè extincto calore natiuo viridis color se offerat, quòd si interdum icteritia vera contingat, vt non diffiteor fieri posse, illud contingit, quia vbi copia bilis abundat in corpore exagitatione & commotione illius, effunditur in superficiem, eamq; tingit, Mercurialis. Aulico cuidam à vipera mordicus arrepto contigisse obseruatum est, vt corporis totius color in porraceum demutaretur, Celius Rhodig. ¶ Eum qui à vipera morsus fuerit aiunt nolle suam affectionem oblæsionemq; patefacere, nisi ijs tantum qui aliquando eandem morbi vim experti fuerint, Plato in symposio, & Aristides in Smyrnaico. ¶ Ferunt τοὺς ἐχιοδήκτους, id est, morsu à vipera petitos, ab venenatorum nullo attingi, Cæl. Rhod.

Quam subitò mors ex morsu viperæ subsequatur.

Mors in horis septem, aut vt longissimè abfit tertia die, in his qui non seruantur, & maximè his qui à vipera fœmina sunt icti, Aëtius. Species viperarum morsu vt plurimum interficit triduo, Arnoldus. Vt plurimum quidem demorsus moritur in tribus diebus, & quandoq; remanet vsq; ad septem, Auicenna. ¶ Narrat Mathiolus visum sibi rusticum, qui dum falce pratum demeteret viperam fortè mediam diuisam, hanc cùm putaret mortuam, frustum alterum è quo caput prominebat, intrepidus manu præhendit, sed fera irritata, capite vibrato, digitum eius momordit acriter: quem, vt fieri (vel nihil tale cogitantibus) solet, dum ori protinus admouisset, suctu sanguinem saniemq; expressurus, repente mortuus excidit. Similem historiam narrat Amatus Lusitanus centur. 3 de quodam iuuene, qui visa vipera, cum socio contendebat, se eam manu absque offensa vlla capturum. Cùm autem alter derideret, resq; ad sponsiones deuenisset, porrexit ille manum, vt eam caperet, sed ipsa plus iusto audax & truculenta, rabido & venenoso furore percita, eleuato collo illum in manus digito momordit, qui cum sic commorsus doleret, citissimè ori digitum admouit, fortè vt sanguinem, dentibus compresso digito sugeret, non verò vt mortem sibi asciscere, breui autem infelix hic sua culpa mortuus fuit, neque medica auxilia illum quicquam iuuerunt, euasisset tamen ni serpentis venenum ori admouisset.

Historia de quibusdam morsu & veneno viperæ necatis.

Curationis

Curationis ratio ea est vniuersalis quæ præscripta est in historia serpentis, vt scilicet quamprimum venenum extrahatur, & si id fieri non potest, vt pars percussa obligetur, & si necesse erit, etiam amputetur. ¶ Ne venenum ad dominantium partium aliquam perueniat, conferunt vincula superioribus partibus iniecta, ab ijs enim præsentaneum præsidium expectatur: id quod in viperarum scorpionumq́ ictibus, item aspidum quoque, quod propter imminens subitæ mortis periculum, magis incredibile est, expertus sum. Etenim cum Alexandriæ essem, rusticus quidam non longè ab vrbe, in vno manus digitorum ictus, eius radicem apud palmam validissimo vinculo ligauit, accurrensq́ in vrbem, ad familiarem sibi medicum, totum digitum ab ipsa coarticulatione ad palmam vsq; abscindendum præbuit, sperans inde nihil se mali passurum. Neque frustratus est sua spe, quippe nihil aliud faciens, saluus euasit. Similiter alium noui, qui epoto ex viperis medicamento, rescisso prius digito, à periculo liberatus est. Vidi præterea rusticum, cuius totum digitum vipera momorderat, qui falce quam tunc fortè habebat, (erat enim vinitor) ab vltimo articulo ictam partem resecans, deinde inducta in digito cicatrice, nullo sumpto medicamine sanatus est, Galenus libro 3 de locis affectis. Quempiam qui ore plagam exugat adhibeto, qui, vt supra dictum est, in communibus remedijs aduersus serpentium quorumuis morsus, os prius habeat ex oleo collutum. Aut gallinam dissecato, & internè adhuc calentem morsui imponito, atque hoc remedium frequenter ac assiduè repetito. Scarificare autem per ambitum oportet demorsum locum, & cucurbitas admouere, Aëtius. Ad morsum viperæ sedetur in aqua marina & iuuatur ab ea, Auicenna. Oportet vt ei qui morsus fuerit à vipera detur butyrum vetus plurimum & sedeat in tina lactis, & indicatur ei vigiliæ, & fiat vt deambulet & balneetur in quibusdam horis, & in balneo faciente sudare, & dentur illi in potu coagula, &c. Idem.

¶ Medicamentum viperarum ictibus imponendum, quod habet, sagapeni, piperis, succi cyrenaici, opopanicis, singulorum partem vnam, galbani, sulfuris viui, singulorum partes duas. Res quidem siccas contunde, ac per tenuissimum cribrum excute. Succos autem vbi in aceto dissolueris, siccis superinfundes, atque omnia ad emplastri crassitiem rediges, læso membro superimmittes, & ficus vrticæue folio extrinsecus imposito conteges. Aliud. Cardamomi, radicum eryngij, sulfuris viui, piperis, singulorum pars vna; myrrhæ, galbani, singulorum partes duæ, confice vt supra diximus. Aliud, Centaureæ, herbæ pedicularis (aristolochiæ, Aëtius) radicum peucedani, singulorum partes æquales, hæc contusa, cribrata & ex aceto subacta galbano commisce, & quo diximus modo vtere. Aliud, Cachryos, herbæ pedicularis (staphydis syluestris, Aëtius) radicum vitis albæ, aristolochiæ (radicis bryoniæ, Aëtius) singulorum partem vnam. Myrrhæ, opopanicis, singulorum partes duas, hæc quoque cum aceto veluti docuimus subige, Galenus libro 2. de antidotis, & Aëtius libro 13. cap. 21. Aliud valde bonum, Cancrorum fluuiatilium carnes terito, & adiecta iride & calaminthe rursus sufficienter terito, idemq́ rursus modico sale addito facito, & pastillos informato, quibus in vmbra exiccatis vtitor, in potu quidem ex aqua mulsa, aut vino, in cataplasmate verò, cum lacte dissoluito, Aëtius. Citra dilationem theriacen ex viperis bibendam dato, eandemq́ plagæ superponito, Idem.

Ratio curandi viperæ morsus

Medicamenta foris imponenda composita.

¶ Abrotanum extrinsecus plagæ impositum auxiliatur, Dioscorides & Paulus Ægineta. Item allium cum aceto, aut cinis ipsius exustus, Aëtius. Apium, P. Ægineta.

Simplicia.

¶ Balsamum litum, Auicenna. Butyrum litum, Idem.

¶ Cancri fluuiatiles cum lacte triti & potati & plagæ adhibiti, Aëtius. ¶ Caprinum fimum cum vino impositum, Dioscorides, Aëtius, P. Ægineta. Quidam in agris & pagis medicus, ad viperarum & multo magis reliquorum venenatorum morsus, caprino fimo cum aceto vtebatur, quo remedio plurimos liberauit, Galenus libro 10. simplicium. Recens pellis calida caprina quando ponitur super morsum viperæ dicitur attrahere venenum, Auicenna. ¶ Emplastratio cum caseo antiquo est bona vltima, Idem. ¶ Cedrinus liquor cum sale P. Ægineta. ¶ Si homo accipiat cepe syluestre & masticet ipsum & deglutiat illud quod currit ex eo, & emplastretur cum fæce eius, non morietur penitus, Auicenna. ¶ Chamæmelum detritum, Dioscorides, Auicenna. ¶ Cinis cum aceto, P. Ægineta. ¶ Herba de Corso nuper apud Hispanos inuenta ad morsus venenosos, in primis serpentis quem Corso vocant sua lingua, id est viperæ, e vestigio efficax, Hæc forte cantabrica fuerit. ¶ Cucumeris syluestris folia cum tenuissimo farinæ hordeaceæ polline, P. Ægineta.

¶ Ebuli radix in vino elixata, Matthiolus ex Dioscorid. Erica adhibita auxiliatur, Ægineta. ¶ Emplastrum ex farina erui, Auicenna. Farina erui cum vino macerata crebro emplastri forma illita, P. Ægineta. Erui farina, aceto mulso subacta, Dioscorid. ¶ Fæx vini cum farinæ polline, Idem. ¶ Fraxini folia contusa & cum succo peruncta & vulneri imposita, Dioscorides. Galenus, Aëtius, Florentinus. Fraxini cinis, Aëtius. ¶ Furfures in aceto coctæ, P. Ægineta. Tritici furfures cum rutæ decocto, Dioscorides.

¶ Galbanum cum cyprino vnge ad morsus viperæ, Galenus. Galbanum splenij loco superiectum, Dioscorides. In splenio adhibitum, Ægineta. ¶ Gallinacei pulli dissecti & confe-

ftim caldi impofiti, Diofcorides, Ægincta. Emplaftratio cum gallina fiffa eft bona valde vltima, Auicenna.

¶ Haftulæ regiæ folia, Aëtius. ¶ Hominis dentes triti & puluerizati fuper morfum, aut adufti & puluerizati, Auicenna. ¶ Hordeaceum cataplafma in aceto mulfo præparatum, Diofcorides, Ægineta.

¶ Iuniperi folia & fuccus ex vino contra viperarum morfus illini aut bibi prodeft, Diofcorides.

¶ Sciniar, id eft, Lactuca afini, illa quæ nominatur anulus, confert morfui viperæ valde, quando adminiftratur vt emplaftrum & bibitur, Auicenna. ¶ Dixerunt quidam quod in lapide, qui nominatur lapis ferpentis, quum fufpenditur, eft fanatio, Idem. ¶ Laurus excalfactoriam naturam habet, & folijs & cortice, & baccis. Illita ferpentũ venenis refiftunt, maximè fepis, dipfadis & viperæ, Plinius. Laurus, Diofcorides. Lauri folijs teneris coctis & cum oleo tritis locos intege prius quam claudantur, Aëtius. Emplaftrum ex baccis lauri, Auicenna. Lauri folia cum oleo incocta aut baccæ lauri, P. Ægineta. ¶ Lutum figillatum impofitum cum aceto, Auicenna.

¶ Meliffophylli folia & fuccus cum vino potus, & vulneri impofitus euidens auxilium confert, etiamfi iam moriatur æger, Aëtius. Foueri oportet plagam muria aceto adiecto, P. Ægineta. ¶ Nepita auxiliatur, Idem.

¶ Origanum viride impofitum, Diofcorides & Ægineta. ¶ Oleum laurinum, & oleum in quo decoquitur laurus, Auicenna. ¶ Ex herbo, id eft orobo emplaftrum cum vino, Idem.

¶ Perfonatæ radix in vino elixata, Matthiolus ex Diofcorid. ¶ Pix lita, Auicenna. Pix liquida cum fale, P. Ægineta. ¶ Panacis chironiæ radice vtuntur aduerfus viperas & phalangia & tineas veftium & cætera reptilia data ex vino & vncta oleo, Theophraftus. ¶ Porrum & panem cum fale imponito, Aëtius. Foueatur plaga pulegij decocto, P. Ægineta.

¶ Radicis cortex vfque eo tufus, vt in puluerem folutus abeat, Diofcorides. Raphani cortex læuigatus, P. Ægineta. ¶ Ruta cum fale & melle, Idem. ¶ Emplaftratio cum ranis fcifsis bona eft, Auicenna.

¶ Emplaftrum ex fauina, Idem. ¶ Sarmentorum cinis illitus ex aceto prodeft viperarum morfibus, Diofcorides. Scylla decocta cum aceto demorfis à vipera cataplafma eft, Idem, P. Ægineta. Squilla affata, Auicenna. ¶ Sycomori folia cum pane, Aëtius. ¶ Serpyllum cum aceto inunge, Galenus. Sambuci radix in vino elixata, Matthiolus ex Diofcor.

¶ Plaga ex Trifolij bituminofi decocto calido per multum tempus proluatur ac foueatur. Nam fi pauco tempore id facias, peius afficiuntur, Aëtius. Trifolium bituminofum coque, & decocto calido locum demorfum foue. Nullus autem fomento illo vtatur qui non patitur, tranfit enim affectus in eum, vt putet fe à vipera vel araneo mure commorfum, Galenus. ¶ Drachma terreftris tribuli pota illitáue ictos à vipera recreat, Diofcorides. ¶ Pro viperis tormentilla, Hermolaus. ¶ Teftudinis marinæ fanguis iuuat percuffos ab echidna & potus & illitus vlceri, Kiranides.

¶ Vinaceorum cinis illitus ex aceto prodeft viperarũ morfibus. Diofc. Cinis eius quod remanet poft expreſsionem mufti eft tyriaca morfui viperę, Auicen. ¶ Vipera fingitur & ponitur fuper morfum viperæ ipfius & fedat dolorem, Auicenna. Qui à vipera funt percufsi periculum effugiunt, fi trita ipfarum corpora vulneribus ipfis applicuerint, Galenus de theriaca. Apud Lactantium legas ictui viperino præfens admodum effe remedium viperam ipfam exuftam & in cinerem redactam, Pierius. Viperæ caput abfcindens applica partem fanguinolentam loco commorfo, liga & dimitte fic, Galenus. Viperæ morfui, viperæ cuiuslibet tritum & appofitum caput efficacifsimè prodeft, Plinius, Valerianus. Viperæ caput amputatum diligenter per volfellam teneto, & morfui imponito ea parte adhuc calente quæ contigit collum: id enim extrahet venenum, Aëtius. ¶ Vrina humana viperæ morfus conuenientifsimè fouentur, Diofcorides. Vrina hominis bibita & effufa fuper morfum prodeft, Auicenna.

¶ Quum autem fubcruentæ puftulę euaferint, ipfas fcarificabis, ita ne excories, deinde multa aqua foueto, lenticulam coctam cum melle obducito, dum confanefcant, Paul. Ægineta.

Medicamenta intus fumenda. Compofita.

¶ Antidotus quæ ab Apollodoro confecta eft, & à Softrate, atque alijs qui eam ab eo exceperunt commendata, hæc eft quæ à teftudinis fanguine nomen accipit, & continet, feminis fylueftris cumini acetabulum, fanguinis marinæ teftudinis exiccati drach. iiij. coaguli hinnulorum, aut fi defit, leporis drach. iiij. fanguinis hædini drach. iiij. hæc fimul admifta, affufóque optimo vino coniuncta repones. Cùm opus fuerit hinc quantum eft oliuæ magnitudo fumes, dilutumq; ex vini quàm optimi cyatho medio bibendum trades, Galenus libro 2. de antidotis. ¶ Ruftici medici antidotus ad viperæ morfus. Accepit trifolij, ftachyos, erui moliti, feminis rutæ fylueftris, ariftolochiæ rotundæ, fingul. drach. viij. hæc vino commifta in rotulas redigito, quarum drachmam vnam ex vini cyathis tribus dabis bis térue fingulis quibufque diebus, Idem. ¶ Alia verfibus ab Eudemo confcripta, quæ Antiochi Philometoris theriaca infcribitur.

ſcribitur, continet, Radicum mei, ſerpilli, opopanicis, ſingul. drach. ij. ſeminis trifolij drach. j. aniſi, fœniculi, ammeos, ſeminis apij, ſingul. acetabulum vnum, farinæ erui tenuiſsimæ acetabula duo, vini antiqui quantum ſatis eſt ad commiſcendum vt rotulas hinc conficere poſsis, quas in vmbra ſiccatas, ex tribus vini cyathis trium obolorum pondere dabis, Idem. ¶ Alia antidotus quæ aduerſum viperę morſum theriaca eſt: facit tamen & contra aliorum ſerpentium ictus. Hanc Gallus ex Arabia reuerſus Cæſari obtulit, qua multos ex commilitonibus ſuis à rabido cane demorſis, & à ſerpentibus percuſsis ſeruauerat: Accipit autem erui in farinam redacti drach. xxv. radicum vitis albæ, drach. xvj. ſeminis rutæ ſylueſtris, drach. xij. Iridis, opopanacis, ariſtolochiæ longæ, ſucci papaueris, zingiberis, ſingul. drach. viij. cumini Æthiopici, myrrhæ, eryngij, ſucci Cyrenaici, croci, ſerpilli, coſti, ſagapeni, ſingul. drach. vj. vinum aminæum inſperge, ſubige, rotulas confice, confectas pro conditione virium ægrotantis da. Sunt autem tres oboli, pondus antidoti integrum ad percuſſos quidem à vipera, ex vini meraci, ad reliquas verò affectiones ex mulſi hemina vna, Idem lib. 2. de antidotis.

¶ Percuſsis à vipera præclare auxiliatur medicamentum, quod myrrhæ, piperis, caſtorij, floris portulacæ ſeminiſque dimidio acetabulo conſtat: hæc omnia in Cretico paſſo teruntur, aut in alio probato, Dioſcorides, Ægineta. ¶ Oribaſij ad viperarum morſus. Aniſi acetabulum, piperis drachmæ quatuor, ariſtolochiæ corticis, opij, caſtorij, myrrhæ, ſingul. drach. j. paſſo læuigata in paſtillos inſtar fabæ Græcæ cogito, & pro viribus cuiuſque exhibeto, cum ternis diluti vini cyathis, P. Ægineta, Auicenna.

¶ Aliud ex Archigenis commentarijs. Cancros viginti, cum farinæ triticeæ quod ſatis eſt, in pila diligenter contundito, admixtaq; nepita & ſalis momento, paſtillos fingito, & ſiccato: In vſu, cum lacte applicato, vinúmque cum mulſa potato. At ſi fluuiales cancros deſideres, marinis vtitor, Idem. Cancrorum fluuialium carnes terito, & adiecta iride & calaminthe rurſus ſufficienter terito, idémque rurſus modico ſale addito facito, & paſtillos informato, quibus in vmbra exiccatis vtitor, in potu quidem ex aqua mulſa, aut vino, in cataplaſmate verò, cum lacte diſſoluito, Aëtius. ¶ Ariſtolochiæ radix cum myrrha, gentiana, baccis lauri, æquali modo excepta plurimum prodeſt, P. Ægineta. ¶ De theriacis eſt illa quæ recipit myrrhæ, & caſtoræi, & piperis, arſenici, rubei omnium an. ℨ. ij. ſeminis anethi ℥. ij. conficiantur cum vino. Et iterum ſemen andacochæ, & ariſtol. rotunda, & ruta ſylueſtris, & non eſt alharmel, ſecundum quod exiſtimauerunt quidam, imò eſt ſpecies rutæ ipſius, Auicenna.

Acetum calefactum & per ſe potum, quantum heminæ dimidium continet, iuuat, Galenus ex Dorothei Helij remedijs. ¶ Radix acori, Auicenna. ¶ Agaricum, Idem. Agarici drachma, P. Ægineta. ¶ Alandacochæ radix, Auicenna. ¶ Alharmel eſt de medicinis liberantibus, Idem. Semen alharmel cum ſucco porri aut ſucco cardui, Idem. ¶ Alcibium herba nomen accepit ab Alcibio qui cum forte in area dormiret à vipera in inguine ictus eſt: excitatúſque à ſomno ex hac herba ſuccum commanducando expreſsit, & hauſit in corpus, reliquum vulneri impoſuit, & ſic ſanatus eſt, Nicander. ¶ Allia mandenda, Dioſcorides, Auicenna. Efficaciſsimum in eius remedium eſt allij eſus, Aëtius, Ægineta. ¶ Anagallidis ſuccum contra viperarum morſus bibere ex vino prodeſt, Dioſcorides, Auicenna. ¶ Aliqui anchuſam tenui folio conſtantem auxiliari produnt, Dioſcorides, Ægineta. Maximè vtendum eſt anchuſæ radice cum vino, Aëtius. ¶ Anatis ſanguis calidus (recens) vel ſiccus cum vino potus ſanat bibentem ab omni veneno, & ab echidna morſos curat, & ſanitatem ac robur præſtat & bonam valetudinem, Kiranides. ¶ Aparine, Matthiolus. ¶ Foliorum apiaſtri ſuccus, Dioſcorides, Ægineta. Apium ſylueſtre eſt bonum ad illud, Auicenna. ¶ Ariſtolochiæ folia, radix & cortex, Idem. Corticum Ariſtolochiæ drach. ij. ex vini aut aceti hemina dimidia, Galenus. Ariſtolochiæ radix inſigne remedium aduerſus morſum viperæ, Nicander. *Medicamenta ſimplicia.*

¶ Radix Bauciæ aut harmel detur in potu, quæ eſt cognita in partibus frigoris, & eſt vehementis iuuamenti, Auicenna. ¶ Semen ſatiuæ Braſsicæ tritum, & acetabuli menſura cum vino potum, Dioſcorides. Braſsicæ crudus ſuccus cum vino epotus, Idem. ¶ Auxiliatur etiam Bryoniæ radix, Matthiolus ex Dioſcorid. ¶ Radix buchormariem, Auicenna.

¶ Cancri fluuiales cum lacte triti & potati, Aëtius. Cancri fluuiales aut marini per ſe, cúmque herba pedicularia ſale & polio, P. Ægineta. Cancri marini, Auicenna. ¶ Caprinum ſtercus & præcipuè montanarum, decoctum in aceto, vel comminutum in vino & bibitum confert morſui viperæ Galeno teſte, Auicenna. ¶ Caſsia odorata, Matthiolus. ¶ Eduntur vtiliter cepæ, Dioſcorides, Ægineta, Auicenna. Dixerunt quidam ſi homo accipiat cepe ſylueſtre, & maſticet ipſum, & deglutiat illud, quod currit ex eo, & emplaſtretur cum fæce eius, non morietur penitus, Idem. ¶ Genitale maſculi cerui maris tritum, & in vino potum à vipera demorſis auxiliatur, Dioſcorides, Ægineta. Dixerunt quidam quod virga cerui aſſata, cum comeditur in diſpoſitione confert, Auicenna. ¶ Chondryllæ radix contra viperas in vino pota proficit, Dioſcorides. ¶ Grana citri, Auicenna. Citri corticis ſuccus, Idem. Succus frondium mali citrij acetoſi ad punctionem viperæ, Raſis. ¶ Coaguli leporini in vino (aliâs ex aceto)

cerni oboli bibuntur, Dioscorides. Coagulum leporis aut hinnuli tribus obolis, Paulus Ægineta. Hinnulorum coaguli drach. j. cum vino, Galenus. Dentur in potu coagula; & melius eorum est coagulum leporis recens: & ipsum iterum est melius quando sumitur in potu cum iiij. ℥. aceti vini permisti cum æqualitate: & coagulum cerui iterum est bonum, Auicenna. ¶ Coloquintidæ radix, Idem. ¶ Contra viperarum morsus costi sextantem bibere prodest, Dioscorides. Sumantur costi duo aurei cum duobus obolis piperis, vel costi aurei iij. Idem. Costus cum vino aut absynthio potus, Idem. ¶ Cyminum, præcipuè montanum, & succus caulis, Idem.

¶ Echion à viperis nomen habet, vel quod semen proferat capitibus viperinis simile, vel quòd viperarum morsibus præstantissimum sit, Matthiolus in Dioscoridem. Echini (vel Echij potius) radix, Ægineta. ¶ Ebuli radix in vino decocta & pota prodest viperarum morsibus, Dioscorides. ¶ Erui farina, Auicenna.

¶ Fel galli & reliquarum auium, Auicenna. ¶ Ferulæ viridis medulla in vino pota, Dioscorides. ¶ Foliorum malorum succus, Auicenna. ¶ Fraxini folia tundito & exuccato, & succum quidem in potu exhibeto: reliquum morsui imponito, Dioscorides, Galenus. Iis qui à vipera morsi sunt, succum foliorum meliæ, hoc est, fraxini propina ex vino quidem, si febri non infestentur, sin verò febriant, per se & citra vllam aliam misturam. Vulnus autem ipsum foliis conquassatis inungito, Florentinus. ¶ Fulicæ (νήσσης) sanguis liquidus ex oleo potus seruat à potu venenosi medicamenti, & à viperæ morsu liberat, Galenus, Euporist. 3.

¶ Gallinacea cerebella cum vino pota, Dioscorides, Ægineta. Galli cerebrum cum posca adiecto pipere, his qui à vipera percussi sunt vel morsi, potui dabis, auxilium maximum experieris, Sextus. ¶ Sumantur gentianæ aurei iij. Auicenna.

¶ Dandus & hæmatites lapis, Aëtius. ¶ Hastulæ regiæ radix, P. Ægineta. ¶ Vtendum est heliotropio cum vino, Aëtius.

¶ Iuniperi baccæ, Paulus Ægineta. Iuniperi folia & succus ex vino contra viperarum morsus illini aut bibi prodest, Dioscorides. ¶ Semen Keisim aut radix eius, Auicenna Hispalensis.

¶ Sciniar, id est lactuca asini, illa quę nominatur anulus confert morsui viperæ valde, quando administratur vt emplastrum, & bibitur, Idem.

¶ Aiunt si quis melanthij drachmas quatuor edat non moriturum, Aëtius. ¶ Similiter etiam melaphroditos herba efficax est, Idem. ¶ Melissophylli item folia & succus cum vino potus, & vulneri impositus euidens auxilium confert, etiamsi iam moriatur æger, Idem. ¶ Mustelæ inueteratæ siccatæq; drachmæ duæ, P. Ægineta. Caro mustelæ condita aceto & sale, Auicenna. Mustelæ venter salitus, Idem. Myricæ semen, Matthiolus in Dioscor.

¶ Succus extremitatum caulis Nabathi, Auicenna. ¶ Napellus Mosis est theriaca omni veneno & viperæ, Idem. ¶ Præstat & nasturtium plurimum edere, ac tritum quoque cum vino bibendum exhibere, Aëtius.

¶ Opopanicis pondus ℥. ij. cum aceto, Auicenna.

¶ Prosunt Panacis Chironiæ drach. ij ex aceto, Galenus. Panacis Chironiæ radix morsui viperæ aspergitur ex acido vino, potui datur, Theophrastus. Panacis radix cum vino incocta, Paulus Ægineta. ¶ Personacia contra morsum viperæ, Hermolaus. ¶ Pistacia trita, Paulus Ægineta. ¶ Porri recentes vtiliter eduntur, Dioscorides, Ægineta. Porri cum vino, Auicenna. Porracei succi hemina in mero bibitur, Dioscorides. Porri succus dimidiæ heminæ mensura ex mulsa, Paulus Ægineta. ¶ Pseudocasia contra viperarum ictus pota auxiliatur, Dioscorides.

¶ Magnificè etiam prosunt Ranę coctæ comestæ, & iusculum earum bibitum, Aëtius. Sunt qui ranas in cibo elixas dederunt, P. Ægineta. Et quidam experti sunt ius ranæ, & fuit iuuatiuum liberans, cùm comestum fuit, Auicenna. ¶ Auxiliantur & raphani largè in cibo sumpti, deindeq; vomitu reiecti. Statim verò à vomitu theriace Andromachi exhibeatur, Aëtius. Dantur omnia incisiua acuta vt raphanus &c. Auicenna. ¶ Rubiæ radicis succus, Matthiolus. ¶ Contra viperinos ictus Rubus cum vino prodest, Dioscorides. ¶ Ruta item syluestris, Idem, Ægineta. Rutæ succus, Auicenna.

¶ Sampsuci succus, & acetum ipsum, de quo bulliatur, Idem. ¶ Salsamenta acerrima edenda, Dioscorides, Ægineta. Omnia salita, Auicenna. ¶ Scorpio assatus, Idem. ¶ Admirandos insuper præbet effectus radix illa quam Goritienses ab auxiliari eius vi, serpentinam vocant, Matthiolus in Dioscoridem.

¶ Tamarisci fructus, Auicenna. ¶ Claudius imperator censuram agens vno die 20. edicta proposuit, inter quæ, hoc erat vnum, nihil æque facere ad viperæ morsum, quàm taxi arboris succum, C. Suetonius Tranquillus in vita Claudij Cæsaris. ¶ Facit etiam mirabiliter testudinis sanguis exiccatus cum syluestri cumino potatus, Aëtius, Ægineta. Sanguinis marinæ testudinis drach. ij. ex aceto, Galenus. Sanguis testudinis marinæ, Auicenna, Kiranides. Chelonæ, id

næ, id est, testudinis, etiam terrestris sanguis potus ab echidna percussos summè sanat, Idem. Dato citra dilationem theriacem ex viperis bibendam, Aëtius. Fortior curatio est properare ad theriacam de viperis: & quum tardatur, tunc possibile est, vt conferat theriaca multoties, & possibile est vt non conferat, Auicenna. ¶ Tragoriganum contra viperæ ictum efficacissimum est, Plinius. ¶ Drachma terrestris tribuli pota, illitáue ictos à vipera recreat, Dioscorides. ¶ Seminis trifolij ob.iij. ex dimidio vini cyatho, Galenus. ¶ Quidam existimauerunt, quòd cum Turbith sumuntur in potu cum lacte dulci est iuuatiuum valde, Auicenna Hispalensis.

¶ Vinum frequenter bibendum, Dioscorides. Efficacissimum in eis remedium est allij esus, & meracior vini potio, inquit Archigenes: adeò vt si quis multum eius sustineat vsum, itemq; meri potum, nullo alio auxilio opus habeat, Aëtius, Ægineta, Auicenna.

¶ Quinetiam bonum est digitum in liquidam picem intingere, deinde vinum, quo digitus fuerit elutus, bibere, Dioscorides.

¶ Quin & ipsam viperam excoriatam & coctam, capite ac cauda & interaneis visceribus omnibus reiectis, veluti anguillam edendam præbeto, Aëtius.

¶ Viticis semen, Paulus Ægineta.

¶ Festre, id est, vitis albæ radicis aureus, I. Auicenna.

¶ Humanam vrinam suam cuique bibere contra viperæ morsus ac venena proderit, Dioscorides, Auicenna Hispalensis.

¶ Zedoaria est tyriaca venenosorum omnium, viperæ, & napelli & aliorum, Idem. ¶ Zinziber in lacte mulieris, Idem.

¶ Verùm præter hæc præsentaneo remedio sanat nostra quinta essentia, cochlearis mensura plures eodem die pota: item oleum nostrum de scorpionibus de quo antea dictum est, inunctus, Matthiolus in Dioscoridem.

De fonte viperæ morsus sanante.

¶ Norcheriæ octo miliaribus à Fulgineo ciuitate, Gentilis illius magni Auicennæ interpretis patria, saluberrimus fons est, aqua frigidissima plenus, in qua si à vipera aut serpentibus demorsi demergantur, ac per horam ibi manserint, sani & liberi euadunt, quod euenire forsan contingit, quia gelidæ frigiditas, veneni viperini caliditatem infringit, ac obtundit, & hebetat, Amatus Lusitan. cent. I.

De viperæ morsus curatione facta ab Amato Lusitano.

Puella rustica nata annos tredecim, quum vna cum matre in agrum discalciata absque calopodijs exiret, & messoribus, vigente æstate, cibum deferret, incauta in medio itineris à vipera in pede dextro morsa fuit. Mater verò puellæ sic punctam & afflictam animaduertens, in oppidum quàm citissimè fieri potuit, retrahere se accelerat: vtcunque tamen properans, medicamentum pro salute filiæ machinatur, & ecce thymelæam fruticem offendit ad quam confugit, & ex ea corrigias parat, quibus crus affectum parte alta prope genu ad poplitem ligauit, optimo sanè consilio, ne vis veneni altam corporis subiret partem. Interpositis itaque tribus horis à punctura puellam sic affectam ad me deferunt: erat enim tum temporis iam tibia multis & varijs maculis liuidis & rubris variegata, adeò vt femur quoque ascenderent, bilem vt mater retulit, euomuerat, sed tunc, præsens in quosdam totius corporis tremores, cum vertigine & animi defectu incidit: quapropter cunctantius morsum locum animaduertens, in pedis parte alta, tarso siue pedis raseta dicta, duo nigerrima signa deprehendo: ex quibus iudico, morsum illum à masculo vipera illatum esse, quum duos tantum caninos vipera mascula habeat dentes, fœmina verò quatuor: nec tantum periculi adfert masculi morsus, quantum fœminæ, præsertim si post cibum morsus fuerit homo, veluti huic contigit puellæ. Nullo igitur interposito medio, per chirurgum præsentem locum punctum, vulnusculis profundioribus per ambitum scarificare iubeo, & cucurbitulas multa ignitas flamma admouere, quibus sanguis ater & virulentus latitans, abundè fuit extractus: sed & vniuersam tibiam leuioribus vulnusculis scarificari quoque iussi, sanguinémque tandiu ex illis fluere, quoad sua sponte cohibitus fuit. Tunc verò ex allijs, ac acribus cepis, optimè pistis, theriaca adiecta, confectum emplastrum loco demorso admouere curaui, in potúque illi theriaces drachmas tres, meracioris vini vncijs quinque dissolutas, propinauimus: post hæc verò, quatuor interpositis horis, panatellam allijs concinnatam, in victu obtulimus, à somnoq; abstineret, quantum possibile esset, monuimus. Sequenti verò die puellam quoq; tremoribus corripi deprehendi, minoribus tamen (cœperant enim iam fumi venenosi cor petentes minui, ad infimasq; partes retrahi) tunc ieiuno stomacho, succi foliorum fraxini vncias quatuor in potu dedimus. Est enim medicamentum hoc omnia antidota in hoc casu excedens, vt latius commentarijs nostris, ad Dioscoridem in lucem editis, diximus. Emplastrum porrò dictum è nouo paratum iterum loco per tres sequentes admotum fuit dies, in quibus quoq; & alijs sequentibus prędictum fraxini succum ebibit: iam enim puella melius habebat, & à tremoribus & animi anxietate, ferè leuata erat, sed ex vulneribus profundioribus loco demorso adhibitis, oleosa quędam sanies fluebat, imo vulnera ipsa denigrata quodam-

modo apparebant. Elapsis igitur quatuor primis diebus plagæ, caprarum fimus cum baccarum lauri ac euphorbij puluere vino mixtus ac calidus in splenio siue plagula apponebatur, cum quo sanies illa iam æruginosa facta, optimè exibat, et eo per quatuor alios sequentes dies vsa fuit, posteà hoc vnguentum parare feci, quod habet, ℞. pulueris aristolochiæ longæ vnc. ij. brioniæ, hastulæ regiæ, id est, asphodeli an. vnc. j. galbani, myrrhæ, an. vnc. sem. Olei laurini cum cera. q. suff. fiat vnguentum, & in splenio, hoc est panniculo lineo, forcipibus multum inciso, loco morso bis in die applicetur: quo remedio per mensem ferè integrum vsa fuit: quum vulnera ita longo tempore aperta sint opus est, tandem vnguento basilicone ad cicatricem vulnera redacta sunt, & ipsa puella integræ sanitati restituta, Amatus Lusitanus, centur. prima, curat. prima.

De Ambrosio Paræo à vipera morso & quomodo sanatus sit.

Cum Rex Carolus nonus Monspessuli esset, ac in Fargin pharmacopolæ officina viperam vnam tractarem, ipse extremum indicem qua inter vnguem carnemq; hiat, morsu mihi prehendit: vnde statim subortus est acer dolor, tum partis exquisitissimo sensu præditæ, tum veneni efferi occasione: è vestigio digitum supra vulnus arctissimè constrinxi, vt sanguinem, venenumq;, ne se latius in corpus diffunderet, exprimerem. Theriacam antiquam in aqua vitæ dissolui, ex qua intinctum, imbutumq; bombacem vulneri imposui, atque intra paucos dies hoc vno remedio planè conualui. Licet vti & mithridatio loco theriacæ ac plerisque alijs ex alto subacri suo calore attrahentibus, vt scilla sub cineribus cocta, allijs porrisq; tritis & impositis, hordei farina, cum aceto, melle, & stercore caprino subacta, impositáque cataplasmatis instar. Quibusdam satis est extemplo lauisse & fouisse plagam aceto, sale, & pauco melle, Ambrosius Paræus.

De puella sanata.

¶ Puella quædam cum carnem cui venenum viperæ occisæ exemptum mixtum erat, fortè gustasset, in opisthotonum aliaque grauisima symptomata incidit. Sed mox vinum copiosè ei propinatum est, & liberata puella, Gesnerus ex Gerardi Boumam relatione.

De felle viperæ & cura.

¶ De felle viperæ. Hoc est ex venenis quod cum bibitur secundum modum quo interficit, frequens fit syncopis, & parum confert medicina. CVRA. Si aliquid confert, tunc vomitus cum butyro cocto vna dispositione post dispositionem aliam. Et illud quo succurritur post vomitum, est theriaca, & mithridatium, & albezahar est sublimis res ei, & moschus est medicamen eius, & cùm frequens fit syncopis, dentur ad sorbendum vinum, & aqua carnis pullorum cum aliquo vel aliqua re moschi, aut medicinis de moscho, Auicenna.

Viperarũ morsibus tibicinem fere adhibitũ mederi.

¶ Theophrastum literis mandasse accepimus, quibusdam viperarum morsibus cantus tibicinum aut fidicinum, atque alia organa artis musicæ modulatè adhibita, aptissimè mederi: quod & Asclepiades medicus literis prodidit, qui phreneticos mente imminuta & veletudine animi affectos, nulla re magis quàm symphonia & vocum concentu ac modulis resipiscere & sanitati restitui censuit. Fertur quoque Ismenias Thebanus plures Bœotiorum Ischiadicos & coxendicum dolore laborantes intentione tibiæ bonæ valetudini restituisse. Tanta hominis naturæ cum harmonia consensio est. Quod cum credi vix posset, nuper id nobis cum casu ad id incideremus, pro explorato & comperto fuit. Siquidem à tarantula, id est phalangio percussos, haud aliter ex ancipiti morbo conualescere vidimus, quàm si tibicen vel citharista iuxta eos diuersos modos incinat, vt pro veneni qualitate, ita harmonia & audiendi illecebra capti, venenum illud vel ex intimo corpore dilapsum effundant, aut sensim per venas diffusum dilabatur, Alexander ab Alexandro Genial. 2. 17.

De animantibus à vipera morsis & quomodo sanentur

¶ Vipera & Cæcilia sæpe cùm in pascua bos improuidè supercubuit, lacessita onere morsum imprimit. Venena viperæ depellit super scarificationem ferro factam herba, quam vocant personatam, trita & cum sale imposita. Plus etiam eiusdem radix contusa prodest. Vel symoniacum trifolium: quod inuenitur confragosis locis efficacissimum traditur, odoris grauis, neque absimilis bitumini, & idcirco Græci eam ἀσφάλτιον appellant: nostri autem propter figuram vocant acutum trifolium. Huius herbæ succus vino missus infunditur faucibus, atque ipsa folia, cum sale trita malagmatis more, scarificationi intenditur: vel si hanc herbam viridem tempus anni negat, semina eius collecta & læuigata cum vino dantur potanda, radicésque cum suo caule tritæ, & farina & sale commixtæ ex aqua mulsa scarificationi superponuntur. Est etiam præsens remedium, si conteras fraxini tenera cacumina quinque librarum cum totidem vini, & duobus sextarijs olei, expresśúmque succum faucibus infundas. Itemque cacumina eiusdem arboris cum sale trita læsæ parti superponas, Hæc Columella de re rust. libro sexto, capite decimo septimo. ¶ Vipera si momorderit iumentum, ex morsu eius pus consueuit exire. Nam si prægnans fuerit, totum rumpitur corpus. Ad morsum tamen viperæ, vel phalangij, aut muris aranei, commune remedium est, terram formicarum cum vino miscere & dare per fauces: Vel certè de ipsa terra frequentissimè vuluam (fortè vulnera) confricare. Ad quas causas etiam terra talparum creditur posse prodesse. Quòd si in itinere aut in locis vbi desit copia fomentorum, necessitas ipsa contingit, piperis grana xxx. cum sextario vini veteris tepefacto

tepefacto faucibus digeres, & herbam thymum tritam cum vino si dederis, prodesse creditur. Morsus viperæ vel cuiuscunque serpentis ostenditur, si humor putidus de plaga incipit currere. Præsens remedium est, si hœdum vel gallum vel agnum in recenti occideris, & calentes pulmones eius cum sanguine, vel corde, vel iecore vulneri apposueris, diligenterq́ue constrinxeris vt omne virus educat, daturus continuò potionem: acori pontici semiunciam tritam cum vini veteris sextario, salis triti heminam pariter misces, & tepefactum faucibus digeris. Si perseuerat tumor, vitem albam syluestrem copiose comburito, & ex cineribus eius lixiuium facito, & in potionem triduo ad vnum sextarium dato. Cinerem quoque ipsum cum aceto in modum cataplasmatis vulneri imponito. Si nihil profecerit, cauterijs vrito, vsta solenniter curato. Farinam quoque hordeaceam cum vino & sale, oleóque decoctam in cicatricem oportet imponi, vsque dum sanus sit, Hæc Vegetius in Mulo medicinæ seu artis veterinariæ libro tertio, capite 79.

De vipera os hominis ingressa & quomodo inde expulsa fuerit.

Fumus sotulariorum, id est corij combusti, cum semine lini suffito fugat serpentes viuos, vt vidi in vno existente in hospitali Papiæ, qui habebat viperam in stomacho, cui fecerunt multa remedia, vt eam expellerent, scilicet, ponendo lac ad os & multa alia: veniebat enim ad os & nolebat egredi: tandem factis fiendis æger fuit suffumigatus ex tali fumo, & statim vipera visa est egredi per anum, Gatinaria in capite de cura præfocationis matricis.

H.

Vnde dicta sit vipera & echidna.

Vipera dicta est quòd vi pariat, Isidorus, & huc vsque ferè omnes grauissimi authores sic senserunt, quia crediderunt viperam à partu necari: quod fabulosum esse antea ostendimus. Dicitur ergo vipera non quòd vi pariat, sed potius quia viuum animal pariat: vnde rectius mea sententia viuipera quam vipera appellari meretur, Amatus Lusitanus, & pleriquе recentiores.

Ἔχιδναν similiter volunt grammatici sic appellari παρὰ τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ τὴν γονὴν ἄχρι θανάτου, id est, quod ad interitum vsque fœtum intus contineat: sed quàm rectè, aliorum est iudicium. ¶ Ἔχις, ιος & εως, Vipera mas, Ἔχιδνα fœmina. ¶ Echidna putatur eadem esse, quæ & vipera.

Echidna pro hydra & quouis serpente.

Capitur & pro hydra ab Hercule occisa, Ouid lib. 3. fast.

Sanguine Centauri Lernææ sanguis Echidnæ,
Mixtus ad auxilium tempora nulla dabat.

Τηνία.

Capitur & pro quocunq; serpente, Ouid. lib. 9. Metam. Ioh. Rauisius. ¶ Τηνία, ἔχιδνα· ἄλλοι δὲ τὴν στιβοειδῆ ἰουλην, Hesychius.

Epitheta.

Vipera venenata, pestifera, Cicero. ¶ Mala tactu, Vergilius, *Sæpe sub immotis præsepibus aut mala tactu Vipera delituit, &c.* ¶ *Parua necat morsu spatiosum vipera taurum.* Ouidius. Plæraq; autem epitheta quæ serpenti ascripsimus, viperæ etiam tribui debent. ¶ Ἔχις ἰοβόλος, Nicander. Οὐλοβόρος, ὅτι παρὰ τὸ οὖλον ὅ ἐστιν ὀλέθριον λέγεται, Eustathius. Ποικιλόδειρος, Anyte. Περκνός, Nicander. Ἔχιδνα ψολόεις (pro ψολόεσσα) Idem. Οὐτήτειρα, id est πληκτική. πολιῆς ἐχίδνης, Orpheus. Πιαλέης ὄφεις, Varinus pro viperis accipit.

Deriuata.

Viperinus & Vipereus. E viperina carne fiunt pastilli theriaci, Plinius. *Vipeream inspirans animam,* Virgilius. Viperalis. Viperalem rutam appellatam tradit Apuleius quod serpentibus & viperis resistat, Pierius. ¶ Viperula, diminutiuum. ¶ Ἐχιδναῖος, Viperinus, in epigram. Ἐχιδνήεις, Idem, Nicander, Ἐχιδνήεσσα μορφὴ. ¶ Ἐχιδνιὸν & Ἐχείδιον, viperula seu catulus viperæ, parua vipera. ¶ Ἐχιόδηκτος, morsus vel ictus à vipera, Dioscorid.

Icones.

Ægyptij cum significantes qui agilis sit & velox, sed qui tamen absq; iudicio ac ratione feratur, ceruum depingunt & viperam. Hac siquidem conspecta, temerè in fugam vertitur ceruus, Orus. ¶ Iidem mulierem quæ virum odio prosequens eius vitæ insidietur, solumq́ue ei in coitu blandiatur designare volentes, viperam pingunt. Hæc enim cum mare congrediens, os ori inserit, & à coitu discedens, marem morso capite interimit. Rursus liberos matri insidiantes vt demonstrent, viperam pingunt. Nam hæc non iuxta cæterorum animantium naturam in lucem æditur, sed exeso diruptoq; matris prodit vtero, Idem.

Lapides & plantæ ab hoc serpente denominatæ.

¶ Echites Gemma est colore viridi sub obscuro quandam viperæ similitudinem referens. Ab animalibus cognominantur Carcinias, marini cancri colore: Echites viperæ, scorpites scorpionis aut colore aut effigie, Plinius. ¶ Echios vtriusq; generis pulegio similis est; & capitula viperæ similia habet, Plinius. Ἐσθλὴν δ᾽ ἀλκιβίου ἔχιος περιβρέξεο ῥίζαν, Nicander. Echium Gallis vulgò lingua hirci. Vide apud Dioscoridem lib. 4. cap. 25. Echion item medicamentum est, de quo supra in G. dictum est. ¶ Echite herba est similis scammonio, Plinius lib. 24. cap. 15. Græci preter illam quam Itali centunculam vocant, clematidas & alias habent, vnam quam aliqui echiten vocant, &c. Idem. Nicolaus Myrepsus antidoto 370. quæ confert podagricis: alij, inquit, pro gentiana inijciunt chelidonium, & echidinon. Vbi Fuchsius, Græcus codex, inquit, habet ἐχίδριον. Censeo autẽ legendum esse ἐχίδνιον. Sic autem appellat Apuleius herbam, quam is alio nomine viperinam vocat, à semine quod viperæ caput refert: alij echion nominant, nostræ hodie officinæ buglossam, Hæc ille. Ego verò elydrion legerim: vt & lectio propius accedat, & res ipsa. Nam elydrion chelidonium minus est, vt Hermolaus Barbarus docet: & à Ni-

colao ibidem chelidonium simpliciter, hoc est maius nominatur, Gesnerus. ¶ Κερχὺς, ἢ ἐχίδνειος βοτάνη, Camers. Echidnios herba, crocis herba magica, Plinio. ¶ Viperina herba eadem quæ dracontea, Macer.

Animalia quæ à vipera nomẽ deducunt.

In Cyrene diuersa tum colore tum forma murium genera nasci ferunt, ac quosdam ipsorum quemadmodum feles, ita lata facie esse: alios viperæ speciem similitudinemq́ue gerentes, acutas spinas habere, quos indigenæ echenatas vocant, Ælianus interprete Gillio: sed malè, vt apparet ex Aristotelis verbis quæ in mirabilibus sic sonant: In Cyrene aiunt diuersa esse muriũ tum forma cum colore genera: ἐνίους γὰρ πλατυπροσώπους ὥσπερ αἱ γαλαῖ γίνεσθαι, τινὰς δὲ ἐχινώδεις, οὓς καλοῦσιν ἐχίδνας (fortè legendum ἐχῖνας, vt Herodotus etiam habet, à recto ἐχίν.) Echidna quidem viperam significat: verùm muribus istis nihil cum vipera commune esse, sed cum echino tantum spinas acutas, Aristotelis & Plinij verbis facilè obtinetur, Gesnerus.

Nomina propria virorum & mulierum ab hoc serpente desumpta.

Echion Statuarius & pictor à Plinio memoratur. Item Citaredus echion apud Iuuen Sat. 6. Echion etiam fuit vnus illorum quorum adiutus opera Cadmus Thebas ædificauit, de quo Ouid. 3. Metamor. Hinc & ipsi Thebani à Poëtis Echionidæ & Echionij passim appellantur. ¶ Styx ἐκ πειραντος peperit Ἔχιδναν, Pausanias.

Ἡ δ' (sc. κητώ) ἔτεκ' ἄλλο πέλωρον, ἀμήχανον, οὐδὲν ἐοικὸς
Θνητοῖς ἀνθρώποις, οὐδ' ἀθανάτοισι θεοῖσι,
Σπῆι ἐνὶ γλαφυρῷ, θείην κρατερόφρον' Ἔχιδναν,
Ἥμισυ μὲν νύμφην ἑλικώπιδα, καλλιπάρῃον.
Ἥμισυ δ' αὖτε πέλωρον ὄφιν, δεινόν τε μέγαν τε,
Ποικίλον, ὠμηστὴν, ζαθέης ὑπὸ κεύθεσι γαίης. Hesiod. in Theog.

Aquila quæ Promethei iecur exedit, ex Typhone & Echidna aliqui natam aiunt, Higinus. Echidna mater Chimæræ, Cælius. Echidna nympha Gyraldus. Ἔχιδνα μιξοπάρθενος, Eustath. ἡ ἔχιδνα περὶ λυδίαν στέρνα καὶ κεφαλὴν κόρη, τὰ δὲ κάτω ὄφις, Isaacius Tzetzes. Virgo vmbilico tenus humana, reliqua specie viperæ, Diodorus Siculus. Hercules boues Geryonis agens cùm peruenisset in Scythiam, accidit vt ipsi dormienti equæ eius à curru pascentes, diuina quadam sorte amotę non comparuerint. Eas experrectus cùm indagaret, omnem regionem collustrans, in quendam locum peruenit, vbi dicitur reperisse virginem in antro quodam ancipitis naturæ, humanæ ac serpentinæ, superne quidem femorum tenus fœminam, inferius autem viperam. Quæ promisit se ei equas restituturam modo secum coire vellet. Quod cum factum esset: tres liberos ex eo concepit, Agathyrsum, Gelonum, & Scythum. Herodotus lib. 4 ¶ In viperam veneficam anum carmen scripsit Petrus Crinitus. ¶ Echidnon vrbs ad mare Ægeũ, Pomp. Mela.

Echidnon vrbs

b. *Discordia demens*
Vipereum crinem vittis innexa cruentis. Virgil 6. Æn.

¶ Cerberus canis vipereus ab Ouidio dicitur. ¶ Chameleontis cauda prælonga in tenuitatem desinens, & implicans se viperinis orbibus, Plinius. Venenum aspidum suget, aut occidet eum lingua viperæ, Iob. 20. de impio loquens: id est, vt interpretatur Mercerus, videbitur in eius aluo esse viperina lingua, id est virus exitiale quod eum perimet.

c. d. Vt viperas aliqui tradunt, ventre in quo genitæ sunt corroso, nasci: eodem modo liuor oppressum exedit animum, Cælius. *Videt intus edentem Vipereas carnes vitiorum alimenta suorum Inuidiam,* Ouid. 2. Metamor. ¶ Σὺ δ', ἣ κατ' οἴκους ὡς ἔχιδν' ὑφειμένη λήθουσα μ' ἐξέπινες. Creon ad Ismeniam apud Sophocl. in Antigone. ¶ Πικρὴν μὲν σταν ἐχιδναίω φαρμακον ἔβαψε χόλω, Epigram. de Archilocho. ¶ *Vipeream inspirans animam,* Vergil. 7. Æneid. de Alectone furia, quæ serpentem in sinum Amatæ iniecerat, quem poëta diuersis nominibus anguem, colubrum & viperam appellat. Ioh. Baptista Iudæos ad se accedentes ἐχιδνῶν γεννήματα, id est viperæ progeniem appellat, Luc. 3. Scriptura vocauit fœtus viperarum, libidinosos ac voluptuarios, ventrique & peni seruientes, & propter mundanas cupiditates suam inuicẽ capita abscindentes, Clemens Strom. lib. 4. ¶ Pro cruentis sanguinarijsq́ue raptoribus, pecuniæ immorientes videtur Sidonius Apollinaris harpyias vsurpasse: Nam libenter (inquit) incedunt armati ad epulas, albati ad exequias, pelliti ad ecclesias, pullati ad nuptias, castorinati ad letanias, in foro Scytæ, in cubiculo viperæ, in exactionibus harpyiæ, &c. vt citat Cælius. ¶ *Interit* (scilicet peste) *& curuis frustra defensa latebris Vipera, & attoniti squamis astantibus hydri,* Virgilius. ¶ Καππαδόκην ποτ' ἔχιδνα κακὴ δάκεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ κάτθανε, γευσαμένη αἵματος ἰοβόλου, Demodocus in epigram.

g. A viperino morsu venæ viscerum veneno imbutę tetros cruciatus cient, Cic. in Tuscul. ¶ Quum Diuus Paulus naufragio liberatus, in Insula Melitensi propter frigus nonnihil sarmentorum congregasset, & imposuisset in pyram, vipera è calore prorepens inuasit eius manũ. Vt verò Barbari viderunt pendentem bestiam ex ipsius manu, existimabant eum impijssimum esse ac vltione diuina peti. At Paulus excussa bestia in ignem nihil mali passus est, Act. Apost. cap. 28. Vmbro sacerdos

Magica vel superstitiosa.

Vipereo generi, & grauiter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuq́ue, manuq́ue, solebat,
Mulcebatq́ue iras, & morsus arte leuabat. Verg. Æn. 7.

Si collum

Si collum (caput) viperæ suffocatæ cum filo laneo, collo alicuius suspenderis, suffocari prohibet, & multum valet in apostematibus faucium. Constantinus in libro de incantatione, citans hæc verba ex lib. Galeni de medicorum medicina. Siquis viperam serpentem collo suspenderit; eamq; præfocet lineo filo, & maximè marinæ purpuræ donec moriatur, valet filum colli suffocationi & faucium apostematibus, si collo cuipiam aduincias, Io. Baptista Porta.

h. Vipera capreæ (δορκάδος) vber momordit: hinnulus autem mox lactens eam liberauit. vide in epigram. Græc. antholog. lib. 3. sect. 33. Item in aucupem à vipera occisum epitaphium, ibidem sect. 15. De vipera electro inclusa carmen,

Flentibus Heliadum ramis dum vipera repit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram:
Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit cincta repente gelu.
Ne tibi regali placeat Cleopatra sepulchro,
Vipera si tumulo nobiliore iacet.

Aliud de vipera in ore vrsæ.

Proxima centenis ostenditur vrsa columnis
Exornant pictæ qua platanona feræ:
Huius dum patulos alludens tentat hiatus
Pulcher Hylas, teneram morsit in ora manum:
Vipera sed cæco scelerata latebat in ore,
Viuebatq; anima deteriore fera.
Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto
Dum perit, ô facinus ausa quod vrsa fuit.

¶ Porus Indorum rex Augusto dona misit viperas ingentes, serpentem decem cubitorum, testudinem fluuialem trium cubitorum, & perdicem vulture maiorem, Strabo lib. 5.

¶ In Arabia inter balsami arbores versari viperas quasdam ante dictum est. Cum autem balsami colligendi tempus venit, veniunt in sacrum locum Arabes cum binis ligneolis regulis singuli: eorum complosu bestias fugant. Occidi vero magna est religio, quòd sacras & genios veluti quosdam esse balsami putant, Pausanias in Bœoticis. *Viperæ sacræ.*

¶ Padus inundauit, & intra ripam refluens, ingentem viperarum vim reliquit: inter Cæsarem & Antonium ciuilia bella exorta, Iulius obsequens. Mulier viperam pro infante enixa est, vt legitur apud Sabellicum lib. 3. En. 6. *Prodigia.*

¶ Aspis à vipera. Hoc prouerbium explicatum est antea in aspidis historia. Refertur inter Diogenis apophthegmata: qui cum vidisset mulieres quasdam colloquentes, dixit, Ἀσπὶς παρ' ἐχίδνης φάρμακον δανείζεται. Id est aspis à vipera venenum sumit mutuò. Vsus erit, quoties qui per se malus est, contagio mali fit deterior, Erasmus. ¶ E vipera rursum nascitur vipera, Had. Iunius. ¶ A vipera morsum culpas, Idem. *Prouerbia.*

¶ Emblema Alciati de viperę congressu cum muræna: cuius lemma est, Reuerentiam in matrimonio requiri. *Emblemata.*

Cum furit in Venerem, pelagi se in littore sistit
Vipera, & ab stomacho dira venena vomit:
Murænamq; ciens ingentia sibila tollit,
At simul amplexus appetit illa viri.
Maxima debetur thalamo reuerentia: coniux
Alternum debet coniugi & obsequium.

Alterum emblema eiusdem de viperæ dentibus à Cadmo satis, cuius lemma est, Litera occidit, spiritus viuificat.

Vipereos Cadmus dentes vt credidit aruis,
Seuit & Aonio semina dira solo:
Terrigenûm clypeata cohors exorta virorum est,
Hostili inter se qui cecidere manu.
Euasere quibus monitu Tritonidos armis
Abiectis data pax, dextraq; iuncta fuit.
Primus Agenorides elementa, notasq; magistris
Tradidit, ijs suauem iunxit & harmoniam.
Quorum discipulos contraria plurima vexant;
Non nisi Palladia quæ dirimuntur ope.

Alterum eiusdem de Inuidia carnes viperinas edente.

Squallida vipereas manducans fœmina carnes,
Cuiq; dolent oculi, quæq; suum cor edit,
Quam macies & pallor habent, spinosaq; gestat
Tela manu: talis pingitur Inuidia.

F I N I S.

APPENDIX DE SERPENTIBVS NONNVLLIS IGNOTIS ET INNOMINATIS, VEL QVORVM NOMINA TANTVM BARBARA HABEMVS.


ST in Indica regione serpens paruus, cuius vnius remedio carent incolæ, Aristoteles.

Nascitur eodem in agro, in quo laser, serpens quidam pusillus, cuius remedium lapis est, quem ex sepulchro cuiusdam regis antiqui accipiunt, eoq́ perfuso ex vino bibunt, Idem.

Clitarchus in India serpentem sexdecim cubitorum gigni scribit, atque etiam aliud serpentium genus non speciem similitudinemq́ aliorum gerere, sed magnitudine multò inferiores esse, & tanquam pigmentis distinctos, sic versicolores spectari: vittas enim à capite ad caudam pertinentes, habere, alias æreas, alias argenteas, nonnullas rubras, alias aureas, easdemq́ pestifero morsu celerrimè interimere posse, Ælianus.

Ex Paulo Veneto accepi in regione, quam Caraiam ipse vocat, quam se pedibus obiuisse testatur, serpentes longitudine decem passuum, & crassitudine decem pedum nasci, prioribus pedibus quidem carentes, sed eorum loco vngues habere leoni similes, tum grandi capite, tum oculis quoquouersus pedem vnum amplis, tamq́ oris rictu largo imminere, vt hominem deuorent: nullumq́ esse neque hominem, neque aliud animal, quod non eas horreat intueri. Ad hanc rationem capiuntur: Interdiu intra subterraneas cauernas abduntur, noctu verò longè lateq́ vagantes, cibum inquirunt: nullam animalium nationem extimescunt, imò leones & vrsos exedunt & conficiunt: postea verò quàm sese cibo expleuerunt, ad domesticam latebrarum sedem redeunt. Cùm gradiuntur, tam altè vestigia imprimunt, vt sui corporis pondere in ea terra sabulosa mirabilem foueam efficiant, vt dolium quodpiam vini plenum circum sabulum versatum dicas. Iam verò venatores huiusmodi feris insidias molientes, permultos & robustos palos ex supremo capite acuto ferro munitos in sabulo vicino cauernæ vbi latitare solent, interdiu defigunt, eosdemq́ sabulo obruunt, ne ex ijs quæpiam videri possint. Cùm autẽ, vt solet, noctu ad cibi inquisitionem prodiens, magna sui corporis mole ad arenã adrepit, sæpe latenti ferro transfixa perit, aut graui accepto vulnere, sauciam venatores, qui in insidijs collocati sunt, impetu facto interimunt, Gillius.

Pæderotæ serpentes. Octonum pedum serpentes sunt in Malabar, aspectu horribiles, innoxij tamen, nisi irritentur. Ii puerorum amore capiuntur. Quocirca Pæderotas eos libuit appellare. Pueros enim diu turno contentoq́ aspectu sine maleficio contuentur. Dum iacent, anguillina eorum facies est. Vbi surrexerunt ita dilatant illam, vt ad humanam effigiem propius accedat. Quæ fuit causa vt etiam ἐγχελανθρώπους nomen eis fecerim. Hi sunt sine pedibus, Iul. Scaliger.

Ames, id est serpens quidam diuersorum colorum, Syluaticus.

Butrisa, nomen serpentis, Suid.

Dunios, est serpens quidam qui habitat in Lycijs, Syluaticus.

Eratron, serpens quidam, Syluaticus.

Quando ponitur emplastrum cum radice endiuiæ super punctura scorpionis, & vermium paruorum venenosorum, & vespæ & serpentis Guasseuabras (vel Semabras) confert & similiter cum sauich, Auicenna.

Nigri, nomen cuiusdam serpentis, Syluaticus.

Sabin, est genus serpentis. Aut. exp. fortè Sabrin, Hæmorrhous.

Padalitza Polonis serpens nocentissimus sic dictus, quòd concisi etiam frusta subsiliant. Maculosus est valde, pulcherrimus, in pratis. Agnoscitur à rusticis sibilo. Morsi carnes decidunt. Remedium est, si teneatur pes imò sepeliatur per diem in scrobe excitata in terra humida, circumaggesta terra, fortè est Paderus Alberti, vel Padera Vincentij, quam nos Naderam diximus, vide in Natrice vel Hydro A.

Serpentes in rupibus morantes plerunque nigri sunt, quos vulgari gentis (Gotthicæ) idiomate Snock appellant, quamuis etiam ibidem varij in magna multitudine reperiantur. Hi mortalibus in rupibus versantibus, æstate præsertim, haud parum molesti sunt, cùm etiam veneno suo sæpe homines occidant, Olaus Magnus.

FINIS.

CONRADI GESNERI TIGVRINI MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE PROFESSORIS in Schola Tigurina, Historiæ insectorum Libellus, qui est

DE SCORPIONE.

PER CASPARVM VVOLPHIVM TIGVRINVM MEDICVM EX RELICTO SCHEDARVM *fasciculo methodicè collectus & in lucem editus.*



TIGVRI

IN OFFICINA FROSCHOVIANA.

M. D. LXXXVII.

CELEBRI ET EXPERTO VIRO D. PETRO HAFNERO REIPVB. TIGVRINAE CHIRVRGO ET LITHOTOMO, AMICO SVO CASPARVS VVOLPHIVS MEDICVS S.



NNI plus minus ſex iam elapſi ſunt, cum Scorpionis hiſtoriam ex clariſſimi viri Conradi Geſneri de Inſectis ſchedulis & obſeruationibus vndecunque quidem collectis, nec dum tamen ordine aliquo diſpoſitis, ad certam methodum, eam præſertim quam iam pridem ipſe in perfectorum animalium ſcribenda hiſtoria obſeruarat, quæq; ad peculiarem cuiuſque naturam pleniſſimè exprimendam, explicandamq; accõmodatiſſima erat, non perinde facili & expedito labore, reuocaueram. Ad eum verò ſubeundum laborem, eo omnino animo acceſſeram, vt in copioſæ & amplæ de Inſectis materiæ parte aliqua, periculum facerem, quantum vel temporis vel moleſtiæ & laboris, reliquorũ inſectorum omniũ conſcribenda hiſtoria, requireret. Poſteaquam verò conferre inter ſe quæ inferre moram aut impedimentum videbantur, paulò diligentius cœpiſſem: nec præterea ignorarem domeſticas ſubinde & publicas quoq; curas in dies ſingulos accreſcere: ipſam deniq; ætatem meam, tacitis annis ingraueſcentem, ingenij virtutes magis magiſque labefactare, ab inſtituto propoſitoque mihi temperaui: ſatius exiſtimans, alijs ad horum meditationem promptioribus, magiſq; idoneis, bona mea venia, locum eſſe cedendum. Hoc ipſum cum animo meo ſtatutum ac deliberatũ haberem, haud ita multò pòſt, ſanè mea quidẽ opinione percõmodè: nimirum, vt & meę voluntati & publico deſiderio (iam pridem enim inſectorum hiſtoriam in multorum deſiderio eſſe cognitum exploratumque habebam) ſatisfieret: à clariſſimo Typographo D. Roberto Cambiero amico noſtro, ea de re appellatus, D. Chriſtophori Froſchoueri piæ memoriæ præcipuè, & quorundam aliorum interceſſione, Inſectorum ſuppellectilem omnẽ à me certa conditione impetrauit. Nunc igitur, quando eius materiæ pars ea, quæ de Serpentibus eſt, Typographi hortatu à doctiſſimo viro D. Iacobo Carrono, methodicè ſanè & ingenioſè ad Geſneri arbitrium diſpoſita atque conſcripta, editioni parata eſſet: viſum eſt, hanc à me ſuperioribus annis, ex dictis ſchedis & meis quoque additionibus Scorpionis hiſtoriam, quoquo modo adornatam, eſſe coniungendam: idque partim ob argumenti methodiq; cognationẽ, partim verò & quidẽ præcipuè, vt qui harum rerum cognoſcendarũ ſtudio lectioneq; flagrarent ingenia: (nihil enim aut parum admodum in hoc argumẽti genere, quod ego quidẽ cognouerim, extare puto) guſtum ex hoc aliquem, operis reliqui de Inſectis propediem Typographi diligentia futuri, accipiant. Hunc verò de Scorpione libellum, qui reliquorum Inſectorum πρόδρομος eſt, & pro maiori parte Geſnerum parentẽ quidem agnoſcit, vt qui prima eius in colligenda materia fundamenta iecit: tum verò etiam, pro eo atque plurimum operæ, laboris ac diligentiæ in eadem methodicè diſponendo, & proprijs inſuper obſeruationibus locupletando, poſui, ad me quoq; pertinet: vtriuſq; nomine tibi, viro tum in medicina noſtra, tum

verò præcipuè in chirurgica experientia celebri & claro, dedico atque offero: mihiq́; perſuadeo, te, quod inſtitui, partim quidē meo, partim verò illius nomine gratum acceptumq́; habiturum. Quoties enim cunq́; conſidero, quàm tu communis amici noſtri D. Geſneri, non ſolùm fueris amantiſſimus, ſed quantum viciſſim ipſe tibi tribuerit, non poteſt non quicquid tandem ſuarum lucubrationum ad te deferatur, pergratum tibi perq́; iucundum accidere. Scis in ſtirpibus cùm colligendis tum cognoſcendis ſummoperè ipſum delectatum fuiſſe, adeò vt omnem ferè ætatem in hoc ſtudio conſumpſerit, & omnes præterea eos, quorum ad id propendebant ingenia & dilexiſſe plurimum & maximi feciſſe. Hinc factum, vt cum hanc animi ac voluntatis propenſionem in te quoq; animaduertiſſet (ſæpe enim horti tui, varijs ijſdemq́; raris ſimplicibus exornati, amœnitatem celebratam ab eo memini) nullo ferè vnquam tempore vel montium vicinorum iuga conſcendit, vel alias longinquiores peregrinationes inſtituit, quin te ſibi, vel hoc ſolo nomine præ alijs itineris comitem ſociumq́; aſciuerit. Quin ipſe quoq; mihi perſuadeo, quando ſtudioſiſſimum te cupidiſſimumq́; eorum cognoſco, quæ admirationem in rerum natura faciunt, quæque aut nouitate aut ſuo pondere delectare ſolent: hanc Scorpionis hiſtoriam, atq; etiā Serpentum, quæ non modo mirabilia, ſed prodigijs etiam ſimilia complectitur, gratam, iucundamq́; tibi futuram. Quicunque enim in contemplatione ſua ſtudia ponūt, eos & rerum nouitas, qua ipſa etiam natura cōmouetur, & magnitudo, quæ dijs curæ eſt, ad cognoſcendum excitant. His alijsque cauſis motus, non dubitaui huius beſtiolæ hiſtoriam, mole quid exiguam, raram tamen, admirandam, nec omninò inutilem, eoque nomine iucundam, tibi publicè offerre & dicare. Rogo itaque te etiam atque etiam, vt ſi modo ſtudia hæc noſtra aliquid authoritatis habere poſſunt, hanc animi beneuoli qualemcunq; ſignificationem boni conſulas, & exiguum hoc munuſculum ab amiciſſimo oblatum læta fronte accipias: tibique perſuadeas, me omnem daturum operam, vt & amicitiæ noſtræ officijs & meæ erga te voluntati ſatisfiat. Vale Tiguri Heluetiorum Auguſti 9. Anni 1587.

CONRADI GESNERI TIGVRINI HISTORIAE INSECTORVM LIBELLVS, QVI EST DE SCORPIONE.

A.

Nomina Græca.

SCORPIVS, Latinis, & σκορπίος Græcis, nomen est scorpioni terrestri & marino, alijsq; quibusdã rebus, de quibus in Philologia dicendi locus erit, commune. De marino scorpione Conradus Gesnerus abundè disseruit, in sua de Aquatilibus historia: de terrestri verò nos ex Gesneri reliquijs & nostris obseruationibus hic tractabimus. Scorpius itaq; terrestris σκορπίος χερσαῖος distinctionis gratia, vel simpliciter σκορπίος dicitur, παρὰ τὸ σκορπίζειν τὸν ἰὸν, vt Varinus scribit, hoc est quod venenum suum spargat, dispergátue: leui namq; caudæ eius extremitatis contactu, virus partibus, quas contingit, disseminat: vel vt alij volunt, παρὰ τὸ σκαιῶς ἕρπειν, quod ineptus, obliquus seu vagus eius sit motus: aut vt Nicander loquitur, de octauo scorpionum genere scribens, διὰ τὸ,



——— ῥαιβὰ φέρει φλογὶ ἴκελα γυῖα
Ἀνδράσι.

hoc est, quia obliquo gressu corpus flammæ simile commouet. Et licet Græcum hoc σκορπίος vocabulum tum priscis tum recentioribus Græcis scriptoribus sit vsitatissimum: inueniuntur tamen hinc inde alia quoq; huius insecti nomina, quæ vel toto generi vel peculiaribus quibusdam speciebus possunt attribui. Cuiusmodi est Βλῆσας apud Hesychium, quod de χερσαίῳ σκορπίῳ interpretatur idem, & nomen habere potest vel à βάλλομαι verbo: vel βλητὸς nomine, quod ictum significat, aut vt Hesychius βλῆτος. Οκτώπυς præterea alijs dicitur, à pedũ numero, quasi octipes: vnde prouerbium ὀκτώπυν ἀναγείρειν, de quo inferius. Hesychius ὀκτώπας habet, sed perperam, vt annotat Heinrichus Stephanus in suo thesauro. In Æthiopia scorpionum species quædam est, quam Sibaritas, συβρίτας σκορπίος, ἤτοι σιβρίτας appellant, vt refert Ælianus. ¶ Latinis scorpius & scorpio vocatur: quod tametsi à Græco nomine in Latinorũ vsum translatum videatur, Isidorus tamẽ dictum existimat ab eo quod manu eleuatus, lædat. Sunt quinetiam qui Nepæ nomen scorpioni tribuant, ex illo Ciceronis loco quinto de finibus. Serpere anguiculas, natare anaticulas, volare merulas, cornibus vti videas boues, nepas aculeis, &c. Alij verò cancro, ob illud Plautinum: Retrouersum cedam, imitabor nepam, &c. Quod tamen dictum etiam scorpioni non malè conueniet, si etymon, quo σκαιῶς ἕρπειν dicitur, spectare libeat. Vinula, nomen est scorpij librorum, de quo paulò post. Geptaria apud Ferdinandum Ponzettum, syluestris scorpij nomen esse creditur. ¶ Arabibus dicitur Harrab, authore Lacuna. Sed & alia multa apud Arabes scriptores nomina leguntur, quæ per scorpionis nomẽ ab interpretibus redduntur: cuiusmodi sunt, Acrob, Achrach, Satoracon apud Syluaticum. Auicenna Hacharab, & apud Pandectarium, Natarab, errore fortè quodam scribentis N pro H. Algarat verò, aut vt alij, Algerarat & Algeterat & Algenat: & secundm Rasim, Alkatareti, nomina sunt teste Bellunense parui scorpij, post se caudam reuolutam super terram trahentis. Verum hæc nomina, vti videre est interpretes nonnunquam confundunt, & certis quibusdam speciebus attribuuntur: veluti nomen Algarat speciem illam minorem significare dicit Syluaticus, de qua modo: Algerarat verò scorpionem gibbosum ventrem habentem. Vocem Acchabim Hebraicam, de scorpionibus interpretantur. ¶ Itali, scorpione terrestre: & in quibusdam Italiæ locis scurtificio, eo quod venenũ habeat nel pizzo, id est caudæ extremitate: pizzo enim quod Germanis spitz, illis significat cuiuscunq; rei acutæ summitatem. Galli, vn scorpion, Hispani alacran & alacrani: quod nomen insulæ est in India occidentali ab Hispanis inditum, ob scorpionum in ea multitudinem, qui hoc modo Hispanis dicuntur, Nauigat. lib. 3. Castilionenses, escorpion, Catalonenses alacrani, Germanis Græcum aut Latinum nomen, ein scorpion, est vsitatum.

Nomina Latina.

Nomina Arabica.

Nomina variarum linguarũ.

B.

In Copto Ægyptia vrbe, scorpij maximi sunt & acerrimi ad pestiferum vulnus inferendum,

Regiones quæ scorpionibus abundant. qui vt percusserunt, statim interficiunt, Ælianus. In Æthiopia sunt, quos Sibaritas appellari diximus. Habet Numidia infinitam scorpionum & serpentum copiam, quorum morsibus venenosis multi quotannis interfecti inueniuntur, Leo Africanus. Τῆνος vna Cycladum est ὀφιοῦσσα dicta, quod multos serpentes & pestiferos scorpios alat, Varinus. In Iberia & Mauritaniæ partibus Occidenti proximis, pennatorum et non pennatorum scorpionum multitudo est, Strabo. In Caria & Lybia sunt frequentes, Aristot. & Clemens. Indicæ regioni circa Estamenum fluuium, vbi Rhicophagi habitant, scorpionum copias infestas superuenisse aiunt, Ælianus: sed alatos forte fuisse conijci potest, qui in illam fuerint aliunde delati. In itinere secundi diei eorum, qui à Persicis Susis in Mediam proficiscuntur, permagnam scorpionum multitudinem nasci dicitur: idcirco Persarũ rex, quum eò iter suscipit, triduo ante omnibus imperat vt eos venentur, & ei qui plurimos interfecerit, munera donat: nisi enim hoc fiat, loca illa transiri non possunt: nam subter omnem lapidem aut cespitem abditum scorpium manere, author est Ælianus. *Regiones desertæ ob scorpionum copiã.* In Pescara Africæ antiquissimo oppido, maxima scorpionũ copia est, à quibus icti continuo moriuntur: quamobrem ciues ferme omnes æstatis tempore, relicta vrbe rus commigrant, vbi in mensem vsque Nouembrem remanent, Leo Africanus. Multitudine & virulentia scorpionum multas regiones desertas esse, scribit Diodorus Siculus. In Arabia regio deserta, quæ pascua larga habet, ob scorpionum multitudinem derelicta, qui vnà cum araneis, ita aliquando afflixerunt, vt hominibus ex toto fugam facerent, Strabo. Indiæ regio circa Arrhatan lacum prope Estamenum fluuium (aliàs Astabaram) adeò à scorpionibus infestata est, vt cum nulla ratione aduersus tantam luem tueri se possent, regionem illam habitatores solitariam reliquerunt, Ælianus. Citra Cynamolgos Æthyopas latè deserta regio est à scorpionibus sublata, Plinius. Alabanda vrbs duobus montibus subiecta est, ita dispositis, vt cistæ inuersæ aspectum exhibeant. Vnde Apollonius Melacus, ob hoc & multitudinem scorpionum ciuitatem carpens dixerit, eam esse cistam inuersam, scorpionibus plenam, Strabo. In insula Canariæ, quæ à ferro nomen habet, magna est scorpionum frequentia vsque adeo metuenda, vt pestilentiores ijs sint, quos turcica alitterra, & eosdem Turcæ diligenter colligunt pro olei de scorpionibus confectione, Theuet. Habet & Italia & Gallia suos scorpiones, qui in Italia non sunt ita venenosi, Ponzettus. Circa Neapolim Campaniæ ciuitatem rarò inueniuntur: Romæ plurimus est, & peculiariter intra vrbis mœnia, in monte nimirum qui Testaceus dicitur, Monachi in Mes. In Germaniæ calidioribus locis gignuntur quidem sed admodum pauci. In Italia verò & alijs similibus regionibus magna illorum copia est, Cordus. Psylli, qui reliquarum venena terrarum inuehentes, quæstus sui gratia, peregrinis malis impleuere Italiam: sæpe alatos quoque importare conati sunt, sed viuere intra Siculi cœli regionem non potuere. Visuntur tamẽ aliquando in Italia sed innocui, multisque alijs in locis, vt circa Pharum in Ægypto. In Scythia interimunt etiam sues, alioqui viuatiores contra venena talia, Plinius.

Scorpiones ad quod genus referendi. Scorpiones, scincos, lacertosque vermibus non serpentibus ascribendos esse, Solinus cap. 30. prodidit: quod Gesnero cum minus probaretur, ἑρπετοῖς rectius, non σκώληξιν assignandos esse capite de Scinco inter aquatilia scribit. *Scorpionum quæ differentiæ.* ¶ Scorpionum duo prima genera scribit Hermolaus Barbarus: quorum aliud terrestre, χερσαῖον, aliud marinum sit. De marinis qui volet, Gesnerum legat inter pisces: de terrestribus, quos Auicenna syluestres etiam vocauit, hoc loco dicemus. *Differentia à sexu.* ¶ Differunt hi primo sexu, authore Auicenna. Fœmina inquit, masculo maior est, pinguis, magno & subtili aculeo: masculus contra extenuatus & subtilior: aculeum præterea habet, vti loquitur, grossum, sed vt Plinius scribit, sæuissimum. *Differentia à magnitudine.* Distinguuntur gracilitate & longitudine, Plin. & veneni malitia. Mares enim scorpij infestissimi habentur, fœminę multò remissiores: neque enim tantum acerbitatis virus habent, Gillius. ¶ Aliter distinguuntur magnitudine. Megasthenes in India prodidit alatos scorpios eosque maximos, & vt alibi, mira magnitudine procreari, & similiter aculeis atque Europæos pungere, Ælianus. In quadam Lybiæ parte (Mauritania) multitudo scorpionum est pennatorum & non pennatorum, magnitudine (vt fertur) septenum vertebrarum, Strabo. Circa Hierosolymam & per totam Syriam sunt scorpiones magni, sicut sunt apud nos cancri fluuiales, quos Gambaros vulgò nominant. Apud nos autem sunt minimi, fabæ videlicet magnitudinem non excedentes, Monachi in Mes. Akatareti scorpiones parui valde sunt, caudas post se trahentes, & sunt in terra Cohz, Rases. In Heluetię quibusdam, sed raris locis, vt Rapersuylæ ad Tigurinum lacũ minimi visuntur sed pauci, ijque innoxij, Gesnerus: eius generis forte fuerint librorum quos Vinulas vocari diximus supra, admodum exigui & rubri, vini rosei diluti colore: vnde fortassis etiam nomen traxere. *Differentia à colore.* ¶ Differunt præterea & coloris diuersitate, vt volunt Nicander, Ælianus & Auicenna. Hãc colorum distinctionem, quum Nicander & eius Scholiastes apprimè exprimant (quæ nanque in modo agendi in corpora nostra eis inest differentia, postea referetur) hic subijciemus. Octo scorpionum genera (inquit) reperiuntur: primum albicans, λευκὸν, cuius morsus non est lethalis. Secundum rutilum, πυρσὸν, qui & tremorem & sitim ictis à se infundit. Tertium ab opaco & obscuro colore ζοφοειδὴς appellat: quod nomen alij liuidum vertunt: Gesnerus fumosum transtulit: quos hic percusserit continuo corporis motu concitantur, ac rationis impotentes rident, & fatui ex dolore fiunt.

Quar-

Quartum genus à viridante colore, χλοάον dicitur, quod simul ac corpus hominis concusserit, tremores & frigora illico admittit, adeoque intenso gelu torquet, vt in solis feruentissimo calore, tamen congelatum grandinem persentiscere sese putet. Quintus scorpio ἐμπέλιος, quasi πελιδνὸς, liuido colore, ingentē aluum gestat, latumque, cuius genis ingens virus, & tristitia, quam etiam efficit in eo quem percusserit: hunc Gesnerus nigrum & ventricosum dixit. Ventricosum autem à nigro Ælianus distinguere videtur. Herba hic vescitur, semper tamen insaturabilis manet, corpus etiam hominis exedit. Hunc puto Geptariam Ponzettus de venenis appellat, nigrum, gibbosum corpore, caudam habentem longiorem; Syluaticus autem Algetarat. Sextus cancro similis, paguro scilicet incuruo, hunc flammeum vocat Ælianus; albentes algas fluctumque maris decerpit pascendo: corpore est grandis, chelis & forcipibus æque solidus atque pagurus: vnde etiam ortum trahit. Postremus melichlorus appellatur, quod melleo sit colore conspicuus vel cereo vel flammeo: atque huius, quas in tergo gerit, alas locustæ similes dicit. ¶ Sed & ipsis partibus inter se differunt scorpiones. Alij namque alati sunt, de quibus Strabo, Nicander, Auicenna & alij historiographi. In India alati visuntur, ijdemque maximi, teste Æliano. Pammenes apud eundem alatos scribit in Ægypto nasci, duplici aculeo armatos. In regno Palimbrota dicto alati visuntur & admodum magni, Nauigat. tomo primo. Phryx quidam in Bœotiam importauit alatum scorpium, alas habentem simillimas locustis, Pausan. Scorpio cum alis est magnus, & prohibet multoties eum ventus cum volat, ab hoc vt cadat: quare transfertur ab eo de regione in regionem, Auicenna. Qui alis destituuntur vulgò noti sunt.

4. Differentia à partibus sumpta. Alarum.

¶ In caudæ præterea internodiorum numero & aculei, obseruarunt prisci differentiam. Ælianus scribit esse quoddam eorum genus quod septem habeat internodia: plerumque sex videntur. Septem verò caudæ internodia sæuiora esse constat, Plinius. Nicander in Theriacis, σφονδύλοις ἐννεαδέσμοις ἐπὶ κέντρῳ ἀερτειρῶσι, (vel vt Gesnerus legit, ἀερτεινῶσι) κεραίης, hoc est cum vertebræ nouem iuncturis connexæ noceant suo apice, asserens: id Scholiastes explicās inquit ex Antigono, Nicandrum ἐννεαδέσμους vocasse: neque quia nouem nexus habeat, neque propter nouem vertebras, vt inquit Demetrius. Non plures enim quàm septē (caudæ) vertebras habere cernitur scorpio, & eas quidem rarò, vt ait Apollodorus. Fortasse itaque hic aut duobus aculeis armatos scorpiones intelligit per nouenarium, aut numero certo pro incerto posito, multos, & vt loquitur interpres, ἐννεάδεσμοι, ἤγουν πολύδεσμοι intelligere voluisse: sic & alibi Nicander duos aculeos habentem, nouem stimulis munitum scribit.

5. Caudæ.

¶ Aculeis differunt scorpiones, quos Plinius dentes appellat: alijs enim vnicus est, alijs duo, vt author est Aristoteles & Plinius. Idē Nicandri Scholiastes his verbis confirmat: μέμνηται ἄλλοθι ὁ Νίκανδρος τὸν δύο κέντρα ἔχοντα, ἐννεάκεντρον εἰπών: nōnullis tres sunt, author Plinius, inquiens: scorpionis caudæ inesse eum (scilicet dentem: loquitur enim de dentibus aspidis & serpentum) & plerisque ternos. Fœminis aculeus tenuior, maribus robustior.

6. Aculei.

¶ In motu insuper discrimen cernitur: sunt enim qui caudas suas eleuant, neque illi admodum venenosi. Quidam trahunt post se caudas per terram, eamque reuolutam, & illi magis venenosi: alij de regione in regionem volant, de quibus paulò ante, Bellunensis & Gordonius.

7. Differentia à motu.

His scorpionum discriminibus recte adieceris etiam illud, quod ex noxa & periculo, quod afferunt, haberi potest, & in veneni natura reconditum est. Sunt enim quorum venenum, venenum nō est, hoc est qui innoxij sunt, vt albi à Nicandro numerati. λευκὸς, inquit ἀκήλειος, οὐδ᾽ ἐπιλωβὰς. In Pharo locisque alijs scorpiones non lædunt. Scaliger author est in auitis eius sedibus, quæ sub Noricarum alpium tractu iacent, scorpiones totam eam regionem sine maleficio colere. Neque enim vllum moueri posse saxum, sub quo non offendantur plurimi. In insula Sanguola scorpiones sunt ijs similes qui in Castilia Hispaniæ nascuntur, quorum ictus nō sunt venenosi, hoc est non inducunt mortem. Vnū tamen hoc habent, quod dolorem excitant intensum, qualis est vesparum apud nos pungentium dolor, nisi quod ille diuturnior sit, & per quadrantem horæ, aut etiam aliquando diutius durans. Ex morsu horum alij plus dolent alij minus.

8. Differentia à noxa, quæ vehementius aut leuius lædunt. Scorpiones innoxij.

¶ Alterius generis sunt qui sua cauda ictos continuò interficiunt: cuius generis sunt in Pescara Africæ & alibi, vt est paulò supra annotatum. In Scythia præsertim multi & magni & nocui sunt: & si vel hominem vel quamuis bestiam percusserint, interimūt, nec sues euadere possunt, quanquam cæteros virulentos ictus minimè sentiant: & nigri eorum potissimum interimuntur. Quisque tamen celerrimè interit, si ictus adierit aquam, Plinius. In Copto Ægypti, qui à scorpionibus percussi, statim interficiuntur, Ælianus.

Scorpionis admodum venenosi.

Quæ & quot sint scorpionū genera, & quot modis inter sese differant, hactenus diximus: in quo verò omnes conueniant, nunc quoque explicandum venit. Scorpius animal est vbique notum, Monachi in Mes. Scorpiones sunt quædam animalia ad modum scarabeorum, nisi quòd caudas habeant, Gordonius. Moles corporis eius exigua est, qui nobis notus, dorsum habet depressum & latiusculum internodijs cancrorum more distinctum, crusta duriuscula, eaque fusco colore nitente integitur. Caput habet notabiliter exertum aut prominens nullum fereàd cancrorum similitudinem formatum.

Scorpionū descriptio generalis.

¶ Scorpio blandum ac quasi virgineū dicitur habere vultum, sed in cauda nodosa venenatum aculeum habet, quo pungit & inficit proximantem, ex libro naturæ.

Vultus.

¶ Omnium insectorum solus scorpio & brachia habet & in cauda spiculum, Pli.

Brachia.

Brachia vocat vtrinq; forfices, quæ Apuleius in cancro furcas: in quorũ extremitatibus forcipes sunt manuum loco: ijs enim quod apprehendunt retinent, dum punxerint aculeo caudæ.

Pedes. ¶ Pedes scorpioni octo, vtrinq; quatuor, vnde etiam nomen eius ὀκτώπους, et prouerbium ὀκτώποδα ἀνεγείρειν. Brachia & pedes bisulcis dentati forcipibus sunt. Et brachijs & pedibus cancro admodum similis, vt ex cancro ceu matre recte generari asserant authores.

Lingua. ¶ Habent scorpiones linguam, qua corpora lambunt: & quum diligant pannos mundos, sese camisijs & fœmoralibus insinuant, ac iuxta corporum carnes positi, lingua eorum cutem lambere dicuntur, vt refert Gordonius.

Cauda. Aculeus. ¶ Solus insectorum scorpio caudam accepit, Plinius. Scorpioni aculeus extra prominet: vnus enim inter insecta longo spiculo armatur, Idem. Terreni scorpionis aculeus in partẽ extremam acutissimam illam quidem finitur, vbi nullum foramen, per quod venenum deijci possit: necesse tamen est vt cogitemus substantiam quandam esse aut spiritalem aut humidam, quæ vt mole minima, ita facultate quàm maxima est, Gal. 3. de loc. affect. Aspidi & serpentibus duo dentes in suprema parte dextra læuaq; longissimi, tenui fistula perforati (vt scorpionum aculei) venenum infundentes, Plinius. In scorpij aculeo meatum quendam sinuosum replicari aiunt adeò angustum, vt visu non percipiatur: in eo venenum gigni contineriq;: quod cum ille ferit, mox per foramen, id quod minus quàm cerni possit, emanet, Ælianus. Scorpius è centro, quod cauum esse creditur, emittit humorem venenosum, Gerardus.

C.

Scorpionum generatio. Generationis modum duplicem habere scorpiones, authorum libris constat: fieri nanq; & nasci scorpiones volunt, partim quidem ex putrefactione, partim verò ex ouis ab ijsdem æditis: necq; hoc alienum à natura videri debet. Quædam enim sunt, scribit Ianus Lacinius, quæ per solam propagationem generant, vt homo, vipera, cetus & palma: quædam per solam putrefactionem, vt pediculus, pulex, gramen, verucces terrestres & similia imperfecta: quædam vtroq; modo, vt mures, portulaca, formicæ, muscæ, araneæ & plura alia quæ ex putrefactione primò generata, postea ouando per propagationem conseruantur in specie sibi simili: hæc ille. Galenus adduci non potuit, vt crederet scorpiones, phalangia, muscas, culices, viperas, lumbricos ab eadem fingi ac formari anima, quæ fœtuum fabricæ adhibita est, quum propè ad impietatem hęc opinio accessura videatur, &c. lib. de fœt. format.

Ex putrefactione quomodo generari dicantur. ¶ Dicamus autem nos primo loco de scorpionum generatione ex putrefactione, posteriore verò de ea quæ per ouationem fit. Plinius scorpiones nasci ex putredine his verbis testis est. Cancri cum exanimati sunt, corpus eorum in sicco transfigurari in scorpiones narratur, sole cancri signum transeunte. Sextum scorpij genus καρκίνῳ αἰγιαλῷ simile facit Nicander. Paguri inquit capti & extracti è mari à piscatoribus, aliquando terræ foramina subeunt, vbi mortui in scorpios mutantur. Confirmat hoc idem Ouidius Metamorph. 15.

Concaua littoreo si demas brachia cancro,
Cætera supponas terræ, de parte sepulta
Scorpius exibit, caudaq; minabitur vnca. Et alibi:
Obrutus exemptis cancer tellure lacertis,
Scorpius exiguo tempore factus erit.

¶ Circa Estamenum fluuium Indiæ scorpionum copia est, quam ex corrupta aqua pluuia generatam aiunt, Ælianus. Ex Basilisco contrito & debitè ministrato & putrefacto, scorpiones generantur, Ianus Lacinius. ¶ Basilicam herbam in muro reconditam à quodam audio, vbi postea duos scorpiones inuenerit. Ocymum si quis ieiunus masticauerit, & adhuc illotus, & posuerit ipsum sub diuo per septem noctes, quod sol non videat eam, interdiu quidem auferendo, & nocte ad serenum reponendo, inueniet scorpionem septem nodorum & viridem, Kiranides. E Sisymbrijs (herbæ id genus est) putrefactis, scorpiones nasci author est Aristotel. Cuidã Italo ex frequenti odoratu Basilicæ herbæ natus est scorpio in cerebro, qui vehementes dolores & longos, mortem deniq; attulit, Hollerius. Puellam quandam in Gallia aiunt, cum sæpe & multum odorata esset basilicam herbam (minorem puto, Ges.) incidisse tandem in capitis dolorem incurabilem: & cum à morte dissecaretur eius caput, inuentos fuisse scorpios in cerebro eius, Gesnerus ex relatione cuiusdam pharmacopœi. ¶ Ex ouis crocodili, vbi primum ab incubatione crocodili catuli fuerint exclusi, scorpium ex ipso (ἐξ ὠῶν, Philes habet ἐξ ὠτῷ, id est ex ipsis ouis) nasci audio, cuius caudæ aculeo venenato ictus crocodilus, intereat, Ælianus. Ferunt etiam crocodilos scorpios generare. Atq; Archelaus quidam Ægyptius, vnus eorum qui epigrammatis miraculosa Ptolomæo enarrarunt, de scorpijs ita cecinit:

In vos dissoluit morte, & redigit crocodilum
Natura extinctum, scorpij omnipotens, Incertus.

Generatio ex ouis proprijs. An coeant scorpij. Generantur autẽ scorpiones non tantùm ex putredine, sed vti dictum est, propagant speciei conseruationem ex sese generando. Nam cum Apollodorus, vt refert Plinius, distinguat sexum scorpionum, etiam ijsdem coitum attribuit. An verò coëant vel non coëant, quærit Ponzettus de venenis. Verisimilem verò dicit opinionem, quæ coitum illis tribuit: nam inquit & muscæ, de quibus minus videtur coëunt, & non generant, id quod multis accidit ex putredinibus ge-

bus genitis. Sunt(inquit) Ælianus, qui eos non coitu ſed nimio cœli calore tantum generari aſſerant. Generantur verò ex ouis ſcorpiones, à ſcorpione editis, ſi Plinio credimus. Scorpiones terreſtres ſimiliter vt aranei vermiculos ouorum ſpecie pariunt ſimiliterq; pereunt. Non oua ſcorpij ſed fœtus animantes pariunt, Ælianus. In vere ouat & in autumno ſimiliter; Iſidorus. Pariunt complures(ſæpius enim vndenos, Plin.) & incubant, mox vt prolem perfecerint, pelluntur ab ea ipſa; ſicut & araneis accidit, & interimuntur à ſuis liberis magno numero, Iſidorus. Quidam ab ipſis fœtum deuorari arbitrantur, Plin. Sed quędam alia referentur eius generis inferius, vbi de ingenio agetur.

Viuẽdi modus.

Generationem ſequitur viuendi modus. Scorpiones terra viuunt, Plinius. Scorpius qui marino(litorali) cancro ſimilis eſt, albentes algas fluctumq; maris paſcendo decerpit, Nicander. In Æthiopia ſcorpios audio lacertis expleri (σιτεῖσθαι) & aſpidibus, verticillis omniq; ſerpentium genere: quorum excrementa conculcantes, exulcerari auditione accepi, Ælianus. Veſcuntur muſcis: muſcis enim ſcorpionem menſtruo ſpatio, phiala vitrea incluſum Monſpelij alui: vnde etiam euidenter incrementum accepit.

Locus habitationis.

Ad nutritionem pertinet locus, in quo maximè conſeruantur quoſq; amant & ſequuntur ſecundum ſuam naturam. Superius quidem in genere regiones recenſuimus, quas in primis infeſtent, quæ & ipſæ faciunt ad eorum conſeruationem: his verò locis hi priuatim delectantur. Inter teſtas libenter generantur & viuunt, Monachi in Meſuen. Romæ in monte qui Teſtaceus dicitur copioſiſſimi habentur, Iidem. Amant pannos mundos. Bononiæ in veteris domus aula obſcura & humida, inter ſaxa & cementum copioſiſſimi habebantur. Loca aprica faſtidiunt & præcalida: is enim quem Monſpelij per menſem aluiſſe modò dixi, cum forte phialam ſoli expoſuiſſem, illico extinctus eſt. In cellis ſubterreneis iuxta imbrices ac impluuia diuerſantur: ſæpe & in cubilibus pererrant.

D.

Scorpionum ingenium & aſtutia.

Mira ſcorpij ſolertia.

Iam quod ſcorpionum ingenium animiq; ſolertia ſit, referamus. Fraudulenti natura ſcorpij inquit Ælianus & doloſi exiſtunt: etenim Libyci ab eorum multitudine metuentes, ad vitandos ipſos omnia machinamenta moliuntur: ſoccos ferunt in lectis cùm longè à pariete remotis; tum in excelſum collocatis, tum fulcrorum pedibus in hydrias aquæ plenas impoſitis, ſublimes ſomnum capiunt, qua machinationis molitione facta, ſeſe quieto et tuto ſomno vſuros arbitrantur. Atqui ſcorpius ſi quid, vnde ſemetipſum in tecto ſuſpendat nanciſcatur, ibi fortiſsimè pedibus inhæreſcit, ſimul & exerit aculeum & deijcit. Secundus igitur ex tecto deſcendens per primum ſerpit atq; ſuis fragellis ad illius aculeum adhæreſcit, & ſublimem ſinit ſuum aculeum. Item à ſecundo tenetur tertius; à tertio quartus: quintus ſimilem ordinem conſeruat, itemq; cæteri omnes. Deinceps per primos decurrunt, poſtremus dormientem ferit & per ſuperiores recurrit. Similiter ab illo ſecundus, tum verò ab vltimo tertius reliquiq; ſeſe ſubducunt, quoad velut ſanè catenam ſoluentes inter ſe omnes ſubtraxerunt, Hæc Ælianus. Quidam ab ipſis fœtum deuorari arbitrantur: vnum modò ſolertiſsimum relinqui, et qui ſe ipſius matris clunibus imponendo tutus & à cauda & à morſu loco fiat. Hunc eſſe reliquorum vltorem, qui poſtremò genitores ſupernè conficiat, Plinius. In Latino Cariæ monte Ariſtoteles tradit à ſcorpionibus non lædi hoſpites, indigenes interimi, Plin. externos leniter mordere, Ælianus. Scorpiones diligunt admodum pannos mundos(id quod ex hiſtoria inferius poſita facile patebit.) Ideoq; ſi quis habeat fœmoralia aut camiſias mundas, tunc ponunt ſe iuxta carnes & lambunt cum lingua, & ſi forte comprimantur capita eorum ſtatim mordent & pungunt, Gordonius. Scorpiones in totum nulli nocere quibus non ſit ſanguis, Plinius.

Antipathia cũ homine.

Antipathia cũ alijs animantibus.

Scorpiones, vti ipſis hoſtes parauit natura, de quibus paulò poſt fiet ſermo, ſic viciſſim hi, à lijs quoq; naturali quodam odio aduerſantur: veneno præſertim, de cuius vi & læthali malitia paulo infra dicetur. Virginibus tamen, referente Plinio, læthali ſemper ictu peſtes ſunt, & fœminis ferè in totum: viris autem matutino, exeuntes cauernis priuſquam aliquo fortuito ictu ieiunum egerant venenum. Semper cauda in ictu eſt, nulloq; momento meditari ceſſat, ne quando deſit occaſioni. Leo ſcorpionem mirificè fugit & abhorret, Albertus. Leo ſcorpionem vbicunq; viderit velut hoſtem vitæ ſuæ fugit, Phiſiol. (exiguo ſcorpionis aculeo exagitatur, Ambroſius.) Quoſdam ſerpentes ſcorpio occidit, Plin. Theophraſtus ait, ſcorpionũ ictu ſerpentes interire, homines non item: quod falſum eſſe Galenus docet & nobis etiã compertum eſt, Scaliger. Scorpionẽ cum vipera eadẽ phiala Paduæ Georgius Cellarius medicus & collega meus & ego concluſimus, quæ ſeſe mutuo paulo poſt interemiſſe animaduertimus. Sues à ſcorpionibus in Scythia interimuntur, licet cæteros virulentos ictus minimè ſentiant, ex Ariſtotele & Plinio. Scorpionum Sibritarum Æthyopiæ, qui venenatis animalibus veſcuntur, excrementa ſi qui forte calcauerint, exulcerantur, Ælianus.

A quibus abhorreant aut fugentur ſcorpij.

Et quemadmodum certis quibuſdam corporibus ſcorpiones magis aut minus ſua virulentia inſidioſa retia tendunt afficiuntq;: ita ſunt quoq; peculiaria quædam naturæ beneficio prodita corpora, à quibus viciſsim ipſi ſcorpiones aut penitus extinguuntur, aut ſaltem abhorrent formidantq;. Seſtius author eſt, naſturtij ſemen vſtum ſerpentes fugare, & ſcorpionibus reſiſte-

re, Plinius. Radix cerri aduerſatur ſcorpioni, Idem. Semen violæ ſimiliter, Idem. Lychnis ſylueſtris ſcorpios fugat, itemq́ paſtinacæ ſemen, Aetius. Allium ſcorpiones abigit odore. Mentaſtrum accenſum & ſubſtratum eos fugat, Plinius. Dictamnus ſuffitu fugat, Arnoldus. Si ſcorpium combuſſeris, reliquos omnes aut venaberis aut perſequeris, Democritus & Arnoldus. Si ſcorpiones multi capiantur, & ex eis domus ſuffumigetur, omnes alij fugient, Raſis, Palladius. Suffumigatio cum ſulphure & vngula aſini & galbano, fugat, Raſis & Arnold. Suffumigium ex galbani, ſandarachæ, butyri, adipis caprini æquis partibus, factis pilulis fiat fumus, Aetius. Pyrethrum cum ſulphure ſuffitum, Idem. Betonices ſuffitum, Idem. Aſa in aqua diſſoluatur, & aſpergatur inde locus: non accedent illuc ſcorpiones, Raſis. Si pennæ liniantur ex alkitran, aut ex aſa reſoluta, & in ipſorum foramina ex eis inungendo circundentur, non exibunt inde vlterius, Idem. Oleum in ipſorũ foraminibus vbi habitãt, infuſum, prohibet eos exitu, imò fugient, Raſis. In quibuſdam Libyæ (Mauritaniæ) partibus, meſſores dormituri lecti pedes, ſcorpionum gratia paliuris circumligant, Strabo. Plutarchus auellanam nucem lectulorum pedibus applicat, ne eos ſcorpiones inuadant. ¶ Aconiti teliphoni, narrat Theophraſtus, contactu torpeſcere ſcorpiones & ſtupere pallentes, & vinci ſe confiteri: auxiliatur eis elleborum album, tactu reſoluente: ceditq́ aconitum duobus malis, ſuo et omnium, Plinius. Thelyphonum aconitum, ſi ad ſcorpij dorſum admoueas, ſtatim perit: & ſi candido elleboro oblinas, integritati valetudinis mox reſtituitur, Gillius ex Æliano. Scorpiones torpefaciunt, Delphinium, Lychnis ſylueſtris, Lens paluſtris, Dioſc. Folium althææ ſcorpionibus impoſitum, torporem affert, Plinius. Rhaphani fruſtum impoſitum, reddit eos immobiles, quando ponitur ſuper dorſum eorum, Ponzettus. Stellionem ſcorpius hoſtiliter odit: & eo admoto torpore afficitur, Ælianus. Quando lapide Bezoar tangitur aculeus ſcorpionis, prohibet ab eo poſtmodum potentiam pungendi, Serapio ¶ Mortem inferunt ſcorpionibus ipſi homines naturali quodam odio. Necamus ſcorpiones, phalangia & viperas (inquit Galenus) eò quod mali non ex ſe ſint, ſed à natura progenita aut ſimpliciter, quod inſitum nobis ſit omnibus, vt bonum amplectamur, amemus: malum contra auerſemur, fugiamus, non conſiderantes genitum ne ita ſit an ſecus. Nimio cœli calore generari ſcorpiones dixit Ælianus: at viciſſim nimio calore perire & emori ipſe ſum expertus. Scorpius ille, de quo modò, quem in phiala per menſem muſcis ſolis nutriueram, cum ſorte fortuna radijs ſolaribus expoſitus eſſet, dicto citius interijt. Ergo calidis regionibus generari in confeſſo eſt: ſeptentrionales etenim ijs vt plurimum carent: ſed locis plerumq́ obſcuris, humentibus & calentibus degunt. Rhaphanus ſcorpionibus aduerſatur: nam impoſitus ipſum perimit, Geoponicus. Eodem modo aconitum telyphonum dorſo admotũ, vti ſupra diximus. Scorpiones necant cancri, Dioſc. Stellionem ſi ſcorpiones intueantur, immobiles & demum mortui reddantur, Galen. Scorpiomachum locuſtam appellat Ariſtoteles de mirabilibus. Impoſiti raphani ſcorpijs ſtatim ipſos interficiunt. Exiſtimarunt etiam, quando cancer fluuiatilis cum bedarungi (ocymo) approximat ſcorpioni, moritur ſcorpio, Auicenna. Cancer fluuiatilis tritus cum albedarogi, quod eſt ſpecies baſilici, cuius flos eſt ruber, ſi appropinquat, interficit ſcorpionem, Raſis. Herba tunici omnino corrumpit venenum ſcorpionis, & ipſum etiam ſcorpionem celeriter pernecat, Arnoldus. Agaricus ſolo tactu interficit eos: & aliqui putant, quod ſi tunc lineatur elleboro albo, reuiuiſcat, Ponzettus. Sputum vniuerſa ſui ſubſtantia venenatis animalibus quàm aduerſiſſimum eſt, etiam Nicandro poëta teſte. Mihi ſanè pollicitus quidam incantationem oſtenſurum ſe, quæ ſcorpiones occideret, ter ipſam pronunciauit, ſed ſingulis vicibus in ſcorpiũ inſpuit, quo facto mortuus eſt. Ego poſtea ex ſolo ſputo ſine incantatione morientes vidi ſcorpios: idq́ ſtatim ex alicuius famelici & ſitibundi ſputo, tardè ab ijs qui cibo & potu ſaturi erant, à medijs inter illos ſecundum proportionem, Galen. 10. de ſimpl. Pituita quæ in ore habetur, ſcorpios ſtatim necat, Gal. 3. de nat. facult. Citra omnem incantationem, ex ſolo ieiuni hominis ſputo percuntem vidi, Aetius. Terra quædam circa Clupeam Africæ, ſcorpiones necat, Plin. Gaulo inſula iuxta Cercinam Africæ, cuius terræ puluis ſcorpionibus inſperſus, illico perimitur, Solinus. Idem de Galatha terra ſcribit Hermolaus Barbarus in Plin. Scorpius terreſtris à ſua perimitur prole, Plin. de quo ſupra. ¶ Scorpium vipera deuorat, & inde venenoſior fit morſu, Geſnerus. Veſcitur ibis ſcorpionibus & ſerpentibus, ex Æliano. Formicæ comedunt ſcorpiones, & propriè eos qui vocantur gerarer, Raſis. Accipitres ſerpentibus & venenatis beſtijs inimiciſſimi ſunt: nec enim ipſos ſerpens nec ſcorpius, vl'áue alia beſtia latere poteſt (ob exquiſitiſſimam viſus aciem) Ælianus. Gallinis cibus ſcorpij, Scaliger. ¶ Raphanus ſcorpionibus aduerſatur: nam vel ipſo vel ſemine infectis manibus impune tractabis. Habentem aizoon maius, à ſcorpionibus feriri negant, Plin. Vnctus à coagulo leporis, non mordetur à ſcorpione & aranea, Ponzettus. Capræ feræ à ſcorpio tutæ, Geſnerus. Pſylli (Africæ gens) ſcorpionum aculeis lædi non ſolent. Cum enim venenatum quiddam eos acceſſerit, & vel eorum corpus attigerit, vel aliquem odorem exhauſerit, veluti ſoporiferam bibiſſet potionem, ſtupore affectum ac ſenſu priuatum ſopitur: & tandiu debilitatur, quoad ab eo Pſyllus receſſerit, Ælianus.

Quibus torpor ſcorpionibus inducatur.

Quæ occidant ſcorpiones.

Scorpij hoſtes ex animalibus.

A ſcorpionibus quæ animalia tuta.

Venandi

E.

Venandi scorpiones siue capiendi, eq; cauernis euocandi modi varij ab authoribus produntur. Suffumigium è stercore bouis & eius cirbo adipino mistis, extrahit scorpiones, Ponzettus. Aliud suffumigium eos educens, describit Arnoldus. ℞. storacis, arsenici, adipis cirbi omnium ana, terantur omnia & dissoluantur vino, & fiat suffumigium ex eis propè foramē, vbi stant scorpiones. Tradunt aliqui manipulo ocimi cum cancris decem marinis vel fluuiatilibus trito, conuenire ad id scorpiones è proximo omnes, Plinius. Scorpionum cinis fomitem scorpionum retinet atq; alios scorpiones retinet, Cardanus. Si quis stramine vel alia aliqua re, lapides vel cementum veteris parietis, vbi plerunq; nidificare solent, leuiter contigerit mouendo & affricando, mox è cauernis ceu ad prædam escamq; capiendam sese proripiunt, arbitrantes muscas aut simile quidpiam præ foribus esse: ibi tum forcipe vel alio instrumento facile prehendi ac capi possunt. Hac ratione cum Paduæ ageremus, plures scorpiones euocauimus, & ad parandum ex eis oleum cepimus. Si quis raphani succo manus suas diligenter illinat, intrepidè & citra periculum scorpios & reliqua reptilia apprehendere potest, Constant. lib. 13. cap. 9.

Ratio capiendi scorpiones.

G.

De remedijs, quæ è scorpionibus parare consueuerunt.

Scorpiones vtcunq; venenati, habent tamen suos in medicina quoq; vsus. Aliquando enim crudi in vsum veniunt, vt si contusi adhuc viui suis ictibus imponuntur, vt suo loco vberius dicetur: aliquando verò vruntur in cinerem aut potius puluerem: nonnunquam oleo infusi, scorpionum oleum vocatum præbent.

Remedia ex scorpionibus.

PVLVIS. Si puluis ex ijs vstione fieri debeat, toti vrendi sunt & integri, Rondeletius. Scorpiones viui olla noua inclusi & operculo tecti, maza vel luto circumlita, vruntur igni ex sarmentis vitium in clibano, Sylvius. Accipe decem scorpiones viuos, & pone in olla noua & luta eam cum pasta vel terra, & pone in furno, accende lignum in eo ex lignis vitis quousq; calefiat, ac dimitte ibi ollam die ac nocte & extrahe. Sunt qui ponant ollam in athanor panis, & dimittunt decem horis, postea terunt scorpiones & seruant, Seruitor. Hi duo modi præscribuntur ijs qui calculo laborant. Scorpiones in vas æreum mittes, quod circumcataplasmabis pasta, capite eius operto, sicq; in camino pones quem vitis lignis calefeceris fortiter, ignisq; eductus sit, & sic camini caput operies diligenter tota nocte. Mane extrahes & refrigescere permittes, sumptósque scorpiones in vase pone vitreo, & cum opus fuerit vteris: si adusti non sint, eos sumes & iterum cum luto inficies argilloso, & in camino in quo prunæ sunt ardentes pone, donec perfectè adurantur: tunc enim alba est: sin adusta, non est, Haly. Alius puluis. ℞. scorpiones viginti, pone eos in olla parua terrea stricti orificij: obstrue orificium, & pone in furno vbi sit ignis lenis per horas sex, & extrahe scorpiones, & pulueri sa: puluerē vsui serua: frangit lapidem, Lanfrāc. chirurgiæ mai. doct. 3. tract. 3. cap. 8. Alius: Scorpiones viui (alias mortui) numero decem, ponantur in olla noua vitrea, & claudatur orificium ollæ luto Sapientiæ, & ponatur in fimo, stet ibi quousq; scorpiones illi sint exiccati & non combusti, deinde puluerisentur subtiliter. Huius pulueris ℞. gran. iij. vel. iiij. & dissoluantur in vncijs ij. vini albi odoriferi, vel in tantundem aquæ mellis, apij, raphani vel cicerum rubeorum. Educit & frangit lapidem renum, Leonellus. Est autem in præparatione huius pulueris notatu hoc dignum, ne fumus nares feriat, quia venenosus & admodum noxius est, Antidotarius. ¶ In confectione Olei de scorpionibus, primò quidem obseruandum, vt scorpiones sint viui, vt in oleo immersi, extinguantur, Sylvius. Deinde integri, omnibus suis partibus recipiantur, Rondel. Tum etiam vt eligantur scorpiones, quorum venenum est violentissimum: id quod inde colligi potest, vt author est Theuetus in descriptione Franciæ antarcticæ cap. 7. quod Turcæ ex insula, quæ à Ferro nomen habet, quæq; scorpionibus venenosissimis abundat, colligāt diligenter scorpiones, ex quibus oleum parent. Colligendi verò sunt cum sol in Leone est, nempe à 25. Cal. Augusti, ad 25. Calend. Sept. non autem quando sol in scorpione versatur, vt quidam voluerunt. Est præterea etiam proportionis habenda ratio: antiqui enim quando 20. vel pauciores iubent inijcere, de maioribus intelligunt: sin paruis tantum abundemus, aliquando vix centum sufficient, ne oleū imbecillius fiat. Insolatio quin etiam necessaria triginta dierum ad minus: & demum colatio, Monachi in Mes. Cæterū vbi necessitas vrget, pro insolatione, bulliendi in oleo scorpiones fuerint, vti in sequentibus oleis nonnullis fieri volunt: eodem modo araneas quoq; coquunt in oleo ad certos vsus. Componitur hoc oleum diuersis modis, vt omnia, pro cuiusq; desiderio aut necessitate: sed distinguitur in simplex & compositum. Apud veteres Mesuen & Nicolaum Præpos. hæ duæ habentur descriptiones.

Scorpij vt vrantur.

Oleum ex scorpionibus.

℞. scorpiones circiter 20. vel plus vel minus secundùm magnitudinem eorum, & in vas vitreum ponito, ac supra illos infundito olei amygdal. amar. lib. 2. & liga caput vasis, & dimitte in sole diebus 30. deinde cola & vtere: & hoc est simplex oleum scorpionum. Ferrarienses mulieres pro oleo amygd. sumunt oleum oliuarum, & sunt quæ non insolant, neq; numerum scorpionum seruant neq; olei pondus sed ampullam oleo implent, & scorpiones quos domi inueniunt, in oleum imponunt, & quandoq; cum vnum imposuerint antequam alium inueniant imponen

Oleum scorpionum simplex.

Oleum scorpionum compositum.

dum tres aut quatuor menses prætereant, Brassauola. Hoc plus refrigerat propter scorpiones, & aperitiuum, Glossator Antidotarij. Compositum verò oleum, recipit. ℞. aristoloch. rotundæ, cyperi, gentianæ, cort. rad. capparorum, ana vnciam i. funde super hęc olei amygd. amarorum Kist. j. (lib. j. s. Antidot. Augustanum) macerentur in oleo contusæ radices ad solem feruidum viginti diebus, deinde adde scorpiones à decem ad 15. & iterum vasis orificium stringe, & in sole pone diebus 30. postea coletur & reponatur. Antidotarium Augustanum loco primæ insolationis, iubet aliquandiu simplicia coqui in duplici vase, & iniecta ad vltimum scorpionibus numero 20. iterum serenis diebus ad solem macerare, & postremò excolatum oleum reponere. Brassauola in examine oleorum, arbitratur illud oleum simplex, quod in domibus conficitur priuatim, melius esse composito, quia multos simul habet scorpiones, & per multos dies insolatur, & per multum temporis seruatur, propterea quia vires tantum scorpionum requirat, non olei. Secundum oleum plus habet caliditatis ratione aromatum, aperitiuum etiã hoc est, subtiliatiuum vrinæ: efficacius est simplici oleo, Glossa antidotarij. Manardus ex oleo antiquo parandum monet. Sunt Pharmacopolæ, qui hoc modo parant. ℞. olei amygd. amarar. lib. j. sem. hyperici, florũ hyperici, flor. giaræ ana vnciã j. vincetoxici, flor. calendulæ, bistortæ ana ʒ. v. amidis, (an ameos) seselidis, terrę sigillatæ, boli armeni ana. ʒ j. misce omnia simul & imponãtur in oleũ, insolentur 40. diebus, postea torculari egregiè exprimantur, & in hoc oleum quod superest, ponantur scorpiones numero 100. & per 30. dies insolentur. Sint verò scorpiones mense Augusto capti, deinde oleum hoc exprimatur, & ad vsus seruetur: dicunt venenis aduersari, Brassauola. Addam ego olei è scorpionibus descriptionem ex libro quodam manuscripto veteri contra venena. ℞. olei antiqui q. II. in quod ponas scorpiones totidem quot habere poteris mense Iulio; quibus adiunge diptamum album, folia absinthij, betonicæ, verbenæ & rorismarini: hæc simul aliquot diebus macerando stent, postea per alembicum destilla & serua.

De remedijs scorpionum contra diuersos morbos.

Ad epilepsiam.

Scorpius viridis, ex ocimo herba enatus, & septem internodia habens, tritus cum semine scorpiuræ herbæ, si feceris pilulas, & desiccaueris, reponite in vitrum, de quibus da epileptico, & vlterius non lædetur. Dato autem per dies septem, tres pro vice pilulas, ieiuno cum vino temperato. Si autem sano dederis, fiet Lunaticus, & erit insanabilis, Kiranides.

Ad Lunaticos.

¶ Si scorpionem communem in olei cotylam vnam miseris in diminutione lunæ, & eo vnxeris alicuius dorsum à superioribus ad inferiora, & extremitates pedum & manuum, frontem & caput, Lunaticos & dæmoniacos alleuiat, Kiranides. Stimulum (κέντρον) scorpionis & ocimi herbæ extremitatem, in qua est semen & cor hirundinis simul pelli ceruinæ include, & eo sanabis Lunaticos. Hoc autem phylacterium eijcit etiam inobedientes dæmones, Idem.

Ad oculorum dolorem.

¶ Ad oculorum dolorem, Q. Sereni.

Viuentis ne nepæ lumen gestatur amicum
Ex folio caulis cineres, confractaq; thura
Et laticem Bacchi fœdæ cum lacte capellæ
Desuper induces, atq; vna nocte probabis.

Ad aurium dolorem.

¶ Oleum scorpionis factum ex oleo oliuarum, est ex sublimioribus medicinis dolori aurium instillatum, Auicen. ¶ Ad pleuritidem, ℞. farinæ volatilis molendinæ: fiat ex ea cum aqua pasta, fiant trochisci magnitudine aurei coronati, trochiscus vnus siue placenta, coquatur in sartagine in oleo scorpionis, qui ita calidus (quo calidior hoc melior) imponatur loco puncturæ; interea alter frigetur & calefiat in oleo scorpionũ, vt priore refrigerato, imponatur secundus calidus: hoc fiat decies vel quindecies, & rumpetur apostema, & sputum euocabitur, & sanabitur, Alexius Pedemont.

Ad calculum.

¶ Quod si quis scorpiones attritos ex vino mulso capiat, qui regio morbo est affectus, quamprimùm purgatus liberabitur, Gal. ¶ Recentiores authores celebrant inter calculi remedia scorpionum cinerem, eorundemq; oleum in vesicam infusum, Alexander Benedictus. Olea pharmacopolijs vsitata, quorum descriptionem supra dedimus, vesicæ & renum calculum dissipant, lumbis, pubi, perinæo in solij ingressu illitum, & in porum vrinarium immissum, Manar. Ad calculum valet cinis scorpionum, de quo supra, Auicenna, Syl. Eius pulueris exhibet grana sex, cum syrupo de quinq; radicibus in potu: frangit enim renum calculos scorpius assus cum pane commestus, contra calculos valet, Plinius. Vesicæ calculos frangit, Galenus. Assatus communis scorpio & comestus à lapidosis, facit mingere lapidem absque tormento, Kiranides. Fomentato loco cum terebinthina, oleo amygd. amararũ, oleo scorpionum, butyro & pinguedine anseris: ex his oleis quoque cum croco fiat clyster, Helideus.

Ad podagram.

¶ Sæpenumero & cum aceto rosaceo podagricis impositi, eorũ inflammationes leuarunt, Galenus.

Ad quartanã.

¶ Scorpionis caudæ quatuor articulos cum aculeo panno nigro, ita vt nec scorpionem dimissum, nec eum qui alligauerit, videat æger triduo. Post tertium paroxismum id condat, valet contra quartanam, Plinius.

Ad febres.

Scorpionem communem in cotylam olei missum, in lunæ diminutione serua: hoc oleo vnge alicuius dorsum à partibus superioribus ad inferiora; vnge præterea extremitates pedum & manuum, frontem & caput, ante horam accessionis tertianæ quartanæ, & quotidianę, & sanabis, Kiranides.

Ad pestem.

In peste oleum potens, tum linitum tum potum, quo qui-

quo quidam multas est lucratus pecunias. ℞. olei oliuarum antiqui lib. j. scorpiones 100. coquantur ad scorpionũ consumptionem, & panno lineo percolato, adijcito rhabarbari triti vnciam, & in vaseo vitreo optime clauso soli diebus 40. exponito, quo, qui sanus est partes vngat, pulsus, cor, occiput, spondyli colli, nares, & furculam & iugulum osq́ꝫ ventriculi, priusquam domum exeat. Qui verò infirmatur ante horam duodecimam à morbi inuasione, & partibus tumori adiacentibus linitis, incidatur tumor. Eadem præstat & bibitum ʒ j. vel ʒ ij. cordis regione prius linita. Valet & ad venena potum, Fumanellus. Ad pestis præseruationem oleum ex thesauro nostro. ℞. olei antiquissimi lib. j. scorpionum 120. aceti fortissimi vncias iiij. bulliant simul ad crepaturam scorpionũ, colaturæ adde zedoariæ, dictami, theriacę, mithridatij ana vncias ij. ceræ nouæ vncias iiij. spicarum allij mundatarum numero iij. bulliant igne lento in botia per horas 24. obturato vase. post oleum exprime. Inungantur pulsus capitis, pedũ, manuum, cor & vmbilicus. Inunctio magnæ efficaciæ, qua inungitur primò cor, deinde pulsus temporũ & brachiorum, post circa glandulam vel anthracem, deinde collum, & singulis sex horis fiat actu calida in peste. ℞. theriacæ optimę vncias ij. rhabarbari electi, carlinę ana. ʒ j. s. olei antiquissimi lib. j. scorpionum numero 40. puluerisentur pulucrisanda, & bulliant omnia in balneo Mariæ ad horas quinq́ꝫ, & postquam frigidum fuerit coletur, & vtere vt dictum est, Helidæus. Ex oleo scorpionum linguliśq́ꝫ aspidum & alijs eiusmodi venenis confectum medicamentum contra pestilentem morbum commodius aut præsentius nihil est, Crinitus. ¶ Scorpio tritus stellionum veneno aduersatur, Plin. Scorpium congruere aiunt etiam ijs qui à vipera morsi sunt, Galen. Contra venenum oleum scorpionum tale valet superius descriptum ex manuscriptis meis. Contra venena & pestem oleum. ℞. olei communis lib. ij. scorpionum numero centum, misceantur & coquantur in vase duplici ad consumptionem tertiæ partis, deinde extractis prius scorpionibus, fiat colatura: cui adde rhabarbari, vnicornu ana. vncias ij. theriacæ vnciam j. aquæ vitæ vncias iij. misce, ponantur ad solem per duos aut tres menses in vase aliquo optime obturato. Quod si sit hyems, ponantur per dies tres sub calidis cineribus. Modus vtendi hic est: Inungantur partes circa cor, omnes arteriæ, & videbis effectum admiratione dignum, Alex. Pedemont. Venenis, præsertim à scorpione ictis & pestilentiæ adeò resistit oleum scorpionum, de quo supra dictum est, vt eius solo vsu quendam cum famulitio à pestilentiæ contagione seruatũ scribat Manard. & ex sola inunctione aliquos esse liberatos, qui sæuissima biberant venena.

DE ICTV SCORPIONVM ET EIVS CVRA: *Et primo De*

Scorpionis veneni temperamento.

Scorpius lædit morsu & ictu, Ponzettus. Terreni scorpionis aculeus in partem extremam acutissimam illam quidem finitur, vbi nullum foramen, per quod venenum deijci possit: necesse tamen est, vt excogitemus substantiam quandam esse aut spiritalem aut humidam, quæ vt mole minima, ita facultate quàm maxima est, Galenus. Venenum candidum fundere scorpiones refert Plinius ex Apollodoro. Venenum omnibus medio die, cum incanduere solis ardoribus: itemq́ꝫ cum sitiunt inexplebiles potu: constat & septena caudæ internodia sæuiora esse, Plinius. De scorpionibus syluestribus, quorum corpus est gibbosum, nigrum, cauda longior, scripsit Ferdinandus Ponzettus, quod omnes sint calidæ naturæ secundum Arabes. Sic & morsus scorpionis parui apud Auicennam, Acatarati dicti, videntur calidi veneni signa sequi: omnia enim quæ pro cura eius ictus refert Rasis, frigida ferè sunt facultate medicamenta. Diuersum sentiunt alij. Scorpionis namq́ꝫ venenum frigida vi pollere scribit Galenus: vnde addit, quod cum sit, manifestum est, quod calefacere tum totum corpus tum punctam partem oporteat, indicatione à rei natura sumpta, Methodi quarto. Venenum frigidissimum scorpionis est secundum Galenum: vnde in loco puncturæ sentitur magna frigiditas, & in extremitatibus, Gordonius. Quia scorpiones frigidi sunt, ideo ad calculum pellendum eius oleo composito non simplici vtendum, quod imbecillius sit, Rondel. Scorpij venenum reputatur frigidum, quia morsi vel puncti calidis curantur, vt puta allio crudo & vino potenti: & ab aliquibus cum elixatura raphani syluestris, cuius frustum reddit eos immobiles, quando ponitur super dorsum eius, Incertus. His hæc mea experientia videtur astipulari: scorpius enim ille quem in phiala vitrea aluisse Monspelij supra dixi, vbi primum solem meridianum senserat, (fortè enim illum & casu quodam soli exposueram imprudens: quamprimum extinctus est, nimirum contrariæ qualitatis actione validiore.

De scorpionũ veneno.

Venenum scorpij calidum ne an frigidum.

2. *Quæ scorpionis ictum sequantur symptomata.*

Symptomata quæ ictum scorpionis sequuntur, sunt ferè eadem quæ ijs eueniunt, qui à Phalangij specie subalbida, quam Tetragnatum vocant, patiuntur, Aëtius. Tale quiddam contingit ijs qui à scorpione aut alia aliqua venenata bestia icti sunt, vt morbo comitiali correptis. Nam ictus à scorpione grandine se impeti putare dixit: & erat totus frigidus, & frigidum sudo

Quomodo pungat scorpius.

rem excludebat, ex Galeno Aëtius. Scorpionis ictus breui admodum tempore grauissima symptomata inducit: quamuis in illius aculeo foramen nullum videatur. Foramen ictus est valde exiguum & pene insensibile, vnde licet qualitas veneni sit minima, magni tamen effectus in toto corpore quamprimum sentiuntur, Gordonius. Cum enim tota cutis continua sit & neruosa, haudquaquam impossibile est, quum ex icta parte per totam ipsam celeriter distributa fuerit veneni vis, eam inde eorum rursus contactu in singulas subiectarum ei partium recipi, mox ex illis in alias continuas, atq; iterum ex his quæ afficiuntur, in alias, dumq; ad dominantium partium aliquam peruenerit, tum mortis periculum homini instare. Scorpionis aculeus totam cutem penetrando ad profundum vsq; potest peruenire: phalangiorum verò paruorum morsus, solam afficiunt superficiem. Infigente aculeum scorpione aut neruum, aut venam, aut arteriam, manifestè videmus percussos, vehementissimis infestari accidentibus, Galenus. Membrum intumescit in amplissimam molem. Dolet grauissimè. Inflatio totum corpus occupat, vbi non caueтur, donec operationem in membris principalibus destruat, Bertrucius. Cæterum cum scorpionum quædam differentia sit, vti supra est memoratum, fit, vt etiam non eadem perpetuò symptomata ictum sequantur: alius quidem grauius affligit, alius mitius tractat. In genere verò, vel quæ vt plurimum accidentia ictum sequantur, Aetius lib. 13. cap. 19. his verbis refert. A scorpio ictos vehementissimus plagæ dolor consequitur frigiditasq;, tensio ac stupor: & his qui iuxta infernas partes percussi sunt, inguina excitantur & intumescunt: qui verò circa supernas, locus sub alis: & hæc quidem leuiter percussis adsunt: validius autem ictis, ardor circa plagam adest, quemadmodum in ambustis, verrucarum instar formicarũ eruptio, circa labra & totum corpus vt grandine se impeti putent, facies distorquetur: sordes circa oculos adsunt glutinosæ, & lachrymæ viscosæ: durities articulorum, anusq; procidit cum egerendi cupiditate: spuma circa os est & vomitus largus, singultus, conuulsiones opisthotonicis similes, Hæc ille. Scorpionis morsu inflammari statim incipit locus & indurescit, ac intentus rubet, vicissimq; dolore premitur. Modò siquidẽ exæstuat, modò frigore occupatur, labor repente fatigat: aliquando meliusculè habet, aliquando recrudescit. Consequitur sudor, horroris sensus & tremor. Extremæ corporis partes refrigescunt: inguina extolluntur: tubercula in sede prosiliunt: capilli eriguntur, pallor membra decolorat. Dolor tanquam ex pungente acu, per vniuersam cutem sentitur, Ælianus et Dioscorides. Symptomatum autem ictum scorpij superuenientium, historiam miram, plenam, leges inferius in fine sectionis quartæ, qua agitur de topicis ad huius ictum remedijs. Si punctura sit in arteria sequitur syncope: si in neruis, putredo, Gordonius ex Galeno. Scorpiones alati vulnera arcuata inferunt, dolorem maximum, modò calorem, modò frigus, maximè in extremitatibus, sudoremq; interdum cum frigore. Ex eis habentes sex spondylos necant, maximè diebus canicularibus. Odorans etiam carnes ipsius lepram: esu ʒ iiij. s. cerebri ipsius efficit stupidum, curaturq; cura draconis marini, Arnoldus. Scorpius viridis ex ocimi putrefactione genitus, si quem percusserit, inflatus tertio die morietur: si autem deposuerit eum in aqua vel in vino, vel dederis in potu alicui, totum corpus eius fit marcidum & leprosum. Ex hoc enim vlcera fiunt insanabilia, Kiranides. Scorpiones in India, si quẽ pupugerint, post tres menses demum interficiunt, Nauigat. Italicarum author. In Albania scorpij sunt & araneæ, quarum quædam ridendo cogunt mori, quædam flendo desiderio suorum, Strabo. Ictus scorpione, si scorpius tritus superpositus fuerit, breui ab impositione dolore leuabitur: cæterum digitus ipse vel locus in quo punctura, ad aliquot dies excoriatus totus permanet, quasi ab igne exustus esset, ac tandem euadunt, Amati Lusitani experientia, centur. 6. curat. 31. Scorpionis morsus in venis capitis est læthalis, phrenesimq; conciliat, Paracelsus. ¶ Scorpius si iumentum percusserit agnoscitur, quia genua contrahuntur, claudicat, non manducat, de naribus fluent pituitæ virides, vt accumbit, vix resurget, Vegetius.

Symptomatũ enumeratio.

Symptomata speciertim.

3 *Quæ cura ictis à scorpione adhibenda.*

Scorpionis punctura curatur per canones communes, & per euaporationem cum sale & milio & similibus, Auicen. Quia scorpionis venenum frigida vi præditũ, manifestum est, quod calefacere tum corpus totum tum punctam ab eo particulam conabor, indicatione à rei natura sumpta, Gal. method. 4. Quę exhibentur contra hoc venenum è vino bibuntur, Plinius. Omnes abstinendos ab apij comestione, qui in locis sunt vbi scorpionum multitudo, iubeo, Rasis. Locum assiduè calefacies cum igne: & cum medicinis calidis quas habere poteris, Idem. Arabes ab initio dilatant puncturas, & iubent sugi venenum, Ponzettus. In loco puncturæ ventosa ponatur, & illico sugatur: locus præterea comburatur, & medicinę calidissimę desuper ponantur, Rasis. Ad ictum imprimis conferunt vincula superioribus partibus iniecta: ab ijs enim præsentaneum præsidium expectatur; id quod in viperarum scorpionumq; ictibus: item aspidum quoque (quod propter imminens subitaneæ mortis periculum magis incredibile est) expertus sum, Galenus. 3. locor. aff. Omnibus his addatur balnei vsus continuus cum multo sudore: vini potio temperatura meracior, Ægineta.

Generalem curam curandiq; methodum præscribit his verbis Celsus. Scorpio sibi ipse pulcherrimum est medicamentum. Quidam contritum cum vino bibunt, quidam eodẽ modo contritum

tritum super vulnus imponunt: quidam super prunam eo imposito vulnus suffumigant, vndiq; veste circundata, ne is fumus dilabatur, tum carbonem eius super vulnus deligant. Bibere autem oportet herbæ solaris, id ἡλιοτρόπιον Græci, semen, vel certè folia ex vino. Super vulnus verò etiam furfures ex aceto vel ruta syluatica rectè imponũtur, vel cum melle sal tostus. Cognoui tamen medicos, qui à scorpione ictis nihil aliud quàm sanguinem è brachio miserunt, Celsus lib. 5. Ex Alphabeto Empirico quæ sequuntur deprompta sunt. His (à scorpione ictis) subitò succurrendum: subitò quidem instillato ficulneum lac vulneri: deinde salem contritum superimpone cum semine lini: aut sulphur viuum cum terebinthina aut galbano: aut calamenthũ tritum & illitum. Propinandum verò eis aristolochiæ cum vino aut calaminthæ decoctum, aut ruta cum vino. Balneis frequentibus, & multo vini potu vtatur. Composita verò remedia. Sulphur fabæ Ægyptiæ magnitudine cum piperis granis octo, ex vino pota: aut melanthium & cuminum, semen viticis æquis portionibus ex vino præbeto, & theriacam cũ vino, Hęc illic. A scorpione percussos, coitu leuari produnt: verum fœminas (quæ ineuntur, scilicet à læsis maribus.) Venere ea lædi, Plinius. Hactenus generalia quædam sunt proposita. Methodum cum medicamentis, quę in huius punctura valere possũt, vide inferius in historia vxoris D. Thaddęi Duni.

Medicamenta simplicia ictibus scorpionum in genere aduersantia & curantia sunt hæc: Centaurium, Gal. in spurijs. Erucæ semen, Plin. Cytini siccati tritiq; aduersantur scorpionibus, Idem. Balaustium similiter, idem. Leucacantha siue leucanthemon folio vel flore vel semine auxiliatur, Idem. Herba in potu, Diosc. Vrtica, Plin. Olusatrum quod Hipposelinum vocant. Betonicæ succus & Plantaginis: Chamæpithyos genera: cupressi ramenta. Syluestria oxylapatha scorpionum ictibus medentur, & ferire prohibent, Plin. Oxylapathi & oxalidis semen vino aut aqua potum, Diosc. Althææ inter maluas contra omnes aculeatos ictus efficacior vis: pręcipuè verò scorpionũ, Plin. Ascalabota confert morsis à scorpione, Galen. De satiuis lactucis semen contra scorpiones dari inuenio, Plin. Lactuca syluestris bibita valet, Diosc. Serpilli ramis & folijs in vino decoctis efficax, Plin. Spinæ albæ semen auxiliatur. Proserpinata herba eximij aduersus scorpiones remedij est. Paliuri semen, quod Afri Zuram vocant, contra scorpiones efficacissimum est. Alga rufa ictibus medetur. Rutę genera, ex Plinio. Rubi flos & Mora Dioscor. Lactis ficulnei natura aduersatur venenis, priuatim verò scorpionum, Plin. Acetum quoq;. Excedit fidem impudens cura, qua sordes virilitatis contra scorpionum ictus singularis remedij celeberrimi authores clamant. Aqua marina salutaris scorpionum ictibus, ex Plin. Qui punctus est, de Troximel (an Troximæ pro endiuia?) syluestri sicca quantum ter manu vna continere potest tribuunt, & poma acetosa dant ad comedendum, Rasis. Smaridis caro non secus atq; salsamentum prodest à scorpione percussis, Diosc. Sapphirus ictus scorpionum curare creditur, Galen. Achates gemma Thebis Ægyptijs reperta contra scorpiones valida est: eademq; authoritas & Cyprijs est, Plin. Scorpionũ ictus sanat Chabazius (an Chalazias) lapis, Orpheus. Strõbites lapis (Agapius quibusdam, Gesnerus) contra scorpios valet, Gesnerus. *Simplicia curantia ictos.*

Medicamenta quæ in potu offeruntur, hæc ferè sunt quæ modò commemoraui & sequentia, ex simplicioribus. Merum remedio est contra ictus scorpionum, Plinius. Lauri baccæ è vino bibitæ, Dioscor. Baccæ lauri quaternæ aduersus scorpiones ex vino bibuntur, Plinius. Nonnulli in simili casu decem baccas dare in potu iubent, Idem. Succus lauri potus, maximè eius lauri, quæ tenuiora habet folia, contra ictus valet. Baccæ cum vino scorpionibus resistunt, Idem. Myrti succus cum mero haustus, Diosc. & Gal. Aristolochia præsertim cortex, drachmarum duarum pondere cum vino, Diosc. Aristolochiæ denarij duo, præsertim corticis radicis cum vino, gentiana tusa, pulegiumq; abunde decoctum, Ægineta. Heliotropij magni radix cum vino pota, Diosc. Heliotropium scorpionibus resistit ex vino aut aqua mulsa, Plin. Sonchi albi succus bibitur contra scorpiones, Idem. Sonchi succus comestus, Diosc. Hordei farina cum vino parata, Diosc. Hordeacea pollenta vino confecta, aut in rutæ decocto exhibita, Ægineta. Trifolium scio credi præualere contra scorpionum ictus ex vino aut posca, seminis granis 20. potis: vel folijs & tota herba decoctis, Plin. Pulegij decoctum potũ, Diosc. Pulegium maximè quod in siccis nascitur, ad scorpionum ictus in vino tritum, datur, Plin. Asphodeli semen & flores in vino poti, mirum in modum scorpionum venenis resistunt, Dioscor. In mat. med. & alphabeto Empirico. Nicander contra scorpiones vel caulem asphodeli, quem Anthericon vocant, vel semen, vel bulbos dedit in vino tribus drachmis. Substrauitq; somno, contra hos metus, Plin. Melanthij, cumini Æthiopici, viticis seminis, pares portiones cum vino bibuntur, Ægineta. Lapathi syluestris & oxylapathi semen ex aqua aut vino vtiliter bibitur. Quod si quis in potu pręsumat, nihil molesti ex ictu patietur: idẽ facit & radix è vino pota, Dios. Polemonij herbæ radix pota, Diosc. in alphabeto. Abrotoni decoctum in vino potum, Idem & de Mat. Lychnidis semen in vino potum, Diosc. Lychnis flammea illa aduersus scorpiones bibitur è vino, semine trito, Plin. Lactucæ semen ex vino potum, Zoroast. Ammi cum lini semine ictus scorpionũ mitigat in vino potũ drachmis duabus, Plin. Blitum dicitur aduersus scorpiones potũ è vino prodesse, Plin. Cyperi radix è vino pota, Diosc. in alphab. Melissa cum vino pota, Idem. Verbasci radix bibitur cum ruta ex aqua magna amaritudine, sed effectu pari contra *Simplicia in potu.*

ſcorpiones,Plin.Thelyphonum herba contra ictus ſcorpionum bibitur,Idem. Platani cortex è vino potus, ictus eorum reſtinguit.Pilulæ è vino potę pondere x quatuor,omnibus ſcorpionũ venenis medentur.Aniſum ex vino bibitur,Plin. Colocynthidos radix in potu prodeſt,Serap. Amaranti ſuccus in potu exhibitus,Dioſc.in Alphab.Dauci ſemẽ in vino datum.Ibid. Myricæ flores & folia,itemq́ ſemẽ ex vino potum,Ibid. Hyacinthi herbæ radix & ſemen in vino potũ, Ibid.Cunilę tertiũ genus priuatim contra ſcorpiones ex poſca valet,Plin.Opium ex vino mera culo ſi protinus detur,ſcorpionũ ictibus reſiſtit. Aliqui hoc tantũ nigro tribuunt,ſi capita eius vel folia terantur,Plin.Satiui fœniculi ſemen è vino.Chamecypariſſus herba ex vino pota,con tra ſcorpij venenum pollet. Caprifici cauliculi aut groſsi quàm minutiſsimè triti,ad ſcorpionũ ictus è vino bibuntur. Nodiæ herba aduerſus ſcorpiones,efficaciſsimam eſſe potam in vino aut poſca reperio,Plin.(Nodia mihi videtur,quę centinodia hodie, Græcis polygonatum vocatur, Geſner.) Paſtinacæ ſemen potũ,Matth ex vino aut poſca præſcribit idem Plin.Origani onitidis vſus eſt in vino albo cõtra ſcorpiones,Plin. Radix croci hortulani vel frondes eius in potu cum vino dentur,Conſtant.Delphinij ſemine nõ aliud vtilius bibi poteſt à ſcorpione percuſsis, Dioſc.Cardamomũ in vino potum,Dioſc.Peucedani ſuccus hauſtus,Idem. Gentianæ decoctũ potum,Dioſc.Corallium(cum vino nimirum potum)medetur,Orpheus. Citrij ſemen potum, Matth.Serpillum,Altheę radix.Elaphoboſcum,ſingula pota,Idem.Silphium cum cancro trito in vino propina,Ægineta. Attriplicis ſuccus potus. Cyani vtriuſq́ folia,ſiue ſemẽ ex vino decocta & pota.Verbenaca recta pota.Cuminum cum melanthij,& viticis ſemine drachmæ pondere potum,ex vino,Matth.Apiaſtri folia cum vino pota, Dioſcorides. E radice corticis mori ſuccus è vino aut poſca potus,Plin.

Ex animalium partibus iuuãt in potu.

¶ Cancri fluuiatiles crudi tritiq́,cum aſinino lacte poti, Dioſcorides. Cancri fluuiatiles aut marini eodem modo, Raſis. Cancros fluuiatiles contuſos crudos è lacte potandos dato,Aëtius. Ranæ fluuiatilis carnes in vino decoctæ, ſi ius offeratur,prodeſt, Plinius. Ad commorſos à ſcorpione mirabile admodum. Inteſtina terræ læuigata imponito morſui , & irim bene tuſam da bibendam cum vino ſufficienti aut aceto. Nic. Myrepſ.Salſamenta contra ſcorpiones largius ſumi,ſed nõ euomi prodeſt,ita vt ſitis tolleretur, & imponere eadem plagis conuenit,Plin.Butyrum bouinum & mel bibuntur,Conſtant.Cerebrum Gallinæ cum vino potum ſanat à ſcorpione ictos,Kiranid. Leporis coagulum cum vino potui datum,Lillius. Chelonis terreſtris ſanguis potus, à ſcorpione percuſſos ſummè ſanat vel adiuuat,Kiranid. Aſsiracos locuſta, ſi exiccata è vino bibatur,magnopere proderit,Dioſc. Fimus aſini vel equi armentarij qui herba paſcitur,ſiccum,in vino liquatum,magnoperè auxiliatur,Idem. Femezeg,id eſt, ſtannum tritum & potum confert puncturæ ſcorpionis, Serapio,& Syluat. Vrina humana pota,Dioſc. Mumia ex mero hauſta,Matth.

In cibo proſunt

¶ In Ægypti regionibus arefactũ aſiracum(cybium nonnulli,alij carnes locuſtæ ſic vocant (exhiberi ijs, qui à ſcorpione percuſsi ſunt,Galen.Mullus ſumptus in cibo prodeſt,Plin. Afri ſi feriantur à ſcorpione, qui ocimum ederint,nullo conflictantur dolore,Dioſc.Iris duarum drachmarũ pondere in pane vel aqua ſumitur,Plin.Hyacinthi ſemen cum abrotono datur,Idem.Aſſæ foetidæ drachmas duas Achaaſos experimentator contra morſus ſcorpionis dabat,Gal.Cuminũ ſylueſtre cũ oleo datur,Plin.Fluuiatilis ranæ carnes comeſtæ ex vino,Idem,Ponticę nuces in cibis ſumptę.Mat.

Medicamenta compoſita iuuantia.

Medicamenta compoſita ad ictus ſcorpionũ varia cõmendantur. Theriaca primum locum habet, Gal.Cum autẽ theriacã dederis,& dolor ſedatus fuerit,ſi febris ſuperueniat,ſequenti die ſummo manc ęgrũ phlebotomato, & aquam hordei,ac cibaria vltimæ humiditatis ei tribue,& in ipſius cautela,ne ægritudinem incurrat acutam,ſtude,Raſis.Scorpione ictus, glacie ſe opprimi querebatur,theriaca è vino potentiore pota curatus eſt,Anton. Beniuenius c.56.Ælij Galli theriaca,qua vtor,optima ad ſcorpionũ ictus.℞.radicis vitis albę,ʒ xvj.ſem.trifolij,opopanacis ana ʒ vij .ariſtolochiæ tenuis ʒ xij.radicis libanotidis,iridis illyricæ,zinziberis,opij,ana ʒ viij. ſem.rutæ ſylueſtris ʒ xij. cumini Æthiopici ʒ xvj. myrrhæ, caſiæ, caſtorei, ſeſeleos, rad. eryngij,ſerpilli,ſucci cyrenaici ana ʒ vj.medicæ ʒ vij.ſagapeni ʒ vj.croci ʒ v.farinæ erui ʒ xxiiij.cum aqua hæc in paſtillos trium obolorum rediges,& ex vino dabis, Galen. Theriaca diateſſaron, quæ punctoris ſcorpionum confert,& magnæ theriacæ in bonitate vicina eſt. ℞.gentianæ,ariſtolochię,baccarũ lauri,myrrhę ana partes ęquales,hæc cum melle cõfecta in vaſe reponantur. Datur in potu ab vno aureo vſq́ ad duos & dimidium cum vnc.j.veteris vini,Raſis. Alia quæ his puncturis vehemẽter auxiliatur.℞.gentianæ,ariſtolochiæ,myrrhę,coſti,caſtorei,rutæ,mentaſtri ſicci,pirethri,zinziberis,piperis,nigellæ ana partes æquales conficiantur cum melle, detur ex ea nucis magnitudo cum vino,Idem.Alia theriaca.℞.cort.radicum capparorũ,abſinthij, nabati,ariſtolochię longę,gentianæ ana partes æquales.Doſis huius in potu ʒiij.Idem. Theriaca exercitualis contra puncturas ſcorpionum, qui parui admodũ ſunt & akatareti dicuntur, in terra Coliz(an Ægyptię,Geſner.)℞.cort.rad.capparorum,rad.colocynthidos,abſinthij Romani,ariſtolochiæ rotundæ,herba quæ vocatur Chaldæorũ lingua Hazez:troximel ſylueſtris ſiccæ,ex his omnibus bene puluerisatis ʒij. tribuantur, Raſis. Antidotus quæ à ſcorpionibus Scorpiaca dicitur,quæq́ medicantem minimè fallit, magna cum difficultate nobis à quodã accepta, qui in Africa degens hac vtebatur, & percuſſos à ſcorpionibus tutos ab omni periculo reddebat:

reddebat: optimeq; preseruat bibita à nondum percussis in securitatem euentus. Habet autem, Sulphuris viui, sulphuris fossilis ana lib. ij. piperis albi ℥iij. opopanacis, sabinæ herbæ, thuris masculi ana ʒ iij. aristolochiæ rotundæ, peucedani, myrrhæ, centaurij, serpilli, chamædryos, chamæpithyos, herbæ scorpiacæ, anagallidis, bituminis sing. ʒ ij. betonicæ, medullæ ceruinæ, scinci sing. ʒ j. contusis singulis per minutissimum cribrum primò traijciantur, deinde simul omnibus commistis seruentur vt respirare nõ possint. Dos. cochlear vnũ huius pulueris ex vini puri cyathis duobus exhibitum. Præseruationis autem gratia annuæ, semel ex hac antidoto bibant. Oportet autẽ eos qui primò hoc medicamentum præseruationis gratia bibent, nec lauari die illo, nec Venere vti, Galen. Antidotus à Zoilo sumpta, qua Epaphroditus Carthaginensis vtebatur: statim autẽ hæc & ægros à dolore liberat, & per annũ quàm pulcherrimè quoq; præseruat semel ebibita. ℞. sulphur. viui lib. iiij. thuris lib. j. sabinę, stœchadis, aristolochię sin. ʒ vj. myrrhę ʒ. v. medullæ ceruinę, opopanacis sing. ʒ iiij. dictamni cretici ʒ iij. bituminis, serpilli, scordij, rhei, trifolij, centaurij, chamædryos, piperis albi, abrotoni, betonicæ, polij, coaguli hœdini, anagallidis sing. ʒ ij. crocodili terrestris ʒ ß. confice vt dictũ est, & percussis cochlear vnũ præbe bibendum ex vini puri cyatho, Gal. 2. de antidotis cap. 12. Diophanti antidotus. ℞. Aristolochiæ ʒ iiij. piperis ʒ ij. opij ʒ j. pyrethri ʒ iij. contusa hæc & melle excepta in rotulas ad fabæ Ægyptiæ magnitudinem rediges: quarũ duas deglutiendas trades è vini puri cyathis duobus. Alia. ℞. aristolochiæ, zinziberis ana ʒ viij. nepetæ, sem. rutæ syluestris, sing. obolos tres, piperis obol. ij. hæc primũ testudinis sanguine subigito, tum rotulas inde triũ obolorum pondere confingito, atq; ex vino puro dato. Alia: ℞. cumini Æthiopici, sulphuris viui, piperis albi sing. ʒ ij. castorei, silphij, trifolij sing. ʒ j. hæc inter se vino commisce, & ex vino puro sorbenda præbe. Alia. ℞. sem. rutæ syluestris, sem. erucæ, pyrethri, styracis, sulphuris viui, sing. ʒ vj. castorei ʒ ij. omnia hæc testudineo sanguine subacta, ex mori vel aceti dimidia cotyla propinabis quatuor obolorũ pondere. Antidotus Callista, id est optima dicta, quæ dolorem sedat ijs qui à scorpionibus percussi fuerint. ℞. myrrhæ, castorei, styracis, sing. ʒ j. opij ʒ ij. chalbani ʒ iij. sem. apij acetabulũ vnum, anisi tantundẽ, piperis gran. 30. hæc inter se vino coniuncta ex vna vini cotyla dabis pondere vnius drachmæ. Antidotus eximiè bona. ℞. piperis albi grana xx. castorei, opij, croci, myrrhæ, iridis Illyricæ, herbæ pedicularis, chamædryos, radicum vitis albæ, pyrethri sing. partes æquales. Omnia hæc vino commisce, & drachmã vnam ex vini puri cyathis tribus exhibe. Hæc Galen. lib. 2. de Antid. cap. 12. Theriaca bona: ℞. rad. capparorũ, colocynthidis, absinthij, aristolochiæ longæ, gentianæ, baccarũ lauri, been citrini, vitis albæ, ana: confice cũ melle, ad modũ nucis cũ vino, Arnold. Alia theriaca. ℞. sem. rutæ campestris, cymini, alliorũ nucleus & auellanarum ana ℥ j. folior. rutæ siccorũ ʒ j. s. myrrhæ, thuris, ana. ʒ. quartã. castorei, piperis albi, opij, ana. ʒ iij. opopanacis, galbani ana ʒ s. confice omnia cũ melle: detur ex ea quantitas fabæ grossæ cum vino, Idẽ. Antidotus excellenter ad scorpij ictum faciens, quo etiã ipse Aëtius in seipso malè affecto, vsus & expertus est: ℞. castorei, succi cyrenaici, piperis, ana ʒ iiij. costi, spicę nardi, croc, succi centaurij ana ʒ ij. mellis despumati q. s. Datur nucis ponticæ magnitudine, à scorpio quidẽ ictis, cum vino diluto: ab aspide verò demorsis cũ aceto diluto. Detrahendi vim habet, adeò vt digestos etiã in membra veneni succos eruat, Aëtius. Alia; Styracis ʒ vj. sulphuris viui ʒ vj. pyrethri ʒ iiij. seminis rutæ syluestris ʒ iij. castorei ʒ ij. sem. erucæ ʒ ij. cũ sanguine marinæ maximè testudinis subige: aut si non adsit terrestris, & nucis ponticæ magnitudinem præbe cũ posca aut ex aceto, Idem. Electuariũ quod valet in morsu scorpionis: ℞. rutæ, sulphuris viui non positi ad ignẽ ana aur. vj. castorei aureum j. assæ fœtidæ aur. semis: pyrethri, styracis liquidæ ana aur. j. confice cũ melle & da ʒ j. s. cum vino puro, Gal. in Spurijs. Confectio quã Diapanthus fecit, facit ad morsum scorpionis. ℞. aristoloch. ʒ vj. piperis ʒ iij. opij, ʒ j. s. pyrethri ʒ. v. tempera cũ vino, & fac in modũ fabæ, & da duas bibendas, Constant. Alia: ℞. calamenti agrestis & domestici, piperis, myrrhæ, rutæ, pondus æquante, tempera cũ melle & da bibere ʒ j. Idem. Ad scorpionum periculosorum ictus: ℞. fæcis ʒ ß vj. pyrethri ʒ iiij. sem. rutæ syluestris ʒ iij. castorei, erucæ seminis ana ʒ ij. excipiuntur sanguine testudinis marinæ: dantur quaterni oboli cũ vini meraci vel aceti cyathis tribus, Ægineta. Aliud. ℞. pyrethri, aristolochię sing. trientes, piperis denarij duo, liquoris silphij denarius, exhibetur ad fabæ Ægyptiæ magnitudinem, Idem. Vel, ℞ sulphuris viui fabæ Ægyptiæ instar cũ piperis granis octo, in dimidia vini hemina bibatur, Idẽ. Catapotiũ ad percussos à scorpio: Succi papaueris, sem. hyosquiami vtriusq; par pondus cũ passo aut melle ad fabæ græcæ magnitudinẽ formato. Dato ad noctẽ, somnum inducendo prodest. Gal. κατὰ τόπους lib. 7. cap. 5. Aliud in forma pulueris: ℞. assæ fœtidæ, scordij, centaurij ana ʒ j. sem. rutę, castorei ana ʒ iiij. fiat puluis confort, cũ vino antiquo. Et, ℞. assæ fœtidæ, galbani, conficiantur cum decoctione hordei, aristoloch. rotundæ, & accipe ex eo quantũ auellana capit in aqua calida: ex manuscripto D. O. Oleũ benedictum ad scorpij ictum aliaq; multa, ex libro manuscripto veteri Italico. ℞. olei terebinthinæ, olei cõmunis antiqui, olei laurini ana lib. j. cinnamomi vncias iiij. euphorbij, caryophyllorum ana vncias ij. baccarum lauri, gumi hederæ ana vncias j. tegulæ veteris non madefactæ lib. j. serapini, galbani, armoniaci, opopanacis ana vnciam j. ladani, thuris. masticis ana vnciam j. destillentur simul omnia. Oleum aut liquor destillans etiam intra corpus exhibetur.

4. *De remedijs topicis scorpionis puncturæ accommodatis.*

Enumerata sunt medicamenta tam simplicia quàm composita, quæ intra corpus vsurpata, venenum scorpij extirpant: nunc porrò dicantur ea, quæ loco affecto extrinsecus adhibita, auxilio sunt. Iuxta locum igitur punctũ statim extrahantur tres vel quatuor guttæ sanguinis, & eodẽ sanguine locus illinatur, Incert. Vngendus locus cum theriaca maiore, Constantin. Myrta prodest si imponatur, aut locus qui tactus fuerit ex eadem cataplasmetur: & viridis myrta similiter operatur, Gal. in spurijs. Myrti satiuæ semen in mero imponitur, Plin. Sonchus cataplasmatis modo impositus, Dioscor. Sonchi albi radix illinatur, Plin. Sonchi radix vnà cum folijs vulneri imponitur, Dioscor. in Alphabeto. Ficus satiuæ lacteus succus plagæ instillatus, Diosc. Tam satiuæ quàm syluestris fici succus lacteus, eodem modo, Diosc. & Ægineta. Fici cum sale tritæ illinantur, Plin. Allium cum ruta rectè miscetur, ex oleoq; tritum, super imponitur, Cels. Cinnamomum cum tritis grossis, ictibus scorpionis imponit Dioscorides. Caprifici folia imponuntur à Plinio. Sampsuchum scorpionibus aduersatur ex aceto & sale illitũ, Plin. Maiorana cum sale & aceto illita, Diosc. in Alphab. & lib. de Mat. Melanthium illini ex aceto & melle plagis reperio, Plin. Scorpioides herbula illita, Diosc. Lactucæ spontè nascentis folia vulneri illinuntur, Plin. Calamintha Aëtio teste, quæ iuxta aquas nascitur, imposita, confestim dolores remittit & tollit. Calamintha trita illita, vel cum posca, fota, Diosc. Hieracium maius & minus cataplasmatis more impositũ, Idem. Hieracium vulneri illitum, Matthiol. Durungi confert scorpionum veneno, emplastro facto ex ea cum ficubus: & loco eius ponitur Zurumbed æquale pondus, aut duæ tertię ipsius de caryophyllis, Auicenna. Vitiũ cinis cum oleo plagas persanat. Plin. Mentastrũ cum sale, oleo & aceto valet, Idem. Attractylidis coma, semen & folia cum pipere & vino teruntur vtilissimè, contra ictus: aiunt nullum experiri dolorem cum qui tenuerit: deposita vero eadem, recrudescere, Diosc. Apiastri folia illita prosunt, Diosc. Melissa cum vino vulneri imposita, Diosc. in Alphab. Cucubali folia trita cum aceto, Plin. Succus ceparum priuatim scorpionum plagæ instillatur, Idem. Porri folia melle subacta & illita, Matthiol. Heliotropium tricoccum illitum, Diosc. Lauri folia in vino cocta & contusa impone, Gal. Liliorum radices tritas ex aceto impone, Idẽ. Chamæsyces succus illitus, Diosc. Atriplicis herba illita, Math. Sinapis farina aceto subacta & illita, Plin. Semen trifolij herbæ tritum impositum, Diosc. Amomum ex ocimo illitum, Diosc. Farina triticea ex aceto & vino imposita, Idem. Ocimum cum polenta impositum, Idem. Hordeacea farina cruda cum vino præparata in rutæ decocto, Idem. Verbenaca recta illita, Matthiol. Asphodeli radix decocta & plagæ admota, Idem. Verbasci aureum florem ferentis folia imposita, Diosc. Citrij semen appositum, Matthiol. Rosæ radix apposita, Incert. Laser scorpionũ plagis ex oleo circumlinitur, Idem. ¶ Ex animalibus, Cancer fluuiatilis emplastri more impositus, Auicen. Cancri fluuiatiles cum cachry, pedicularia & ruta pari modo miscentur, Gal. Carnes fluuiatilium cochlearũ plagis imponuntur, Plin. Mures domestici viui in ictũ scorpij impositi iuuant, Gal. Mus fissus & morsui scorpionis supperpositus, sedat dolorẽ eius, Auicen. & Albertus. Mures domestici dissecti & impositi, Diosc. Sorices magni talpæ si ponantur super scorpij percussionem, sanãt, Haly. Terreni vermes triti & impositi, Matthiol. Cochlea hortulana contusa & illita, Idem. Scorpio sibi ipsi pulcherrimũ medicamentum est. Quidam contritum cum vino super vulnus imponunt: quidam super prunam eo imposito vulnus suffumigant, vndiq; veste circundata, ne is fumus dilabatur, tum carbonem eius super vulnus deligant, Celsus. Tritus & impositus, suæ plagæ remedium est; inuenitur & assatus ad idem prodesse, Diosc. & Galen. Scorpius alius ab eo qui percussit, si teratur & imponatur cũ sale, lini semine & althæa herba prodest æquè atq; is qui percussit, Diosc. Historiã curati ictus scorpionis, per scorpionẽ, describit Amatus Lusitan. cent. 6. curat. 31. Quod si quis in oleo scorpionem ipsum frixerit, ictamq; partem inunxerit, sedabit dolorẽ, Incert. Aut scorpionẽ ipsum qui percussit, si inueniri queat, impono plagæ: aut stellionem dissectũ adhibeo, Aëtius. Stellio inquit Democrit. remediũ efficacissimũ est aduersus scorpij ictus, cuius oleo (Stellione in oleo liquefacto, Geoponicus) si quis partem inunxerit vulneratam, dolorẽ compescit. Lacerta discocta & apposita dolorem sedat, Diosc. Mustela imposita confert valdè, Albertus. Coracini piscis carnes valent impositę, Plin. Sordes ex auribus ictui statim impositę: melius è percussi auribus, prosunt, Plin. Smaridis piscis salita caro, apposita, Diosc. Mullus piscis crudus dissectus & impositus, Idem. Stercus bouinũ cataplasmatis instar impositum, Hipp. Stercus suillum similiter, Anatolius, Ouillũ stercus vino coctum, & plagæ impositum, confestim dolore liberat, Aëtius, Piscium salsamenta imposita, Plin. Fel testudinis (terrestris) cum melle Attico plagæ instillatũ, Idem Testam igne candente impone, Galen. Caris marina, hoc est, gammarus, circumligata sanat, Kiran. ¶ Sal tritus cum lini semine salutariter imponitur. Diosc. & Ægineta. Altheæ herbę semen, quæ Ibiscus dicitur & sulphur viuum, resina terebinthina exceptum, Idem. Alumen aut aphronitrum, aut sal tostus cum quarta parte lini seminis ex oleo vel aceto illitus, Plinius. Galbanum splenij modo extensum & loco inductum, Dioscor. Plin. Æginet Argenti spuma subito ictui præter opinionem imposita, Æginet. Amonium iuuat ex vino illitum, Dioscor. Spongæ ex aceto impositæ, prosunt, Plin. Sapphirus lapis illitus, Diosc. ¶ Medicamentum Epigonij,

Isis dictum

Iſis dictum valet, Gal. Ex emplaſtro piſcatoris dicto diaſinopidos, in ictis à ſcorpione admirandam opem ſenſi, Heros apud Galenum. Apud Galenum leguntur eius generis medicamenta plurima compoſita lib.2. de antidotis cap.12. ℞. ſylueſtris rutæ ℥j. in aceto tere, & ceræ vnciam vnam, reſinæ pini quadrantem liquefacio, & parum olei affundo vnio ac impono, & eſt mirabile pharmacum, Aëtius. Eſt etiam oleum mirabile, quod è ſcorpionibus paratur, & à Matthiolo ſuis in Dioſcoridem commentarijs deſcribitur, vulneri illitum.

¶ Scripſimus hactenus, quæ ſit methodus in curanda hac punctura, quæ item medicamenta cùm ſimplicia tum compoſita, vel intra corpus aſſumenda vel extrinſecus admouenda ſint: nunc ponamus hiſtoriam, mulieris quæ à ſcorpione puncta, tandem ſanitati eſt reſtituta, ex Doctoris Thaddæi Duni Miſcellaneis medicis, nondum impreſsis.

In Italia altero poſt noſtras nuptias anno, natam nobis primogenitam filiam Aſpaſiam nutrici in proxima domo habitanti lactandam dedimus, quod vxor tum nouum concepiſſet fœtum. Nutrix puellulam, ad nos oblectamenti gratia ſępius afferebat. Fortè fortuna cùm quodā die poſt cœnam ad focum ſederemus, nutrix cum filiola adeſt, ſedet & ipſa ac filiam faſcis inuolutam matri porrigit: illam in ſinum ſuum ſuſcipit, & cum ſuauiter complecteretur, vt matres ſolent, ſummam medij digiti ſiniſtri partem quaſi acu violentius pungi ſenſit (latitabat enim ſcorpius in circumplicationibus faſciarum) doloremq́ & angorem, viriumq́ lapſum talem & tantum paſſa eſt, vt filiam in ignes propemodum proiecerit: præſto alioquin fuit ſedula nutrix, & filiam ad ſe recipit. Vxor è ſella ſurgens animo linqui è veſtigio cœpit, ſudoribus perfundi, totaq́ diſtendi vtris inſtar, ac penè præfocari. Ego rei nouitati & magnitudini, triſtiſsimoq́ caſu vehementer perculſus, vix vbi eſſem noram. Coniugem tamen compellans, quid acciderit rogo. Illa tum obmuteſcens, nutu veſtes vt mox ſoluam monet. Interea verò dum illa ſurgit, & nutrix infantem vlnis excipit, Deus mihi & mali cauſam, & curandi modum commonſtrat: cadit enim in focum virulentus hoſtis ille ſcorpius. Hunc capi iubeo (parata namq́ erat nutrix pede atterere) & aſſeruari, memor antipathiæ. Vxorem à veſtium vinculis confeſtim libero, digitum percuſſum, inter primum & ſecundum articulum, vinculo arctiſsimo excipio. Poſthæc ſcorpionem ipſum, qui pupugerat, cōminuo, ac paululū tundo, & læſo loco appono, ac deligo. Mox quæ alia ſint adhibenda remedia mecum expendo, libros conſulo. Erat autē in promptu laudatiſsima Theriaca, odoris gratiſsimi, ſummo artificio concinnata, ſucci plena, quam Franciſcus Gallorum Rex ſibi ſuiſq́ parari curabat. Eam dono ante ſexenniū ab amico acceperam. Theriacæ huius ℥j. ex optimo vino propino, & quoddā è Lauri folijs recentibus in vino decoctis, cataplaſma digito impono. Sæua illa accidentia paulatim miteſcunt, duarumq́ circiter horarum ſpatio vxor ſic periclitata, ſalua & incolumis euaſit, nulla in digito noxa relicta. Dei verò beneficio, & prouidentia mera non mater modò, ſed filia quoq́ tùm ab illius beſtiolæ veneno, tùm ab ignis periculo ſeruata eſt. Si enim filiolā Scorpius pupugiſſet, nulla ſalutis ſpes reliqua fuiſſet ob virus & potentiſsimum & nocentiſsimum. Poſt annos tamen ſex vxor mirabilibus ijſq́ grauibus morbis tentari cœpit, ſed nō niſi ſiniſtris corporis partibus: ſiniſtra parte capitis, ſiniſtris dentibus, brachio, latere, hypochondrio & crure. Tormina quoq́ lethalia ſenſit, vomitiones, & ructus incredibiles, & hypochondriacæ melancholiæ ſymptomata dira ſuſtinuit, & conuulſiones. In animi deliquia ſæpè incidit: quæ omnia à frigido genita videbantur. In cauſa autē fuerit ſcorpionis virus, nec nè, pronunciare non poſſum. Plin. lib.11. cap.25. fœminis quàm viris noxium magis eſſe Scorpionum venenum ait: virginibus verò mortem ſemper adferre. Laborauit vxor his malis annis viginti, hactenus Thaddæus Dunus Medicus.

5. *Περίαπτα, amuleta, & incantationes, quæ ſcorpionis ictui creduntur prodeſſe.*

In Africa aut ſicubi ſcorpiones ſunt noxij, ſtellionem aridum incinctum oportet habere, Largus. Polemonij herbæ radix collo appenſa & loco patienti, Dioſcor. in Alhabeto. Polemoniæ radix vel alligata tantum aduerſatur ſcorpionibus, Plin. Si quis Sideritim herbam tenuerit, inquit Tarentinus, cum ſcorpiones viuentes citra vllum læſionis diſcrimē tenere poſſe. Roſæ radicem adalligatam percuſſos à ſcoſpione ſanat, Conſtant. ex Democrito. Lapis Bezaar conuenit veneno ſcorpionis: & quando portatur in annulo & ſculpitur in eo imago ſcorpionis, luna exiſtente in ſcorpione & aſpiciente aſcendens: deinde ſigilla cum eo olibanum luna exiſtente in ſcorpione, quod tritum exhibe patienti ad potandum & euadet, Serapio. Gemma Achates apud Magos, quæ Leoninæ pelli ſimilis fuerit, potentiam habere contra ſcorpiones dicitur, Plin. Achaten putant contra ſcorpionum ictus prodeſſe. Quod in Siculis vtique crediderim, quoniam primum eius prouinciæ afflatu ſcorpionum peſtis extinguitur. Et in India inuentæ cōtra eadem pollent. Idem. Conſtat in ſcorpione percuſſos, quandiu Cnicum ſiue Attractylidem, quæ Ægyptia herba eſt, teneant, non ſentire cruciatum, Idem. Semen croci hortenſis ad ſcorpionis morſum valet in manu tentum vel è collo ſuſpenſum, ſimile facit radix lauri & iris, Gal. de incantatione. Heliotropij alterum genus quod tricoccum appellauimus, & alio nomine ſcorpiuron vocatur, folijs non ſolum minoribus, ſed etiam in terram vergentibus. Semen ei eſt effigie ſcorpionis caudæ, quare ei nomen. Vis ad omnia venenata, & Phalangia, & contra ſcorpiones præcipue illita. Non feriuntur habentes. Et ſi terram ſurculo heliotropij circumſcribat aliquis, negſit ſcorpionē egredi. Impoſita vero herba, aut (alias vda) inde omnino re

ſperſum, protinus mori, Plinius. In incantationibus vim ineſſe, in percuſsis à ſcorpio adiumentum ſum expertus, Galenus. Humum reſpiciens, quem lapidem premebas (nimirũ cum à ſcorpio ictus inferretur) eum imponito, Gal. Vulnus à ſcorpione contractum, ſi pars ipſa comprimatur ſigilleturq́ annulo argenteo, ſaneſcet, Incert. Si quis aſino in aurem dixerit percuſſum ſe à ſcorpione, tranſire malum protinus tradunt, Plin. Si ictus à ſcorpione erectus aſino inſederit, ad caudam conuerſus, aſinus dolebit pro ipſo: Cuius quidem inditium eſt, quod aſinus perpetuò pendens diſſoluitur. Si ictus à ſcorpione in aurem aſino dixerit, Scorpio percuſsit me, haud torquebitur amplius, ad aſinum dolore tranſlato, Geopon. Eum qui à ſcorpione percuſſus fuerit minimè læſum iri, ſi ſcillam comederit, ſed dicturum potius eam dulcem exiſtere, Incert. Attalus medicus apud Pliniũ affirmat ſcorpione viſo, ſi quis dicat duo, cohiberi nec vibrare ictus, Textor. In Copto Ægyptia vrbe Iſis colitur. Iſis vbi hanc religionem poſsidet, ibi acerrimi ad peſtiferum vulnus inferendum ſcorpij maximi verſantur, qui vt percuſſerunt, ſtatim interficiunt: ad quorum vitationẽ omne cautionis genus Ægyptij adhibent, ſexcentaq́ machinamenta moliuntur: veruntamen lugentes ad Iſidis fanum mulieres, pedibus incedentes nudis, & tantum non calcantes ſcorpios & humi iacentes, ab horum acerbitate integræ incolumesq́ permanent, Ælianus. Diabolica ſuperſtitione aut potius incantatione hoc factum exiſtimem.

6. *De cura animalium brutorum à Scorpionibus ictorum.*

A ſcorpio morſi equi ita curantur vt à viperis, Abſyrtus & Hierocles. Curatur iumentum à ſcorpione demorſum eodem modo quo à ſerpente vel vipera: Stercus tamen aſininum velocius in plagam oportet imponi, Vegetius. Stercus porcinum cataplaſmatis more imponatur: aut tithymallum, aut hyoſcyamum, aut lini ſemen, aut alumen vſtum, aut aphronitrum, aut ſalem foſsilem: horum vnumquodq́ per ſe cataplaſmatum, mox oppitulatur, Anatolius. Aut ſolanum contuſum eodem modo, Idem.

H.

Etymologia. Scorpius terreſtris παρὰ τὸ σκορπίζειν τὸν ἰὸν dicitur, id eſt à diſpergendo veneno, vel παρὰ τὸ σκαιῶς ἕρπειν, id eſt ab eo quod obliquè repat: vt iam ab initio dictum eſt. Iſidorus ſcorpionem vermem appellat terrenum vultq́ eum potius vermibus aſcribendum quàm ſerpentibus quod quibuſdam non placere ante dictum eſt.

Nomina inuſitata. ¶ Scorpius & ſcorpio dicitur. Ῥὼξ ſpecies eſt ſcorpij vel Phalangij. Chantarclethron brachia habet & in cauda ſpiculum, Incert. Videtur omnino eſſe ſcorpio. Vuollekouſſ. Danis ſcorpionum generis eſſe putat Ant. Schnebergerus. ¶ Scaliger ſcribit in Inſula S. Thomæ terreſtres eſſe cancros, ſimiles marinis ſub quibus fortè ſcorpiones intelligit. ¶ Vinula, vt iam dictum eſt, ſcorpius eſt librorum, Scaliger. Σκορπιοειδὴς verò illud quod in libris reperitur tarantulæ genus eſſe monachus quidam conijciebat. ¶ Nepa animal venenatum cauda feriens, quod alio nomine ſcorpius dicitur, Calepinus.

Epitheta. Ἐγκεντρος σκορπιός, id eſt aculeo armatus, Philes. Item ὀκτώπους, id eſt, octipes, Heſych. ἠπεδανῶν βελέμνων τοξευτῆρα vocat orpheus, id eſt, infirmorum telorum iaculatorem. Ἀπροϊδὴς etiam dicitur à Nicandro id eſt, improuiſus & inopinus quia ex improuiſo hominem ferit. Item κέντρῳ σκορπιοθηρός ἀλγινόεντι, id eſt aculeo armatus dolorem inferente, quem aculeum Archias vocat ὀξύκεντρον βέλος, hoc eſt, acutum telum.

Deriuata. Σκορπαίνεσθαι & Σκορπιοῦσθαι, exaſperare, inſoleſcere, ἀποθηριοῦσθαι, τραχύνεσθαι, Suidas. Σκορπίανος qui natus eſt in ſcorpione. Σκορπίζειν diſpergere, diſsipare. Σκορπιόεν τύμμα, Nicander, Vulnus à Scorpio inflictũ. Iracundus dicitur θηριώδης, ἰοῦ γέμων: σκορπιώδης, Pollux, id eſt, ſcorpioni ſimilis, venenoſus, pernicioſus. ¶ Scorpiaca antidotus dicitur à ſcorpionibus, quorum ictibus medetur, Galenus 2. de antidotis. Vide inter remedia G. ¶ Nepotes appellantur conſumptores & decoctores, bonorum ſuorum, à nepa, hoc eſt ſcorpione, qui (vt Plinius inquit, lib. 11. cap. 25.) deuorat omnes filios ſuos, vno ſolùm ſaluo.

Icones. Ægyptij inimicum cum pari congredientem inimico, indicare volentes, ſcorpium & crocodilum pingunt: vterq́ enim alteri mutuum affert exitium. Sin verò victorem alterum, quiq́ inimicum ſuſtulerit, innuant, aut crocodilum pingunt, aut ſcorpium: ſi celeriter quidem ſuſtulerit, crocodilum: ſi lente, ſcorpium, ob eius difficilem tardumq́ motum, Orus.

De ijs, quæ ab hoc animali ſunt denominata. Scorpites gemma à ſcorpionis cognominata aut colore aut effigie, Plinius. 37. 11. ¶ Ex argumento nomen accepit ſcorpius herba. Semen enim habet ad ſimilitudinem caudæ ſcorpionis, folia pauca. Valet & aduerſus animal nominis ſui, Eſt & alia eiuſdẽ nominis effectuſq́ ſine folijs, aſparagi caule, in cacumine aculeum habens, & inde nomen, Plin. lib. 22. cap. 15. Nepa herbæ nomen, Σκορπίος. Dodonei Bel. herb. Scorpio radix, Theophr. Scorpiurus herba, Nicander. Scorpiuros herba, quæ & ſcorpius dicitur, ſemen habens ſimile ſcorpionis caudæ, vnde & nomen habet Plin. lib. 22. cap. 21. Τάργανον herba quæ & ſcorpiurus, &c. Incertus. Cucumim qui magnificant, naſci præcipuum in Arabia, mox Cyrenis, alij in Arcadia tradunt, ſimilem heliotropio: cuius inter folia & ramos prouenire magnitudine nucis iuglandis ſemen. Eſſe autem ad ſpeciem ſcorpionis cauda reflexa, ſed candida. Aliqui etiam ab eo ſcorpionium cucumim vocant, efficacisſimum contra ſcorpionum ictus & ſemine, & elaterio, Plin. lib. 20. cap. 1. ¶ Eſt etiam ſcorpio cœleſte ſignum. Sol ingreditur ſcorpium 14. Calend. Nouemb. Columell.

Te'q́, senex chiron, gelido qui sidere fulgens,
Impetis Æmonio maiorem scorpion arcu.

Lucanus lib.6. Cicero nepam vertit apud Aratum. Nepa, vt Festus Pompeius scribit. Afrorum sydus, appellatur cancer, vel vt quidam putant, scorpius. Scorpij chelæ, libra, Macrobius. ¶ Est & scorpius coma plexilis puerorum, cincinnus crinium in acumen desinens, vt in fœminis κόρυμβος in viris κρώβυλος, Scholiast. Thucid. lib.1. p.3. Aureum corymbum è capillis propendentem nonnulli destinguunt, vt in viris crobylum, in fœminis corymbum, in pueris scorpium vocitent, Cœlius. ¶ Scorpius quoq; dicitur Tormenti bellici genus, quod Cæsar quoq; scorpionem appellauit. Scorpionibus autem & catapultis sagittas mitti solitas, balistis verò iaci lapides Vitruuius docet lib.10. cap.15. Verùm Ammianus Marcellinus contrà scorpionibus lapides, balistis sagittas mitti tradit. Vide lib.23. vbi & formam scorpionis describit. Scorpionem autem dictum vult ab eo quòd aculeum desuper habet erectus: cui etiam onagri vocabulum indidit ætas nouella, ea re quòd asini feri cùm venatibus agitantur, ita eminus lapides post terga calcitrando emittunt, vt perforent pectora sequentium, aut perfractis ossibus capita ipsa displodant. Est & scorpio genus teli. Salust. hist. lib.3. Scorpionem in castra misere Sisena hist. lib.3. Longius scorpios catapulta concitat, Non. Marc. Σκορπίδια, parui scorpiones, Polyb. Quidam etiam accipiunt scorpium pro genere tormenti, vt sunt rubi aculeati, vel flagellum virgarum, vt scutica habens in summitate glandes plumbeas. Quo quidem tormenti genere sæpe legimus martyres afflictos fuisse, Calep.

Est & piscis nomen Scorpius, cuius fœmininum scorpis & scorpæna de quo Plinius lib. 32. cap.11. De eodem pisce plura dicta sunt in Aquatilibus. In mari omnia nasci traduntur animalia quæ in terra. Necesse igitur est, vt experientia constat, marinos quoque scorpiones esse, Cordus. Meminit & scorpænæ Ambrosius, quam ait castitatē immaculati connubij generi suo seruare, non percutere sed reficere. Scribit tamen Plinius loco citato scorpium marinum lædere dum manu tollitur. ¶ Σκορπίος dictus est Hercules quòd esset sæuus, truculentus, & cædium patrator, Schol. Lycophronis. *Allegoria.*

Incassum cauda consurget scorpius vnca, Gal. ad Pis. ex Andromachi poëmate. Quod Aratus κέντρον σκορπίου vocat, id Cicero vertit acumen. Lex. Scorpio quòd non volatu sed gressu se moueat, caudamq; sortitus sit, aculeum caudæ adiunctum gerat, vel inutilem ad pugnam habeat necesse est, Aristot. lib.4. de part. cap.6. ¶ Scorpio sine cauda exiguum animalculum in putridis & siccis locis nascitur. Omnino scorpio similis est. Ex Arist. Scorpiunculi nostri, qui caudis carent, saliua mox intereunt, Gesn. Apud Æthiopas nasci Ctesias scribit, quam mantichoram appellat, triplici dentium ordine pectinatim coeunte, facie & auriculis hominis, oculis glaucis, colore sanguineo, corpore Leonis, cauda scorpionis modo spicula infigentem, Plinius.

Scorpius obliquè spicula tecta gerit.

Eudemi versus à Galeno citatus. Ocimum tritum si operiatur lapide scorpionem gignere quidam tradunt.

Duxit te Dominus per locum vbi erant serpentes vrentes & scorpiones Deut. 8. Seruator noster dedit nobis potestatem ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων περιπατεῖν, Clemens lib.2. Stromatum. sunt scorpiones qui cauda insidiantur occultè: serpentes qui dente lædunt apertè. Ipsorum venenatus aculeus retrò est timendus, Isidorus. Videte malignos operarios, inimicos crucis Christi, &c. videte canes rabidos, serpentes super pectus repentes, dracones squammosas, & aspides, basiliscos, scorpiones: Hi enim sunt thoes, vulpes, & simiæ humana imitantes, Ignat. in epistola ad Antiochenses. ¶ Epigramma nonnulli scorpioni simile esse voluerunt, quòd licet omni ex parte minetur, in cauda tamen, in qua inest aculeus, venenum habet: ita aiunt epigramma cum argutas omnes partes habere debeat, tum extremā maximè, quæ vel acriter vel salsè mordeat: vel iucundè & dulciter delectet, Gyrald. de poëtis. *Simile.*

Scorpio viridis ex ocimo natus septem internodijs si quem percusserit, tertio die inflatus morietur, Kiranides.

A serpente ac scorpione percussos coitu leuari produnt. Verùm fœminas quæ ineuntur à læsis maribus, Venere ea lædi, Plinius. Quidam asserunt, si eo die feriatur quispiam à scorpione quo ederit ocynum, seruari non posse. Quinimo tradunt aliqui manipulo ocymi cum canceris 10. marinis vel fluuiatilibus trito conuenire ad id scorpiones à proximo omnes, Idem. *A Scorpionibus occisi, vel læsi.*

Orion à scorpione vulneratus occubuit, Textor. De hoc variè fabulantur poetæ. Quidam volunt hunc adultum euasisse venatorem maximum, atque Dianæ adhæsisse. Sed cum viribus fidens, gloriaretur nullam esse feram quam non conficeret, dijs insolens verbum vlciscentibus, contigisse vt terra scorpionem pareret, à quo ictus perierit. Dianam vero satellitis sui obitum grauissimè ferentem, eum in cœlum iuxta Tauri sydus constituisse. Lucanus verò à Diana scorpione emisso occisum dicit & deorum miseratione in cœlum sublatum. Alij ferunt, cùm oculis ab Oenopione priuatus esset, in Lemnum insulam venisse, & ibidem à Vulcano caballo accepto ad ortum Solis perrexisse, & sic visum recepisse. Postea verò reuersum, Oenopionem vlcisci statuisse; sed cum hic à ciuibus suis sub terra occultaretur in Cretam profectum, ibiq; ob

arrogantiam à ſcorpione diuinitus immiſſo fuiſſe interfectum, Calep. Scorpius Panópæum venatorem occidit, Anthologij lib. 3. ſect. 19.

Prouerbia.

Σκορπιοῦ βέλος, id eſt, Scorpij telum vocat Æſchylus κέντημα γλώσσης, id eſt linguæ punctionem quæ nihil aliud eſt quam calumnia. ¶ Cornix Scorpium, ſubaudi, rapuit. Quadrat in eos qui parant lædere, vnde tantundem mali ſint viciſsim accepturi. Quemadmodum cornix correpto ſcorpio, arcuata illius cauda vulnus accepit lethale, perijtq́;, Eraſmus. ¶ Scorpijs improbior, Idem. ¶ Imitabor nepam. Imitari nepam dicitur qui retrocedit. Id erit prouerbialius ſi torqueatur in eum qui in deterius vſq; degenerat, ἐπὶ τὰ Μανδραβούλου, Eraſmus. ¶ Octipedem excitas, Cratinus in Thrattis apud Suidam hoc prouerbio vtitur, ſcorpium ſignificans, cui pedes ſunt octo, ac plerumque ſub ſaxis abditus cubat: quem non niſi tuo periculo ſuſcites propter venenum quod in cauda geſtat, Eraſ. ¶ Sub omni lapide ſcorpius dormit. Admonet adagium, cauendum eſſe ne quis apud captioſos & calumnioſos temere loquatur, quicquid enim attigerit, periculum eſſe ne mordeatur. Conſtat enim ſcorpios ſolere ſub ſaxis cubitare, quæ ſi quis tollat incautius, fit vt ictus, vulnus accipiat. Conueniet & in moroſos, qui quiduis cauſari ſolent: vel in pigros, qui friuola quædam prælegentes, ſuffugiunt laborem. Deniq; quadrabit cum quempiam monebimus nihil tutum eſſe & omnia cauenda, Eraſm. ¶ Idem meminit alterius adagij, Pro perca ſcorpium. Quod conuenit, vbi quis optima captans, peſsima capit: nam perca piſcis eſt vel maxime laudatus, cuius identidem meminit Athenæus, gulonum delicias recenſens. Scorpius lethalis eſt, quanquam eſt & piſcis huius nominis contempti ſaporis, de quo magis ſentire videtur adagium.

¶ Cornix ſcorpium. Adagium, quod vſurpatur vbi quis ſuo inuento perit, cumq; captores ipſi capiuntur raptoresq́; ab alijs viciſsim correpti illaqueantur. Sumptũ ex lib. 1. epig. græc. quod ſic tranſtulit Alciatus in emblematibus ſuis, ſub lemmate, Iuſta vltio:

Raptabat volucres captum pede coruus in auras
Scorpion, audaci præmia parta gulæ.
At ille infuſo ſenſim per membra veneno,
Raptorem in Stygias compulit vltor aquas.
O riſu res digna, alijs qui fata parabat,
Ipſe perit, proprijs ſuccubuitq́; dolis.

FINIS.

NOMENCLATOR

Aquatilium Animantium.

ICONES

ANIMALIVM IN MARI ET DULCIBVS AQVIS DEGENTIVM PLUSQUAM DCC.

CVM NOMENCLATVRIS SINGVLORVM Latinis, Græcis, Italicis, Hispanicis, Gallicis, Germanicis, Anglicis, aliisq; interdum, per certos ordines digestæ,

Editio Tertia.


Explicantur autem singulorum nomina ac nominum rationes, præsertim in Latina & Græca lingua uberrimè: & nominum confirmandorum causa descriptiones quorundam, & alia quædam, præsertim in magno nostro De Aquatilibus volumine non tradita, adduntur: deq; singulis Rondeletij, Bellonij, Saluiani, & nostræ sententiæ explicantur breuissimè.

PER CONRADUM GESNERUM TIGURINUM.

Le Figure de pesci e d'altri animali, li quali viuono ne l'acque salse e dolci, piu che DCC.

Les Figures & pourtraicts de plus de DCC. poissons & autres bestes aquatiques tant de la mer, que des eaux doulces,

Figuren vnd contrafacturen von allerley Fischen vnd anderen thieren / die im Meer vnd süssen wasseren gefunden werden / mehr dann DCC.



HEIDELBERGÆ,

E Typographeio Iohannis Lancelloti, impensis ANDREÆ CAMBIERI.

Anno M DC VI.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO REGI BOHEMORVM D. MAXIMILIANO, ARCHIDVCI AVSTRIAE, DVCI BVRGVNdię,&c. Domino suo clementissimo Conradus Gesnerus S. P. D.



AESAREAE *Maiestati (Celsitudinis tuæ parēti Augusto) serenissime Rex, ante biennium ferè Historiam animalium aquatilium nostram consecraui: eamq; non ingratam illi fuisse, cum ex ipsius benignissimo sermone, tum alijs argumentis liquidò cognoui. Quamobrem hoc tempore eiusdem libri Compendium quoddam, quod ad nomenclaturas præcipuè, in lucem editurus, tuæ Maiestati meritò multas & graues ob causas inscribi dicariq; debere, existimaui. Tu enim cū aliorum maiorum tuorum, quorum perillustris ad omnē posteritatem gloria pertinget, tum imprimis sacratissimi parentis, præclaras & uerè regias virtutes, ac raram in principibus viris doctrinam, summa cum laude adeò fæliciter æmularis, paternisq; vestigijs insistis tam luculenter, vt hæc honoris tui elogia nemo omnium ignorare possit. Mihi quidem frequentem, & pleno omnium ore de virtutibus tuis doctrinaq; celebrem famam, Paulus Scalichius Comes Hunnorum, (antiquissima generis nobilitate illustris, et eruditione multijuga, sacrarum maximè literarū, excellentissimus vir, idemq; dignitatis tuæ obseruantissimus assiduusq; prædicator,) verissimam esse iampridem asseruit: & eandem nuper cum alij quidam non vulgares & fide digni viri, tum præcipuè Ioannes Sambucus, (vir multarū linguarum cognitione, & eruditione varia summus, deq; omnibus bonis literis optimè meritus,) planè confirmarunt. Itaq; confidentius ad hanc dedicationem accessi: & librum hunc qualemcunq;, ad optimum maximumq; patrocinium tuum, omnino pertinere iudicaui. Sed dicat aliquis: Quò maior Celsitudinis tuæ in omni virtutum doctrinæq; genere præstantia est, cò minus audere me debuisse de rebus huiusmodi, nec magnis per se, nec satis pro dignitate à me tractatis, ad te scribere. Huic ego responderim: Virtutum & eruditionis comitem perpetuò esse humanitatem atq; benignitatem erga inferioris conditionis non improbos homines, & ad ignoscendum facilitatē: quam in M. tua quoq; mihi nō defuturam: eamq; animum meum, voluntatem, studium ac obseruantiam tui, magis quàm reipsa quid præstiterim, æstimaturam, indubitata spe memet mihi promisisse. Fateri me & agnoscere ingenij mei angustiam, doctrinæ tenuitatem, et eloquentiæ inopiam: sperare tamen hæc omnia rerum ipsarum, quas tractādas suscepi, raritate, varietate, & admiratione, operisq; magnitudine ac difficultate, siue compensatum siue excusatum iri. Res autem illas nec magnas esse, nec regum & principum virorum fauore & contemplatione dignas, haudquaquam concesserim. Neq; id pluribus probandum mihi existimo: qui minimè dubitem, M. tuam, si quis alius, probè intelligere, cum aliarum rerum (quæ à DEO O.M. ad suam gloriam & hominis usum conditæ sunt) omnium, tum verò illarū quas naturales appellamus, sciētiam, planè liberalem, & animis bene institutis, familiaritate quadam inuitante, prorsus iucundam esse: nec priuatos duntaxat homines, aut ex professo philosophos, sed principes etiam viros mediocrem earum cognitionem decere: idq; adeò, ut post pietatis officia, & in moribus actionibusq; hominum positas virtutes, non aliunde maius ornamentū eis accedere possit. Quis enim varias illas et admirabiles corporum in mari agitantium formas non libenter agnoscat: ac inde immensam Naturæ vim, nullo in elemento satis adhuc, ne diligentissimis quidem mortalium, perspectam & exploratam, miretur? Quis inde, nisi stupidus & tantis indignus spectaculis, non secum superiorem aliquam & principem omnium rerum causam ratiocinando inquirat? Si enim tam multiplex, admiranda, & infinita hactenus homini, circa centrum hoc mundi Natura est, (cuius nos quoq; pars sumus, et quidē præcipua,) infinities & incomparabiliter maiorem esse oportet uim conditoris, motoris primi, & conseruatoris omnium: qui vt ineffabili numine, ac præsentis ubiq; sapientiæ suæ operibus omnia replet: sic cœlos omnes & omnem loci temporisq; conditionem solus excedit. quamobrem omnis & in-*

Dedicationis huius occasio.

Rerum Naturæ cognitionē aliquam, Reges etiam decere: & his contemplandis animos ad DEI notitiam euehi.

finita ei soli gloria, ac veneratio perpetua debetur: ut prorsus impietatis & læsæ maiestatis diuinæ incusandus sit ille, qui ullum comparationis modum aut gradum (ita ut in regno dignitatum deinceps ad proregem, & regem deniq; sui gradus sunt) hîc constituerit. Nam & ipse de sese clarißimè testatur, se unum ac solum esse, cui diuinus honor uniuersus sit deferendus: &, tanquam æmulatione quadam afficiatur, honorem eundem, aut eius partē aliquam, alteri cuicunq; cōtribui, ferre non posse. Diuinus autem honor est, quicunq; confertur propter uniuersale aliquod bonum: ut sunt, cognoscere & posse omnia, facere & conseruare cuncta, propitium & benignum esse omnibus, & huiusmodi. In ipso certè solo omnis per uniuersa se extendens absoluta perfectio est: cætera ut in suo genere ac sibi perfecta sint, (quanquam hoc etiam Deo omnium principio debent,) non tamen alijs rebus, aut certè non semper, non ubiq;, non omnibus prodesse, aut de suo, cum nihil eis abundet, largiri possunt. Res conditæ quantumcunq; excellant, comparationem aliquam admittunt: ita ut scintilla aliqua, si ad Solem conferas: guttula aquæ ad Oceanum & uniuersam aquarum uim, aliquid & aliquota pars sint, & communis aliqua definitio (ut luminis aut aquæ) eis accommodari poßit. Solus cōditor & architectus, tum infinitus undiq;, tū ab omni comparatione alienus est.

Gradus ad DEI cognitionem.

Ad huius igitur summi, æterni, infinitiq; boni notitiam, amorem & cultum, præparantē animos nostros quācunque cognitionem, nō aspernabimur: sed ea ceu gradibus quibusdam utemur: in quibus tamen non insistamus diu, & semper altiùs animis enitamur. Frustra gigantes olim montes montibus imponebant, ut corpore in cœlum quod oppugnabant, ascenderent. Animo & mente, amore non odio accensa, conscenditur, idq; per gradus quosdam ceu colles montesq; exaggeratos.

Res inanimatæ

Incipiamus ab infimo gradu, qui Terra est, ceu fundamentum & basis Mundi inferioris. In ea gigni uidemus pulchras plurimasq; rerum uariarum species, quæ anima carent, lapides, metalla, & gemmas: quarum aliquæ ceu stellæ quædam terrestres, & cœli stellarum, ut ita dicam, ἀπόῤῥοιαι, materiæ suæ puritate, simplicitate, aut etiā splendore uideri possunt. Magnes etiam motu suo polum sequitur. Horum omnium (sicut & cæterarum ubiuis Naturalium rerum) Natura tam mira ac multiplex est, ut cognosci tota adhuc nōdum potuerit, ne nominibus quidem & historia: quanuis ingeniosi aliqui homines acerrimè in harum rerū cognitionem incumbere, ut olim ita hodieq;, uoluerint: nedū interiori causarum exploratione. Quòd si rebus inanimatis tanta cum cœlo cognatio & similitudo est: animatis certè corporibus maiorem multò cum eodem coniunctionē intercedere existimandum est: et sicut corporeæ res à perfectißimo corpore (cœlo) ceu principio sui dependent, mouentur, regūtur: ita incorporeas substantias esse aliquas, quæ à prima, optima maximaq; aliqua causa gubernentur ac moueantur, omnino statuendum.

Stirpes.

Altior deinde sequitur gradus, Stirpium genus uniuersum: quod Solis Lunæq; imprimis uires et effectus recipit. in his primus animæ gradus, primùm uegetat & alit, deinde auget, tertio sibi simile procreat. Rectè autem comparatur cœlesti, ea quæ in singulorum (plantarū & animalium) seminibus inest formandi & effingendi corporis organa uirtus aut facultas.

Animalia.

Tertium supra hæc gradum animantibus terrestribus tribuo: quibus etiam uolucres adnumero. In his anima melior, nempe cognoscens, per sensus exteriores interioresq; se prodit, (plus minus in alijs:) atq; talis ferè quodammodo humanæ animæ similitudo in illis est, qualis in homine DEI. aliud autem similitudinis nomine hîc intelligo, quàm suprà comparationis. Similitudo enim aliqua esse potest in ijs etiā quæ toto genere differunt, comparatio non potest.

Homo. DEVS.

Aqua. Animalia aquatilia.

Et hi ferè gradus in Terra reperiuntur: alij in aquis. In his enim post res marinas inanimas, animalia primùm occurrunt, piscium aliorumq; in humore uiuentium innumeræ formæ: imprimis uerò Cete & stupendæ tum figuræ tum magnitudinis belluæ.

Aer. Meteora.

Tertio, in Aere, per ea quæ uocāt Meteora siue Sublimia, ab exhalationibus aut uaporibus nata, prout inferiùs aut in medio summóue aere consistunt, quodammodo ascendimus. horum enim superiora, ut igneo fulgore coruscant, ita & stellas magis referunt, mouenturq; similiter in orbem, & durant plerunq; diutius: & maiori animos hominum, tanquam Domini DEI grauiter succensentis minantisq; signa, horrore percellunt.

Ignis.

Postremò per ignis elementum, quod omnibus corporibus reperit uacuum, (propter nimiam fortè substantiæ suæ subtilitatem seu raritatem, & caloris uim omnia consumentis, ac perpetuæ uertiginis uelocitatem,)

tem,) veluti ſaltu tranſilit animus: quanquã in igne etiam multa diuinæ potentiæ argumenta ſunt, & inter elementa hoc maximè DEVM nobis refert. Et ſic ad ipſum deniq; cœlum peruenit: in eoq; alias materiæ, loci, tẽporis motuſq; ſui & ordinis rationes, quàm in propriè dictis naturalibus rebus deprehendit: omnia nempe magis diuina, certa, pura, ſimplicia, lucida, pulchra, & omnis ferè mutationis immunia: ac primas omnium rerum corporearum inde ſcaturientes cauſas, ceu quoſdam Naturæ fontes. In hoc miratur deinceps ſeptemplici gradu Planetarum orbes: inq; ſummo ceu vertice cœlum ſtellatum: deniq; primum mobile, vt vocant, non ſenſu iam hoc vt inferiora omnia, ſed ratione deprehenſum. Inde quid aliud cogitet mens pia quàm primum illum ex quo cœlum vniuerſum, & tota Naturæ ſeries dependet, motorẽ? Nam vt ſingulæ res animatæ ſuam in ſe habent incorporeã cauſam à qua mouẽtur: ita vniuerſus mũdus cum moueatur (nihil enim ſeipſum mouet) principium aliquod & cauſam ſui motus habeat oportet: non ſimiliter tamen incluſam: ne vis illa terminis vllis circunſcripta finiatur, (nam corporis finiti vis etiam intrinſecus mouẽdi finita eſt,) & temporis longinquitate defatigetur. Defeſſum autem quod eſt, primùm inæqualiter mouet: deinde demum omnino ceſſat. Quamobrem vis infinita, & vltra ſupraq; omnia ſe diffundens, nullis organis, nullo medio, ſolo nutu (vnde & numen dictũ) & imperio cœlum ſupremũ mouet: à quo deinceps ordine ſuo inferiora cientur omnia, ſuis temporibus, vicibus, ordinibus, locis. Atq; ita, vt plurimũ, motus rerum ſecundum Naturam procedit. at quoniam idem & cœli opifex, & Naturæ Dominus eſt: poteſt, cum poſſit omnia, ſine cœlo, ſine Natura, aut etiam contra Naturam, nullò medio, quemadmodum cœlum primum mouet, ſic res alias quaſcunq; pro ſua ſtatim voluntate agere & mouere. Porrò, ne longiùs abeam, cum multi ſint gradus, (ſiue corporum, ſiue animorum diſcrimina ſpectes,) ad DEI notitiam euehentes, is qui ab Aquatilium animantiũ contemplatione petitur, præteriri aut negligi nullo modo poteſt aut debet. Talia enim tantaq; in aquis, & earum alumnis animalibus miracula ſunt, vt ea nõ philoſophorũ modò libri, ſed ſacræ literæ etiã noſtræ multoties demirẽtur. Cæterũ vt neceſſarij ferè (niſi diuiniore modo ad DEI notitiã trahamur) ſunt omnes iſti, quorũ mẽtio facta eſt, gradus: ita, vt cuiq; vel tardius uel acrius ingeniũ contigerit, aut alia quæpiã cauſa impedierit, plus minúsue in eis immoratur: hic fœlicior, infœlicior ille. infœliciſſimus omniũ qui ne aſcẽdere quidem cogitat aut incipit. fœliciſſimus qui quàm citiſſimè gradus omnes peruolitat, aut etiam ſi fieri poteſt, tranſilit. Et quoniam corporis quo coercemur infirmitas magna eſt, & grauia perturbationum cupiditatumq; in nobis momẽta, vnde fit vt ſæpius ab iſto diuinæ contemplationis ceu vertice, deturbemur, & ad inferiorem deterioremq; ſtatum relabamur: iterũ atq; iterum perpetuò aſcẽdere, & vires diuino auxilio, quotiescunq; deiecti fuerimus, renouare conabimur. Quotidie quidem quaſi à nouo principio multi noſtrum viuere incipimus: tanquã quæ priùs didiceramus obliti, vt ſocordes aut indociles diſcipuli ſolent: & vt ij qui ſe in ſpeculo cõtemplati, tanquam non ampliùs ſatis memores ſuorum vultuum, ſubinde ad ſe contemplandos redeunt. Iam qui diutius quàm par ſit in rerum naturalium cõſyderatione hæſerit, ut eo nomine infœlicior eſt: ita ſi tædium aliquod eius & faſtidium obrepat, de meliore & perfectiore aliquo inquirendo (modò non prorſus à Deo alienus, hoc eſt, miſer & infœlix ſit homo) hac occaſione cogitat. Quanuis enim plurimũ temporis in his noſcendis inſumat, ſemper tamen eadem atq; eadem ei recurrunt, quibus animus minimè ſatiatur aut acquieſcit: ut ſunt materia, forma, oriri, augeri, declinare, occidere, moueri, & quoquo modo mutari: et eaſdẽ temporum, ac rerum quæ eis circunſcribuntur omniũ, uices perpetuò redire. Vnde tædio exorto nil mirum ſapientem illum Eccleſiaſten exclamaſſe: Omnia omni tempore obnoxia eſſe vaniſſimæ vanitati. Quem enim ſtabilẽ fructum (inquit) referet homo ex iјs quæ ſub Sole ſunt: etiamſi multis modis ſe torqueat in hoc, vt fructum aliquem inueniat? Quicquid olim fuit, nunc eſt: et ſimile eſt illi, quod paulò pòſt erit. quicquid factum eſt olim, nunc eſt, & aliquantò pòſt ſimile illi fiet. In ſumma, nihil omnino eſt ſub Sole nouum, quod huic viciſſitudini obnoxium non ſit. Ego quanuis rex eſſem totius populi Iudaici, toto pectore in hoc incubui, vt ſapienter inueſtigando, perdiſcerem quicquid ſub Sole fit. Hoc moleſtum cognoſcendi ſtudium immiſit Deus in animos hominum, vt eo ſe torqueant, &c. Sed hæc apud M. T. prolixiùs tractari non

Cœlum. Planetarum orbes. Cœlũ ſtellatum Primũ mobile. Primus motor. Aquatilia animantia. In gradibus nõ immorandum. Aſcenſus iterũ atq; iterum perpetuò tentãdus In rerum naturalium contemplatione diutina tædium oriri, & uanitatis ſenſum animo bene affecto, &c. Epilogus cũ excuſatione.

decet: quare finem faciam. Hoc tantum superest mihi roganda M. T. ut si non per omnia tibi & doctissimis hominibus, quorũ consuetudine frueris, tot rarissimis animalibus ad uiuum pingendis, ac nominandis diuersarum linguarum antiquis & recentioribus nomenclaturis, deniq; describendis satisfecero: ipsa rei difficultas, & laborum sumptuumq; magnitudo, me excuset. Feci quod potui, & quantumcunq; in me fuit, in præsentia præstiti. Quòd si ueniæ facilitate, ubi ea opus fuerit, me plurima (fateor) ignorantem, uultusq; tui serenitate librum hunc uerecundè & ægrè ad M. T. accedentem, tuumq; patrocinium suppliciter expetentem, dignaberis: animum multis iam laboribus fessum ac labantem, mihi reddes & recreabis, ut alacriùs alia quoq; in posterum, quæ ad illustrandam rerum Naturam diu iam meditor, perficere & in lucem edere cogitem. VALE. Tiguri Heluetiorum Idibus Iunij. anno Salutis Christianæ M. D. LX.

CONRADI GESNERI AD LECTOREM PRAEFATIO.

ANIMANTIVM Quadrupedum, Auium, & Aquatilium historias quatuor libris copiosè descripsi: ita ut quæcunq; de illis uel ipse obseruassem, uel apud alios ueteres ac recentiores innumeros diuersis in linguis scripta legissem, omnia diligentissimè complecterer: singulorum ferè historijs in octo capita diuisis: quorum primum nomina continet in uarijs linguis. Secundũ species aut differentias unius animalis, si quæ sunt: tum corporis eiusq; partium descriptiones. Tertium actiones & passiones uarias naturales & contra naturam. Quartum animi affectus, mores, ingenia, consensiones & dissensiones naturales. Quintum uarios ex animalibus usus ad hominem pertinentes, preter cibum & remedia. Sextum alimenta ex eis, & ad cibum apparatus. Septimum remedia ex ipsis aut eorum partibus: & si quæ homini morsu ictuue nocent, contra illorum uenena. Nam de ipsorum animaliũ morbis, ijsq; curandis, tertio semper capite agitur. Octauum philologiam & magnam uarietatem tractat, ijsdem ferè ordinibus. Est autem Liber primus De quadrupedibus uiuiparis conditus, satis magnus per se. Secũdus De quadrupedibus ouiparis: qui cũ exiguus sit cum tertio de Auibus coniungi & uno uolumine ligari potest. Quartus De Aquatilibus: in quo Rondeletij etiam & Bellonij libros de ijsdem complexus sum. In omnibus autẽ illis libris Ordinem alphabeti magna ex parte secutus sum, ut quilibet faciliùs statim quæsita inueniret. In Iconum uerò libris, qui imagines cum nomenclaturis tantũ continent, ordines siue classes à natura institutos sequi uolui: ita ut quæ unius naturæ essent animalia, siue unius generis proximi species, siue aliter multa haberent communia, quoad eius fieri potuit, coniungerem. Comprehendi autem uno libro Quadrupedum uiuipararum simul & ouipararum effigies: altero Auium: tertio Aquatilium. Et priores quidem duo libri hoc anno denuo editi, multò auctiores prodeunt: tertius uerò de Aquatilium nomenclaturis nunc primùm. Hi omnes (tres inquam Iconum libri) commodè uno uolumine ligandi iungentur. Tertius quidem copiosiùs multò cæteris conscriptus est: quoniam simul argumenti uarietas & difficultas ita postulare uidebatur: simul harum rerum studiosis hac diligentia gratificaturum me sperabam, ijs omnibus quæ in maiori uolumine nostro De Aquatilibus, quod ad nomẽclaturas maximè, in Bellonij, Rondeletij & meis scriptis, partim in suis locis, partim in Paralipomenis, sparsa & fusiùs tradita leguntur, ueluti in compendium redactis. Saluiani De piscibus librum nuper Romæ editum, cum nostra Aquatilium historia iam prælo ferè absoluta esset, accepi. itaq; eius sententias, & nomina ab eo posita, nõ potui eo in libro cõplecti: quę nunc in hoc Nomenclatore posui: quanquã ea omnino paucissima sunt, quæ à me & alijs priùs non sint dicta: quod ad nomina dico. Fuit quidẽ hoc præcipuum meũ institutũ, ut ea quæ ad nomenclaturas pertinent, imprimis traderem: id quod (ut dixi) copiosiùs & maiore apparatu faciendum fuit hoc in libro, quàm cæteris Iconum libris. Nam & maior piscium numerus est: & nomina sæpe confunduntur: & unus plerunq; multis uarijsq;, etiam in eadem lingua nominibus appellatur. neq; enim Turdus piscis solùm πολυώνυμος est, qui priuatim etiam sic nominari solebat apud ueteres Græcos, sed profectò alij etiam plurimi pisces. Volui autem non ipsa simpliciter nomina, sed etiam etymologias plerunq;, rationes & significationes scrutari: ac ijs quæ exhiberentur, animalibus, ea deberi ostendere, & quæ obijci possent argumenta, diluere. Rei difficultatem auxit, quòd Aquatilium historia intra paucos annos nuper, & à paucissimis excoli cœpit, plurimis adhuc controuersijs & dubitationibus intricata. Græca nomina nõ semper fortè characteribus Græcis adscripsi, quod mihi non difficile fuisset, sed aliquando Latinis tantùm. Fluuiatilium & lacustrium multi antiquis nominibus Græcis & Latinis carent: quos ad genus aliquod simile retulimus, aut fictis nominibus nouis nominauimus: ita tamen ut ficta aut noua quilibet statim ab usitatis & antiquis discernere queat. F. litera etiam si quando ponitur, nomen fictum indicat: quod imprimis in Germanicis mihi faciundum fuit. Veteres enim de solis ferè marinis in mediterraneo

diterraneo piscibus scripserunt, nulla plerorunque fluuiatilium & lacustrium, ac plurimorum qui in Oceano reperiuntur mentione facta. Multi etiam (non dubito) pisces Germanica sua nomina habent, accolis Oceani Germanis probè cognita: mihi uerò mediterraneo homini, cui oras illas adire nondum licuit, hactenus ignota: quanuis non adeò multa superesse puto, quæ ab amicis nō acceperim. Licere autem ab homine in rerum natura exercitato, nomina, ubi desunt, aptè & significanter confingi: quoque modo id fieri debeat, cū in Historiam Aquatilium præfarer, & partim in hoc ipso Iconum libro post Cyprini lati mentionem, ostendi. Theodorum Gazam laudant eruditi quidam, quod fictis aliquot nominibus Latinis, linguam Latinam locupletârit, ac illustrârit: qui tamen hoc fecit uocabulis Græcis conuersis: quorū pleraque à Latinis authoribus, Plinio imprimis & alijs, iam recepta erant, aut recipi poterant, propter magnā & omnibus ferè familiarem Latinæ Græcæque linguarum in rerum nomenclaturis affinitatem. At Germanicæ nulla ferè cum alijs linguis cognatio, nec usus externorum uocabulorū receptus est: & Belgarum aliorumque maritimorum Germanorum uocabula, à nostra dialecto plerunque adeò abhorrent, ut nouis & aptè fictis uti, quàm apud illos receptis, nostris hominibus commodius existimem. Sed de nominibus satis.

Est ubi præter institutum, corporis etiā notas, (insigniores præsertim: pro reliqua enim descriptione icō ipsa satisfecerit ferè:) & partium descriptiones, aut alia quædam adtuli: præcipuè si quæ noua essent, & in Volumine maiore priùs non scripta. Aliubi ipsum chartę spacium, uacuum alioqui relinquendum, ad quædam addenda inuitabat. Descriptiones multas, sed breues, eo consilio posui, (cum aliorum, tum exanguium imprimis, ut Concharum, Cancrorum, Insectorū, Zoophytorum,) ut ad oblatum aliquod animal cognoscendum, hic liber satisfaceret, nec opus esset in maiori uolumine perquirere. Nolim tamen his compendijs (propter nomina tantū & animalium ipsorū simpliciter cognitionem, inque illorum gratiam qui libros maiores emere aut legere fortuna aut negocijs alijs, diuersoque uitæ instituto, prohibentur, à me perscriptis,) quenquam ab Historijs integris, ubi non solùm nomina & descriptiones, idque uberiùs, sed alia etiam quàm plurima, sicut dixi, pertractantur, auertere. doctiores quidē spero hoc ueluti gustu & specimine percepto, ad Historias ipsas legendas magis allectū iri. Iconum alias ipsi nouas & nostras dedimus: alias (& quidem plurimas) ex Rondeletij opere mutuati sumus: & à Bellonio quoque nonnullas, ita ut plerunque ad quem authorem cuiusque imaginis primùm exhibitæ gloria pertineat, non sit obscurum.

Tabulam qua Animalium marinorum diuisio continetur secundum loca in quibus degunt, in fine primi Tomi huius libri posuimus, ex Oppiani Halieuticis. Ante singulos etiam Aquatilium Ordines, de singulis in genere aliqua præfati sumus.

ENVMERATIO ORDINVM, QVOS HOC IN LIBRO SEQVVTI SVMVS.

Libri huius Tomi sunt II. prior, De animalibus mar. posterior, de ijs quæ in dulcibus aquis degunt.

Tomi I. Ordines XVII. quibus continentur hæc.

Ordinum enumeratio.

TOMI II. QVI EST DE ANIMALIBVS AQVATILIbus Dulcium aquarum Ordines II.

ORDINIS I. QVI EST DE PISCIBVS FLVVIAtilibus, Partes ſunt V. quibus continentur hæc.

ORDINIS II. PARTES SVNT V. QVIBVS TRACTANTVR HAEC.

FINIS.

INDICES NOMINVM AQVATILIVM. I. LATINORVM, QVAE PRIMO LOCO POSVIMVS PROPTER QVAERENTIVM COMMODITAtem. II. Hebraicorum & Arabicorum, &c. III. Græcorum. IIII. Italicorum. V. Hiſpanicorum. VI. Gallicorum. VII. Germanicorum. VIII. Anglicorum. IX. Vngaricorum. X. Illyricorum.

LATINA TVM ANTIQVIS RECEPTA: TVM quædam recentioribus ſolum uſurpata, quanuis barbara, Latinis tamen literis & terminationib. ſcripta, &c.

A.

B.

Index.

parda-

GRAECA

Index.

GRAECA VETERA & recentiora. In Latinorum etiam nominum indice Graecis hodie usitata quędam reperies, quae hic desiderantur.

pic

draconeto

Index.

mosseln

Index.

ILLYRICA, QVA lingua utuntur Dalmatę, Slaui, Poloni, Bohemi, Lithvuani, Moscouitę, aliiq; plurimi, dialectis tantùm differentes.

VNGARICA.


AMERICAE ET CAnariarum uocabula.

OMISSA IN INDIce Latinorum.

FINIS.

ANIMANTIVM MARINORVM ORDO PRIMVS, QVI CONTINET PISCES MINORES, NVLLO CERTO GENERE aut forma comprehensos.

APVARVM SPECIES DIVERSAE.



APVA uera, Aphye, ἀφύη. Ex aphyis (inquit Rondeletius) ea uerè aphya dicitur, quæ ab Aristotele ἀφρὸς, ab Athenæo ἀφρῖτις, à nonnullis ἀφρύη, à spuma maris, unde oritur, nominata est: uel à candore, si Suidę credamus, qui etiam ἐγγραυλιν à multis dictam fuisse scribit, sicut & Oppianus. Sic ille. Sed engraulis magis propriè uocatur alia Apuæ species maior, quæ & Encrasicholus. Apuam Latini uocant, quoniam is pisciculus è pluuia nascitur, Plinius.



ITALICE. A Liguribus Non nata appellatur, Rondeletius. Nonnatos uel Nonnados uulgus Genuense nominat, quasi nō adhuc prouectos dicere uellet, quorum duæ sunt insigniores differentiæ: peculiari autem nomine alij ab albedine Biancheti, alij à rubedine Rosseti: & Romæ Pesci noui appellantur, omnium quos aqua producit piscium minimi, (*ut Aphya non ab aphro, id est spuma: neq; ἀπὸ τοῦ ὕειν, ut Plinius insinuat: sed à paruitate quasi ἀφυὴς & μικροφυὴς dicta sit,*) Bellonius. Idē rursus Apuas aphritides Genuæ tradit Rossetos nominari. Cibotides uerò (*lego Cobitides*) bianchetos.

GERMANICE hos pisciculos Meerseelen nominare licebit: quoniam & lacustres pisciculos diuersorum generum confertis agminibus natantes, Seelen/ (id est, animas, à paruitate) nostri appellant. ¶ Apua quæ à Cantabrigiensibus (IN ANGLIA) uocatur a Spitling: à Londinensibus, dum recens est, a Sprote: & infumata a rede Sprote/ aut a dryed Sprote: non est harengæ soboles, ut quidā affirmant, sed sui generis piscis, à parente nullo ducens originem, Turnerus. Sed an alia fortè quædā Apuæ species sit, non uera, qui Spyrling Anglis uocatur pisciculus, quærendum. Frisij & Germani plerią; ad Oceanum, pisciculum quendā nominant Spirling/ Spierinch/ Spirinck: Angli Sperling. Murmellius spirinchum interpretatur ein Spirinch uel Stint. Prioris equidē nominis rationem nescio: posterius à fœtore factum est. nam & recēs captus, & si aliquandiu seruetur, fœtere uidetur. Circa Rostochiū et alibi nominatur Stint: alicubi Stinckeling/ uel Stinckfisch/ coctum salicis fœtentis odorem referre aiunt. Huic simile alium, sed minorem ac breuiorē Hollandi Pen appellant, &c. Io. Echtius, præstantissimus Coloniæ medicus, inter alias Oceani Germanici piscium picturas Spierinck piscem pictum misit ad me, septem ferè digitos longum, dentatum, &c. Apuæ ueterum omnes (opinor) dentibus carent.


APVA COBITIS Aristoteli à Gobionibus paruis qui terrā subeunt, (uel ut Athenæus habet, qui in arena degunt,) creatur. ἀφύη κωβῖτις. ¶ Hæc nunquam ad gobionum magnitudinem accedit, simillima alioqui gobionibus marinis, &c.



GALLICE Loche de mer uocatur circa Monspeliū. est enim ijs pisciculis (*fluuiatilibus*) quos Galli Loches uocāt, tam similis, ut uix ab his distinguatur. Eadem in stagno marino frequentissima est, & Loche uocatur, Rondeletius. Bellonius aliam Cobitidem ostendere uidetur: Qui Venetis (inquit) in piscaria diuenduntur pisciculi, quos uulgus Marsiones uocat, hi sunt Cobitæ & Hepseti. hos à gobijs nasci putauerim, & uulgo nostro uocari Menuise. Terentius minutos pisciculos nominauit. Et rursus Cibotides Genuæ scribit nominari bianchetos, &c. ut iam in Apua uera recitaui. Marsioni Venetijs dicti iconem subijciemus proximè.

GERMAN. uocabimus ein Meergrundel/ Meersmerlin. Nam & Angli in litore Cumbrico uocant a Grundling, Lochæ pisciculo undiquaq; similem.


PISCICVLVS qui Venetijs Marsio nominatur: (*Vide paulò antè in Apua cobitide uerba Bellonij.*) Petrus Gillius ueterum Cottum esse putabat. Pisces quosdam (inquit) Gobioni saxatili propemodum similes, Aristoteles Cottos nominat, quos adhuc nonnulli Coranos nuncupant. Sic ille. Sed Cottus Aristotelis (in Græcis nostris codicibus legitur boithus) fluuiatilis est, Marsio au



tem marinus. Vide mox in Encrasicholo.

GERMAN. Ein fischlin von dem geschlächt der Meerseelen/ zů Venedig Marsion genannt.

ENCRASICHOLVS uel Engraulis, ἐγγραυλις, (quanquã & Apuæ simpliciter aliqui hoc nomen tribuũt,) Apuę species: quę & Lycostomus ab oris forma dicitur.



De hoc pisciculo loqui Plinium autumant, quum garum fieri ex †mutilato pisciculo scribit: quo loco alij minuto, alij minimo pro mutilato legunt, Rondeletius. Cœpit garum priuatim ex inutili pisciculo minimoq; confici, Apuam nostri uocant. Foroiulienses piscem ex quo faciunt, Lupum appellant, Plinius. uidetur autem Lupi nomine eundem piscem, nempe Apuam lycostomum intelligere: cum & nomen conueniat, & genus Apuæ, & garum similiter optimum ex eo fiat. ¶ Cum Græco cuipiam eas quas Anchoias siue Amploias littus Liguſticũ & Gallicum nominat, ostendissem, summa asseueratione appellabat Lycostomos, Gillius. Recentiores quidam uulgaris apud Italos uocabuli imitatione Ancludas nominant, Bellonius nimis generali nomine Haleculas.

† Ego inutili legerim, ut alibi etiam habetur.

ITALI cum alijs in locis tum circa Genuam, item HISPANI & GALLI Anchoy, (Anchioe, Anchoies Rondeletius) nominant. Veneti (inquit Bellonius) Sardonos, ad Chalcidum differentiam, quos Sardellas uocant: Sed Romani pro Sardonis Sardas intelligunt. Tractus litorum Liguriæ incolæ, Cueuri, Cueunari, uel Cueuneuri appellitant: sicq; Genuenses. Romanum uulgus Aliczi nominare malũt, quasi Haleces diceret. ¶ Cueunari nomine ad Coranos (Vide in præcedente pisciculo) accedunt. sed Atherina quoq; Genuę Quennaro uocatur Bellonio.

GERM. circumscribatur, ein kleine Hering art/ ein Spiring art: uel nominetur ein Onhopt/ id est Mutilatus, acephalus. caput enim amarum & ueluti bile infectũ habet, quod uel Græcum Encrasicholi nomen arguit: unde & mutilari solet, ein Meerlaugele.


HEPSETVS pisciculus sui generis Rondeletio, ut ex his Dorionis uerbis cõijcit: Aphyæ generis quæ alba est, Cobitis uocatur: & Hepsetus paruus pisciculus eiusdẽ generis est. Hunc pisciculum (inquit Rondeletius) esse opinor, qui à nostris Iuoil dicitur.



Bellonius Hepsetum à cobitide Apua non distinguit: Dorion certè, ut iam recitauimus, distinguit. Gaza ex Aristotele uidetur Naricam transtulisse. Grammatici quidã Naricam apud Plautum piscem minutulũ interpretantur. Hepsetus alioqui cõmune est nomen multorum tenuium & exiguorum pisciculorum, ut Encrasicholorum, Iôpum, Atherinarum, Gobionum, paruorũ Mullorum, Sepiolarũ, paruarũ Loliginum, paruorum Cancrorum.

GALLICE Iuoil, ut dictũ est. GERM. F. Ein gar kleines meerfischle/ mag ein Meerpfrille/ od' Meerbambele genēnt werdē: wirt vnder die Meerseelen oder Spirinch gezellet.

APHYA (Apua) Mugilum, cuius Aristoteles meminit. Aphyam Mugilum (inquit Rondeletius) nihil aliud esse puto, quàm Mugilũ speciẽ eam,



quæ sponte sine maris & fœminæ coitu nascitur ex terra arenosa uel limo: cuiusmodi ea est, quam habemus, quæ nascitur in fossis, non procul à uicino nobis (*Monspeliensibus*) eoq; antiquissimo oppido Latera uocato. Eiusdem generis est quæ in Lado nostro capitur, & Athelan nuncupatur.

GERM. circumscribatur, ein kleine art der Meeraleten / welche von jr selber wachßt vß dem mür vnd sand.

APVA Phalerica Rondeletio. Sic autẽ uocat Aristoteles (à Phalereo Atticæ portu) piscẽ, è quo Membrades gigni scribit.




ITALICE. Vide in Gallicis. GALLICE Nadelle uel Melete circa Monspelium, ut Rondeletius iudicat. At masculino genere Melet, Atherina est. Bellonius quidem Membradem esse putat, quæ uulgò dicatur Meleta Massiliæ: circa Rothomagum uerò & in litore Oceani ubi Sequana

quana

quana in mare influit, un Crado. Italice circa Genuam Arachia. ¶ Huius piscis uenter ita linea quadam à squamis exasperatur, ut in Alosis & Sardinis, Rondeletius. de piscibus etiam alijs similem hanc lineam habentibus, leges in Sardina.

GERM. circumloquor, ein meerfischle von der art der Spirlingen: gantz lind vnd fett: hat ein rauchen strich am bauch wie ein Häring. Idem fortè est qui ab Anglis in Essexiæ comitatu uocatur a Smie: qui si diu seruetur, in aquã resoluitur. nam & Rondeletij Meleta adeò mollis est & pinguis pisciculus, ut si aliquandiu digitis tractetur, liquefiat, &c.




ATHERINA, Ictar. apud Pliniũ medicũ perperã Acerina legitur. Gaza Aristã uel Aristulã conuertit. atheres Græcis aristæ sunt. unde uerbum ἀθερίζειν, quod est contemnere. Vilis autẽ & contemptus hic pisciculus est: & paruis spinis tanquã aristis, durioribus quàm reliqui huiusmodi pisciculi, abundat. GRAECI hodieq; Atherinam uocitant.

ITAL. Latharina Romæ: aliqui tamen hoc nomen cum alio pisce, quem Lauarolum nominant, confundunt. Genuæ Quennaro: Venetijs Angoëlla, Bellonio teste.

GALLICE. In litore nostro rarò capitur: diciturq; Melet (*masculino gen. nam Meleta gen. fœm. Apua Phalerica est:*) Massiliæ & in stagno quod Martegue uocatur, frequentissimè, & Sauclez (Senclez, Bellonius) nominatur. Pro Encrasicholo sæpe uenditur, Rondeletius. Gregales illos pisciculos, quos Sancletos Massiliæ uocant, Græcis innumeris Genuæ & Massiliæ ostendi: qui omnes statim atherinas appellarunt, Gillius.


GERM. F. ein art der Spirinchen oder Meerseelen: ein kleine raane Hering art.



EGO aliã atherinam (ut Gillius mihi ostendenti uocabat) Venetijs olim pingẽdam curaui: ubi Anguello nominatur uulgò: quod nomẽ fortè ceu diminutiuũ ab anchoia factũ est. anchoię enim (id est, encrasicholo) persimilis est.

GERM. F. ein ander geschlecht der Meerseelen.

Icon hæc non Celerini Oceani est: sed illius piscis qui Massiliæ Harengade uocatur, &c. ut Rondeletij uerbis recitauimus. nam Celerinus lineã in uentre spinosam habet, & quidem asperiorem quàm Harengus.




MEMBRAS, Bembras, Bebras, Bebradon.

GALL. Mẽbrades sunt, quantũ coniectura assequi possum, hi pisciculi, quos Galli Celerins uocant. Vel qui Agathopoli magna copia sæpe capiuntur, paruis Alosis similes, uocanturq; illic Calliques uel Lasches, Massiliæ Harengades, Rondeletius. Bellonius tũ Celerinũ Oceani, tũ Sardinã mediterranei maris, Chalcidẽ interpretat, magnitudine tantùm distinguẽs. Quòd si Oceano peculiaris Celerinus est, non fuerit membras Græcorũ. ¶ Plura de Celerino & cognatis ei piscibus leges in Sardina.

GERM. circumloquemur, ein kleine Hering art.

Sardinæ icon à Rondeletio posita, tam similis est Agono, (quem inter Lacustres dabimus,) ut discerni uix possit. Nostra uerò Sardina hæc Venetijs depicta, lineam asperam in uentre non ostendit: & squamas non bene, ut puto, dispositas habet.



TRICHIS uel Trichías, Τριχὶς, ἡ: Τριχίας, ὁ. Rondeletio unus est piscis, sic dictus ob spinarum copiã & paruitatẽ: sicuti & Thrissa. nam & θρὶξ rectus per θ. in singulari num. reliqui casus per τ. scribuntur. exiguæ enim spinæ ueluti pili sunt, quos Græci τρίχας uocãt. Latinè Sardina dicitur à Columella: sicut etiam hodie uulgò à Gallis & Italis. In Gallia nostra Narbonensi, (inquit Rondeletius,) Prouincia, & Italia, Sardine dicitur, minor adhuc: deinde maior Sarde. Et fortè etiã ex Græcis uocabulis Trichias ad maiorem, Trichis ad minorem pertinet: quod & Gaza sensisse uidetur: qui cum animaduerteret Aristotelem Trichiam à Trichide distinxisse, illã Sardam, hanc Sardinam interpretatus est: uulgi nimirum nomenclaturas secutus. nam Sarda ueterum, ut Plinij & Athenæi, longè alius piscis, ex Lacertorum uel Pelamydum genere est. Pisces tum molliores tum sicciores iusto, ad saliendum idonei nõ sunt. Coracini uerò & Pelamydes, & Mylli, Sardæ & Sardenæ, (Σάρδαι καὶ Σαρδῆναι,) &c. ad salsuram sunt appositi, Galenus De alim. facultatibus lib. 3. cap. penultimo. Et mox: Præstantissima autem omnium, quæ mihi experiẽtia cognoscere licuit, salsamentorum sunt, quæ à ueteribus medicis Sardica salsamenta nuncupantur, hodie Sardas uocant. Sic ille. Nõ est autem quòd aliquis putet Sardas & Sardenas, quoniã simul nominauit, eum pro cognatis duxisse. Sardica certè salsamenta ad Sardas tantùm retulerim, ad Sardenas minime: quamuis tum Sardas, tum Sardinas à Sardinia insula, unde primum nimirum mittebantur, nominatas fuisse, uerisimile est. ¶ Chalcides etiã olim ab aliquibus Σαρδῖνοι (masculino genere) nominabãtur: (& Callimachus Trichidium interpretatur Chalcidem.) Sic & Agonos lacustres pisces, Romæ nomẽ mutare audio, postquam salsi sunt, & uocari Sardenas. Fracastorius distinguit: Sardellarumque cateruæ: His est maior Aquo. Benedictus Iouius in Larij descriptione Aquonis tantùm meminit. nam quæ Salena ab eo nominatur, (hoc uersu: Scardua, & Incobia ex Pigis, & Plota, Salena,) alia quàm Sardena uidetur. Sardellæ ex Benaco admodum laudãtur, Platina: qui hos pisciculos ab Agonis diuersos, assimiles tamen facit. Quærendum an Sardellæ & Aquones (seu Agoni,) ætate tantùm differant. hos enim maiores esse Fracastorius canit. ¶ Thrissis sanè, id est Alausis & Trichidibus, multa sunt communia: nominis ratio, ut dictum est: quodque pisces sunt parui, aristosi, uiles: quòd gregatim capiuntur, & quidem utrique cantu saltationeque. Linea quidem illa spinosa in uentre, in Alausis & Sardinis, tum marinis tum lacustribus, conspicitur: item in Celerino Gallis ad Oceanum dicto, quem Rondeletius Apuam Membradem facit. Eidem Apua Phalerica piscis est Sardinæ similis, minor, tenuior: uentre similiter exasperato. Bellonius tũ Celerinũ Oceani, tum Sardinã mediterranei maris, Chalcidẽ interpretatur, magnitudine tantũ distinguens: Celerinus (inquit) asperiorem sub uentre ex aristis lineam habet, quàm Harengus. Ab eodem Liparis nominatur pisciculus lacustris in Macedonia: qui Sardinam toto habitu refert: sed uentre est latiore, & lineam sub uẽtre asperam habet. Idem aut simillimus uidetur, qui Agonus in Verbano lacu dicitur, alibi in Italia Sardanella, à maxima cum Sardinis similitudine, spinosa illa uentris linea & ipse insignis. Ancludes uulgò dictæ (Apuæ Encrasicholi Rondeletij) Sardinis Sardellis'ue similes sunt, ita ut hæ pro illis aliquando dolosè uendantur. Ancludes enim maioris precij sunt, Brasauolus.


Sardinæ lacustres. *Similitudo.*

ITALICE Sarde, Sardelle.

GALLICE similiter, ut in præcedentibus dictum est. Sardinæ nomen Oceanus Gallicus non agnoscit, ut scribit Bellonius: qui tamen Celerinum à Gallis Oceani accolis dictum, piscem eundem putat: Rondeletius distinguit.

GERM. Sardinæ an in Oceano nascantur, nondum mihi constat. Germanicè tamen Sardinam interpretari libet, ein kleine Häring art im meer: ein Meeragune. quæ interpretatio etiã Atherinæ & Membradi Rondeletij conueniet. Chalcides uerò & similes in lacubus dulcibus, Seeagunen/ Häring arten im süssen wasser. Vel Sardinam faciemus Alausæ speciem: ein art der Zigen oder Goldfischẽ im meer. ¶ Bellonius Trichidem facit Alausam ætate minorem: quæ Gallis Pucelle dicitur: Anglis a Pylcher/ uel Pylcharde. ¶ His scriptis piscem Sardeyn nominatum à Germanis ad Oceanum, Io. Echtius pictum misit.

Icon Haringi, partim ad Rondeletij, partim ad Bellonij iconem expressa.



Chalcis.

HARENGI nomẽ barbarũ est: neque ulla est, quod sciam, huius appellatio siue Latina, siue Greca. Sunt qui non rectẽ Halecẽ uocẽt, Rondeletius. Chalcidum generis hũc piscem Bellonius putat, neque id temere: quanquam Rondeletius Alausæ potius quàm Chalcidum generi Harengũ attribuat. Videtur enim Chalcidis nomen commu-


nius


nius esse: cum Oppianus Chalcides marinas fecerit, Aristoteles fluuiatiles aut lacustres: (sicut & Sardinæ hodie tum lacustres, tum marinæ dicuntur.) & ex ueteribus aliqui Trichides (uel Trichades, uel Trichiades) interpretantur Chalcides: Heracleon, Membrades. & rursus Chalcides, Sardinos. Coniicio autem ab æris colore nominatas Chalcides, (Aericas Gaza transtulit, nomine ab eo confictо quidem, quod tamen ad nostrum Hæring alludat:) non quòd ijs uiuis (opinor) is esset color, sed inueteratis: sicut in Harengis alijsque, infumatis maximè, apparet. Esto igitur Harengus, Chalcis aut Trichis Oceani maior: Celerinus uerò eiusdem, Chalcis Trichis'ue minor. In hoc tamen falli puto Bellonium, quòd Sardonum uulgò Romæ dictum, non modò congenerem Harengo, (qui in mediterraneo nullus est,) sed eundem putauit. ¶ Harengi uocabulum est Germanicum. Germani plerique Hering scribunt & efferunt e. obscuro, ad æ. diphthongum accedente: Flandri Harinck. Galli aspiratione, ut sæpe solent, omissa, per a, un areng: unde Latinum uocabulum alij aliter formant & scribũt. Ego quoniam Germanicam dictionem esse agnosco, Haringus, uel Heringus scripserim, ut suam orthographia originem fateatur. uidetur autem à Græco τάριχος deductum nomẽ, quod salsamentum significat, ut haringus, quasi harichos, pro tarichos, appelletur. nullum enim salsamenti genus usitatius per omnem Germaniam reperias. ¶ De cognatis Harengo piscibus, & similiter spinosam in uentre lineam habentibus, diximus in Sardina. ¶ Sale fumoque inueteratum hunc piscem, recentiores aliqui Haringum passum appellant: alij Ruscupam & Ruburnum, fortè à rubente ob fumum colore. Germani **Bockling / Bücking / Bucking / Buckling.** & eundem piscem muria seruatum, **Pickelhering / Roschering.** Aqua maceratum, **ein gewässerten Hering / ein Braathering.**

ANGLICE. **Heryng / Hearynge / Hearing.** Infumatus uerò **a redde Heryng.**

ILLYRICE & Polonicè, Herynk, Sledz, Sliedz, infumatus uerò Platanij Sliedz, uel Bydlinek.

Alia eiusdem inueterati figura.






LIPARIS (marina) Rondeletij. Piscem hunc rarũ (inquit) & spectatu dignissimum, cùm aliquandiu seruare uellem, totus in oleum abijt: qui euentus me impulit, ut Liparim (*Liparidem potiùs, à recto oxytono fœminino λιπαρίς*) quasi λιπαρὸν, id est, pinguem, nominem. Capite terrestrem cuniculum refert: ore est paruo, sine dentibus, &c. Adeò pinguis est, ut non uentri solũ intestinisque infarcta sit pinguedo, ueluti in Mugilibus & Lupis: sed etiam sub cute carnis loco nihil aliud uideatur esse quàm pinguedo. Idem Rondeletius Agonum quoque lacustrem piscem Liparin (*Liparidem*) à nonnullis appellari scribit, à pinguitudine: quòd cum in craticula assatur, pinguitudo uelut oleum destillet. ¶ Alia

est Liparis lacustris in Macedonia, Bellonio descripta.

GERM. F. Ein Schmeltzling/ein Feißling. Cæterùm ut hic piscis (teste Rondeletio) in oleum resoluitur: sic in Essexia comitatu Angliæ habetur piscis, qui uocatur a Smie: qui si diu seruetur, in aquam resoluitur, ut Eliota Anglus scribit. Apua Phalerica quoq;, Sardinis atq; Alausis non dissimilis, & linea uentris similiter aspera insignis, in pinguedinem fermè resoluitur. ¶ Alius est ab accolis Oceani dictus een Smelte, cuius iconem Io. Echtius ad nos misit.

Bellonius figura Variatæ apud me uisa, omnino Epelanum fl. suum esse aiebat. Icones quidem utriusq; conueniunt, nisi quòd pinnæ uentris non similiter positæ sunt, pictorum fortè culpa. Vide inter Fluuiatiles.

THRISSA, id est Alausa, quãquam post Apuas cum Harengo inter marinos censeatur à Rondeletio, à nobis ad fluuiatiles referetur, procul enim flumina subit.



VARIATA ficto nomine. Epelano fluuiatili Bellonij percq; similis est piscis, quem Io. Caius medicus Angliæ ornamentum, Variatam appellauit, & his uerbis mihi descripsit, delineata etiam quæ hîc apposita est figura. Variata (inquit) piscis est marinus, illustris, aureus & resplendens magis, uersicolor tamen, ut si multo colori & splendescenti exiguum purpureum admisceas. Is color, prout ad Solem in hanc aut illam partem uerses piscem, ita alius atq; alius est, ut in collo columbino: unde pisci Variatæ nomen dedimus. Magnitudine est Alburni, cute & carne Percæ: in australi nostræ Britanniæ mari plurimus, inter scopulos atq; saxa frequens. Mortuo marcescit color, & ad pallorẽ degenerat. Sic ille. Nos quoniam Alburno maior non est, quamuis Saxatilem hunc pisciculum, primæ huic Classi adnumerare uoluimus. Idem uidetur à Io. Echtio pictus ad me missus piscis, adscripto nomine Vore, tanquam accolis Oceani Germanis usitato.

GERMANICE F. ein Meerbambele: uel à coloris uariatione, ein Schiler.

DE GOBIIS MARINIS, ET PRIMVM in genere quædam.

GOBIVS, Gobio, Cobio. Gouius in Halieut. Ouid. Græcè κωβιός, κωβιὸς, aliquib. κώθων, Σωρίτιος. Pisces Gobioni saxatili propemodũ similes, Aristoteles Cottos (*imò Cothos*, κῶθος *Athenæus*) nominat, quos adhuc nonnulli Coranos nuncupant, Gillius. Lege suprà in Encrasicholo. *Cottus.* ¶ Gobiones marini & fluuiatiles toto genere distant. Fluuiatiles nunc appellamus non è mari in flumina deuectos, sed in fluminibus ipsis genitos, à marinisq; corporis etiã figura differentes. Horum apud ueteres Græcos nulla habetur mentio. Aristoteles nanq; & Galenus de ijs tantùm qui è mari ad flumina annatant, loquuntur. & nimirum etiam Dorion apud Athenæum: sin minùs, quos ipse Gobiones fluuiatiles uocauerit, ignorare nos fatendum est, Saluianus. ¶ Gobius marinus, Venetis Go. Liguribus Zolero. Gallis Gouion de mer. Plinio modò Cobio, modò Gobio. Huius à Saluiano posita imago, nostris omnibus dissimilis est, tum forma ferè, præsertim capitis: tum pinnis in dorso tribus. quanquam in descriptione author duarum duntaxat meminit. Color (inquit) non idem omnibus. hæc tamen colorum siue picturę uarietas, non species diuersas, sed differentias tantùm Gobionum facit. non secus enim quàm Anguillæ & Tincæ, loci ratione colorem uariant. Nam qui Gobionum puriorem maris partem incolunt, minùs picturati sunt: coq; ab Hicesio & Diphilo, nõ quia uerè candidi sint, sed quia minùs colorati, ac ex albo leuiter flauescentes, albi uocantur. Qui uerò in cœnosis atq; paludosis marinis locis degunt, cũ ex flauo nigricent, (cuiusmodi noster hic piscis est à Venetis Go appellatus,) nigri dicuntur ab Hicesio. Qui postremò circa saxosa maris loca uictitãt (quales sunt Venetijs Paganelli appellati) etsi uarijs depicti sint coloribus, cum eorum tamen partes plurimæ flauescant, χλωροὶ (id est pallentes siue flauescentes, nõ autem uirides) ab Hicesio & Diphilo iure uocantur. Hæc Saluianus. Ego sanè species Gobiorum maris diuersas esse cum Rondeletio putârim: neq; temere nomina etiam diuersa à uulgo eis imposita. Quòd si ipse genus unum omnium in mari Gobiorum existimauit, hoc est speciem unam: cuius indiuidua differentijs tantùm differant colorum, (neq; enim differentias alias ullas exprimit:) cur piscem 81. suum, priuatim nigrum facit, Go Venetijs dictum, à Paganello alijsq; distinguens: cum pro quouis Gobio mar. accipi queat, si in coloribus tantùm discrimẽ est: ij uerò libris impressis ad nos aduectis additi non sunt. ¶ Aeliani & Oppiani Gobius mar. noxijs aculeis armatur,

quod


quòd in cognitis hodie non deprehenditur. ¶ Gobionum(marinorũ, inquit Rondeletius) multæ sunt differentiæ, à loco uiuendiq; ratione, à substantia, à magnitudine, à colore. A loco quidẽ & uita, quòd Gobiones quidam litorales sint: alij saxatiles, alij in fluuiorum ostijs aut marinis stagnis uiuunt. alij fluuiatiles. Substantia, quòd alij alijs præferãtur, uel quòd ad palati gustum, uel quòd ad salubritatem. Colore: quoniam alij albi sunt, alij nigri, alij flauescentes siue pallidi, quos uirides non rectè appellant. Magnitudine: sunt enim alij magni, nimirum flauescentes: alij parui, albi: alij inter hos medij, nigri.

GERMANICVM nomẽ fingo ein Meergob. quoniam & Gobij fluuiatilis genus Kop uel Cab Germani uocant, nostri Gropp. Sed Blennum interpretor ein Meergropp, quòd fluuiatili persimilis sit: Gobium uerò differentiæ causa ein Meergob, alludendo simul ad Latinum uocabulum.


ANGLICVM Gobionis nomen ignoro. neq; ad hoc genus referendas puto duas piscium species, quarum alteram Angli Sandele, uel Sandil (composito ab arena & anguilla uocabulo) appellant: quæ in Mediterraneo mari an reperiatur dubito. alteram, Smelte, quam Eperlani nomine Gallico descripsimus.

GOBIOS marinos in hũc Ordinem potiùs quàm Saxatiliũ asciui, quòd & omnes parui sint: et una tantùm ex eis species saxatilis, quam primo nunc loco describemus.

Gobij saxatilis effigies à Rondeletio exhibita.



Alia eiusdem Venetijs delineata, maior quàm uellem.



GOBIVS marinus maximus, flauescẽs, & uerè saxatilis. Græcè Κωβιὸς καυλίνης, ἢ χλωρός: hoc est, Gobius caulines, uel subflauus. errant enim qui uiridẽ interpretantur: cũ χλωρὸς nõ modò uiridem, sed aliquãdo etiam pallidum uel subflauum significet. ¶ Bellonius hunc Gobium album facit: Rondeletius album diuersum exhibuit.


ITAL. Venetis Paganello. Vercellenses rustici Gobium fl. quoq; (quem alij Chabotum) Paganellum uocant, Rondeletius. Paganello autem nomen fortè à rubro colore impositum fuerit, quo ad Pagrum accedit.

GALL. Massiliensibus Gobio. Circa Monspelium Boulerot, teste Rondeletio: qui tamen Gobionem nigrum ibidem priuatim Boulerot dici scribit. ¶ Gobij saxatiles, uulgò Goatæ uocantur, Gillius.


GERM. Ein Steingob im meer: ein gälblachter Meergob.

GOBIO Niger, (qui in litoribus & stagnis seu paludibus marinis degit) magnitudine inter subflauũ & albũ mediocri. Κωβιὸς μέλας. Similis est priori, (inqt Rond.) sed minor: coloris nigri, maximè parte anteriore. Loco binarũ pinnarũ, quę cęteris sunt in uentre, unicam habet nigrã, barbam esse

Gobio niger Rondeletij.



Eiusdē alia icon Venetijs picta, licet maior quàm Paganelli, id est Saxatilis, qui maximus Gobiorum à Rondeletio dicitur.



diceres. Quę nota facit, ut credam hunc esse pisciculum, quem Athenæus libro 8. τράγον uocat, id est, Hircum, cui Exocœtum cōfert, his uerbis. Exocœtus omnino similis est pisciculo qui Hircus dicitur, præter nigrū illud quod uentriculo subest, quod Hirci barbam uocant. Sed etiam Mæna mas, quum fœmina fœtu impleri incipit, Hircus uocatur Aristoteli. *Tragos.*

ITAL. Venetis Go, Guo, Gobi.

GALL. Circa Monspeliū Boulerot: quod nomē Rondeletius saxatili etiam uel subflauo adscribit.

GERM. F. Ein schwartzer Meergob.

Gobius niger Bellonij, ab omnibus Rondeletij Gobijs diuersus uidetur, etiam à nigro ipsius Gobio. Gobiones marini (inquit) Venetis Goi, Genuensibus Guigiones, Romanis Missori uocātur: quanquam Missoris uox ad plerosque alios pisces trāsferatur. Incolæ urbis de le Specie, & qui Portum Veneris ac Genuam inhabitant, Zozeros nominant.

GOBIVS Albus, Κωβιὸς λευκὸς, omnium minimus, nō ita quidem cādidus est, ut cum aliorum multorū piscium candore possit contendere: cæteris tamen Gobionibus candidior, Rondeletius. Bellonius Gobium saxatilem & flauescentem Rondeletij, album cognominat.

GERM. F. Ein wyßlachter Meergob.



DE ALIIS QVIBVSDAM paruis piscibus, ut Blennis, Alaudis, & similibus: Item de Scolopace.



BLENNVS, Belennus, Bæon, Rondeletij. (nam alius est Bellonij Blennus.) Βλέννος, Βέλεννος, Βαίων. Pisciculus est (inquit) similis ei, qui à Tholosatibus Peis de menage uel Grauan dicitur: Cotto etiam fluuiatili pisciculo tam similis, ut uix discernatur, nisi ab eo qui nouerit, hunc in fluuijs, illum in alto mari degere. Pelagius est & rarissimus. corporis specie Ranam piscatricem refert: colore & carnis substantia Aphyam Cobitidem. Sic ille. Non inepte etiam Cottus marinus uocabitur. Plura leges mox in Blenno Bellonij.


GERM. F. ein Meergropp.

Vilis, humida carne, & planè insipidus est pisciculus: à blenna fortè, id est, muco, nomen sortitus: nam & βλέννος, & σιαλὶς uocatur: & Lycos quoque Diophani in Geoponicis 18.14.

BLENNVS Bellonij & Saluiani. Nomina diuersa leges suprà cum Rondeletij Blenno, qui pelagius est, hic enim saxatilis est, non tamen dignus qui saxatilibus adnumeretur. nam propriè dicti saxatiles circa saxa frequenti natatione exercentur: eoque sicciorem, friabilem & salubrem in cibo carnem habent: Blennus autem & similes, in petris stabulantur, & propter ignauiam minimè exercentur, ideoque mucosa sunt carne: & ferè figura etiam à propriè dictis saxatilibus differunt.

Et quan-

¶ Et quanquam Blennum hunc esse ex ijs quæ authores tradiderunt, prorsus affirmari non posit: uidetur tamẽ is esse: cum βλέννα mucum significet, βλεννὸς ignauum & segnẽ. est enim hic piscis præ ceteris mucosus, ignauus, timidus, segnis ac tardus. & in herbosis litoribus uiuit: & Cothio siue Gobio absimilis non est: hoc enim de Belẽno Athenæus:



illud de Blenno Oppianus tradit. Fortasis autem idem etiam Epicharmi Bæon (Βαίων) fuerit. paruus enim est, id est, βαιὸς Græcè: & simul malus ac uilis piscis Epicharmo teste. Hæc ferè Saluianus. Varino quidem Βαίων non alius est quàm Βλέννος: sic enim apud illum scribitur. Vide etiam infrà in Exocœto Bellonij. Belennum dici non laudo, nisi fortè carminis gratia. ¶ Hunc piscem (qui Scorpioidi Rondeletij mox exhibendo idem aut planè cognatus uidetur) ego quoq; olim in Italia Blenni nomine pictum, à Cor. Sittardo accepi.

CORCYRENSES & Zacynthij Cæpolam à cepæ similitudine uocant. Capite est grandi, spiculato, &c. Totus quadrantalem non excedit longitudinem: crasitudo eius ut cepa mediocris esse cõsueuit. quin & ita flauus est ut cepa, & Scorpænam colore refert. Quosdam audiui qui hunc Boacem perperam uocarent, Bellonius.

ITALICE Borrebotza. Pesce de petre, quòd semper inter petras agat. Pesce de fortessa. ¶ Romæ non secus quàm Vranoscopus & Citus (*sic Cottum fl. seu Gobium fl. capitatum uocat*) Messore dicitur, Saluianus.


HISPAN. Cagador (ni fallor) Lusitanis.

GALL. In Narbonensi Prouincia à nonnullis Lebre de mar dicitur, Saluianus. Rondeletius Scorpioidem suum uulgò Lebre de mar uocari scribit. est autem is idem cum Blenno Saluiani & Bellonij: nisi duæ species unius generis proximi alicui uideantur. Vide in subsequente pisce.

GERM. F. Ein andere Meergroppen art: ein Schleymling/ein Zwibelfisch. Leporem mar. Germanicè interpretari non libet propter euitandam synonymiam.

Blenno Bellonij & Saluiani, & Rondeletij Scorpioidi, Galerita utraq; eiusdem & Pholis, cognati mihi uidentur. item Galetta Venetijs dicta, & Gutturosula: cognati inquam tum inter se, tum Gobijs, uel potiùs Mustelis marinis: unde & Galetta fortè diminutiuè dicta. hæc tum corporis specie, tum pinnis & læuitate cutis, & molli mucosaq; carne, ad pisces prædictos accedit. Gillio cum ostendissem Venetijs, Gobij genus pessimum esse dicebat.

SCORPIOIDES Rondeletij: idem ut uidetur, uel cognatissimus Blenno Bellonij, &c. de quo proximè retro dictum est. Vulgò à nostris (inquit Rondeletius) Lebre de mar: id est, Lepus marinus dicitur. quia rostrũ terreni Leporis προτομῇ admodum simile habet. Lepori quidem marino uerũ omnino dissimilis est. Scorpioidem nõ ineptè ap-




pellabimus: est enim capitis forma Scorpioni marino similis, totidemq; supra oculos apophyses molles habet. dentibus differt. Prætereà differt à Scorpione & Galerita pinnæ dorsi magnitudine, duabusq; maculis nigris eiusdem pinnæ. Cutis læuitate Galeritæ similis est, & carnis substantia, non autem Scorpioni. Litoralis est: muco & aqua uescitur.

GALL. Lebre de mar, ut prædictum est.

GERM. Vide cum præcedente pisce. Poterit etiam ein Schneckling, id est, Cochlioides appellari: quoniam Cochlearum seu Limacum instar cornicula protendat.

ALAVDA cristata uel Galerita piscis, ut à Rondeletio uocatur. In saxis uiuit, & naturam formamq; saxatilium imitatur, in saxatilibus tamen non habetur (à medicis.) In uertice cristam erigit (Alaudæ auis instar) mollem, & cœruleam dum uiuit. Carne est molli, & ob paruitatem ne-


Basiliscus. gligitur, Rõdeletius. ¶ Basilisci pisces circa petras leprades degunt Oppiano: uerisimile autem est Alaudas nostras à crista, à qua et regulis auiculis nomen, Basiliscos ab eo dictos. Poterunt & Pauones marini dici hi pisces. nam & uersicolores sunt, & cristam habent cœruleam, qualem Pauoni pisci Phasidis Philostratus attribuit.



GALLICE. Percepierre, Coquillade.


GERMANICE uocetur ein Seelerch/ein Robellerch.

ALAVDA non cristata Rondeletij, similis superiori, crista excepta. Possis etiam (inquit) optimo iure Simiam appellare, *Simia.* quia capite Simiam refert, paruo scilicet & rotũdo. uel si nostrorũ appellationẽ sequi uelis, qui Percepierre nominant, non absurdè Empetrum uocaueris, in petrarum enim cauernulis degit, inq; abditissimis earum rimis se occulit.



GALL. Percepierre, ut prædictum est.

GERMANICE circunscribo, ein Seelerch on ein kobel/on ein kamp. Mordet hæc quidem, sed morsu innoxio: quamobrem Iulis non est.




ALAVDIS Rondeletij cognatus piscis: Exocœto quoque Bellonij idem, aut eius species.

ITALICE Venetijs Gotorosa uel Gutturosula, à prominente nimirum sub faucibus tumore.

GERMAN. F. ein art der Seelerchen. Litoralis est piscis, & ferè subit foramina lapidum, aut *Troglodytes.* parietum ædificiorum in litore: unde nõ ineptè Troglodytes appellabitur: uel à crista, Basiliscus, *Basiliscus.* sicut & Rondeletij Alauda cristata. ¶ Idem uel cognatissimus est piscis Exocœtus Bellonij, qui mox sequitur: ubi & alia nomina Germanica reperies.

EXOCOETVS Bellonij. (Alius est Rondeletij Exocœtus, saxatilis.) In saxis degit: non tamẽ est propriè saxatilis, ut medici nominãt. Idem aut eius species cognatissima est piscis proximè retro positus. ¶ Exocœtus (inquit Bellonius) species habet plures: quarum una cristata est, (*cuius iconem damus*,) Massiliæ frequens: primo aspectu aliquatenus gobium referens, cute glabra & lubrica: unde uulgus Græciæ



ciæ glinon nominauit. Tertium Exocœti genus etsi Byzantinis piscatoribus nõ alio quàm Glini nomine pernoscatur, ac nonnullis Chelidonius appelletur, tamen à Glino ac cristato Exocœto differt, &c. Hæc ille. Quærendũ an hic fortè ueterũ Blẽnus sit, quoniã & mucosus est, opinor, & lubrica cute, unde hodie Græcis Glinos nominatur, ut olim Blennus uel Blinnus. ¶ Exocœtum in Arcadia Lychnon modò uocitant, Massarius. Plinius Exocœtum cum Pœcilijs Arcadiæ piscibus confudisse uidetur. *Blennus. Lychnus. Pœcilias.*


Quærendum an Adonis alius quàm uel Rondeletius uel Bellonius proposuere, piscis sit: quoniam apud Kiranidem Edone piscis (idem nimirum Adonidi) alio nomine Ophidion dicitur. Ophidij autem species una Rondeletio flaui coloris est: qui color à ueteribus Adonidi tribuitur, unde & Cirrhis Ceris'que uocatur, &c. ut non tres pisces diuersi, Adonis, Ceris & Ophidion sint: sed unus, tribus diuersis nominibus indicatus, & pro Ophidio rectè à Rondeletio demonstratus. Adonis quidem Rondeletij, Turdorum generi adnumerandus mihi uidetur. *Adonis. Ophidium. Cirrhis. Ceris.*

GRAECI Constantinopoli uulgò Glinon uocant.

ITALI circa Genuã Bauecqua. Romani cum alijs minutis piscibus confundunt, modò Ceram, modò Missorem (aliâs Messore: uagum nomen ad Vranoscopum, Blennum & Cottum fl.) appellantes. Indigenæ Comasci Vulpem uocant, una Folpe, Bellonius.

GALLI circa Massiliam Gabot uel Gauot.


GERMANICVM Exocœti Bellonij nomen ignoro, quanquam in Oceano frequentissimum esse tradit, & in rupibus Bononiæ penè innumeros reperiri. fingamus igitur nomen, ein Punterhan, à maculis & crista: uel ein Steinrup, quòd ueluti Gobius aut Mustela saxatilis sit. Vel eadẽ nomina quæ præcedenti ponamus, idem enim uel cognatissimus esse uidetur.



PHOLIS Rondeletij, φωλίς. Superioribus (*inquit, de Alaudis autem & Scorpioide proximè scripserat*) & maximè Alaudæ similis est piscis, qui Antipoli à muco Bauosa dicitur. Mollissima est carne & glutinosa. Piscis hic (inquit Aristoteles) mucum quem ipse emittit, sibi obducit, ut in eo quasi cubili quiescat. Cubile autem Græci θαλάμην aut φωλεόν appellant: inde nomen.

GALL. Bauose, ut prædictum est.

GERMANICE nominabimus ein Schleymlerch/ein Meerlerchen art.



SCOLOPAX Rondeletij, (ficto nomine Græco à rostri longitudine, quod scolopis, id est paxilli instar productum habet, sicut & Σκολόπαξ uel Ascolopas, auis, quam aliqui recẽtiores Rostricem nominant,) haud scio ad quem Ordinem referri mereatur. Rondeletius piscibus peregrinis adnumerauit: quos cum ego plerosque omnes ad suas classes retulerim, & hic unus superfit: in fine Ordinis primi, propter paruitatẽ, collocare uolui. Peregrinus (inquit) & rarus est piscis: semper'que paruus, ut arbitror. Aliqui Elephantum, tanquam à proboscide, sed rostrum proboscidis instar flexile non est: alij Ibidem uocare uoluerunt. Sic ille. Ego hunc piscem Serram Plinij potiùs dixerim, (ab aculeo serrato:) quàm Cetum illum quem Rondeletius Pristin appellat. Licebit & Rhamphestem appellare. Ῥαμφησταὶ enim Hesychio pisces quidam sunt, à rostro nimirum dicti, quod in auibus, præsertim maioribus, Græci rhamphos appellant. *Elephantus. Ibis. Serra.*

GERM. F. Ein Sagfisch, id est, Serra piscis: uel ein Meerschnepf, id est, Scolopax marinus.

ORDO II. PISCIVM MARINORVM, QVI CONTINET SAXATILES, ET ALIQVOS EIS PROXIMOS, MAGNA ex parte latos & compressos.

DE SAXATILIBVS QVAEDAM IN GENERE.



SAXATILES pisces à ueteribus, non in dulcibus aquis, sed in mari tantum appellati sunt: qui nimirum in litoribus, non impuris & cœnosis, non terreis & arenosis: sed qui in puris & saxosis locis & circa promontoria degant. Quòd si quis tamē in dulcibus etiam aquis saxatiles aliquos contra ueterum consuetudinem nominare uellet, non ij qui sub lapidibus stabulantur & latent plerunque, qui & squamis carēt, & humidiori sunt carne minimeque friabili: sed illi potiùs qui in saxosis fluuijs & riuis degunt, exercenturque subinde contra aquam natando: ut præcipuè Thymalli, qui saxatilibus mar. conferri possunt (quanquam & alij quidam minus laudandi, in saxosis fluuijs reperiuntur: qui tamen cæteris eiusdem generis in alijs aquis degentibus collati, multò præstantiores sunt) sic uocari poterunt. ¶ E saxatilibus marinis Galenus nominat præcipuè Scarū, Merulā, Turdū, Iulidem, Phycidem & Percam. Hi (inquit) nec alimenta, nec loca mutant, nec dulcibus aquis utuntur, ob eamque causam omnes perpetuò sunt inculpati: & nullum in eis discrimen manifestum reperitur, ut qui perpetuò in purissimo mari degant; aquamque dulcem, & eam quæ ex dulci & marina mixta est fugitent. Itaque illos (inquit Saluianus) qui non perpetuò, neque omnes eiusdem generis in saxosis locis uictitant, cuiusmodi (ipso authore) Gobio est, à uerè saxatilibus excludit: etsi à plerisque antiquis scriptoribus hi quoque inter saxatiles censeantur. ¶ Saxatilium quidam naturam formamque imitantur, ut Alaudæ Rondeletij: qui tamen inter saxatiles à medicis non habentur. immorantur enim ferè saxis, nec ita circumnatando subinde exercentur, unde molliori sunt carne, aliqui etiam mucosa ut Blenni: quare nos ad primum Ordinem eos reiecimus. ¶ Sunt qui in saxis quidem degant: sed neque figuram, neque naturam saxatilium referant: ut Canicula illa quæ Gallis Cato rochiero dicitur: ut Locustæ, Murænæ. Saxatiles pisces plerique à Gallis communi nomine Rochiers uocantur, à Germanis dici possunt Steinfisch/Steinling.

Scari iconem quæres ad finem libri.

SCARVS, Σκάρος, inter saxatiles omnes principatū tenet. Genera eius duo sunt, ὀνίας, de quo hic agimus, (qui propter latitudinem corporis, & cum Sargo similitudinem, ad quartum Ordinem referri poterat:) & alter αἰόλος, id est, uarius cognomine. Vtrique multæ communes sunt notæ: sed sunt etiam propriæ. A uerbo σκαίρειν (id salire uel saltare significat: aliquando etiam pasci. piscis quidem hic algam & herbas depascitur) fiunt σκάρος & σκαρὶς, Athenæus & Eustathius. sed fortè duo hæc nomina piscis unius fuerint: ut Perca & Percis, &c. Nō alius hic piscis uidetur, quàm qui alibi Meryx (Μήρυξ) ab Aristotele uocatus est, hoc est, Ruminalis. solus enim hic piscium ruminare creditur: & solus uocalis esse Oppiano. ¶ Nostris (inquit Rondeletius) diu incognitus fuit: neque mirum, cum Romanis olim & toti Italiæ serò uisus fuerit. nam Columella: Scarus (inquit) qui totius Asiæ Græciæque litoribus Sicilia tenus frequentissimus exit, nunquam in Ligusticum, nec per Gallias enauit ad Ibericū mare. Et Plinius: Scarus Carpathio mari maximè frequēs, promontoriū Troadis Lecton spōte nunquā transit. Inde aduectos incredibili multitudine nauibus, Tiberio Claudio principe, Optatus è libertis eius, præfectus classis, inter Ostiensem & Campaniæ orā sparsos disseminauit. Quinquennio ferè cura est adhibita, ut capti redderentur mari. Posteà frequentes inueniuntur Italiæ in litore, non antè ibi capti. In nostro mari (inquit Rondeletius) capiuntur non procul à Massilia, & maximè circa Stœchadas insulas. Rhodi maximam esse copiam à Rhodijs accepi. Idem apud Athenæum perperam scribi ait, hūc piscem dentibus serratis, & carniuorū esse, & Lepore mar. uesci: omnia enim hæc falsa esse. ¶ Colore ex cæruleo nigrescit, uentre est candido: Sargo similis, corporis forma ad rotundam accedente, aculeorum pinnarumque situ & numero, &c. Dentes planos hominis modo maxillasque habet: immò propriè solus latos habet, (Plinio teste.) atqui Sargi etiam dentes, & Picij seu Melanderini, & Auratæ, plani humanisque similes uidentur. Aristoteles hunc piscem ut solum ruminare, ita etiam non utrinque dentatum esse scribit, & superioribus dentibus carere.

GRAECI etiam huius temporis Σκάρον nuncupant, Massarius.

ITAL. Nonnulli existimant Scarum Romæ inter Auratas à piscatoribus uendi: qui similitudine (quod facilè credo) decepti, neque animaduersa saporis nobilitate, in foro piscario eum Auratis & Sargis commisceant. consensu tamen piscatorum, Zaphirus piscis, (sic à cyaneo eius gemmæ *(sapphiri)* colore dictus,) inter Auratas longè sapidissimus existimatur: qui fortasse Scarus antiquis

quis fuerit, Iouius. Romanis nostrisq; non planè notus est, Rondeletius.

GALL. Romanis nostrisq; non planè notus est. alij enim ob similitudinem Dentè, alij Sargo, alij Cantheno uocant. à nostris piscatoribus pro Sargo uenditur.

GERM. In Oceano Germanico an reperiatur hic piscis nondum mihi constat. (Scarum quidem uarium in Oceano non capi Bellonius testatur.) quamobrem nomen eius Germanicum fingo: ein Mewer oder Mewling: id est Ruminator: ein Mewbrachsme/ein Steinbrachsme. ein Zänbrachsmen art.

SCARVS uarius, Σκάρος αἰόλος. Αἰόλος quidem, id est, uarij cognomen, multis etiã alijs piscibus est commune: ut Percis, Coracino: & multis alijs saxatilibus epitheton hoc cõuenit, Rondeletius. Superior Scarus (inquit idem) ferè concolor est. hic uerò, oculis, uentris inferiore parte, in qua podex, purpurei est coloris: cauda coloris Indici: reliquum corpus partim ex uiridi, partim ex nigro, cæruleum est: squamæ ueluti notis obscurioribus aspersæ. In medio uentris notas duas purpureas habet: formosissimus sanè piscis, si quis alius. Romæ per semestre spatium unus tantùm mihi uisus est. Capitur aliquãdo in nostro mari, è regione Magalonę, & nõ procul à Massilia, & Antipoli: circa Stœchades insulas sæpius. ¶ Bellonius superioris non meminit: & hunc simpliciter Scarum nominat. Nullus (inquit) est in Propontide, Ponto, & Hellesponto: in Creta plurimus. ¶ Piscem corporis forma Scaro uario similem, totum purpurei coloris, Rondeletius tertiam Anthiæ speciem facit. Vide infrà in hoc Ordine.


GRAECVM in Creta uulgus hodieq; antiquam appellationem retinuit, Bellonius.

GALL. Aliqui eum communi saxatilium nomine Rochau nuncupant; alij Aiol, alij Auriol: seruatis, ut credibile est, nominis αἰόλος uestigijs, Rondeletius.


CANARIARVM insularum incolæ, ut ferunt, Brechos appellant, Rondeletius.

GERM. In Oceano reperitur circa Canarias; fortè & alibi: quanquam Bellonius in Oceano reperiri negat; de Gallico nimirũ Oceano tantùm sentiens. Nomen fingemus, ein Buntermewling, hoc est, Ruminator uarius; uel circunscribemus, ein schöner geteilter Mewer.

Merula Rondeletij.



Bellonius aliam Merulæ iconem quàm Rondeletius exhibet, nescio an diuersi piscis. Suum quidem Rondeletius Tincæ fl. corporis habitu similem esse scribit: & suũ Bellonius ab Italis Tincam mar. appellari, &c. sed corporis species differt, ut apparet. Saluianus etiam Callariam suum, id est, Phycidẽ Rondeletij, Romæ Tincam mar. uocari scribit: & aliqui (ni fallor) Coracinum similiter uocant.



MERVLA piſcis, dictus eſt à colore auis eiuſdem nominis: ſicut & Κόσσυφος uel Atticè Κόττυφος Græcè: quanquam in aue color niger eſt, in piſce ad uiolaceum accedit, ex indico nigreſcens. ſed ueteres etiam indicum aut purpureum exaturatum colorem, nigrum uocabãt, ut in purpura, uiola. Iſidorus Hiſpalenſis maſc. genere Merulum dixit. Merulæ, Turdi, Squillæ, uêre nigreſcunt, poſteà candorem ſuum recipiunt, Ariſtoteles: hoc eſt, ſuum quidem colorem ſeruant: ſed is magis exaturatus fit circa uer, æſtate uerò magis diluitur, minusq́ niger eſt, Rondeletius. Idem etiam aliud Merularum genus obſeruauit, dorſo nigro, uentre indico, quibuſdam partibus cœruleis, ut pinnis, cauda & circa branchias. ¶ Oppiano Merula mas eſt, Turdus (Κίχλη) uerò fœmina. quod fortè nonnullis perſuaſit formæ ſimilitudo: quæ facit ut hodieq́ nonnulli horum piſcium nomina permutent. Terminatio quoq; in Græcis uocabulis (nam apud Latinos contrà ſe habet) hanc perſuaſionem promouiſſe uidetur. Grammatici quidam Græci etiam Κόψιχον hunc piſcem nominant, ſicuti auem. ego pro piſce apud authores Κόσσυφον tantùm reperire memini.

Turdus an mas Merulæ.

ITAL. Piſcatores maris Liguſtici, Adriatici & noſtri quoq;, hoc eſt, Mediterranei, ad unũ Merulã agnoſcũt, quã cum Phycidibus etiam confundunt. Romani tamen peculiariter ſpeciẽ unam Merlo nominant, ſæpe etiã Canarellas, Canadellas & Phycides Merulæ nomine uocant. Merulã Itali æquè atq; Phycidem, Tincam mar. nominant, Bellonius. Merula Turdo ſimillima eſt, ſed nigrior. eam quia Tincæ formam habet, Tincam mar. Veneti cognominant, Maſſarius.

HISPANI & Sardi adhuc nomen Latinum retinent, Gillius.

GALL. Vide ſuperiùs in Italicis. Peritiores piſcatores Merle uocant: nonnulli Tourd, non diſtinguentes Turdum à Merula: alij communi ſaxatilium nomine Rochau, Rondeletius. Cauendum ne quis Merlu dictum à Gallis piſcem (Merlucium recentiores quidam Latinè efferunt, quaſi marinum Lucium) pro Merula accipiat.

GERM. F. Ein Merlefiſch, uel Amſelfiſch: Germani quidem inferiores Merulam auem uocant Merle, ut etiam Galli, qui & auem & piſcem ita nominãt. uel ein Meerſchlye, id eſt, Tinca mar quanquam & Phycis quibuſdam Italis eodẽ hodie nomine uenit, & fortè alij etiam piſces, ut genus quoddam Iulidis. Ein Meerſchlyen art.

ANGL. Merulam (inquit Turnerus in epiſtola ad me) in litore Angliæ occiduo uidiſſe me puto. hanc piſcatores illic uocabant a Cookefiſhe: quòd nautarum coci iure quodam ſuo propter delicatum ſaporem apud ſe retineant & coquant, quum reliquos omnes facile ad quæſtum diſtrahi patiantur.

DE TVRDIS IN GENERE: IN GENTIVM TAMEN NOMENclaturis quædam ad ſpecies aliquas Turdorum priuatim pertinere uidentur.

TVRDORVM multa ſunt genera (inquit Rondeletius,) uaria nomina: tantaq́ colorum uarietas, ut in ijs creandis luſiſſe uideatur natura. Pancrates apud Athenæum author eſt, multis nominibus appellatum fuiſſe Turdum, & Nicander πολυώνυμον cognominat. etenim Κίχλην, Σαῦρον, Αἰολίαν, nuncuparunt: ex quibus nomen Κίχλη frequentius eſt: & ita potiùs ſcribendum quàm Κίχλα. Athenæus ex Ariſtotele μελανόστικτον, id eſt, nigris maculis inſignem facit: ſed potiùs ποικιλόστικτον dixerim, id eſt uarijs notis diſtinctum: & ſic apud Athenæum legiſſe uidetur Phauorinus, & Euſtathius. Hæc ille. Addit, multas illas à ſe poſitas Turdorum ſpecies, ſolo ferè colore differre. ¶ Turdus piſcis à colore dictus eſt, ut tradit M. Varro: non à ſapore ſimili, ut forſan aliquis ſuſpicaretur. Atticis Κίχλη, Doribus & Siculis Κιχήλα dicebatur. Πολυώνυμα recentiores Græci philoſophi uocãt, quæ Grammatici ſynonyma: unde & hic piſcis Polyonymus cognominatur, quòd diuerſis uocabulis rem eandem ſignificantibus appelletur. Σαῦρος quidem nomen frequentiùs alteri cuidam piſci attribuitur: ſiue illi quem Acui ſimilem Rondeletius exhibuit: ſiue Lacerto eiuſdem peregrino, (Græcè enim Σαῦρος lacertum ſonat:) quem (inquit) aliqui propter uiriditatem iucundam, ſimul & oris totiusq́ capitis ſimilitudinem cum terreſtri, Lacertum uocant. In Turdis quidem nullam ad Lacertos formæ ſimilitudinem reperio: ſed quidam ex eis planè uiridi colore ſunt, qui præ cæteris fortè Sauri nomen merentur. Aeoli ſiue Aeoliæ nomen, uarium ſignificãs, alijs quoq; diuerſis eandem ob cauſam piſcibus, ſiue ut nomen, ſiue ut epitheton tribuitur: ut Scaro, Coracino, alijs. ¶ Merulam in eodem genere marem: Cichlen uerò, id eſt, Turdum, fœminam eſſe, ſolus tradit Oppianus: necdum inuenit (puto) qui conſentiret: ex uulgi nimirum opinione. Alexander Trallianus medicus: Turdus (inquit) piſcis eſt tener, humidus, concoctu facilis: & ſi fortè ipſam Ptiſanam marinam nomines, non errraueris: adeò recrementi expers eſt alimentum quod ex ea capitur. ¶ Turdorum plura eſſe genera (inquit Saluianus) res ipſa declarat: licet ſolus antiquorum Columella (quod ſciamus) id notauerit, inquiens: Turdi complura genera includemus. Cauendum eſt autem ne omnes picturatos piſces (quod ichthyopolæ ubiq; ferè faciunt) Turdos uocemus: non ſolùm Turdos ipſos, qui uerè picti ſunt (Turdorum auium inſtar:) ſed Percas etiam, Hiatulas, Fucas, Merulas, Pauones, atq; reliquos depictos piſces, Turdos perperam appellantes. Hunc autem errorem facilè uitabimus, ſi ueterum authorum teſtimonio, Turdi piſcis aliũ

Κίχλη. Σαῦρος. Αἰολίας.

Κιχήλα.

Ptiſana marina.

Turdi

Turdi auis inſtar, uariam ſiue maculoſam eſſe animaduertêrimus: quamobrem qui uariam aluum non habent, Turdi non ſunt. Hæc ille. Veteres quidem illi, quorum teſtimonio Turdorum aluum uariam eſſe comprobat, non alij ſunt, quàm diuus Ambroſius, qui Turdum aluo uarium appellat: Iſidorus Hiſpalenſis albouarium dixit, [*fortè quòd in uentre candido uarij coloris puncta ſint:*] ſed horum ſcriptorum in hoc argumēto non magna eſt authoritas: ego Turdos piſces non in uentre tantùm, ſed alijs etiam partibus maculoſos, & uarijs coloribus inſignes eſſe uideo: quod nimirum cum alijs multis ſaxatilibus commune habent. Rectè igitur dixerit Saluianus, aluo uarios eſſe Turdos: ſed addendum, alijs etiam nonnullis partibus. Poſt hæc, Turdorum ſpecies tres deſcribit: quas nos ſuis locis cum Rondeletij Turdis componemus: generibus ſummis hic indicatis: Turdus (inquit) aut minor eſt, & latus: aut maior, & oblongus, qui rurſus ſubdiuiditur in uiridem & rubrum, nulla alia quàm coloris differentia diſtantes.

ITALI, Hiſpani & pleriq; alij Turdum (Turdo) appellant, Rondeletius & Saluianus. Glaucum piſcem Maſsilienſes falsò Vmbrinam, Veneti (eundem uel Chromin Bellonij) Turdum nominant, qui uerus Turdus non eſt, ſed qui inter Genuenſium Lagionos peculiariter Turdus dicitur, is meritò Turdus eſt, ab eo potiſsimum uocatus, quòd cum eius color ex rufo in melinum uergat, ad uiridem tamen inclinet, &c. Bellonius. ¶ Papagallo: Vide inferiùs inter Germanica.

HISPANI & alij pleriq; etiamnum Turdo appellant.

GALL. Noſtrates, Prouinciales, Itali, Hiſpani Turdo nominant: Galli Vielle, Rondeletius. qui tamen rurſus duodecimum Turdi genus priuatim Vielle nominat: undecimum uerò peculiariter à quibuſdam Durdo uocari ſcribit. alibi etiam Coracinum in Gallia Narbonenſi quoſdā Durdo uocare teſtatur. ¶ Vielle nomen ad Græcū Cichla uel Cichela ferè accedit.

GERMANICVM nomen fingimus Punterfiſch, à punctis & maculis quibus diſtinguitur. Vel Krametfiſch: nam Krametuogel, Turdus auis eſt. Vel Meertroſtel. nam inter Turdos aues minorem alterum Germani Troſtel uel Troſſel appellant. uel Seepfawe, id eſt, Pauo marinus. Rondeletius quidem genus ſecundùm de ſuis Turdis mar. priuatim Pauonem nuncupat. Bellonius in Gallico libro de piſcibus, piſcem Romæ Papagallum dictum, Pauonis nomine exhibuit: quem Turdum poſtea in libro Latino nominauit. is uel idem cum Saluiani Papagallo eſt, (quem infrà poſt Turdos collocabimus,) uel planè ſimilis. Vel communi Saxatilium nomine uocamus Steinling/ein art der Steinlingen: ut etiam Galli Rochau.


TVRDVS I. Rondeletij. Non admodū (inquit) diſsimilis eſt Cinædo, minor paulò & latior, ad Auratæ figuram accedens, dentibus recuruis: pinnarū ſitu numeroq; cæteris ſaxatilibus ſimilis. Labra habet craſſa & rugoſa: dorſum fuſcum eſt, uenter ex albo liueſcit, &c. ¶ Idem eſt Turdus minor Saluiani, ut coniicio: quem & latum facit. Rondeletij quidem effigies proportione latiorem oſtendit: & caudæ pinnam aliquouſq; bipartitam, cum in deſcriptione aliter dicat, Cauda non in duas pinnas, ſed in unam latam deſinit: (qualis nimirum in cæteris etiam Turdis & ſaxatilibus pleriſq; ſpectatur.)

ITAL. HISPAN. Vide Gallicum nomen.

GALL. A pluribus (ſimpliciter) Turdo dicitur, ſicut & apud Italos, & Hiſpanos.

GERM. F. Die erſt art der Krametfiſchen/Meertroſteln/oder Meerpfawen.

Lepras Bellonij.



Eiusdem alia icon, Venetijs facta pro pisce nomine Marzapan: quam apud me uisam Bellonius, eandem suæ Lepradi esse asserebat. Cognatus huic uideri potest Scarus uarius Rondeletij, quem Bellonius simpliciter Scarum nominat. sed differt dentibus, quos planos (suprà) habet Scarus, & in Oceano non capitur: cum hîc exhibitus & Mediterranei & Oceani piscis sit. *Scarus.*



LEPRAS Bellonij, (ficto nomine,) piscis saxatilis, qui ab Oceano ad mediterraneos deferri solet. Mihi quidem Turdis cognatus hic piscis uidetur. Lege mox in Gallicis eius nomẽclaturis. Bellonius hunc Psorum & Lepradem Græcorũ esse putat, Leleprin uerò Latinorum, in lemmate historiæ huius piscis. Sed leuis est coniectura, eaq; ex solo nomine, Psorum hunc piscem idcirco facere, *Psorus.* quòd eædem in ipso suggillationes, quales in psora uel lepra laborantibus, uisantur. atqui psora uel lepra affectus est turpissimus, & fœda cutis asperaq; facies: huius uerò piscis colorum uarietate (ut Bellonius ipse refert) nihil pulchrius. Hoc etiam non animaduertit huius piscis nomen (ψόρος) per o. breue scribi, psora (ψώρα) cutis uitium per o. longum. Præterea Athenæus significare uidetur, Melanderinũ à Speusippo ψύρου, à Numenio ψόρου dictum: Melanderinum autem longè diuersum Rondeletius exhibet. Sed Athenæi locus aliquid dubitationis habet. Porrò Lepradem piscem *Lepras.* nullus quod ego sciam authorum nominauit: & Leleptis Græcum, non Latinum uocabulũ est, sed diuersi piscis, qui aliter Phycis dicitur, teste Hesychio in λελεπρίς. ¶ Quid si Attagenus sit hic piscis Athenæo memoratus, *Lelepris.* *Attagenus.* propter maculas & pũcta, quibus similiter ut Attagen auis distinguitur: similiterq; in cibo lautissimus est? Scio Attagenum alio nomine Scepinũ dici à Dorione, à quo fortè diuersus fuerit Oppiani Scepanus, (per a. in penultima,) qui in cœno & paludibus maris uiuit. *Scepinus.* *Scepanus.*


ITAL. Venetijs Marzapan nominatur: nimirum quòd æquè in delicijs appetatur, ac Martius panis uulgò dictus.

GALLICE. Armoricis ad Oceanum uocatur Poulle de mer, id est, Gallina marina. ab alijs Rosse, nimirum à colore rubicundo. quibusdam Vieille, circa Lutetiam. at Rondeletius Turdum suum à Gallis Vielle uocari author est, in primo Turdorum genere, & rursus similiter duodecimũ atq; ultimum. Videtur autem hic quoq; piscis Turdis cognatus, tum specie corporis, tum colorum uarietate insigni, primo præsertim generi quod Rondeletius ponit.

GERM. F. Ein rooter Punterfisch: uel ein rooter Krametfisch, hoc est, Turdi genus rubicundum.

TVRDVS


TVRDVS II. Rondeletij. Hic (inquit) à nobis distinctionis gratia Pauo nuncupatur, priori similis, maior tamen plerunq;, colore ex uiridi cęruleo uel indico, colorem colli Pauonis referente in pinnis omnibus, & in cauda. ¶ De Pauonis nomine lege suprà in Germanicis nominibus Turdi in genere: Saluianus Pauonem alium, & ipsum tamen, ni fallor, Turdis cognatum exhibuisse uidetur: cuius uerba recitabimus infrá.



Pauo.

GERM. F. Die ander art der Krametfischen oder Meerpfawen/ von farben añ floßfädern vnd am schwantz blawgrün/ wie ein Pfaw am halß.


TVRDVS III. Rondeletij. Superioribus (inquit) similis est, colore uerò dispar. est enim uarius admodum: uixq; ullus est qui plures colorum differentias habeat. Viridis est magna ex parte: sed pũctis purpureis, cæruleis, indicis & alijs confusis coloribus conspersus, &c. Frequens est Romæ, & Antipoli, & in Lerino insula. Vide in decimo Rondeletij Turdo inferiùs.



GALLICE (*circa Monspelium puto*) Minchia di Re à nonnullis uocatur, ut Rondeletius scribit. at Saluianus Iulidem Romæ & Neapoli obscœna uoce Menchia di Re (*id est, Mentulam regis*) uocari tradit.

GERM. F. Die dritte art der Krametfischen / ist am meerern teil seins leybs grün/ mit mancherley tüpflinen/ roten/ blawen vnd andern gesprecklet.

TVRDVS IIII. Rondeletij. Hic etiam (inquit) uarius est, dorso nigrescente, pinna eius uirescente, &c. Nonnulli ex piscatoribus nostris Perroquet, id est, Psittacum uocant, quòd ea sit coloris uarietate, qua auis illa Indica. ¶ Alius opinor, sed cognatus est, Pauus Saluiani, quem Romæ uulgò Papagallum (id est, Psittacũ) uocari scribit, ob oculorum uarietatem: de quo inferiùs post Rondeletij Turdos leges.




Psittacus.

GALLICE Perroquet, ut iam dictum est.

GERM. F. Die vierdte art der Krametfischen/ am ruckẽ schwartzlacht/ mit einer grünlachten floßfädern darauff. wirdt bey Monpelier von ettlichen ein Pappegey genennt / von wägen seiner farben.


TVRDO Rondeletij quarto cognatus uidetur piscis, cuius imaginem, qualem Venetijs (ubi Porga, si bene scribo, uulgò uocatur) nactus sum, hîc exhibeo. Colores in pictura nostra, huiusmodi ferè sunt: Dorsum & laterum dimidia pars superior, fusci sunt coloris, maculis crebris subnigris uariantibus. Lineæ tres aut quatuor cœruleæ à branchijs ad caudam tendunt. In oculis circuli duo aurei pupillam ambiunt, inter quos medius unus fusci coloris est. Cauda quoque maiori ex parte cœrulea est; idemq; color initio pinnarum ad branchias, & in capite circa infraq; branchias



apparet, eodem dimidia pars dorsi pinnæ anterior, pulchrè pingitur: posterior uerò pars cum flaua sit, cœrulei coloris maculis distinguitur. Laterũ pars dimidia inferior flaua est, & maculis subruffis uariat. Pinnæ ad brãchias fuscæ: binæ in uentre, & una à podice, flauescũt. Reliqua apparẽt.

GERM. F. Ein art der Krametfischen/der yetz gemelten vierdten art ånlich.


TVRDVS V. Rondeletij. Hic (inquit) Gobionem flauum refert, hoc ab eo discrepans, quòd lineam albam ductam ab oculis ad caudam habet: & maculis nigris, quib. aspersus est Gobius, caret. colore aureo est, &c.



GERM. F. Die fünffte art der Krametfischen/ist gold=


goldfarb/ mit einer weyssen linien von den augen biß zů dem schwantz.

TVRDVS VI. Rondeletij: quinto omnino similis. linea ab oculis ad caudã ducta, nõ alba est, sed cęrulea: rostroq; est longiore & aquilino.



GERM. F. Die sechßte art der Krametfischen/ der fünfften ånlich/ hat aber nit ein weysse/ sunder ein blawe linien von den augen biß zum schwantz: vnd am schnabel ein vnderscheid.

TVRDVS VII. Rondeletij. Magnitudine (inquit) est cubitali, coloribus uarijs insignis, dorso aureo, uiridibus maculis conspersо, uentre candicante: lineis rufis & tortuosis, nullo ordine dispositis. Hoc genus esse puto, quod Κηρὶς ab Athenæo dicitur, (unde Cero fecerũt nostri:) quam facit teneræ carnis, aluo facilem, stomacho gratam: cuius succus incrasset & abstergat. Sic ille. ¶ Meminit eius aliquoties Trallianus inter salubres pisces: apud Plinium medicum Cereda pro Ceris legitur. Idem uidetur esse Cirrhis (Κιῤῥὶς, ἡ) Oppiani, quem circa petras leprades degere scribit: & alibi eundem, ut puto, cirrhadem uocans, à Perca deuorari refert. Ceris quidem à ceræ colore uocatur: cirrhis uerò ab eodem: Græci enim giluum uel subflauum (citrinum aliqui uulgò uocant) colorem κιῤῥὸν appellant. Hæc coloris similitudo fecit, ut aliqui hunc Turdorum generis piscem, cum Adonide seu Exocœto cõfunderent. sic enim in Phauorini Lexico legimus, Κιῤῥὶς ὁ ἰχθὺς, ἐπειδὴ κιῤῥός ἐστι τὴν χροιάν. ὁμοίως δὲ λέγεται παρὰ Κυπρίοις Κιῤῥὶς, ὁ ἄδωνις: παρὰ Λάκωσι δὲ ὁ λύχνος. in quibus uerbis Lychnũ quoq; pro pisce acceperim: etiamsi ab Adonide seu Exocœto distinguere eum uideatur: nisi deprauata est lectio, & sine articulo legendum, παρὰ Λάκωσι δὲ λύχνος. Lychnum in Arcadia modò uocitant, ut nos interrogauimus Exocœtum olim dictum, Massarius. Verisimile est autem Lychnum dictum similiter ut Ceridem à cereo colore: quoniam & lychni seu candelæ è cera fiebant. (Alius uidetur Dilychnus Nili piscis, memoratus Straboni.) Oppianus quidem Adonidem seu Exocœtum & Cirrhidem planè diuersos facit. Inuenio in Græcorum Lexicis nomen hoc uariè scriptum, Κηρὶς, Κίῤῥις, Κιῤῥὶς, Κίρυλος, Κιῤῥὰς, Κίῤῥυλος. ex quibus ultimum fortè tantùm probari poterit: reliqua perperã mihi scribi uidentur. Apud Vuottonum etiam Scirrhis legitur: abundante nimirum σ. ut in Scordylo & Scolijs.



Κηρὶς.


Cirrhis.

Κιῤῥὰς.

GALLICE ad mediterraneum Cero, à Græco uocabulo Κηρὶς.


GERM. F. Die sibende art der Krametfischen/ mit einem goldfarben rucken mit grünẽ flåcken besprengt: mag ein Wåchßling genennt werden/ dann er wachßfarb ist.

TVRDVS VIII. Rondeletij. A septima (inquit) nõ admodum differt, est enim eodem ferè modo uarius: sed lineas multas habet in uentre sese intersecantes.



GERMAN. F. Die achtende art der Krametfischen/ dem sibenden beynach geleych: hat aber vil übertwåre striche durch einander am bauch.

TVRDVS IX. Rondeletij: similis superiori, nisi quòd lineam candidã habet à branchijs ad caudam: alias multas confusas, obliquas, ut Ceris, quæ aurei sunt coloris. alioqui colore est uario, uiridi, & flauescente.



GALL. A quibusdam Gaian (*sicut & undecimus*) dicitur, ab alijs Bille: à nostratibus Menestrier, hoc est, Tibicen: quia uarijs est coloribus tibicinum ritu, qui uersicolori habitu uti apud nos solent, Rondeletius.

GERM. F. Die neünte art der Krametfischen / geleych der achtenden / außgenommen daß sy ein weysse linien hat von den orwangen biß an den schwantz.


TVRDVS X. Rondeletij. Colore (inquit) est uiridi. extrema operculi branchiarum & pinnarum uentris purpurascunt. oculi rufi. uenter ex albo flauescit. ore est paruo, labrisq́ paruis. ¶ Idem hic Saluiani Turdus maior uidetur, etsi latior proportiõe quàm à Saluiano pingitur. Turdus maior (inquit) etsi partibus externis internisq́ (ferè) omnibus, minori (*primo nimirum Rondeletij*) simillimus est: tamen ab eo corporis figura, colore & magnitudine plurimũ differt. Nõ enim Tincæ instar latæ figuræ est, ut ille, sed oblongæ: nec eisdẽ depingitur coloribus. Nam cum hic maior coloris ratione duplex sit, neutri cum minore cõuenit color. horum nanq; unus (quem Romæ & Tordo & Verdone appellant) totus uiridis est: alter uerò subrubet: cætera simillimi. Vtriusq; dorsum maculis paruis, rotundis atq; cæruleis conspersum est. uenter uerò & latera maculis confusè permistis, Turdi auis more, insignita conspiciuntur: qua una nota minori Turdo similes sunt. qui etiam palmi mensuram non excedit: hi ad cubitalem aliquando excrescunt magnitudinem. ¶ Aliqui Turdum simpliciter alio nomine Σαῦρον uocant: quod nomen si à colore, ut aliquis conijciat, impositum est, non omnibus, sed huic præcipuè, utpote uiridi: aut etiam tertio, qui magna ex parte uiridis est, conuenire uidetur. Saluianum quidem, Turdi maioris uiridis nomine, (qui Romę Verdone uocatur,) non tertium Rondeletij Turdum, sed decimum hũc intellexisse animaduerto uel ex eo, quòd à Turdo subrubro, colore solùm eum separauit: quemadmodum Rondeletius quoq; decimum suum ab undecimo, colorum tantùm uarietate diuersum facit. ille enim uiridis ei est, &c. ut diximus: hic uerò colore rubricę, multis nigris & liuidis maculis respersus. uentre plumbei coloris. labris magnis. ¶ Idem, ut suspicor, Teragus Ouidij fuerit: de quo ille in Halieutico: Tum uiridis squamis, paruo saxatilis ore. ego pro squamis, Teragus legendum censeo, ex Plinio Ouidium citante. Quòd si quis pro Terago, Turdum legere maluerit, parum refert: Bellonius quidem eundem Ouidij uersum de Turdo interpretatur.

Teragus.

ITALICE. Tordo aut Verdone Romæ, ut suprà dictum est.

GERM. F. Das zähende geschlecht der Krametfischen / grün von farben / darumb es Grünling genennt mag werden.

TVRDVS XI. Rondeletij. Hic (inquit) inter Turdos maximus, ad Lupi cubitalis magnitudinem & crassitudinem accedit, &c. Vide plura in decimo Turdo: à quo (Rondeletio teste) colorũ duntaxat uarietate differt. picturę quidem ab eo exhibitæ alias



etiam

etiam differentias ostendunt: Saluianus pro utroque unicam iconem exhibuit, cum in colore duntaxat discrimen esse admonuisset.


GALL. Auriol nostri uocant, alij Gaian, alij Durdo, Rondeletius. suspicatur autem Auriol, quasi αἰόλον dictum, cùm suprà Turdum primum priuatim αἰόλον nominârit. Gaian quoque nonum Turdum suum à nonnullis uocari dixerat.


GERM. F. Die einlifte art der Krametfischen / ein rotlacht geschlecht der Steinlingẽ.

TVRDO undecimo Rondeletij specie similem cognatumque esse conijcio, cuius figuram hîc, qualem amicus quidã Venetijs depictam ad me dedit, apposui. Bellonius hunc piscem suis coloribus expressum apud me cum uidisset, Hepatum à se descriptum (nam iconem non dedit) esse affirmabat. Piscis est undiquaque fermè rubicundus, magis quidem circa dorsum, circa uentrem albicat. Dorsum dimidia sui posteriore parte, tribus maculis atris deinceps notatur, ita ut macula ultima caudam attingat. Oculorum pupillam nigram circulus ruber ambit: isque rursus includitur cæruleo, uti pictura nostra præ se fert. Turdorum quidem generis uerè esse hunc piscem, non habeo quòd affirmem: Rondeletij tamen Turdo undecimo similem aut cognatum esse ut putarem, similitudo aliqua effecit, ut prominentia labra, color rubricæ, pinnæ consimiles. Noster tamen latior uidetur, Rondeletij oblongior: qui etiam (inquit) multis nigris & liuidis maculis aspersus est: quas in nostro non uideo, nisi quòd dorsum ternis (ut dixi) atris maculis notatur.

ITAL. Venetijs uulgò aliqui Lucium marinum uocant, ut audio. sed Sphyrænæ etiam id nomen tribuitur: & Asellus quoque Merlucius, quasi Lucius marinus appellatur. Bellonius à uulgo Venetorum Sachetum, ut etiam Chanadelam, indifferenti nomine appellari scribit. solo enim (inquit) colore, qui paulò magis in Hepato fuscus est, inter se differunt.

GERM. F. Ein rotlachte art der Steinlingen oder Krametfischẽ / beduncket mich der nächstgesetzten einlifften art änlich vnnd gleych / wo es nit äben der selbig fisch ist.






TVRDVS XII. Rondeletij. Et hic (inquit) in Turdorum genera referendus mihi uidetur, qui uulgò Vielle (*suprà Turdum in genere à Gallis Vielle uocari scripserat*) dicitur: neq; enim minùs uarius est, quàm cęteri iam descripti. Capite est cæruleo, dorso uirescente. Linea uiridis & tenuis à branchijs ad caudam ducta est, in cuius extremo macula est rotunda, paulò supra caudam, reliquo corpore est rubescente. Pinnæ uariæ, sed maiori ex parte purpureæ.

GALL. Vielle, ut suprà dictum est.

GERM. F. **Die zwölffte art der Krametfischen / mit einem blawen kopff / vnnd grünem rucken. es streckt sich auch ein enger grüner strich von den floßfädern / an den schwantz zů.**



TVRDIS uel Scaro uario fortè affinis est piscis, cuius picturam, ut olim Venetijs accepi, huc apposui. Lusitanos Bodian uel Rujo uocare audio, Illyrios Cany. Coloribus uarijs eleganter depingitur ac uariatur: fusco præsertim, seu nigricante & rubro. Pinnæ ad branchias flaui coloris sunt: reliquæ fuscæ, sed fibris spinis'ue (ad picturam hæc scribimus) rubris distinctæ, uti etiam cauda. In oculis pupillam nigrā circulus è luteo subuiridis ambit: quo exterior alius est uiolaceus, sequitur luteus, postremus niger. Maculæ quædam magnæ per latera nigricant, &c. ¶ His scriptis incidi in Saluiani piscē 94. quem uulgari nomine Papagallum nominat, figura nostro hîc exhibito planè similem: quanq; coloribus ab eo descriptis nonnihil dissidet. Romæ (inquit) ob oculorum uarietatem Papagallo uocant, Lusitani Budiam. A diuo Ambrosio & Isidoro Hispalensi propterea quòd Paui auis colorem imitetur, Pauo uel Pauus uocatur. (Descriptionem prætereo. conuenit enim cum icone nostra, coloribus exceptis: & quòd dentes nimis magni nostro adpinguntur.) Circa saxosa maris litora atq; scopulos uictitat: ubi etiam ineunte ęstate parit. Carniuorus est. nō solùm enim alga atq; alijs maris purgamētis, sed minoribus etiam piscibus uescitur. Solitarius est: & ferè semper singuli capiūtur, solentq; uerno ac autumnali duntaxat tempore capi: eò quòd forsan æstate caloris, hyeme frigoris impatientes lateāt. Insipidus atq; ignobilis piscis habetur. carnem habet mollem potiùs quàm duram, cui & lentor aliquis inest. Hæc ille. Vilis quidem & insipidus cum sit, Scari nomen non meretur. Romani (Bellonio teste) genus omne piscium diuersis coloribus insignium, nomine Psittaci, Pauonis, Turdi uel Merulæ uocare consueuerunt. Idem in Gallico libro de Piscibus Pauonis nomine piscem, ut scribit, Romæ Papagallū dictum exhibuit: quem Turdum postea in libro Latino nominauit. is uel idem cum Saluiani Papagallo est, uel planè similis. Sunt & Rondeletij quidam Turdi eidem similes.

Aliu-

Alius ab hoc est, opinor, quartus Rondeletij Turdus, quem circa Monspeliũ à nonnullis Perroquet (id est Psittacum) uocari scribit. Idem etiam Turdum secundum suum, Pauonem uocare uoluit.


ITAL. Romæ Papagallo, ut supra dictum est.


LVSITANICE Bodian, Budiam, Ruĳo.

ILLYRICE. Cany.

GERM. F. Ein art der Steinfischen / wirdt zů Rom ein Pappegey genannt / von wägen daß er so mancherley farben in den augen hat.

TVRDORVM etiam generi planè cognatus uidetur, quem pro Anthia tertio, Rondeletius ponit.





SVNT etiam pisces duo Venetijs mihi depicti: quorum icones hîc subiungere Turdorũ historiæ uolui, quòd utriq; horum piscium speciem præ se ferant aliquam, (unde etiam saxatilem utrunq; esse cõijcio,) & colore sint uario: et alia eorum uetera nomina ignorem.

Ex his maior, (quem propiùs ad Turdos accedere puto quàm minorem,) Raina de mer, id est, Carpa marina uulgò dicitur, (si modò rectè hoc nomen à pictore adscriptum est,) mihi quidem nõ placet. nã & Coracinus Bellonio Massiliæ alibiq; pesce Carpa uel Scarpa dicitur: Raina autem Italicè Carpam sonat: & Rondeletio Coracinus à Gallis quibusdam ad mediterraneum Durdo.) In eo (ut pictura præ se fert) cauda, & posterior pinnæ dorsi pars, rubicunda & punctis uaria est. anterior uerò & maior eiusdem pinnæ pars, è fusco albicat. Dorsum ipsum cœruleo uiridiq; colore mixtis tinctum apparet: uenter candicat: pars ad caudæ initium nigricat. Punctis toto corpore subnigris aut fuscis uariatur. In oculis pupillam nigricantem circulus aureus uel croceus ambit: quem alius fuscus, hunc deniq; subflauus circundat. *Maior*

Minor uulgò Venetijs Luisolo dicitur, si benè lego adscriptum à pictore nomen: in quo plùs *Minor.*

cœrulei est, præsertim in cauda extrema, & parte prona tum corpore tum pinnis. cuius etiam coloris in oculis circulus apparet, medius inter alios duos albicantes. Corpus ferè fuscum, sed alijs coloribus passim modicè admixtis, & punctis quæ magis fusca aut subnigra sunt uariantibus. Hęc ad picturas. Eundem aut similem in Oceano ab accolis Germanis, præsertim Flandris, audio Posten uocari, à uelocitate. sic enim propriè appellamus nuncios Principum, (astandas siue angaros Persæ,) qui equis dispositis itinera accelerant.

DE ANTHIIS IN GENERE.


ANTHIAS ut Aeneas dicitur: Græcè Ἀνθίας, ὁ. Oppiano Ἀνθιοὺς. Huius quatuor genera Rondeletius libro sexto De piscib. mar. inter Saxatiles descripsit. Oppianus piscibus uagis eos adnumerat. Præcipuè (inquit) circa petras profundas degunt: non semper tamen. oberrant enim undiquaq;, pro libidine gulæ, utpote edacissimi piscium, quanuis edentuli. magni & cetacei sunt, in quatuor genera distincti. Primi flaui sunt, secundi candidi, tertij punicei: quarti Euopi uel Aulopi, propter superciliorum speciem dicuntur. Lege infrà quæ scripsimus cum quarta specie Anthiæ. Quanquam autem quatuor illi Rondeletij Anthiæ omnes toto genere differant: hoc tamē loco eos cōiungere uolui, donec certius aliquando de his piscibus aliqd cōstet. ¶ Aristoteles Aulopiæ eundem Anthiā facit, neq; in species distinguit: fortè quòd nulla præterquàm colorum notabilis esset differentia: quæ si tanta fuisset, quāta in Rondeletij Anthijs apparet, nomina certè cuique propria deberentur, non unum tribus, coloris duntaxat differentia expressa.

Anthias alio nomine Callichthys dicitur. aliqui Callionymum & Ellopem quoq; uocant. aliqui sacrum piscem: sed hæc appellatio cum multis alijs ei cōmunis est. aliqui Leucum, Λευκὸν, (qui nimirum Oppiani Anthias candidus fuerit.) alij Aulopiam, Αὐλωπίαν. Oppianus Aulopum priuatim quartam speciem Anthiarum facit.


ANTHIAE prima species, Rondeletio.

GALLICE circa Monspelium Barbier.

GERMANICE circūscribi potest: ein rotlachter Rundtkopff. nam & colore rubescit, & capite est rotundo, non compresso.




ANTHIAE secunda species fortassis, ut Rondeletius suspicatur. Anthiæ rubescenti (inquit) subiungit Oppianus ἀργεννόν, id est, album & splendidum. quis autem is sit, me nondum planè scire fateor: nam hic à nobis exhibitū, suspicione tantùm quadam motus, anthiam album esse puto: utpote quo candidiorem splendidioremq; nullum unquam uidi. Piscis est pelagius, ad asellorū genus accedens, sed paulò latior. nostri Capelan appellant.



Aselli.


GERM. Bolck/Kableau/Capellēgau. ¶ Ex Asinis Oceani est (inquit Turnerus in epistola ad me) uentricosus ille piscis, cui in labro inferiori barbula est, unde Asinus barbatus cognominari poterit. Hunc Angli Boreales uocāt a Keling, Meridionales a Cod, Occidentales a Melwel: Frisij orientales ein Cabbelow: Rheni accolæ salsum, ein Bollich.

ANTHIAE tertia species Rondeletio. Tertium Anthiæ genus (inquit) Oppianus nigrum (αἷμα κελαινόν, purpureum exaturatum) facit. cuius generis piscem esse eum, quem




quem hîc exhibemus, affirmare auſim: eſt enim ſaxatilis, totus purpurei coloris uel indici, corporis forma Scaro uario ſimilis. ¶ Turdorum generi forma naturaq; cognatus hic piſcis uideri poteſt.

GERMANICE circunloquemur: ein ſchwartzbrauner Steinling oder Steinfiſch.



ANTHIAE quarta ſpecies, Rōdeletio. Quarta Anthiæ ſpecies (inquit) Oppiano dicitur Euopus, Εὔωπος, quòd bonis ſit oculis, & optima uiſus acie, *(uel à pulchris uel magnis oculis:)* & Aulopus, Αὐλωπός: nimirum quòd oculi in orbem ueluti ſupercilio rotundo, obſcuro uel nigro, cincti ſint & coronati: quo fit ut caui & ſint & uideantur, cernantq; acutiùs. Hæc nota cum huic, quem oculis ſubijcimus maximè conueniat, quin Anthias ſit quarti generis non dubitamus. ¶ Aelianus (inquit idem Rondeletius) Aulopiam alium uidetur deſcripſiſſe, magnitudine maximum: qui magnos etiam Thynnos, etſi mole inferior, robore uincat. Cum captus eſt (inquit Aelianus) eximia forma ſpectatur. oculis eſt patulis, rotundis, magnis, cuiuſmodi Homerus bubulos canit. maxillæ non ſolùm robuſtę, ſed etiam pulchræ ſunt. dorſo eſt cœrulei coloris ſaturati. uentre candido. à capite ad caudam pertinens aurea quædam linea in orbem deſinit. Ex his (inquit Rondeletius) colligunt nonnulli, Aulopion eſſe quem lingua uernacula uocamus Boniton, nos Amiam eſſe demonſtrauimus. Hæc ille. Ego Aeliani Aulopiam, utpote magnum piſcem, &c. ab Anthijs diuerſum non fecerim. nominat enim Oppianus ἀνθιέων μεγακήτεα φῦλα: & quas earum ſpecies facit, omnes edentulas, non tam forma quàm colore aut ſpecie oculorum diſtinguere uidetur: at Rondeletij Anthię, ſiue omnes, ſiue pleriq;, minores ſunt, dentatiq; omnes, & genere toto inter ſe differūt. ¶ A Neapolitanis de piſcatore quodam probo uiro accepi, piſcem quendam uocari Aulopenam uulgò, quem uidere mihi nondum licuit, Gillius.

GERMANICE. Ein Seebrachſmen art mit einem ſchwartzlachten kreiß oder ring vm̄ die augen.



IVLIS, ἰουλίς. Gaza Iuliam conuertit. Piſcis uix digito *(palmo, Bellonius. dodrantem interpretor)* longior, uarius: nimirum dorſo uiolaceo: à capite ad caudam ſubauream lineam ductā habet, hinc & inde roſtri modo dentatam: cui pars quæ ſubeſt, colore eſt cœruleo, uenter candido flaueſcente, &c. Rondeletius. Hi piſces frequentes inuadere muſcarum inſtar, & mordere ſolēt illos, qui in mari urinantur aut natant: nec ueneno caret morſus eorum. ¶ Idem fortè eſt Teragus, Ouidij hoc uerſu celebris: Tum uiridis ſquamis paruo ſaxatilis ore, ut noſtri codices habent. ego pro ſquamis repono Teragus, è Plinij catalogo piſcium, qui Teragum paruum ex Halieutico Ouidij nominat. ſed eſt etiam in Turdorum genere (decimus Rondeletio) uiridis quidam, & paruo ore. Iulidem quidem magna ex parte uiridē uidiſſe memini. Non eſt una Iulidum ſpecies (inquit Bellonius.) euariant enim colore: ſed ſemper reuertuntur ad ſuas notas, quibus ab inuicem diſcernuntur. Lege mox in Italicis nominibus. Sed magis placet, ut Turdum uiridem, de quo ſuprà ſcri- *Teragus.*

pſimus, Teragum Ouidij faciamus. ¶ Hyccam pro Iulide Hermippus Smyrnæus accipit. Syneſius in epiſtolis Iulum pro Iulide dixiſſe uidetur. Hycca fortè, id eſt Sucula, à uoracitate dicta fuerit: Iulis uerò dicta uideri poteſt, quòd ſimiliter, ut Iulus inſectum, ſuo morſu pruritum in corpore excitet. Oppianus certè de uenenoſis morſu piſcibus agens: primùm Scolopendras mar. ſuo morſu in corpore pruritum & calidum ruborem tãquam ab urtica herba excitatum inducere ait. deinde, Iulides ſimile illis ore uenenum continere. Eſt autem Scolopendra mar. inſectum à ſimilitudine terreſtris ſic dictum: terreſtri rurſus ſimilis eſt qui Iulus uocatur uermis multorum pedum, ita ut nauim longam referat, unde Lycophron νῆας ἰουλόπεζας dixit: & Syneſius nauim quæ remis impellitur ζώῳ πολύποδι comparat: Nicander Scolopendræ: Aelianus cetaceam quoq; Scolopendram naui remis impulſæ confert. Aut fortè Iulis dicta eſt, quòd ut eruca maior lanuginoſa, (nã & alij uermes multipedes, iuli dicũtur, ut Scolopendræ: licet pilos non habeant, quòd plurimi pedes fortè in eis quaſi pili quidam ſint,) uarietate colorũ inſignis ſit. ¶ Colore eſt tam uario, ut pulchritudine cum Pauone piſce contendat: piſciumq; omnium formoſiſsimus uideri poſsit. Palmi magnitudinem non ſuperat. Iulis Ariſtoteli gregalis eſt: noſtra in Romano maris tractu rariſsimè, & ſola ſemper capitur. Hermippus quidem captu eam difficilem ſcribit. Aelianus & Oppianus tradũt Iulides piſces ſaxatiles eſſe, quibus os ueneno refertum ſit, adeò, ut quemcunq; piſcem deguſtarint, inhabilem cibo & pernicioſum reddant. eaſdem hominem urinantem aut natantem infeſtiſsimè perſequi, & Muſcarum in terra inſtar, frequentes incurrere & morſu affligere. Hæc Saluianus Iulo piſci diuerſo, non autem Iulidi adſcribenda putat. Oppianum ait diuerſis in locis utriuſq; meminiſſe: qui tamen piſcis ſit Iulus, nondum conſtare. Neq; enim Hermolao (inquit) ſubſcribendum cenſemus, qui Balænæ ducem, quem alij Muſculum uocant, Iulum uocari teſtatur. atqui hic piſciculus ab Oppiano ὁδηγός, id eſt, dux, nõ autem Iulus uel ab illo, uel ab alio quoquã, quod compererim, nominatur. ¶ Iam cum non Aelianus modò & Oppianus, Iulidem, non Iulum, piſcem morſu infeſtum & uoracem appellent, ſed Numenius quoq; ἰουλίδα μάργον unà cum uenenata Scolopendra nominet: Iulum autem uenenatum eſſe nemo dixerit: eſt quòd diligentiùs hac de re cogitet Saluianus. Natantes quidem ab hoc piſce morderi & infeſtari Rondeletius ſuo experimento teſtatur: qui etiam incuruos eius dentes eſſe tradit. Os paruum apparet: quare cum eſcam uorare nequeant, præmordent: unde captu difficiles ſunt. Ego ita uenenatum morſum earum eſſe puto, ut punctura Apum & Veſparum uenenata traditur, hoc eſt, magis propter dolorem quem excitat, quàm periculum. Exeſos uerò ab eo piſciculos uenenatos reddi, non ſimpliciter crediderim, ex illa quam recitat Aelianus hiſtoria: piſcatores cum Squillam media ex parte ab Iulidibus exeſam guſtaſſent, uehementes alui cruciatus ſenſiſſe. Piſcem enim nõ recentem quemuis, aut à quouis alio aliqua ex parte exeſum, nemo tutò ingeſſerit: & qui fame coactus id fecerit, periclitabitur. An Iulides quia panphagi ſunt, noxijs etiam circa ſaxa animalculis, ut Scolopendris alijs'ue non abſtinent: & inde morſus earum nocentior redditur? quamuis ſimpliciter etiam paruis & recuruis dentibus uulnuſcula inflicta noceant. an à Scolopendris marinis, quos etiam Iulos dixeris, exeſa, potiùs quàm ab Iulide, ueneno non carent? Vtcunq; eſt, Iulidem à Bellonio, Rondeletio & Saluiano exhibitam: ueram, & eandem Aeliani Oppianiq; Iulidem eſſe perſuaſus ſum. ¶ Iulis, ſicut & cæteri ſaxatiles, teneram, friabilem, concoctu facilem, & ſaluberrimam carnem habet. Saporis quidem ſuauitate cum ſapidiſsimis minimè conferri debet, Saluianus.

GRAECVM uulgus Illecam uocat, uel Iglecquam. Rhodium Aſdellos. nonnulli Zillo, (Ζίλλον,) uel Sgourdelle, Bellonius.


ITAL. Veneti & Maſsilienſes Donſellam & Domiſellam uocant: Genuenſes Zigurellam, hoc eſt, puellam, Bellonius. A Liguribus Girello ſiue Girella nominatur, à nonnullis uerò Donzella: ab alijs Iurela, Iula, Rondeletius. ¶ Romæ & Neapoli obſcœna uoce Menchia di Re uocatur, Venetis Donzella, Saluianus. Rondeletius Turdum tertium quoq; ſuum ab aliquibus Minchia di Re appellari ſcribit, ἴσως διὰ τὸ τὴν κεφαλὴν καὶ σόμα τοῦ ἰχθύος τούτου, βάλανον καὶ ἐρύθραν ἀνδρὸς μορίου μιμεῖσθαί πως δοκεῖν. Nos alium quoq; piſcem rubicundum, Donſellæ nomine alicubi (in Italia puto) dictum, deſcripſimus in Corollario de Alpheſte. Rondeletio Ophidion Plinij (Aſellorum generis piſciculus ut uidetur) circa Monſpelium uulgò Donzelle uocatur. eius quidẽ ſpecies una Rondeletio flaui coloris eſt: qui color etiam Adonidi piſci tribuitur, quem alio nomine Ophidion dictum Kiranides tradit. ab Adonide quidẽ Donzellæ nomen deduci potuit: quanquã à Græcis hodie nonnullis Ζῆλος appellatur: quod nomen fortè per aphæreſin à Donzella factum eſt. ¶ Ex picturis Cor. Sittardi habeo, non forma, ſed coloribus, ab ea, quam hic exhibeo, Iulide, nonnihil differentem: quæ & dentes ore aperto oſtendit. Tincam marinam ab aliquibus uocari adſcriptum erat, nimirum quòd magna ex parte uiridi colore ſit Iulidis illa ſpecies. ſed Itali Merulas ac Phycides in mari, Tincas mar. uocitant, ut ſcribit Bellonius.

GALL. Maſsilienſes, ſicut Veneti Donſellam & Domiſellam uocant. Lege plura in Italicis nominibus. Noſtris (inquit Rondeletius) incognita eſt, quia uix in toto noſtro litore reperiatur.

GERMANICE & ILLYRICE. Sclauonicè (ut Sigiſmundus Gelenius ad me ſcripſit) dicitur Knezik: quod nomen ſignificatu ab Italico non diſcrepat, niſi quòd hoc maſculinum eſt, æquè ut illud diminutiuæ formulæ à Knez primitiuo. Germanicè diceres Jüncklerlin. Videtur enim

Hycca.
Iulus.
Tinca marina.

enim hic inter pisces cultior, nimirum prasinatus, ceu quispiam aulicus, aut puella aulica. ¶ Licebit & à pulchritudine Schönling appellare.



ADONIS seu Exocœtus Rondeletij. nam alius est Bellonij, Ordine I. inter Gobios. Hic & Cirrhis apud quosdam à cirrho, id est, subflauo colore dicitur: aut Lychnus, à colore ceræ cereí ue. Vide suprà quæ cum Turdo Rondeletij VII. annotauimus.

GALLICE. Nullum huius (inquit Rondeletius) uulgare nomen comperi, sed cõmuni tantùm Saxatilium nomine (Gallico, Rochau scilicet) uocatur.


GERMANICE circunscribatur: **ein gälber oder goldgälber Steinling.** Nomine quidem Steinling communi uti licebit ad omnes saxatiles. Lege scripta ad finem Exocœti Bellonij, Ordine I.

ALPHESTES Rondeletij: quem eundẽ Cinędo statuit: quod ueterum nullus (puto) expressit, erudita tamen hæc Rondeletij coniectura est, quòd utriq; cereus color tribuatur: & Alphestæ ueluti libidinis causa, quod cinædorum est, κατὰ πυγὴν alter alterum sequantur. Bellonius quoq; hũc piscem Cynædum (per y.) nominat. Cinædus.

GALLICE. Rochau, communi saxatilium nomine. Peritiores piscatores uocant Canus, Massilienses Canudo, (un Sanut, Bellonius,) corrupto uocabulo cinædum uolentes dicere, Rondeletius.

GERMANICE. **Ein art der Steinlingen oder Steinfischen/auff dem rucken purpurfarb/am übrigen leyb gälblacht.**

Quærendum an Adonis, qui & Ophidion & Cirrhis dicitur, cognatus sit Alphestæ. est enim Ophidion ueluti Mustela quædam marina: sunt autem Mustelæ quædam colore luteo, omnes quidem μονάκανθοι, ni fallor, &c. ut alius fortè sit, quàm Rondeletius putauit, Alphestes: quem tamen cinædum esse non dubitârim. Bellonius pro Alpheste eundem quidem piscem pingit: sed minùs latum, crassioribus labris, bene dentatis: corpore maculoso, & punctis distincto, non expressis squamis. ¶ Alphestes ab Aristotele, ut citat Athenæus, monácanthus dicitur. Dorion scribit fluuiatilem Mitrænam (Lampredam nimirũ) spinam unicam solùm habere, Onisco galariæ similẽ.



CHANNVS uel Channa piscis est sic dictus ἀπὸ τοῦ χαίνειν, hoc est ab hiando, liquida Aeolicè duplicata. χάννος, χάννη. Non probo eos q χαύνη per αυ. diphthongum in prima scribũt, &c. Gaza Hiatulam interpretari uoluit: sed quoniam & Chamam concham alicubi similiter interpretatur, præstiterit nos Græca retinere uocabula, ne res diuersæ confundantur. ¶ Channa piscis moriens perpetuò hiat ac rictum ædit. ¶ Hunc piscem Aristoteles inter pelagios numerat: ipsa tamen experientia in saxosis potiùs litoribus reperiri demonstrat: quod & Oppianus testatur, non uerè tamen saxatilis est, Saluianus.

GRAECORVM uulgus adhuc Channo uocat, Bellonius. Chane, Gillius.

ITAL. Genuenses Bolassos uocant, incolæ portus Veneris, Barquetas, Bellonius. Græci etiam hac ætate & Veneti uocant Chanen, Gillius. Romæ, Sopracielo. Genuenses & Hispani, Serran, Saluianus.

GALLICE & HISPANICE. A Massiliensibus, nostratibus (circa Monspelium) & Hispanis Serran dicitur, à quibusdam Thanna, Rondeletius. Massilienses piscem alium isti similem, Channam uocitant: & stagni, quod lingua nostra Martegue dicitur, accolæ, pisciculum alium Canadelle: quod fieri propter similitudinem reor, & hos pisces cum Channis confundi, Idem. Massilienses Serranos uel Serratanos uocant.

GERM. F. Ein fisch gleych dem Meerbersich/ein Meerbersich art. Tanta est (inquit Bellonius) huius piscis cum Orpho, Hepato & Perca mar. (cum qua publicè diuēdi solet) similitudo, ut piscem penè eundem esse credas, &c.


CANADELLA uulgò dictus piscis à Gallis ad Ligusticū mare, nunquam ad eam magnitudinē extuberat ad quam alij pisces saxatiles, Bellonius.

ITAL. Veneti Sacheto uel Saccheto uocāt: quod nomen etiam Hepato nostro tribuunt (inquit Bellonius) à quo, solo colore differt.

GALLICE. Chanadelle: quòd fortè tanquam diminutiuum à Channa nomen est. ¶ Massilienses alium piscem Channæ similem, Channam uocitant: & stagni, quod lingua nostra Martegue dicitur, accolæ, pisciculum alium Canadelle: quod fieri propter similitudinem reor, & hos pisces cum Channis confundi, Rondeletius.

GERM. F. Ein besundere vnd kleine art der Meerbersichen/oder Seeparsen.

Perca marina Rondeletij.



PERCA marina, tenera & friabilis est: fluuiatilis uerò, de qua suo loco dicemus, dura & glutinosa. Græcè πέρκη dicitur, aliquando περκίς, Rondeletius. Etsi Plinius eodem capite Percas & Percides nominat, illas amni & mari communes: has uerò maris peculiares faciens: Græci tamen hæc nomina non distinguunt, Saluianus. Percam conijcio dictam à colore, quem Græci περκνὸν uocant.

GRAECI etiam hodie antiquo nomine utuntur, Rondeletius.

ITALICE. Romæ Perchia dicitur, quanquam & Phycis eodem nomine ibidem sic appellatur.

HISPANICE Percha.


GALLICE Perche de mar, ad mediterraneum.

GERMANICE ut fluuiatilem nominamus Bersich/Barß: ita marinā nominabimus Meerbarß/Meerbersich. Apud Borussos Bertschge uocatur marinus piscis, subfuscus, dodrantalis, gratus in cibo, & solidę carnis: non alius puto quàm Perca: etsi Bellonius Percam ex Oceano nunquam se uidisse scribat, Albertus Percam mar. piscibus, qui circa litora maris Germanici capiantur, adnumerat.

ANGLI


ANGLI similiter Gallis nominant Perche.

Hanc quoque iconem Venetijs olim cum alijs ad me missam, Percæ mar. esse coniicio, cum aliâs, tum propter maculas transuersas, fuscas, punctis nigrioribus notatas, ut pictura præ se fert, interuallis rubicundis. ad latera ex ruffo subflauus color est, &c. sed aculeus ab ano, non uidetur conuenire Percæ: nisi hæc proximæ pinnæ pars est, à pictore imperito diducta.




Vt Bramæ marinæ species multas feci, non quòd reuera generis unius species sint: sed similitudine quadam formæ inter se conuenientes pisces diuersos, Germanis ita interpretari uolui: sic ab aliqua cum Perca similitudine, alios quoque diuersos pisces ceu species eius interpretari nobis licebit, ut Channam, Phycidem, Hepatum Bellonij, & eiusdem Canadellam, &c.

Phycis Rondeletij, picta pro pisce quem Phyco (aliâs Figo) Romæ uocant: cuius aliam imaginem Ordine V. dabimus. neq; enim saxatilis is piscis est.



Phycis Bellonij, Merulæ cognata.



Phycis uera Saluiani, pingitur ab eo pag. 227.

PHYCIS. Græcè φυκὶς & φύκιον dicitur: à Gaza Phuca uel Fuca uertitur. Phycidion Aristotelis, nihil aliud est quàm parua Phycis. Phycis ita dicitur, quoniam pisciū sola nidificet ex alga,

quam Græci phycon uocant. Phycis etiam phycos Aristoteli dicitur, ut recentiores quidam scribunt. mihi φυκὶς oxytonum genere fœm. per iôta, solùm rectè scribi uidetur, (non etiam φῦκος aut φύκιον) sicut & apud alios authores inuenio: nec aliter apud Aristotelem in præsentia. apud quem tamen libro 6. historiæ cap. 13. φύκης paroxytonum per η. reperio, de Phycide mare. A Diphilo nominatur ὁ φυκὴν, καὶ ἡ φυκὶς, siue speciediuersi pisces, cognati tamen inter se: siue sexu tantùm, ut ὁ φύκης καὶ ἡ φυκὶς ab Aristotele, sexu solùm differentes. φυκὴν (inquit Saluianus) fortè corruptum pro φύκης est. ¶ ——— καὶ φυκίδες ἅσ', ἁλιῆες Ἀνδρὸς ἐπωνυμίην θηλύφρονος ηὐδάξαντο, Oppianus. pro ἅσ', ex uetustis codicibus, legendum ἅς δ'. Græcus Scholiastes: His uerbis (inquit) poëta notat eunuchum quendam: qui patrem ipsius apud regem detulerat: unde is in exilium missus fuit. In tribus quidem manuscriptis codicibus (inquit Saluianus) super nomen φυκίδες, glossematis loco λεπῖναι inscriptum reperiri: quasi Phycides λεπῖναι fuerint dictæ, eo nomine ab eunucho eis impositο, Hæc ille. mihi poëtæ uerba clariorem expositionem requirere uidentur. Rondeletius diuersos à Phycidibus pisces, Alphestas siue Cinædos interpretatur: sicut & Brodeus. Lippius ex Oppiano uertit, Phycides eunuchi uero de nomine dictę: quem Rondeletius & Saluianus reprehendunt, nescio quàm rectè. mihi quidem meritò hi pisces, Eunuchi nominari posse uidentur: quoniam pisciū soli θῦνας, siue (ut Aristoteles loquitur) σιβάδας, hoc est, lectos potiùs quàm nidos, ut quidam uertunt, sibi construant, inq; eis pariant. Alga uelut nido constructa fœtus circundant, & contra tempestates tuentur, Plutarchus. Eunuchus sanè lecti custodem significat, ut poliûchus urbis. Confirmat sententiam Lippij & nostrā, quòd in quatuor manuscriptis Vaticanæ bibliothecæ exemplaribus (Saluiano teste) legitur ἃς δ', id est, quas, fœminino genere: ut ad Phycides referamus: nam si de alijs quibusdam piscibus sensisset poëta, οὓς δ' masc. genere prolatum ab eo oportuisset. Idem poëta hos pisces canit degere circa petras φυκιόεσσαν, id est algis, & musco plenas. Quare Phycis siue à cubili suo algario, ut ita dicam: siue à petris, ubi degit, algosis dicta fuerit. λεπῖνος quidem nomen ad Leleprim accedit: est autem Lelepris Hesychio piscis, qui aliter phycis dicitur, λελεπρίς. Cum Phycida Massiliensi piscatori ex oppido Neapoli oriundo demonstrarem, dixit Neapoli Lepreni uocari, Gillius. Rondeletius etiam Phycidem suam Venetijs Lepo nominari scribit. Sed Gillius de quo pisce senserit, nondum mihi constat: qui tamen cum hodieq; Græci, ut ipse testatur, Phycida nominēt: & Neapolitani Lepre (tanquam Leleprin) ueram Phycidem cognouisse uidetur. Veneti (inquit idem) quendam piscem falsò Phycum uocant. is enim squamis caret, & paruulæ Pelamydis similitudinem gerit. Phycis squamosus est, & saxatilis, trientalis longitudinis. Sic ille. Puto autem eundem piscem quem Phycum Venetijs uocari scribit, Romæ Figo dici: & squamis carere. sic enim & Tincæ mar. quod ei tribuunt nomen conueniet. Saluianus in icone squamas paruas addere uidetur: quarum in descriptione non meminit. mea etiam, quam ex Italia accepi, huius piscis icon squamis caret. Rondeletius magnas & manifestas suæ Phycidi attribuit, quam Romæ Phyco uocari scribit. Quamobrem diligentius expendenda res est. Rondeletius certè Phycidem ueram non agnouisse uideri potest, ex eo quòd Romæ Phyco nominari scribit: qui piscis, Saluiano teste, in cœnosis litoribus capitur: at Phycis saxatilis est, Aristoteli, Diocli, Galeno, Plinio. Oppianus eam circa saxa muscosa degere canit. ¶ De Bellonij Phycide, leges inferiùs in Italicis nominibus.

λεπῖναι.

GRAECOS hodie uulgo Phycida (Phocida Rondeletius) antiquo nomine uocare Gillius tradit: Phyceam, Massarius: Pephycarismenam, Hermolaus. Lampinam uel Lambenam, Bellonius.

ITAL. Phycides Tincarum uiridium colorem atq; effigiem referētes, Fici uulgò nuncupantur, Iouius. Est autem qui Romæ Fico uocatus piscis, Rondeletij quidem Phycis, Saluiani uerò Asellus callarias. De Italicis nominibus Lepre & Lepo, leges suprà: ad uetus enim Græcum Leleprís accedunt. ¶ Audio à Neapolitanis piscem quendam ostendi, nomine Pittara, pro Phycide, quem Græci huius temporis Phocida nominent, Rondeletius. in cuius uerbis pro Pittara primùm Lepre legendum puto: deinde pro Phocida, Phycida: idq; ex Gillij uerbis, quæ imitatum esse Rondeletium apparet. ¶ Phycidem uti Romæ unà cum Percis, quibus simillima est, uendūt: sic à Percis non distinguētes, Percia (etsi perperam) appellant, Saluianus. cuius sententiam approbat Speusippus, Percam, Channam, & Phycidem similes inter se faciens. Lepo nomen Venetijs usitatum, tum ad Leleprin alludit, ut dixi: tum ad Elepoca, quem Hesychius Phycidi similem facit, his uerbis: Ἐλέποκος, ἰχθῦς, ὅμοιος φυκίδι.

Elepox.

Phycis (inquit Bellonius) multorum colorum est piscis, fluuiatili Tincæ persimilis. Hunc Veneti promiscuè Lambenam, Genuenses Lagionum, Romani ut plurimùm Merlinum (*Merlo cum icone scriptum erat*) uocant. nam id genus omne piscium coloratorū, nomine Psittaci, Pauonis, Turdi uel Merulæ illis (minùs tamen rectè) uocari consueuit. Sic ille. Est autem Phycis eius alia quàm uel Rondeletij uel Saluiani Phycis: &, meo quidem iudicio, à Phycide ueterum, omnino diuersus piscis, Merulæ potiùs quàm Percæ similis & cognatus. Itali quidem Merlo, Merulam piscem uocant, Saluiano teste. Lambenæ nomen Venetijs usitatum, à labijs crassis & carnosis factum uideri potest, etsi Bellonius Græcis quoq; uulgarem eam uocem esse scribit.

Phycis Bellonij.

HISPAN. Vide in Gallicis.

GALL. Phycidis Saluiani, quam ueram existimo, Gallicum nomen non habeo. ¶ Rondeletius


letius suam Monspessuli Mole uocari ait, fortasse ob carnis mollitudinem, Hispanis Molere. ¶ Bellonius suam Massiliæ Roquau: quod nomen Saxatilibus omnibus commune est.

GERMANICE circũscribemus, Ein art des Meerbersichs / ein Meerfisch oder Steinling/dem Meerbersich an der gestalt vast ånlich / hat aber keine übertwåre mackeln wie der Bersich. ¶ Rondeletij Phycis: Ein Meertrüschen art. ¶ Bellonij Phycis, Ein Steinling/ ånlich dem Merlefisch.

SCORPII quanquam à quibusdam Saxatiles dicuntur: à nobis tamen Ordine quinto positi sunt, &c.

ORDO III. DE LYRA ET SIMILIBVS PISCIBVS, QVOS LYRIFORMES (ΛΥΡΟΕΙΔΕΙ͂Σ) APPELLAMVS: QVI CORPORE SVNT TERETI, capite crasso: plerique rubescunt, &c. Horum alij sunt squamosi, alij squamis carent.

Bellonius piscem quendã huius generis Cuculũ simpliciter nominat, uel minoris cognomen addit. maiorẽ enim illum facit, quem Rondeletius Lyram: cui pinnas cœruleas tribuit, minori rubentes. Icon quidem Bellonij Cuculum repræsentans, omnino alia quàm Rondeletij est, similis Lucernæ Venetijs dictæ, (ubi nos aliquando pingi curauimus, quanquam cœruleis ad branchias pinnis, quem colorem maiori Cuculo suo Bellonius adscribit,) nisi quòd tres utrinque infra branchias cirros ostendit: quales in Rondeletij Cuculo, ab altera tantùm parte terni spectantur.



CVCVLVS piscis à uoce dictus est, Κόκκυξ. Coccyx similis est Triglæ, id est, Mullo: & Typhon in libris de animalibus author est, putare aliquos Trigólan (Τριγόλαν) eundem esse Cuculo piscem, propter similitudinem formæ, & partium posteriorum siccitatem, Athenæus. ¶ Cuculi caput grandius, & alæ breuiores (si Hirundini & Miluo præsertim conferas) quàm ut uolare posse uideatur. Massarius hunc Miluũ facere uidetur, sed falsò. in Miluo enim Ouidius tergus nigrum requirit: huic rubet, Saluianus.


ITAL. Neapolitani Græci nominis uestigia seruantes Cocchou, quasi Coccygem, (*Cœchum, Siculi uerò Cochum, Gillius. Itali quidam el Cuccho*) uocant: Maris Illyrici accolæ Organo à uoce, Rondeletius. sed Lyram quoq; similiter à uoce Organo uocari scribit apud Ligures. ¶ Romæ pesce Capone dicitur. Neapolitanis & Siculis Cocco. Liguribus Organo. Venetis Lucerna, Saluianus.

GALL. A nostris (*circa Monspelium*) Morrude dicitur ab ore: quia morre uocant os cum prominentibus labris. Galli à Mullis non distinguentes, quòd eiusdem sint coloris Rouget uocant, (*ut Lyram quoque:*) Santones hunc & similes Perlon. Massilienses Galline, (*Corax etiam similis piscis à Romanis Gallina dicitur, Rondeletio teste.*) Agathenses Rondelle, à corporis rotunditate.

GERMANICE & ANGLICE. Aut Cuculus est, aut Cuculo simillimus, magnitudine solùm fortasis, aut colore differens piscis, quem inferiores Germani Gornart, uel Gaernaert appellant: Angli Gurnarde, à crasso naso fortasis. omnibus enim huius generis piscibus capitis magnitudo communis est. Galli quidam Gronau proferunt: tanquam à grunnitu uocis, ut Rondeletius conijcit. Redfisshe, id est, piscem rubentem Angli Gurnardo suo similem esse aiunt. quare Cuculum, cui color rubicundus in hoc genere maximè conuenit, Numenio teste, Redfisshe appellârim: Lyram uerò Rondeletij, Gurnardum. (Alius est Rotfisch Anglorum, inter Oceani Asellos à Bellonio nominatus.) Licebit & Redfisch nomen (aliqui Germanorum Rotabert uocitant: Adamus Lonicerus scribit Rodtbart. Ab authore Regiminis Salernitani Galbio uel Rogetus nominatur) ceu genus ad species aliquot inter se similes extendere. nam & Galli Rogeti (Rouget) nomine similiter à rubore facto, Mullum, Cuculum & Lyram comprehendunt. Græcè Λυροει-

δεῖς, id eſt, Lyriformes, huiuſmodi piſces appellârim: ut Hirundinem, Miluum, Coracem, Lyram utrancp, Cuculum. hi enim omnes multa habent communia. Mullus quoq; parum ab eorum forma recedit: longiùs aliquanto Vranoſcopus. Omnes ferè corpore tereti ſunt, capitibus craſsiores, &c. Itaq; genus unum commune ſtatui poterit, cuius ſpecies Germani differentijs expreſsis circunloquentur. Cuculus generis nomine appelletur ein Rodfiſch, ob excellentiã nimirum rubicundi coloris, quem tamen cum Lyra & Mullo communem habet. Hirundo & Miluus, fliegen de Rodfiſche, id eſt uolantes Lyriformes. Corax, ein ſchwartzlachter Rodfiſch. Mullus, ein Rotbart. Lyra, ein Gornart, uel Seehan: uel Seehaß ut quidam putat. Lyra altera, ein geharniſchter Rodfiſch. In quibuſdam Angliæ locis huius generis fuſco colore piſcem, Curre, à ſono quem ædit, indigetant. Gurnardorum (inquit Turnerus) habemus duo genera: quorum alterum, quod cinerei ferè coloris eſt, in occiduis & meridionalibus Angliæ prouincijs appellatur ſimpliciter a Gurnard, apud boreales Anglos a gray Gurnard. Alterum genus quod rubrum eſt, à meridionalibus noſtris uocatur a Rochet, ab aquilonalibus a rede Gurnarde. In littore orientali Angliæ, ut in Eſſexia, hoc eſt, orientali Saxonia, & Norfolcia & Sudfolcia, fieri poteſt ut Gurnardus Curre appelletur: at in alijs omnibus Angliæ prouincijs nomen hoc prorſus ignotũ eſt. ¶ Antuerpiæ piſcem toto genere diuerſum Leporem marinum (uulgò Seehaß) nominant, qui totus eſt mucoſus, & Orbis ſcutatus à Rondeletio uocatur. ¶ Gyldenpolle piſcis apud Anglos alicubi dictus: ſimilis eſt Lucernæ (uel Cuculo, ut audio) mixti coloris ex cinereo & rubro. Polle caput eis ſignificat, quo lucet (nimirum etiam noctu) ut aurum, quod Angli Gylde, noſtri Gold appellant.

Eſt & alius piſcis (inquit Bellonius) Romæ tritiſsimus, quem piſcatores Griczo uel Riczo uocant, hic ſquamis obducitur craſsiſsimis & tangenti aſperulis, uelut in Galeorum pellibus uidemus. Rougetum Gallicum, atq; etiam Grundinum (*Lyram Rondeletij*) capite, pinnis, cauda, & toto corpois habitu refert, unde piſcatores pleriq; Caponem nominant.



LYRA, λύρα, ſic dictus eſt piſcis, quia roſtri (bifurci) cornua Lyrę antiquę figuram referunt. Sonum quidem hic piſcis ſeu ſtridorem edit, quem ei Ariſtoteles tribuit, Rondeletius. Sed fortè ab ipſo quem edit ſono, Lyra fuerit dicta, per onomatopœiam. nam & Lyra inſtrumentum eſt ſonorum: & ſonus talis eſt, ut ab Ariſtotele γρυλλισμὸς appelletur: quod uocabulum literis quibuſdam partim omiſsis, partim tranſpoſitis, cum Lyra colludit. ¶ Bellonius hunc piſcem Coccygem (id eſt, Cuculum) alterum ſeu maiorem nominat. ¶ Ab huius piſcis ſimilitudine alij non pauci forma ei conſimiles, λυροειδεῖς appellari poterunt, hoc eſt, Lyriformes, ceu generis uocabulo: Vide ſuperius in Germanicis Cuculi uocabulis. Λυροειδεῖς.


ITAL. A Liguribus uocatur Organo, ob ſonum quem edit, Rondeletius. (Idem Cuculum quoque ad mare Illyricum Organo uocari ſcribit, à uoce.) Genuenſes Orgam uel Organum uocant, *(nomen accedit ad Gornart Gallicum, per metatheſim:)* alij Caniſtrum, un Cofano, Bellonius. Romani Caponem, Iouius. ſed Caponis nomen communius eſt: & Miluo quoque tribuitur. Saluianus Cuculum quoq; Romæ ſic uocari tradit.

GALL. Circa Monſpelium Gronau, uel Grougnant, quòd grunniat more ſuis, *(aut fortè tanquam à naſo groſſo.)* A Gallis Rouget, à rubro colore, Rondeletius. Gournautum (uel Grundinum, à grunnitu, noſtri ſimul & Angli uocant: Rothomagenſes Tumbam: *(origine fortè Germanica, à pollice. nam & Gobium fl. capitatum Angli* Myllerßthombe *uocant, & piſci* Curre *λυροειδεῖ conferunt,)* Bellonius.

GERM. Seehan, id eſt, Gallus marinus, Rondeletius. (Albertus quidem hunc piſcem pro Lepore mar. accipit, qui Germanicè diceretur Seehaß.) De Germanicis nominibus Lyræ & ſimilium piſcium plura ſcripſi in Cuculo. Color quidem rubicundus non in Cuculo tantùm excellit, ſed in Lyra etiam: ut uterq; ſimpliciter Rodfiſch Germanis ab eo colore denominari uideatur, ſicuti Gallis etiam Rouget. cæterùm Curre Anglis quibuſdam dictus, quoniam fuſco colore eſt, non rubro, ut Gornard eorundem, nec Lyra, nec Cuculus fuerit, ſed alia eiuſdem generis ſpecies, Corax ne, an alia, dubito. ¶ Germanicum nomen Seehan, quo Pomerani utuntur, uel à roſtri figura factum fuerit, quod durum corneumq; in hoc piſce prominet: tanquam in uetere gallinaceo, ut Io. Kentmanus ad nos ſcripſit. Vel ab eo q̃ inueteratus in aëre ſuſpenſus, cauda unde uentus

uentus spiret, indicet, (quod de Lyra altera Rondeletius scribit,) ut cantu suo tempestatis mutationem Gallinacei. Vel à sono quem edit in hoc piscium genere Cuculus, quo Gallinæ aut Pulli uocem quodammodo imitatur: translato postea ad alios similis formæ pisces nomine. Quare & Walkus piscis, uel Wolkus à Danis & Pomeranis dictus, alio nomine Meerhan uocatur, cuius ad sceleton iconem idem Io. Kentmanus ad me misit: qui uiuum uiderint, ad aliquem ne ex illis quos hîc proponimus, referri debeat, an sui generis piscis sit, iudicabunt. Lyriformem quidem esse dubium non est. Branchiarum oræ multis aculeis horrent. os studio diductum, & maximè hians, ueluti orbem, nulla parte prominente efficit: maxillis intus asperis dentium loco. Pinna caudæ & reliquæ rotundæ apparent, præter binas oblongas quæ infra branchias dependent, in dorso geminæ sunt.


Lyræ alterius Rondeletij effigies (quanquam cornua ab ore prominentia, tanquã in Lyra instrumẽto, nulla ostendit) ad sceleton olim nobis delineata.



LYRA altera siue Cornuta Rondeletij. Plinius (inquit) duobus locis Cornutæ meminit: priore, cùm de uolantibus piscibus loquitur, (lib. 9. cap. 27.) altero, cum de cetaceis, (lib. 33. cap. 11.) De Cornuta cetacea aliâs: nunc de pisce qui cornua attollit è mari, quiq; uolare nititur. Eum esse existimo, quem hîc exhibeo. Nonnulli Lyræ superioris marem esse arbitrantur, sed falsò. Octagonus est, colore phœniceo, totus squamis osseis contectus, &c. Hanc aliquando Lyram putauimus: sed cùm uocalis non sit, (*Bellonius Lyram appellat, & uocalem esse insinuat,*) etiamsi cornua maiora habeat, Cornutam rectiùs dici nunc arbitramur. Plinius sesquipedalia eius cornua dicens, de maximis Cornutis intelligit: quæ uerò sæpius capiuntur, semipedalia ferè, uel etiam minora cornua habent, ut fortasse apud Plinium semipedalia pro sesquipedalia legere oporteat, Rondeletius. qui etiam Cataphractum hunc piscem uel Holosteum, se primum nominasse scribit, quòd undiquaque armatus, totusq; osseus sit. Bellonius etiam in Nilo quendam piscem Holosteum uocauit, quem nos Ostracionem ex Strabone. ueteres holosteum tantum herbam quandam dixerunt. Fallitur autem in hoc Rondeletius, quòd Plinium lib. 9. cap. 27. Cornutæ tanquam piscis uolantis meminisse scribit. Volantes quidem Hirundinem & Miluum capite 26. proximè nominârat. hîc uerò Lucernam primùm, non uolare, sed in summa maria subire dicit. Et mox subdit: Attollit è mari sesquipedalia ferè cornua quę ab his nomen traxit. Sesquipedalia quidem cornua, ceto magis quàm pisci conueniunt: sicut & hoc, quòd è mari ea attollit, siquidem aëris inspirandi causa ceti plerunque capita ad summam aquam efferunt. & libri 32. cap. ultimo Plinius Cornutas cum beluis numerat. Cæterùm Cornutæ beluæ nusquam alibi Rondeletius, ut hîc pollicetur, mentionem facit. Eam tamen Gillius descripsit. Apicius ius seu condimentum Cornutæ describens, piscem intellexisse uidetur.

ITAL. A Liguribus uocatur Malearmato pesce: à Romanis Forchato & pesce Forcha, à duobus cornibus. Nonnulli Lyræ superioris (quam Caponem nominant Romæ) marem esse arbitrantur, Rondeletius. A Genuensibus pesce Armato, Bellonius.


GALLICE circa Monspelium (& Massiliam, Bellonius) Malarmat, id est, Malè armatus, per antiphrasim, Rondeletius.



Cataphract. Holosteus.

GERM. F. Ein geharnischter Redfisch, hoc est, Lyriformis armatus; uel ein Gable / ein Gabler, à rostro præ cæteris huius generis piscibus bifurcato.

Pleraque ex prædictis uulgaribus nominibus, alijs etiam eiusdem generis piscibus adtribuuntur, quare cauenda est confusio. nam ne eruditi quidem in hoc argumento species huius generis omnes, etsi non multas, satis adhuc distinxerunt. Venetijs quem hic exhibemus Lucernam uulgò uocant: uel potius similem ei aliũ, nigriorem, cœruleis ad branchias pinnis: cuius ego recens extincti oculos noctu lucere obseruaui.



LVCERNA piscis olim à Plinio dictus, & hodie Venetijs. Subit in summa maria, piscis ex argumento appellatus Lucerna: linguaq́; ignea per os exerta, tranquillis noctibus relucet, Plinius. Rondeletius conijcit Hirundinem piscem eundem esse, qui à Plinio Lucerna sit appellatus: Lucernam uerò hodie uulgò dictam, Miluum esse Plinij, ἱέρακα, (uel ἱέρηκα, ut Oppianus) id est, Accipitrem Græcorum. quanquam Miluum auem Græci ἰκτῖνον nominant. Vide quæ cum Hirundine annotauimus: nobis enim distingue re libuit. Miluum quidem eundem Lucernæ Gillius quoq; & Massarius faciunt. Lucernam Plinius tranquillis noctibus lingua per os exerta lucere ait: id quod omnes piscatores negant: & sanè piscium lingua explanata & mobilis ut exeri queat, nõ est. Fortè potius Lucerna appellata fuit, uel quòd pinnæ uersicolores noctu fulgorem quendam mittunt, uel quia antiquæ Lucernæ speciem similitudinemq́; gerit, Gillius. Nos oculis hunc piscem recens mortuum noctu fulgere obseruauimus. Ouidius nigro tergore Miluos dixit. Eadem est nimirum Miluago Plinij, (sicut & Rondeletio uidetur:) ea quoties cernatur extra aquam uolitans, tempestates mutari, Trebius Niger author est. ¶ Cuculũ nostrum Massarius Miluum facere uidetur, sed falsò, Saluianus. Vide in Cuculo. Idem Cuculum suum à Venetis Lucernam dici prodit. Miluus à Bellonio pictus, squamosus, &c. Hirũdo Rondeletij est. Aliqui Coruum (Coracem) nostrum Cuculum faciunt: cum ille niger sit: Cuculus uerò ἐρυθρός, id est ruber dicatur. Miluum uerò, quem nos Coruum (*fortè Hirundinem: huic enim longißimas pinnas tribuit*) appellamus, ob pinnarum quæ ad branchias sunt longitudinem, Rondeletius. Bellonij sanè & Saluiani Miluus, Rondeletij Hirundo uidetur. Lege in Hirundine.

Miluus. *Hierax.* *Miluago.*

ITAL. Venetijs Lucerna antiquo nomine uocatur. Romę Capo, uago nomine, ut in Lyra prædiximus.


HISP. A Lusitanis pesce Cabra.

GALL. Circa Monspelium Gabot, ue Cabote aliquibus, à capitis magnitudine: ut fortè Italicè etiam Capo quasi Capito dicatur. Rondeletius tamen Coruum (in hoc genere nigerrimum) Cabote uocari scribit à suis. ¶ Massiliæ Beluga. Vide mox in Lucerna Rondeletij.

GERMANICE nominari posset ein Meerwye, id est, Miluus marinus, nisi id nomẽ ad Haliæetũ potiùs pertineret. Circũloquemur igitur, ein art võ Gornard / oder Curfisch / oder Seehan / oder Redfisch: ein fliegende Redfisch art / die bey nacht scheynet. uel uno nomine appellabimus ein Scheynfisch.

ANGLI


ANGLI Redfisch uel Gurnarde uocãt: & similem huic, sed nigriorem, minorem, Rotchet.



LVCERNA seu Miluus Rondeletij. Piscis est (inquit) corporis forma coruo persimilis, colore magis rubro, capite minùs lato, utrinque compresso: pinnarum numero caudaq; similis, magnitudine & colore dissidens. Parti pinnarum quæ ad branchias sunt externæ, nullæ maculæ rubræ insunt: interna ex uiridi non nigricat: sed pinnæ istæ partim flauescunt, partim nigricant, &c. Vide mox in Gallicis nominibus.

GALL. A nostris Lucerna, quòd noctu splendeat. eâdem de causa à Prouincialibus Belugo: nam Belugnez fauillas appellant, Rondeletius. Gillius Lucernam ab accolis Adriatici sinus uulgò dictam, (quæ à Rondeletij Lucerna uulgò circa Monspelium dicta, nonnihil distare uidetur, coloribus saltem,) Masiliæ Belugam *(nomine nimirum facto à Græco φλόγα)* nominari scribit. Generis quidem unius species duæ proximæ uidentur.

GERM. F. Ein andere art des obgesetzten Seehanens oder Scheynfischs.



CORAX piscis, id est Coruus Rondeletij. Corporis forma Miluo similis est. dorsum ei ex cæruleo nigricat, &c. ¶ Græcè Κόραξ, Latine Coruus à Plinio, Celso & Isidoro Hispalensi uocatur, Saluianus.


Qui Coruus piscis & apud Latinos ueteres quosdam uocatur, ut Celsum: & hodie uulgò apud Italos, non alius quàm Coracinus est. Rondeletius diuersum ut faceret, uno (opinor) Athenæi loco commotus est: ubi is scribit Corui carnem, duriorem esse quàm Milui: insinuans speciem reliquam esse similem, carnem duntaxat in cibo duriorem. Xenocrates Coraxum (Κόρακον) scribit piscem esse prædura carnis: qui & in maiorem auctus magnitudinem durior euadat, sapore uiroso, Vuottonus. Coriax uel Coriaxus salsamentum non semel à Tralliano memoratur.

ITAL. Romæ Gallina uocatur, Rondeletius. Sed Cuculus quoq; piscis (eiusdē generis species) à Masilienſibus Galline dicitur. ¶ Romæ communi nomine cum Lyra & Cuculo, Capone uocatur, Saluianus.

GALL. A nostris *(circa Monspelium)* Cabote uocatur, à capitis magnitudine, Rondeletius. (Ab eadem & Lyram Rondeletij, cognatum piscem, aliqui Caponem uel Capitonem uocant.) Burdegalenses Perlon, ut reliquos similes.

GERM. Ein schwartzlachter Redfisch. Quære in Cuculo.

Hirundo Rondeletij: eam Miluus à Bellonio pictus propiùs refert, quàm Hirundo ab ipso picta: quæ ad sceleton fortè facta est, non ad uiuum piscem. Miluus autem Rondeletij, diuersus est.



HIRVNDO, Græcè χελιδὼν dictus piſcis, uolucri hirundini perquam ſimilis eſt. quam ob cauſam idem nomē ab omnibus ferè gentibus ſeruatum eſt. Oris eius partes internæ rubræ ſunt, coloris iucunditate & ſplendore ſandaracham uel cinnabarin ſuperantes. ijs partibus Hirundo noctu lucet, uidetúrque candentes carbones ore cōtinere. quam ob cauſam piſcis idem exiſtimari poteſt, qui à ueteribus Lucerna appellatur: ut Plinij ſuper hoc piſce locus inemendatus ſit, &c. Rondeletius. Sunt qui piſcē, quem Veneti Lucernam uocant, Miluū eſſe credant, Bellonius. ipſe uerò Lucernam Venetorum, Cuculum facit. Equidem Plinij locum non mutârim: & Hirundinem à Lucerna diſtinxerim. nam & hodie uulgò Venetijs alium piſcem Hirundinem uocant, (Rondola uel Ziſila uulgus dicit) aliū Lucernam. Hirundinem noctu lucere, ita ut Rondeletius ſcribit, non dubito. ſed non cōtinuò qui noctu lucet piſcis, in hoc etiam genere, Lucerna fuerit. Vidi ego Lucernam Venetijs, ut illic uocant, noctu in cubiculo meo, mortuam quoq; recens, oculis lucere. Hirundo piſcis Lucernæ ualde ſimilis eſt, Maſſarius Venetus. Miluus ſiue Lucerna piſcis, tam ſimilis eſt Hirundini piſci, ut Græci hodie falſò eum Chelidonem uocent: Adriatici ſinus accolæ Lucernam appellant, Gillius. ¶ Cuculo mulloq; colore & corporis ſpecie ſimilis eſt Hirundo, longiſsimas latiſsimasq; pinnas habet, uolat extra aquam, cuius rei teſtes ſumus oculati. ſunt & teſtes qui ad Herculis columnas nauigarunt: ubi tanta aliquando uolantium hirundinum turba conſpicitur, ut non piſces ſed aues aquatiles eſſe credantur, Rondeletius. Oppianus lib. 2. inter piſces quorum uenenati ſint aculei, hirundines recenſet. ¶ Hirundinis piſcis, quē Chaldæi uocant ἰχθὺν χελιδονίαν, caput habere fertur piſcis cœleſtis iuxta Andromedam, Theon in Aratum. Alius uerò piſcis eſt Chelidonias ille, qui Pelamydi comparatur. ¶ Cum Miluus (Hirundo Rondeletij) ſuper aquam uolitet, & nigro tergore ab Ouidio deſcribatur: nullus alius reperitur & hoc colore ſimul, & ad uolandū idoneus. Idem autem & Miluago Plinij & Lucerna eſt quare in Catalogo cum Lucernam connumeraſſet, Milui non meminit, Saluianus.

Lucerna.

Chelidonias.



Hirundinem ad ſceleton effictam cum iam olim haberem, hîc etiam apponere libuit.

GRAECI huius ætatis χελιδόνα uocant, addita uoce ψάρο, (*melius opſaro, pro opſario, id eſt piſce*) ad diſtinguendum piſcem ab aue, Rondeletius. Miluus ſeu Lucerna piſcis tam ſimilis eſt Hirundini piſci, ut Græci hodie falſò eum Chelidonem uocent, Gillius.


ITALICE. Adriatici maris accolæ Rondela uel Rondola uocant, Rondeletius. Rondola uel Ziſila Venetijs uocatur: in Sicilia Rondine, quæ tria nomina etiam aui hirundini tribuuntur. ¶ Romæ, peſce Rondine, Saluianus. Vide quæ ſcripſimus in Mugile alato.

HISPANICE. Voladór. Luſitanis Peixe uoatór, uel potiùs uolatór.

GALL. Arondelle, uel Arondelle de mer. Maſsilienſibus Rondole, uel Lendole. Gallorū nonnulli (inquit Rondeletius) Volant appellāt, quòd auis inſtar ad lapidis iactū extra aquā uolet.

Alij


Alia Hirundinis imago, quam ex Italia accepi, piscis uolantis specie: pinnis nempe in transuersum extensis. eædem demissæ natantis speciem præbebunt.



Alij Papilionem. Alij Rate penade, id est Vespertilionem: quòd colore, alarum magnitudine maculisq; Vespertilionem æmuletur. Quæ tamen si attentiùs cõsideres, tum etiam uolatum (demissè enim uolat, quemadmodum aues è flumine aquam hausturæ, uel à terra festucas cibúm ue collecturæ) Hirundini uolucri magis quàm Vespertilioni assimilaueris. Hæc ille.

GERMANICE nominari poterit **ein Schwalmfisch**: uel **ein fliegender Rotfisch**: uel **ein art der Zündfischen.**

Pictura hæc Venetijs facta est: satis bona, sed minùs elegans & accurata quàm Rondeletij: quæ cirrhum etiam à medio inferioris maxillæ propendentem ostendit.




CALLIONYMVS, Vranoscopus, Agnus. Καλλιώνυμος, οὐρανοσκόπος, Ἄγνος. Agnus quidẽ castum significat: nihil autem de huius piscis castitate legitur. Vranoscopus Cœlispicem significat: Galeni interpres Cœli speculatorem appellauit. oculi enim eius supra caput siti, rectà cœlum
Anodorcas. intuentur. Latino nomine caret. Idem nimirum fuerit Anodorcas à Thebanis dictus, teste Hesy-
Bricchus. chio: & alio nomine Bricchus. Ἀνωδόρκας, βρίκχος ὁ ἰχθῦς, ὑπὸ Θηβαίων. Gaza Pulchrum piscem inter
Pulcher. pretatur, tanquam Callichthyn, nõ Callionymon legisset. Atqui tum ob fuscum colorem, tum ob capitis totiusq; corporis speciem, fœdus est aspectu. & Callionymus, id est, pulchri nominis piscis nominatur, ob Vranoscopi appellationem, quæ pulcherrima est, & homine quàm pisce dignior, ut Rondeletio uidetur. Sed an ab aliqua membri genitalis similitudine potiùs, ita uocatus sit, considerandum est. nam callionymus Hesychio, non piscem modò, sed etiam utriusq; sexus genitale significat. & Tapecon hic piscis à Massiliensibus nuncupatur, quòd pesi instar conformatus esse uideatur, &c. (Hicesius diuersum piscem Anthiam ab aliquibus Callionymum uocari scribit.)
Hemerocœtes. Oppianus Hemerocœtũ (Ἡμερόκοιτον) nominat, quòd interdiu in arena dormiat, noctu uigilet, prædæ quærendæ causa: unde & Nycteris (Νυκτερὶς, id est Vespertilio) uocatus est. & Psammodytes
Nycteris. (Ψαμμοδύτης) apud Hesychium, quòd arenas subeat. ¶ Hic an Gobius ille Oppiani sit, quem acu-
Psammodytes. leis suis uenenatum facit, quærendum. ¶ Piscem Arabicè dictum Sabot, uel Alsabut, aliqui hodie Callionymum Græcorum interpretantur: Syluaticus Spinulam (uulgò dictam: hoc est, Scor-
Sabot. pium piscem.) at hi marini sunt pisces: Sabot uerò (teste Andrea Bellunensi) fluuiatilis, in Fora Persiæ flumine.

ITAL. Bocca in ca, Boca in capo. Venetis Bec in cauo. Genuæ Prete uel Preue. Romæ Missore, quod nomẽ etiã alijs piscibus attribuũt, (Belẽno & Cotto fl.) Alicubi etiã Lucerna de petre: id est, saxatilis Lucerna. alius enim est qui simpliciter Lucerna uocatur. ¶ Romæ Messoro (*sicuti & Blennus mar. & Cottus fl.*) & pesce Prete, Saluianus.

GALLICE. A Massiliensibus turpi nomine uocatur Tapecon, quòd pesi instar conformatus esse uideatur: & Raspecon, quòd caput ob asperitatẽ ad scalpenda muliebria pudenda accommodari possit, inquit Rondeletius. Circa Monspelium, Rat. ¶ Massiliæ (inquit Bellonius) Rascassa bianca, quasi album scorpionem dicerent, uocatur. Alibi Responsadoux.

GERMANICVM confingi nomen licebit, **ein Pfaff**, id est presbyter uel sacerdos. nam & Genuenses Prete (id est Presbyterum) uocant, ab eo nimirum quòd cœlum suspiciat, ut solent qui preces ad Deum fundunt sacerdotes. Vel, **ein Himmelgugger**, hoc est Cœli spectator. Vel periphrasticè, **ein Meergroppen art.** nam & Romani eodem nomine, quo Cottum siue Gobium fl. capitatum nominant: & eruditi quidam hunc piscem Blenno cognatum iudicant. est autem Blennus quoq; Gobio fl. persimilis, & à Romanis similiter appellatur.

MVLLVS nomẽ traxit à colore mulleorum calceamentorum, quibus reges Albanorum primùm, deinde patritij usi sunt. Hos (inquit Rondeletius) purpureos fuisse oportet,



tet, cũ Mulli ſanguinei, id eſt, purpurei ſint, uel uarios: Mulli enim magna ex parte purpurei ſunt, aliqua parte candidi, alia liuidi; habent & lineas aureas parallelas. Maximè cum expirant, colorem mutant. Sic ille. Sunt qui Mullum à mollitie deriuent, ut Iſidorus: quòd molliſsimum hoc genus piſcis ſit, non quidem in cibo, ſed ſeruitutis indignantiſsimum, Columella teſte. quare in piſcinis non creſcit. Non laudo qui Mulum l. ſimplici ſcribunt, ſicut iumentũ quadrupes. Græcè τρίγλη dicitur, idq́ rectiùs quàm τρίγλα per α. quamuis ſunt qui hoc commune, illud Atticum putent. Oppianus (carminis cauſa fortè) τρίγλα trochaicum uſurpauit. Ariſtoteles hunc piſcem ter parere ſcribit: & inde forſitan nomen habere. id confirmat Oppianus. à quo etiam τριγλίδες piſces lutarij nominantur, cùm paulò antè Triglam dixiſſet tanquam diuerſum piſcem in litoribus arenoſis uerſari. Dorion Triglides paruas, Hepſetis piſciculis connumerat: unde conijcio eandem eſſe Triglitidem Apuarum generis. Si quis tamen Triglidem, Mullum Lutarium à Plinio dictum eſſe uoluerit, & eundem fortè imberbem, eſto. ¶ Mulli quidem in mari ſpecies quędam ſunt: in fluuijs nulla: & qui Barbum fluuiatilem piſcem, Mulli fl. nomine dignantur, non parum aberrant. ¶ Trigla & Trigola an ijdem ſint piſces, difficile eſt explicatu, Saluianus. Nos in recto caſu Trigolas, ut Aeneas, dicimus. quem piſcem à Trigla Sophron diſertè diſtinguit. Typhon aliquos Cuculum putare ſcribit, propter ſimilitudinem (formæ) & partium poſteriorum ſiccitatem. Porrò cum Trigla ſimilis ſit Cuculo; eidemq́ Trigolas tam ſimilis ut pro Cuculo à quibuſdam accipiatur, ipſum quoq́ Trigolan, ſimilem Triglæ eſſe oportet, ut non temere nomen ab ea ſit mutuatus, ac ſi Mullaſtrum Latinè dicas. Et probabile eſt eundem eſſe Mullum imberbem: quoniam idem Sophron alibi de barbato loquens, cæteris (nimirum imberbibus) eum præfert.

Trigle. *Triglis.* *Triglitis.* *Trigolas.*

Plinius (inquit Saluianus) eorum plura genera facere uidetur: ſed quæ non uerè genera aut ſpecies ſint: ſed leues quædam differentiæ ex alimenti uarietate deſumptæ: quibus tamen non perpetuò Mulli differunt, quippe quorũ haud perpetuò hi alga, illi oſtreis, alij limo, aliqui uerò aliorũ piſcium carne ueſcantur: ſed quilibet horum quolibet ſibi obuio indifferenter paſcatur.

GRAECI etiam nunc rectè antiquo nomine Triglam uocant, Gillius. Cretenſes nomine compoſito ex Græco corrupto, & Veneto, Στριγλημπαρπόνν, ij enim β. per μπ. efferunt.

ITAL. A Romanis Trigla, (Triglia, Saluianus) à Venetis Barbono, à nonnullis Treglia uel Triglia: Liguribus Triga.

HISPANI Mullum Salmonetum appellant, Amatus Luſitanus. Aliqui, ut audio, Báruo de la már, id eſt, Barbum marinum.


GALL. Burdegalenſes Barbeau, Galli Surmulet: *(fortè quòd Mugilem, quem Mullet uocant, precio ſuperet:)* aliqui Barbarin. alij Moil, id eſt, maris Perdicem, Rondeletius. ſed nomen Moil à Mullo detortum uideri poteſt. Pariſienſes uulgò Rougetos barbatos, uel Surmuletos appellitant. Burdegalenſes & Baionæ Barbarinos dicunt, Bellonius. Maſsilienſes & Ligures, Trigam: qui Niceam incolunt, Strilham, Gillius. Galli Cuculum Rouget uocant, non diſtinguẽtes à Mullis, quòd eiuſdem ſint coloris, Rondeletius. qui alibi etiam Mullum, Cuculum, Lyram, à Gallis indiſtinctè Rouget uocari ſcribit. Et in Erythrino: Obſeruandum (inquit) diligenter eſt Cuculum, Lucernam, aliosq́ rubros piſces Gallis, & maximè Pariſienſibus dici Rougetz: nobis autem Monſpelienſibus Mullos, Rougetz nuncupari: ne quis Gallica nomina cum Græcis temere confundens, illos Erythrinos eſſe putet.

GERMANICE Mullum nominabimus ein Meerbarbel, id eſt, Barbum marinum: quanq́ Bellonius etiam Myſtum piſcem mar. Barbo fl. comparat. uoi ein Redfiſch art/ein Rotbart/ ein gebarteter Redfiſch.

ANGL. In Portlandia peninſula Mullum uerum uidi, quem piſcatores uocant, a ſore Mullet, Turnerus in epiſtola ad me. Mullet quidẽ Anglis, ſicut & Gallis Mugilem ſignificat. ſed Galli etiam aliqui Mullum Surmulet appellant; ab eo fortè quòd Mugilem precio ſuperet. à Gallis Portlandi ſuum nomen mutuati uidentur. Plinius: Septentrionalis tantùm hos (inquit) & proxima Occidentis parte non gignit Oceanus. In Gallico quidem Oceano Mullos capi, Bellonij authoritate conſtat: in Britannico, Turneri.

Mulli imberbis (inquit Saluianus) ſolus Athenæus meminit: reuera quidem nullus eorum imberbis reperitur. Duplex tamen Mullorum genus eſſe nos primi notauimus: quæ nõ ſolùm magnitudine (unum enim maius eſt, alterum minus:) ſed colore etiam manifeſtiſsimè diſtinguuntur, utrunque barbatum, &c. Hæc ille. At ſecundũ Rondeletium, Mullorũ alij imberbes ſunt: ſpecies una barbata, quam ſemper intelligi puto cum Mullus ſimpliciter nominatur. ſunt enim Mulli barbati, τρίγλαι γενειάτιδες, multò ſuauiores.


MVLLVS imberbis (inquit Rõdeletius: Saluianus enim diſſentit, ut proximè indicauimus) is eſt, qui à noſtris Imbriago, *(ſic etiam Lepus mar. quòd expreſſus ſuccum remittat inſtar rubri uini)* dicitur, ab inſigni rubore. ebrioſis enim, quos imbriagos noſtri uocant, ſępius rubet facies. Ab hoc igitur exaturato & ſplendido rubore, (quo ſimiles ſibi figura piſces Cuculum & Hirundinem uincit,) nomen ei à noſtris datum eſt. Caput ei magnum, ſtellulis cælatum. A capite ad caudã dorſo medio duo ſunt oſſiculorum acutorum ordines, cauum efficientes, è cuius medio pinna rubra



aculeis cōstans erigitur: cuius pinnæ aculei parum ferrati uidentur, &c. Hic piscis ueteribus (inquit idem) parū notus fuisse uidetur, qui de solo Mullo barbato uidentur scripsisse. Atqui Sophronis apud Athenæum uerba paulò antè recitauerat, hęc: Mulli barbati longè suauiores sunt cæteris: hoc est, imberbibus. ¶ An Triglis Oppiani hic Mullus sit, quærendum. Vide suprà in iis quæ de Mullo simpliciter scripsimus. Sed Trigolas potiùs Mullus imberbis mihi uidetur, ut suprà scripsimus. ¶ Piscem Caponē uulgò Romæ dictum, (Venetis Lucernam,) Mullum imberbem sibi uideri, eundemq́ Alutarium (*meliùs Lutarium*) Plinij, insinuat Iouius. ego Rondeletij magis sententiam circa hos pisces probo.

GALLICE Imbriago, ut superiùs indicatum est.

GERM. F. Ein glatter Rotbart/ein Onbart.



MVLLVS imberbis alius, asper cognominandus, Rondeletij. Hunc piscem (inquit) ob similem corporis figuram, similem colorem, Mullorum generi subieci: & à squamarum asperitate Mullum asperum nominaui: cùm nullum aliud nomen, immò ne mentionem quidem ullam piscis istius, apud antiquos scriptores legerim.

GALL. A nostris Cauillone dicitur, à claui lignei, qui cauille à nostris uocatur, similitudine.

GERM. F. Ein raucher Rotbart/mit rauchen schüppen/dem gebarteten Redfisch änlich/aber on ein bart.

QVAE sequitur pictura piscis incogniti nobis, exhibetur in Tabula Septentrionalis Oceani Europæi per Olaum Magnum, qui aliud nihil de eo tradidit. Videtur autem piscem uolantem exprimere uoluisse.





ORDO

ORDO IIII. DE PISCIBVS LATIS ET COMPRESSIS, SQVAMOSIS, VT SVNT AVRATA, ERYTHRINVS ET SIMILES, LITORAles ferè, &c. Item De Apro, Caprisco, Stromateo, Nouacula, Fabro, Seserino.

Latis & squamosis huius generis piscibus, Anthias quartus Rondeletij etiam adiungi poterat: & Scarus is, quem idem Rondeletius Auratæ comparat. Nos eos inter saxatiles posuimus, &c.

Iconem hanc dedi, ut Venetijs expressam habui. Rondeletij meliorem esse puto: quæ & dentes in ore, & toto corpore squamas ostendit. & pinnam dorsi non undiquaque similem: sed anteriore dimidia parte spiculis distinctam per interualla spinosis, posteriore non item.





AVRATA uel Orata, ab auri colore. Græci meliùs à parte, superciliis scilicet aureis, χρύσοφρυν appellarunt: non solùm tamen piscem hunc, sed etiam Pompilum eodem nomine.

GRAECI hodieq; nomen uetus seruant.

ITAL. Orata Romæ, Saluianus.

HISPAN. Dorade. Vide mox in Gallicis.

GALL. Prouinciales & Hispani (*à quibus alicubi Doradilla dicitur*) Dorade uocant. In Gallia Narbonensi pro ætatis differentia, quæ magnitudine definitur, diuersa nomina habet. Quæ palmi magnitudinem nondum attigit, Sauquene dicitur: quæ cubiti est magnitudine, Daurade: quæ inter illas est, Meiane, quasi dicas mediam. Piscatores nostri maximam Auratam Subredaurade uocant, id est Supra Auratam. Galli Dauree, quem nos Fabrum esse dicimus, uocant: Auratam uerò nostram, Brame de mer: quo nomine etiam Sparum, Cantharum, & similis figuræ pisces nuncupant, Rondeletius. Video Sargum, Melanurum, Auratam, Sparum, Synodontem, Dentalē, ita similes esse, ut uix ab oculatissimo distingui possint, Bellonius. Bramæ seu Bremę mar. nomē nō solùm Gallis, sed Anglis etiam & Germanis latè patet ad pisces diuersos, qui omnes tamē squamosi latiq; sunt, & Cyprino, præsertim lato (ut Rondeletius cognominat) aliqua ex parte similes. quanquam certis in regionibus fortè speciem unam quampiam sic appellant. alicubi enim marinum piscem Bremæ lacustri similem, sed crassiorem & maioribus oculis, priuatim sic nominari audio. ¶ Aurata mari mediterraneo cognita, Gallis ignota est. nihil enim habet cum Dorada Massiliensium commune, Bellonius: qui alibi Piscem S. Petri à Gallis Dorade uel Doree nominari scripserat.


ANGLIS Giltheade, uel Gyldenpole, piscis est sic dictus ab aureo capitis colore: uel Goldeneie, quasi Aureum dicas oculum. habet is in fronte, ut ferunt, aliquid concretum, quod auri

instar in aquis lucet, &c. Hunc aliqui Auratam, alij Scarum esse putant. Sed Auratam in Britannico Oceano esse Iul. Cæsar Scaliger negat.


GERM. F. Ein Goldbreme/oder Goldbrachsme/oder Meerbrachsmen art.

SPARVS (Σπάρος) Auratæ tam similis est, ut ob coloris lineamentorumq; corporis similitudinem, aliquando à piscatoribus ipsis primo aspectu nō internoscatur, Rondel. Paruæ Auratæ tam similis est, ut Romæ persępe pro ea uendatur, Saluianus. Sargo etiam simillimus est, & solo ferè colore distinguitur, teste Bellonio. *Sparulus.* Sparulus apud Ouidium & Martialē dicitur. Isidorus sic dictū ait à sparo lancea (uel iaculo) missili, quòd eiusdem figuræ sit. Sed cum nomē sit Gręcum, origo quoq; Gręca potiùs ei quærenda fuerit. Eustathio Σπάρος dictus uidetur à uerbo σπαίρειν, q̃d est palpitare. Sparus apud Plinium legitur lib. 32. in Catalogo piscium, nec usq; alibi quod sciā. nam lib. 9. cap. 51. melior lectio est Sargus. *Rhyades.* ¶ Rhyades non Spari sunt, ut recentiores quidam, Gazę translatione decepti, putauerunt: (Gaza quidem uariè cōuertit:) sed generalis differentię uocabulum. Gillius ex Aeliano Rhyades interpretatus est *Aspargi.* Aspargos, quod non probò. Ex eo quidem quod de eis scribit Aelianus, per hyemem eos quiescētes simul manere, seq; mutuo tepefacere: uerno autem tempore longiùs migrare, gregarios pisces esse intelligitur. & quoniam longiùs abeunt, ita fit, ut non obuijs modò, sed & inuestigatis cibis uescantur. quæ omnia arbitror in uniuersum ad gregarios pisces complures pertinere: ut generale quoddā hoc uocabulum sit, &c.


Iconem hanc Rondeletius dedit. à Saluiano exhibita, maculas quasdā transuersas, latiusculas ostendit, quatuor aut quinque, quæ piscis latera supernè distinguunt, ut in Mormyro ferè. Nigram in cauda maculam, similiter ut in Melanuro, Rondeletius pingit: eandem Saluianus neque pingit, nec in descriptione eius meminit.



Alia Spari effigies, Venetijs mihi depicta.



Sparus qui in stagnis marinis degit, inquit Rondeletius: marino planè similis, & specie, & cæteris corporis partium, tum internarum tum externarum, differentijs. Quod cum ita sit, cur nouam eius iconem dare uoluerit, mireris.




ITALIS Sparlo uocatur, aliquibus Carlino & Carlinoto, Rondeletius. Romæ Sparo, Genuæ (*& in Portu Veneris, Bellon.*) Sparlo, Saluianus. Tametsi quotidie Romæ ex mari in forum piscarium Spari adferuntur, tamen piscatorum nemo piscem hunc Spari nomine agnoscit. promiscuè autem cum Auratis & Sargis diuendi solet, Bellonius. Spari nunc quoque Spari appellantur, Massarius Venetus. Aliqui r. geminato el Sparro proferunt.

HISPAN. Spargoil, Rondeletius.

GALL. Circa Monspelium Sparallon. Massilienses corruptè Sparlum appellant, Gillius.

GERM. F. Ein Sparbrachsmen: uel per circunloquutionem, ein kleine Meerbrachsmē art/hat ein schwartzen flecken am schwantz/wie auch der Sargus vñ Melanurus, von welchen härnach.


PISCIS




PISCIS marinus, de cuius antiquo nomine dubitamus. Coloribus pingitur uarijs: pinnæ ad branchias & cauda flauescunt, sed cauda innumeris etiam maculis ruffis distinguitur. pinnę binæ in uentre Indici coloris sunt: illa quæ podicem sequitur, primùm Indica, deinde flaua, in extremo rubicunda, &c. Venetijs audio Saccheto uocari. aliqui Sparo congenerem esse putant. Bellonius quidem Canadellam piscem hodie uulgò dictum à Gallis ad Ligusticum mare, à Venetis Saccheto uocari tradit, ut etiam Hepatum suum, qui undecimo Rondeletij Turdo cognatus uidetur: ab his uerò omnibus, quem hîc exhibemus, differre. *Saccheto. Sparo cognatus.*

GERM. F. Ein kleine art der Meerbrachsmen/oder Sparbrachsmen.

Iconem hanc Canthari ex Italia accepi. ea quam Rondeletius exhibet, corpus ostendit latius: &, si caudam excipias, infra supraq; rotundius. os minùs prominens, & denticulatum, &c.



Piscis hic à Bellonio pro Coracino exhibitus, Cantharus uidetur. nam & Rondeletius Cantharum esse docet piscem à Liguribus Tanado dictū, non Coracinū. & Gillius piscē Massiliæ à colore castaneæ nominatum, Coracinum Neapoli uocari, audiuisse se ait. unde nimirum deceptus Bellonius, Cantharum bis pinxisse uidetur, primùm pro Coracino, non expreßis dentibus: deinde pro Canthara, dentatum.



CANTHARVS (Κάνθαρος) à similitudine canthari terreni dictus mihi uidetur. Vt enim hic fimo delectatur, & in eo hyeme conditur: sic Cantharus piscis in luto & sordibus libēter uersatur. quare in litoribus & portubus degit, Rōdeletius. ego à colore dictū existimârim. Profertur &

Cantharis fœm. gen. Κανθαρὶς, ῦ. Idem Rondeletius, nomen Aetnæus (Αἰτναῖος) apud Oppianum, Canthari piscis epitheton esse putat: nos sui generis piscem esse monuimus.


GRAECI hodie Cantharum corruptè Scatarum nominant, Gillius.

ITAL. Ligures Tanada à colore pullo. Quidam Cantara, Romani Zaphile. Genuenses (inquit Bellonius) Tanna uocant, alij Daphanum, Dephanum uel Tephanum, Bellonius.


GALL. In Gallia Narbonensi, Prouincia, Hispania, parum mutato nomine Cantheno dicitur, Rondeletius. Lutetiæ ex Oceano tritissimus hic piscis, uulgò Bremma marina appellari solet. Masiliæ Cantena.

GERM. F. Ein braune Meerbrachsme.

Hanc picturã olim Cor. Sittardus misit: quæ Sargi (si bene memini) caput, os & dentes, repræsentaret.



Nostra hæc Sargi icon est: Rondeletij accuratior. nam & lineas à summo dorso descendentes octonas repræsentat, (quæ tamen in mortuis ferè euanescunt:) & dentes humanis non dissimiles: & nigram, iuxta caudam, maculam.



SARGVS quanquam ab Oppiano petras herbidas incolere dicitur, piscis tamen saxatilis non est, sed litoralis, & in cœnosis litoribus frequentior, Rondeletius. Græcè Σαργὸς dicitur, oxytona dictione: uidetur autem à carne (quam Græci σάρκα nominant) sic dictus. est enim pro corporis magnitudine spissus, plusq; carnis habet, quàm similes ei pisces Sparus & Cantharus. Apud Aristotelem quinto historiæ, bis uel ter Σάργος pro Σαργῖνος mendosè legitur. est autem Sarginus longè diuersus piscis, in genere Mugilum. ¶ Similis est Sargus prædictis piscibus, (à Sparo ferè solo colore differt,) item Melanuro, macula quoq; similiter ad caudam nigra: sed corpore est rotundiore, compresso, spissiore, &c. item Scaro: Lege mox in Italicis nominibus. et Apro, uide in Illyricis. ¶ Circa branchias & caudam in eo nigra nota satis ampla apparet: & lineæ subnigræ à branchijs ad caudam ducuntur: quæ omnia cum Melanuro communia habet, atque insuper corporis figuram, Saluianus.

Sarginus.

GRAECI etiam hodie ueterem eius appellationem retinuerunt.

ITAL. Sargo Genuæ. Venetijs, alibiq; ferè ubique: Romæ Sargono. Non modò Masilienses & Ligures, sed omnes quas obiui regiones, Sargum adhuc uulgò nominant, Gillius. Romæ Sargus imperialis dicitur, ut Cor. Sittardus olim indicauit. ¶ Scarus Romanis nostrisq; non

Scarus.


non planè notus est. alij enim ob similitudinem Dente, alij Sargo uocant. à nostris quidem piscatoribus pro Sargo uenditur, cui similis est corporis forma subrotunda, & aculeorum pinnarumq́ß situ ac numero, Rondeletius.

HISPAN. Lusitanis Sargo.

GALL. Circa Monspelium & Massiliæ, Sargo. Oceano quidem Gallico ignotus est piscis, mari rubro & Nilo peculiaris, Bellonius: qui pro peculiari frequentem dicere debuerat.

ILLYRII piscium affinitate decepti, Aprum Chergnier uocant, sed uox ea Sargo debetur. Aper enim Sargi modo corpus tornatum habet, Bellonius. *Aper.*

GERMANICVM nomen fingendum est, nam cum in Oceano Gallico ignotus sit piscis, teste Bellonio: in Germanico etiam deesse uerisimile est. appelletur igitur ein Geißbrachsme, ut & corporis eius speciem (Bramis uulgò dictis piscibus similem) & occultum cum genere caprino cōsensum indicemus. Vel, ein Brandbrachsmen art im meer: id est, Melanuri species in mari. Vel describatur: Ein Meerbrachsmen art/mit überttwären schwartzen streymen von dem rucken hinab/wie an eim Bersich/oder auch an dem Mormyro: hat auch ein schwartzen flecken gägen dem schwantz.




Oculata.

MELANVRVS (Μελάνουρος) Sargo similis est, caudæ nigra nota insignis, ut nomen etiam præ se fert. at nota hæc illi cum alijs quibusdam, (ut Hepato, Sparo & Sargo,) communis est; à quibus alijs notis secerni debet. Gaza Oculatam uertit. Plinius Melanurum & Oculatā ueluti diuersos nominauit; sed is in alijs quoq; multis similiter diuersa aliquādo rei unius nomina, ad res quoq; diuersas pertinere putauit. Nec de alio pisce sensisse uidetur Plautus Ophthalmiam nominans, (nimirum à recto masculino Ophthalmias.) Vulgaria quidem hodie pleraq; huic pisci nomina ab oculis facta sunt. hos enim ratione reliqui corporis admodum magnos habet, ex cœruleo nigrescentes, &c. ¶ Veterum Oculatam Melanurum esse Saluianus negat comprobari posse. Plinium manifestè distinguere. Celsum sic scribere: Deinde qui quanuis teneriores, tamen duri sunt, ut Aurata, Coruus, Scarus, Oculata, ex quibus uerbis (inquit) haud ulla uerisimili coniectura Melanurum ab eo Oculatam appellari, conijcere possumus: ut neq; ex Plauti uerbis: alius uerò ueterum nemo Oculatæ meminit. *Ophthalmias.*

ITAL. Romani Ochiado nominant, uel Ochiata: Torpedinem uerò oculatam, Ochiatellam. Veneti Ochia, (uel Ochiada; proferunt autem ac si nos scriberemus Otschada:) Siculi similiter, uel Okada, uel Marilia, si bene memini, à Melanuro nimirū deprauato nomine. Genuenses, Oia.

GALL. Massilienses Oblado, uel Olhada. Monspelienses Nigr' oil, id est, Nigrum oculum. Nicenses Iblada, uel Auguyata, Oyata.

ANGLI. Seebreme: quod GERMANICE nostra dialecto diceres Meerbrachsme, nimis generali nomine: quare cōtractiùs dixerim ein Brandbrachsme, à titionis extincti colore nigro. nam & Græci quidam similiter à titione Melanurū, Δαλὸν appellant, Hesychio teste. Ein Meerbrachsmen art mit einem schwartzen flecken am schwantz/wie auch der Hepatus, Sparus, vnd Sargus: welche drey man nennen mag Läberbrachsme/Sparbrachsme/Geißbrachsme. Oceano Gallico perrarus est, Adriatico & Mediterraneo frequentissimus hic piscis, Bellonius. *Δαλὸς*




MELANDERINVS Græcis à nigrore dicitur, Μελανδέρινος. Meminit eius Athenæus duntaxat, qui significare uidetur Melanderinum à Speusippo Psygrum, à Numenio Psorū appellari. (*Athenæi quidem uerba dubia sunt, ut nos in Corollario ad Lepradem seu Psorū Bellonij ostēdimus.*) Melanuro similis est, sed corpore paulò rotundiore. Toto ferè corpore nigrescit; circa caput ex nigro purpurascit, sicuti uiola, &c. Rondeletius.

GALL. In nostro mari reperitur, & Sargi nomine uenditur, ob similem corporis figuram, Rondeletius.

GERMANICE circunloquemur: Ein schwartzlachte Meerbrachsmen art/ründer dann der meerteil andere Meerbrachsmē. Ein runde Brandbrachsme/ id est, Melanurus rotūdior.

Pro Rondeletij icone nostram iam olim Venetijs pictam exhibuimus, etsi minùs accuratè.



ERYTHRINVS uel Erythinus. ἐρυθρῖνος, ἐρυθῖνος. Erythrinus (inquit Rondeletius) aliquā do à Plinio Rubellio, aliquando seruato Græco nomine Erythrinus dicitur. Gaza Pliniū imitatus Rubellionem uertit. Nomen à rubro colore positum est. Cyrenæi ὕκκην uocabant, uel δύκην. Falsum est hos pisces uerti in Dentices. qui error inde ortus est, quòd cum maiores fiunt, propiùs ad Synagridis Denticis'ue formam & colorem accedunt, minusq́ solito rufi sunt, ac ueluti canescunt. quem colorem aptè refert minium pauco candido dilutum. sed facilè periti maculis & dentibus à Synagride distinguent. ¶ Recentiores quidam Ruscupam & Ruburnum pro Harengo insumato accipiunt. ¶ Erythrinus Pagro simillimus est, (differentiam eorum leges inferiùs in Pagro:) unde diuersæ gentes à Pagro diminutiuo nomine denominarunt. ¶ Apud Aristotelem de generat. animal. lib. 3. cap. 1. ubi Erythrini fi. nominātur, ut qui sine mare concipiant, Phoxini legendum uidetur, Saluianus.

Rubellio. Hycca. Dyca. Dentices.

GRAECI hodie Lethrinum nominant.

ITAL. Romæ Phrangolino uocant uel Fragolino, quasi paruum Pagrum. confundunt enim Pagros cum Erythrinis. In Liguria & quadam Italiæ parte, Pagro. Veneti Arboro uel Lalboro uocant, Siculi Sarofano. Arborem Michaël Sauonarola tanquam Latinè nominauit. Qui Istriā incolunt, Illyrij puto, Rybon. Acarnan Romæ frequens, inter Erythrinos & pro Erythrino uenditur: eodemq́ nomine (Phragolino) nuncupatur, Rondeletius.

HISPANI (ut & Galli Narbonenses) Pagel. Lusitani, Pargo.


GALLI Narbonenses, ut & Hispani, Pagel uocant. Massilienses Pagium intelligunt ad discrimen Pagri, quem etiam Pagre nominant. Cæterum Rougets Gallicè dicti à rubro colore pisces, longè alij sunt.

GERMANICE circunloquemur, die kleiner rote Meerbrachsmen: hoc est, Bramæ marinæ genus rubicundum minus. Pagrum enim ei similem, sed minorem esse aiunt. Vide in Cyprino lato inter fluuiatiles. Qui à rubro colore Germanis denominantur marini pisces Rotfäder & Rotbart, non Erythrini, sed λυγροειδεῖς pisces sunt. Rotfisch, id est, piscis ruber, in Noruegia piscis est marinus (ut audio) Bramæ nostræ magnitudine & figura ferè similis, minoribus pinnis, totus rubens intus & foris: laudatus in cibo. Hic Pagro aut Erythrino cognatus fuerit, si non alteruter est. Sed cauenda est homonymia: quoniam Angli alium quoq; piscem λυγροειδῆ, hoc est Lucernis aut Miluis congenerem, Redfysshe uocitant: & Rotfisch Anglorum inter Oceani asellos à Bellonio nominatur.

PHAGRVS (φάγρος) Græcè dictus piscis, apud Latinos & multos alios populos nomen retinuit, φ. litera in π. mutata. Pagrus enim Latinè dicitur, Græcè Phagrus tantùm. Phagrus autem uocatus est quasi φάγος à uoracitate, ad quam dentibus bene instructus est, adeò ut echinos etiā frangat & pascatur. Vnde & recentiores quidam (ut Albertus) hunc piscem cum Dentice cōfuderūt. Apud Strabonem Phagrus in Nilo alio nomine Phagorius dicitur, ut interpres Latinus habet: in Græco codice nostro φαγρώριος legitur, cū rhô in penultima simul & antepenultima: unde & Phagroriopolis Aegypti ciuitas apud eundē. φάγωρος est in Hesychij & Varini Lexicis. Pagur in Hali

cutico

euticoOuidij, nisi mendum subsit. Phagri ab Oppiano nominantur, simul & ἀγριοφάγροι, tanquam duæ unius generis species. Phagrus fluuiatilis marino inferior est, authore Diphilo. is an è mari flumina subeat, ut Nilum: an à marino specie differat, quærendum. Rondeletius è mari subire putat. ¶ Phagro quanta cum Rubellione similitudo sit, leges mox in Italicis nomenclaturis. ¶ Pagurum ne quis cum Pagro confundat, cauendum.



GRAECI Phagrum adhuc uulgò nominant, Gillius & Massarius. uel, ut Bellonius scribit, Fangro. ¶ Pagri similitudo cum Dentice, tanta est, ut aliqui ætate tantùm differre putent. Vide mox in Synagride.

ITALI Pagro, nonnulli Phagorio, Rondeletius. sed Phagorij nomen potiùs Græcum fuerit, ut prædictum est. Romani Erythrinum Phragolino, quasi Phagorino à Phagorio, id est, Pagro, diminutiuo nomine appellant, Massarius. Inter Rubellionem & Pagrum (inquit Gillius) tanta est similitudo, ut eadem magnitudine inter se collati, non ab imperitis internoscantur, ut Ligures Rubelliones etiam Pagros imperitè uocent, & tota Prouincia Narbonensis atq; Hispania Pagellos, quòd Pagri longè maiores euadunt. Sed à piscatoribus facilè distinguuntur. nam Pagrus capite est rotundiori, Rubellio longiori. tum hic tenuiori est habitu, & cauda longiore: ille crassiori, & cauda breuiore. Huius extrema pars magis attenuatur, illius multùm larga & crassa. Pagri pinnæ in imam uentris partem magis inflexæ, Rubellionis uerò magis in dorsum eminent.

HISPANI quidam Bezogo nominant: Dalmatæ & Lusitani Phagro, Rondel. Dalmatæ, Hispani ac Lusitani Pagro, Massarius. Hispani Erythrinos, quoniã sunt Pagris similes minoresq;, Pagellos uocant, Idem.

GALL. In toto litore Galliæ nostræ Narbonensis Pagre dicitur, Rondeletius. Galli Oceani accolæ, ut etiam Angli, proprium eius nomen non habent, sed communi etiam alijs quibusdã piscibus nomine Bremmam marinam uocitant.

DALMATAE. Vide supra in Hispanicis.


GERMANICE circunloquor, Die grösser rote Meerbrachsme. Vide in Erythrino.

· ANGLI. Lege in Gallicis.

Iconem hanc Rondeletius dedit: quæ cum satis conuenit à Bellonio exhibita: pinna dorsi excepta, quam Bellonius uniformem (qualis & in nostra icone apparet) & pluribus aculeis munitam ostendit.

Synodus.

SYNAGRIS & Synodus (Συναγρὶς, Συνόδους) duo nomina apud Aristotelem, recentiorum alijs piscium simpliciter specie diuersorũ, ut Gillio & Bellonio, alijs ætate tantùm differentium: alijs unius eiusdemq; piscis uidentur. Gaza piscẽ unum ratus, pro utroq; Latinum nomen Dentex posuit, à Columella sumptum.




¶ Quod ad nomina: Synagrides quidem cur appellentur aliqui pisces, non facilè dixerim: nisi fortè quia gregales sint, sicut & Synodontes: διὰ τὸ συναγείρεσθαι καὶ συναγελάζεσθαι, ἢ καὶ ὁμοῦ ἀγρεύεσθαι. Syagrides uerò, alij nimirum pisces (Epicharmo memorati) ab aliqua ad syagrum, id est, aprum similitudine dicti fuerint. Synagridi quidem hodie apud Græcos dictæ, dentes quatuor, teste Bellonio, cæteris longiores eminent: quod cum uerre & apro ei commune est. Idem Synodonti dentes omnes caninos exertosq; esse scribit, sicut & Cinædo: unde Synodontem quoq; tanquam Cynodontem dictum conijcias: & Cinædi quoq; nomen inde detortum. Scribitur autem Synodus per ypsilon in prima syllaba, & sic à Diphilo nominatur, ab Aristotele Synodon, (Συνόδων,) & alibi apud eundem prima syllaba per iôta, Σινόδων. quo modo scribi à Dorione & Archestrato, Athenæus etiam admonet: παρὰ τὸ σίνεσθαι καὶ βλάπτειν τοῖς ὀδοῦσι, mordaces enim & noxios dẽtes habet. ¶ Ego

Syagris.

Synodon.
Sinodon.

eundem piſcem, cum minor & iunior eſt, Synagridem dici ſentio: cum maior Synodontem, Rondeletius: ſed nulla firma ratione innixus. Hiceſius ſimile alimentum è Synagride & Synodonte haberi ait: quod ſi ætate tantùm differunt, ut Rondeletius putat, ſimile non fuerit, pro ætate enim id uariat, at ſi ſpecie differunt, ſimile eſſe poteſt, in eadē nimirum ætate. Synagridem hodie à Græcis uulgò dictam, omnino Synodontem eſſe, neq; notis ullis (niſi fortè quas ętas, temporis'ue aut loci uarietas attulerint) differre ſentit Saluianus. Veterum autem Synagris (inquit) quinam piſcium ſit, quó ue Latino nomine aut uulgari uocetur, haud nobis hucuſque notum eſt: ſuſpicamurq; in poſterū etiam cognitum non fore, quòd nec nomen eius, nec quæ ei authores tribuūt, ullam ad id coniecturam afferant. ¶ Synagridē (inquit Bellonius) uulgus Græcum optimis notis à Synodonte diſtinguit. hic enim magis recurto eſt corpore: Synagris Cyprini in modum, ueluti circino ita circunductus, ut pro longitudine ac latitudine magis craſſus appareat, &c. Idem Synodontem tantùm Denticem interpretatur: Synagridi Latinum nomē eſſe negat: nec ullum eius uulgare nomen profert: Synodontem uerò ſeu Denticem, genuinam & antiquam appellationē ubiq; retinere ſcribit. huius etiam iconem dat, illius nullam. ¶ Phragolinos (*ſic puto uocant tum Phagros tum Erythrinos*) quum ſeſquipalmi magnitudinem exceſſerunt, in Dentices ſiue Synodontes euadere, cōmunis piſcatorum conſenſus exiſtimauit, Iouius. Dentex corporis figura ac partibus ferè omnibus Phagro ſimilis adeò eſt, ut non facilè ab inuicē internoſcantur. ſunt qui credant eos ætate ſola atq; magnitudine differre, ita ut unus idēq; piſcis, minor adhuc, Phagrus: ad ſeſquipalmum uerò auctus, Dentex appelletur, Saluianus. Sed Denticis nomen à piſcatoribus minùs peritis, ad alios etiam piſces transfertur. ¶ Synodontem, Sargum, Auratam, &c. Bellonius adeò ſimiles eſſe tradit, ut uix ab oculatiſsimo diſtingui poſsint. Ab Aurata (inquit) differt Synodon, quòd exteriores branchias ſpinoſas habet: & tegumentum ei perpetuò rubet, nec aureis eſt cilijs ut Aurata. ¶ A recentioribus quibuſdam Dentalis maſculino genere profertur: uel etiam neutro Dentale, ut à Platina. ¶ Synodontis (Σινοδοντὶς, fœmininum oxytonum) alius piſcis eſt, nempe Pelamys magna.

Alia Denticis imago Venetijs picta.




GRAECI hodieq; Synagridis nomen habent: ſiue id Synagridis ueterum quoq; ſit: ſiue Synodontis ut Saluianus putat, Synagris autem ueterum ignota nobis eſt. ¶ Synagris & Synodon tam ſimiles ſunt, ut Græci utroſq; Synagrides nominent, Gillius.

ITAL. Dentale. Synagris & Synodon tam ſimiles ſunt, ut Ligures ac Maſsilienſes utroſq; Dentices appellent, Gillius. Sunt qui à Phagro ætate ſolùm diſtinguant, ut ſuprà dictum eſt.

GALL. A Maſsilienſibus Dente dicitur hic piſcis. in Gallia noſtra Narbonenſi Marmo. pro Mormyro enim oſtenditur uenditurq;, Rondeletius. (Vide proximè retro in Italicis.) Idem admonet Scarū etiā ab ichthyopolis circa Monſpelium Dentē uocari, à dentibus magnis latiſq;: Et alibi, Scarū ob ſimilitudinem ab alijs Dente, ab alijs Sargo nominari. Synodon ſiue Dentalis noſtro litori (*Oceano Gallico*) admodum rarus, aut eo nomine ignotus eſt, Bellonius.

GERM. F.

GERM. F. Ein rotlachte Meerbrachſmen art: ein Zanbrachſme/ein Zanfiſch.




ACarnã, Acharnas, Acharnꝰ, Græcis & Latin.

ITAL. Hunc piſcẽ nec in Prouincia, nec in Gallia Narbonenſi, nec in Hiſpania uidere potuimꝰ: ſed Romæ tantùm, ubi inter Erythrinos & pro Erythrino uẽditur, eodemq́ nomine (ſcilicet Phragolino) nũcupať. Idẽ eſt fortaſſe qui Albores etiã dicíť Venetijs, quòd albus ſit, Rondeletius.

GERMANICE. Ein Meerbrachſmen art/wyß von farben/hat ein ſchwartzrote mackel am anfang der floßfädern by den orwangen.

Figura hæc non Rondeletij eſt, ſed nobis adumbrata Venetijs. Ea quam Rondeletius ponit, denticulos labris diductis oſtẽdit: et à ſuperiore labro per breuem ſurſum eminentem cirrum. Bellonius anguſtiorem hũc piſcem pingit, nec ſatis latitudinis proportionem ſeruat.



Myrmas.

MORMYLVS uel Mormyrus, μορμύλος, μορμύρος: à uerbo μορμύρειν, ut Euſtathius annotat, neſcio qua ratione, quanquam id uerbum producit ſuum ypſilon, quod in piſce corripi ſolet à Græcis: Ouidius quidem produxit, à quo etiam Mormyr in recto ſingulari dicitur. Et rarus Faber: et pictæ Mormyres, & auri, &c. Videtur autem meliùs paroxytonum hoc nomen ſcribi, quàm proparoxytonum, & duplici quidem ρ. μορμύρος, magis propria primariaq́ ratione: μορμύλος uerò propter euphoniam: quare & poſteriori hoc Græci poëtæ in carminibus utuntur. Idẽ puto μύρμας Epicharmi fuerit. A Theodoro Mormur cõuertiť. ¶ Piſcis eſt litoralis Auratæ ſimilis, ſed minùs rotũdus: colore argenteo. líneas habet tranſuerſas à dorſo ad uentrem, nigras uel pullas equalibus ſpatijs diſtantes, &c. Rondeletius.


GRAECI hodieq́, ut Byzantinum uulgus, Mormyrum nominant.

ITAL. Romę Mormillo, Venetijs Mormiro. In toto Ligurię ſinu, (ut & Maſsilię,) Mormo, Rondeletius. Maſsilienſes & Ligures, Mormurum uocant, Gillius. Ruſticè Marmur dicitur, Niphus Italus. Romæ & Venetijs Mormoro, Saluianus.

HISPANI Marmo.

GALL. Maſsilienſes Mormo uel Mormurọ. Vide proximè retrò in Italicis. ¶ In Gallia Narbonẽſi, Morme. Noſtri ichthyopolæ quandoq́ Synagridem (Marmo nominantes) pro Mormyro uendunt: qui admodum frequens apud nos nõ eſt, ſed Romæ & Neapoli frequentiſsimus, Rondeletius.

GERM. F. Ein Meerbrachsmen geschlecht/langlecht/nit also breit wie der meerteil andere. Vel ein Malbrachsme: nam & Ouidius pictas cognominat. Vel, ein Marmelbrachsme: nam corpus eius albissimum esse, & lacteo argenteó ue colore nitere, (maculis tantùm seu lineis transuersis exceptis,) Bellonius scribit: qui Mormyrum etiam, à marmoris maculis & albedine dictum conijcit: sed absque authore, à marmore quidem Marmarum, nō Mormylum, dici oportuisset.



CHROMIS Rondeletij, piscis litoralis. Vide mox in Italicis nominibus. ¶ Χρόμις & Κρέμυς an ijdem, an diuersi sint pisces, nescio. Athenæo uidetur diuersi esse. semel enim ex Epicharmo Chromis ab eo nominatur: & alibi ex Aristotele Κρέμυς, cui lapidē in capite tribuit, (quem in hac nostra etiam Chromide inuenimus,) Rondeletius. Nos Cremyn & Chromin diuersos esse pisces liquidò ostēdimus. uidetur autem Cremys piscis unus, uarijs quod ad terminationem nominibus appellari: nempe Cremys, Chremys, Chremes, & Chremps: & Asellorum minorum generis esse, quod etiam Aelianus insinuat, sicuti & Hepatus Aeliani & Mustela. Mustela (inquit) Hepato persimilis est, sed barbam quàm is maiorem habet, minorem uerò quàm Chremes. Chremes quidem in ueterum Comicorum fabulis, senex, nimirum barbatus, inducitur: nomine forsan à screatione, ad quam hæc ætas procliuis est, facto: ut inde etiam piscis barbatulus ueluti ioco Chremetis nomen tulerit. Cæterùm Chromis ab Hicesio, Pagro & Synodonti comparatur: non solùm quòd ad alimenti ex eis rationem, de qua is author præcipuè tractat: sed (nisi fallor) etiam quod ad formam. Videtur autem per onomatopœiam dictus Chromis, quòd ueluti grunnitum ædere audiatur. Chromis immunda in Halieuticis Ouidij legitur gen. fœm. nos masculinum potiùs esse ostendimus, declinandum ut ὄφις, ιος, non per d. in obliquis.

Cremys alius q̄ Chromis — *Chromis.*

Alius est Bellonij Chromis, Vmbra scilicet, uel cognatus piscis: de quo infrá.

ITAL. Chromin (inquit Rondeletius) esse puto, quæ in ora Liguriæ, Antipoli, & in insula Lerino, fraquentissima est: uocaturque à Liguribus Castagno, à castaneæ colore. corpore toto nigricat: figura alioqui Melanuro uel Cantharo similis. ¶ Vulgò Genuensium, Massiliensium, & incolarum Portus Veneris, Castagnola dicitur, Bellonius.

GALL. Piscatoribus circa Monspelium incognita est, Rondeletius. Castagnola Massiliæ, Bellonius.

GERM. F. Ein geschlecht der Meerbrachsmen/überal schwartzlacht.




ORPHVS Rondeletij. ὀρφὸς, Atticè ὄρφως. ὀρφακίνης diminutiuū est. Latinum nomē uetus non habet. Gaza & eū secuti Cernuam uerterunt: quod nomen inconstans & dubium est: diuersos enī pisces Romæ alibique in Italia Cernas appellant, ut Percam marinam, Channam, Canadellam, Merulam. Bellonius Cernuā fl. uocat, quā Germani Percam minorem uel rotundam cognominant. ¶ Orphum Hicesius eiusdem generis esse cum Chromide, Pagro, Synagride, cæterisque huiusmodi. Verùm is de nutrimenti non formæ similitudine agit. Alexander Benedictus temere Orphos lacustres appellauit pisces, quos uulgò Tincas nominamus. ¶ Nos (inquit Rondeletius) Orphum hîc non depingimus eum, qui à Græcis quibusdam hodie uulgari lingua Orphi nomine dicitur. est enim nostro longè maior, utpote qui pondere uiginti libras æquet, nec sit litoralis. Sed Orphum depingimus ex Aristotele, Athenæo, Plinio. Is piscis est litoralis magis, quàm pelagius, Pagro quodammodo similis, colore ex purpureo rubescente, ideo rubentem appellauit Ouidius: (*Verùm hæc apud Plinium ex Ouidio non rectè citata leguntur.*) Pinnarum situ numeroque & aculeis, Pagro similis est. podice admodum paruo. feminis meatibus nullis, quod huic pisci proprium est: sicut & hoc, quòd dissectus diutius uiuat, Rondeletius: qui etiam solitarium & carniuorum esse scribit, & breui è paruo magnum fieri. Ouidius pelagium facit, Aristoteles uerò & Aelianus litoralem. Oppiano degit in petris cauernosis, quæ plenæ sunt

næ sunt chamis & patellis, (quibus nimirum uescitur.) Amipsias quoq; carniuorum esse insinuat. Errat Plinius, quum solum Ouidium huius piscis meminisse scribit.

GRAECI hodie, ut dictum est, alium piscem uulgo Orphum uel Rophum appellant: quem Bellonius Orphum facit.


GERM. Ein rotlachte Meerbrachsmen art/in welcher man zů keiner zeyt milchen findt.



ORPHVS Bellonij: quem is Orphum ideo esse putauit, quoniam uulgò hodie apud Græcos adhuc Orphos uel Rophos uocatur: sicuti etiam Gillius. sed cum ueterum descriptione non conuenit, ut Rondeletio uidetur. ¶ Vulgus Græcorum (inquit Bellonius) multa ei nomina imponit. Lemnij Rophum uocant, Cretenses Cheludam, alij Acheludam, pleriq; Petropsaro nominant: (*id est, Petri piscem: Romæ etiam Fabrum, piscem S. Petri uocitant.*) Colore rubet, quamuis etiam aliorum colorum uideri posit. magis compressus est quàm teres, hoc est, plus in latum quàm in longum effusus. os habet paruum, (*icon satis magnum ostendit,*) squamas asperas & firmissimè inhærentes. Pinnę eius uarijs coloribus insignes spectantur. Labra, ut Scarus, carnosa habet: (*ab ijs fortè Cheluda in Creta uocatur:*) dentes quoq; Scaro persimiles, minores. A media sui corporis parte secundũ dorsum liuet ac nigricat, albicat sub uentre. Caput est illi penè rubeum, ut Channæ. Maculam in radice caudæ, ut Melanurus, nigrã gerit. Apud Græcos magno est in precio. Herbis uescitur, (*Veterum Orphus carniuorus est,*) ut Salpa & Sparus.

GALLICVM nomen non inuenit, quia in litore Gallico uideri non solet.

GERM. Ein frömbder fisch bey den Griechen bekañt / mag vnder die Meerbrachsmen gezellt werden.




HEPATVS Athenæi & Aristotelis. Rondeletio. Hepatus (inquit) similis est Pagro & Erythrino, teste Speusippo. Ἥπατος aut Λεβίας Græcis dicitur. Gaza uerbum è uerbo exprimens, Iecorinum interpretatus est. Hermolaus modò Iecur marinum, modò Hepatum appellat. Huius piscis nullum uulgare nomen neq; in Gallia, neq; in Hispania, neq; in Italia, potui à piscatoribus extorquere. A solis Græcis huius temporis didici Σέπτερον hodie uocari. Cęteri omnes anonymum esse dicunt, ob raritatem: & pro Mæna uendunt, à qua tamen plurimùm oculorum magnitudine, corporis latitudine, colore, differt. Hæc ille. ¶ Sed alius est Bellonij Hepatus. Hepatis color (in- Σέπτερος. *Mæna.* *Bellonij Hepatus.*

quit) ac magnitudo Hepati pisci nomen dedit. Vulgus Venetorũ Sachetum, ut etiã (*alium piscem*) Canadellam, indifferẽti nomine appellat. solo enim colore (qui paulò magis in Hepato fuscus est) inter se differunt. Sic ille. Videtur autẽ hic piscis undecimo Rondeletij Turdo cognatus. quęre inter Turdos. Idem Bellonius deiectamẽti cuiusdã marini genus, Hepatis nomine describit. ¶ Hepar pro pisce legitur apud Pliniũ in Catalogo. à Græcis semper tribus syllabis Hepatus nominatur: quanquam & Kiranidæ interpres Cremonensis Hepar dixit. Cauendũ ne quis cum Hepato confundat pisces, quos Itali hodie ab hepate denominare uidẽtur, ut sunt Figo dictus Venetijs piscis, qui fortè Stromateus est: & in Ligustico litore Figon, quẽ Græci nostrę ætatis Myllocopion appellãt. ¶ Lebias Athenæo marinus piscis est, qui aliàs Hepatus dicitur. Bellonius Lebiam à rutilo & sub obscuro colore dictũ suspicatur, tanquam à lebete nimirũ. sed Hepatũ siue Lebiã illius iam diuersum esse diximus. Dorion Leptinũ, Lebianũ (τὸ λεπτινόν, λεβιανόν) nominans, eundẽ & Delcanum esse quosdã asserere ait. Delcanũ quidẽ piscẽ à Delcone fluuio nominari, in quo etiã capiatur, & salsus stomacho quam cõmodissimus sit, author est Euthydemus. Delcus quidẽ Hesychio lacus est piscosus circa Thraciam: & Lebiã (λεβίαι) pisces quidã lacustres.

Figo Ital. *Lebias.* *Lebianus.* *Delcanus.*

AB ITALIS, HISPANIS & GALLIS, nullũ huius piscis, utpote rarissimi, nomẽ resciscere Rondeletius potuit.

GERM. F. Ein Läberbrachsme. Ein schwartzblawe Meerbrachsmẽ art/mit einẽ schwartzẽ fleckẽ am schwãtz/wie auch der Melanurus. Sed alius est Aeliani Hepatus: paruus (inquit) piscis est Mustela nomine, &c. Hepatũ esse diceres. nam piscis est breuis, oculis cõniuentibus. Eius barba quam Hepati maior est, & minor quam Chremetis. Ein Meertrüschen art.



Piscis huius, quem Chromin uocat Bellonius, icon hæc Venetijs mihi expressa est: differt aũt ab ea quã Bellonius dedit, in hoc, quòd cirrũ sub mento seu inferiore labro nõ ostendit: nec caput, præsertim labro superiore, adeò simum & obtusum, &c.

CHROMIS Bellonij, Umbra Rõdeletij, ut uidetur. Alium ab hoc diuersum Chromin Rondeletij (cuius sententiæ magis fauerim) dedimus supra. Magna est (inquit Bellonius) Chromidis cũ Glauco (*Rondeletius Glaucum longè alium facit*) pusillo, ut & Glauci prouecti cum Umbra similitudo.

ITAL. Veneti Turdum falsò appellant, Bellonius. Ligures Chro, (al' Chrõ, uel Chrau) Veneti falsò Coruum, Gillius.

LVSITANI Celema.

GALL. Massiliẽses Umbrinã (à similitudine cũ Umbra) falsò appellãt, Bellon. qui & Glaucum ab eadẽ similitudine falsò Umbrinam uocari tradit.

GERMANI Umbrã & cognatos


gnatos ei pisces Corui marini nomine circunscribere poterunt, adiecta magnitudinis differentia: ita ut Vmbra simpliciter dicatur, **ein Seerapp**, à colore, qui Græci etiam & Latini nominis causa fuit: Látus, **ein grosser Seerapp**: Coracinus inter hos minimus, sed corpore latiusculo, **ein kleiner Seerapp: ein Meerbrachsmen oder Meerkarpfen art.** *Latus.* *Coracinus.*

Ex hoc pisce esse puto lapidem, quem uulgò Coruinum appellant, uel lapidem Colicæ, Germani **ein müterstein**. nisi fortè è Coracino sit. uterq; enim in capite lapidem habere proditur.

Gillium & Bellonium ut hunc piscem, Chromin existimarent, nominis Chro uel Chrau, quo Ligures utuntur, similitudo mouisse uidetur. Rondeletius Vmbram hunc piscem uocat, & dentibus carere ait, cum suæ Vmbræ dentes Bellonius appingat, nomina interim eadem quæ suæ Vmbræ Rondeletius tribuens. Danda igitur est opera, ne pisces diuersos confundamus: Vmbram dico, Coracinum & Latum: qui tres tam similes sunt Rondeletio, ut magnitudine potiùs quàm alijs notis discernantur: & piscatores aliqui ætate tantùm (sed non rectè) eos differre existiment. Coracinus ad cubitalem peruenit magnitudinem: Vmbra ad multò maiorem, præsertim in Oceano: Látus maximus est. Vmbra uerrucam seu tuberculum in mento habet, Coracinus & Latus carent. Lineas siue lituras illas obliquas, (quæ à dorso descendunt, partim aureæ, partim obscuræ & aliarum ueluti umbræ,) Rondeletius Vmbræ tantùm attribuit.

Distinctionis horum piscium gratia quosdam ueluti aphorismos subijcere libuit.

1. Glaucus Rondeletij, toto genere à Chromi & Vmbris diuersus est.
2. Glaucus Bellonij, Vmbræ cognatus est, uel species Vmbræ, à Rondeletio non descripta, quod sciam: quanquam à Venetis Corbetum quasi Coruulum uocari scribat: Rondeletius uerò Coracinum (inquit) Italia ferè tota Coruum nuncupat.
3. Vmbra Rondeletij & Bellonij unus est piscis, & ijsdem nominibus ab utroq; nominatur: sed non similiter describitur. Rondeletio enim dentibus caret: Bellonio dentes habet in oris ambitu raros, firmos, acutos, &c.
4. Coracinus Bellonij longè alius est quàm Rondeletij, ut & figuræ & descriptiones ostendunt: unde non specie modò, sed toto genere diuersos esse pisces apparet.
5. Chromin & Vmbram confundere uidetur Bellonius.
6. Chromis Bellonij, Coracinus est Saluiani.
7. Chromin & Coracinum ut confunderēt aliqui, occasionem fecit uicinitas nominum, tum ueterum, tum illorum quibus hodie quidam utuntur.




GLAVCVS Bellonij Vmbræ cognatus est, ut apparet. A Rondeletio quidem descriptum nusq; reperio, nec Vmbræ, nec Coracini, nec Lati nomine: quos pisces tres cognatos & simillimos facit. Glaucus (*inquit Bellonius, qui Coracino cognatum Glaucum esse putat, ego Rondeletij potiùs sententiam sequor*) pelagius piscis, à squamarum colore dictus, ex eorum piscīū numero est, qui in partes diuidūtur, pluresq; patinas implent. Chromidi (*sed alius est Rondeletij Chromis*) adeo similis est, ut pro eo plerunq; diuendatur.

ITAL. Lutetiæ inuisus, Genuensibus frequens est, apud quos Fegarus appellatur: Venetis Corbetus, quasi Coruulum dicerent. Massiliensibus & Romanis nullo alio quàm Vmbrinæ nomine cognoscitur: quanuis ab hac quibusdam notis dissideat, Bellonius.

GALL. Vide in Italicis nomenclaturis.

GERM. F. **Ein geschlecht der Seerappen.** Vide in Chromide Bellonij, proximè retró.



VMBRAM piscē à colore nominatum author est Varro: & Isidorus colorem umbrosum ei tribuit. A Latinis plerisque Græcā significationē ęmulatis, Vmbra uocatur; uel

quòd liueat colore, ut canit Ouidius: uel quia celeri suo natatu oculos effugiens, umbra piscis potiùs quàm uerus piscis, intuentibus appareat, ut innuere uidetur Ausonius, inquiens: Effugiens oculos celeri leuis Vmbra natatu, Saluianus. Sed Ausonius Vmbræ fluuiatilis tantùm meminit, toto genere diuersæ. Rondeletius cum de Coracino scripsisset, subdit: Vmbra Coracinum sequitur, nec meliùs certè umbra corporis sui habitum refert, quàm Vmbra Coracinum. Ob quam similitudinem piscatores & ichthyopolæ tam Romæ, quàm in Montepelio Coracinum pro Vmbra, & Vmbram pro Coracino uendunt: existimantes Vmbram, Coracinum, Latum, sola ætate differre, ut Coracinus paruus sit, Vmbra maior, Latus uerò maximus. Vmbra (inquit Bellonius) nomen sortita est, quòd quidpiam habeat inter Coruum & Lupum adumbratum: uel quòd, dum mouetur, adumbrantem quendam oculis colorem iridis in morem rutilet. ¶ Græcè dicitur Σκίαινα proparoxytono nomine: ut etiam Σύαινα, qui diuersus est piscis. Item Σκιαδεὺς Xenocrati. Saluianus monet Sciænam & Sciadeum unum atque eundem piscem esse, etsi utriusque ceu diuersorum in suo piscium catalogo meminerit Plinius. Epicharmus Sciathidem appellat, Σκιαθίδα: ego Sciænida (Σκιαινίδα) potiùs legerim, ut à Sciæna deriuetur Sciænis: à quo rursus per syncopen fiat Scinis, Σκινὶς, quod nomen Galenus usurpat, & Sciænam interpretatur. ¶ Coracini cum Vmbra similitudinem, & ab ea differentiam, graphicè explicat Rondeletius.

Sciæna. *Sciadeus.* *Sciathis.* *Sciænis.* *Scinis.*


GRAECI hodie corrupto uocabulo Scion uocant, alij Μυλοκόπιον, (*Myllus uulgò Myllocopion à Græcis dicitur, Hermolaus. Myllum autem Rondeletius eundem Coracino putat,*) Rondeletius. Idem alibi Ouem marinam à Græcis hodie hunc piscem nominari scribit.

ITAL. Vmbrinam Romanorum uulgus nominat: atque huius quidem minorem speciẽ, quæ argentei est (coloris) Vmbrinottum, Bellonius. Ab Italis & Massiliensibus, denique à toto illo tractu qui à Massilia est Neapolin usque, Vmbrino uocatur, Rondeletius. Vmbrina, à Platina Lumbrina dicitur: aliqui Ombrina proferunt: Veneti Nembrella, ut audio. Bellonius Glaucum etiam suum prouectiorem propter similitudinem cum Vmbra confundi, eodemque nomine Massiliæ & Romæ nominari scribit: similem autem esse imprimis cirro labri inferioris.

GALL. Massiliæ Vmbrino, ut in Italicis dictum est. Baionæ Borrugat, quasi Verrucatus, à uerruca quam in mento habet, Rondel. Gallis & Parisinis Maigre uocatur, à carnis candore atque albedine, quam uulgus maciem appellat, quòd nullo sanguine colorata sit, Bellonius. In Gallia Narbonensi Daine, nonnullis Peis rei, id est, Piscis regius: sed peritiores Dainam à Pisce regio & Coracino sic distinguunt, ut Peis rei sit is qui Latus dicitur. Daina uerò, Sciæna. postremò Coracinus, Corp. Minùs corruptè pro Daine dicitur à quibusdam Caine, omisso ſ. id quod Galli plerunque faciunt in nominibus quorum initium est ſ. Rondeletius. Mediterranei maris incolæ, apud quos magis nigricat, Damam appellant, ung Daing, Bellonius.

Latus.

GERM. F. Ein Seerapp. Licebit & Gallicum uocabulum Maigre interpretantes nominare ein Mager oder Magerfisch. uel à uerruca menti, ut Baionenses Galli, ein Wertzer. Lege paulò pòst in Coracino.




LATVS (prima breui, Λάτος) piscis à Coracino & Vmbra disiungi non debet. Eum esse putamus, quem nonnulli pro Vmbrina uendunt. Sunt qui Coracinum album esse credant; quorũ sententiam nec probo, nec improbo. fit enim persæpe ut idem piscis, diuersis in litoribus, diuersis nominibus nuncupetur, Rondeletius. Latilus piscis (Λατίλος) à Tarentino nominatus, idem ne sit qui Latus, quærendum.

GERM. De Coracini, Glauci Bellonij, Lati & Vmbræ piscium confusione distinctionéque & nominibus Germanicis, lege superiùs paulò in Chromide Bellonij. F. Ein grosser Seerapp.

Coracinum

Coracinum nigrum Rondeletius maiorem ne an minorem hîc pictum intelligat, nescio. in descriptione non explicat: sed simpliciter tanquam de uno loquitur, nisi quòd ex Athenæo coloris differentiam affert: qui uerò hîc pinguntur, magnitudine etiam, & reliqua specie, differunt.



CORACINVS piscis (Κορακῖνος) nomine Græco meliùs uocabitur à Latinis, quàm Coruulus uel Graculus, ut Gaza conuertit. neq; enim apud omnes constat à Corui Graculi'ue, id est, à nigro colore dictum esse Coracinum, ut docet Athenæus libro 7. nominatum esse scribens διὰ τὸ συνεχῶς τὰς κόρας κινεῖν, καὶ οὐδέποτε παύεσθαι: id est, quia perpetuò oculos moueat, & nunquam mouere desinat. Contrà Cælius Rhod. παρὰ τὸ κορόν, id est, à nigro colore dici putat. Et Oppianus: Καὶ Κορακῖνον ἐπώνυμον αἴθοπι χροιῇ. Non omnes tamen coracini nigri sunt. Κορακῖνος ὁ ἐκ τοῦ Νείλου: ἥττων (uel potiùs κρείττων, ut iudicat Rondeletius) ὁ μέλας τοῦ λευκοῦ. hoc est, Coracinus ex Nilo: minor autem (uel prestantior) niger est albo, Atheneus. qui & κηριοειδέας cognominatos coracinos tradit, hoc est, cerei coloris. Eodem authore Coracinus etiam Saperda & Platistacus (Σαπέρδης καὶ Πλατιστακός) *Dorion Myllum inquit, Platistacum uocari cum auctior est, non Coracinum)* dictus fuit. Nili incolæ Peltam (Πέλτην) uocant, Alexandrini Heminerum, uel Platacem, [Ἡμίνηρον ἢ Πλάτακα.] Sed quod in Aurata, idem in hoc pisce usu uenit, ut pro ætatis ratione, diuersa nomina sortiatur. nam maiores Coracini, Platistaci: qui mediç ętatis sunt, Mylli (Μύλλοι:) minimi, Gnotidia (Γνωτίδια) nominãtur, Rondeletius. ¶ Coracinus à nonnullis Aeolias uocatur, aut potiùs cognominatur. ¶ Saperdam aliqui Apuam salitam interpretantur. ¶ Coracinus à nõnullis Saperdes dicitur, Dorion. Aristoteles Saperdam inter fluuiatiles ac lacustres numerat. Coracinus uerò tum marinus, tum fluuiatilis est. & Aristoteles fortè (inquit Saluianus) marinum simpliciter Coracinum, fluuiatilem uerò Saperdam uocauit. Coracinum autem fluuiatilem dico, in fluuijs natum, eisq; peculiarem: non qui è mari ascendat: ut species duæ sint diuersæ. Et rursus in fluuijs (ut Nilo) alius albus est, præstantior: alius niger: quæ coloris differentia marinis etiam conuenit: & si id ueterum nemo quod sciam notauerit unquam. Albus autem est, *(is quem Bellonius Chromin facit.)* Niger, qui Romæ Coruo di fortiera uocatur. Corporis quidem forma conueniunt, ut ambos eiusdem generis esse dubium nõ sit. Hæc Saluianus. ¶ Rondeletius Coracinum Nili, è mari subire putat: Massarius uerò specie à marino differre: sicut Perca etiam marina & fluuiatilis differunt. Capitur apud nos Coracinus (inquit Rõdeletius) in mari, & in stagnis marinis, in fluuijs minimè. Aelianus Coracinos & Myllos etiam in Istro, id est, Danubio reperiri ait. Mihi quidem ubi & quo nomine in eo flumine capiantur, nondum innotuit. ¶ Coracino idem uidetur Κορακεύς & Κορακινίς: unde diminutiuũ formari potest Κορακινίδιον. At alius piscis est Corax ueterum, à quo diminutiua fuerint Κορακίδιον, Κοράκιον, Κορακίσκος. ¶ Bellonius Cantharum, de quo suprà diximus, pro Coracino accepisse uidetur. ¶ Vmbra Coracino simillima est: quamobrem ichthyopolæ tam Romç quàm in Montepelio Coracinum pro Vmbra, & Vmbram pro Coracino uendunt, Rondeletius.

Coruulus. Graculus. Saperda. Platistacus. Myllus. Heminerus. Niger mar. Coraceus. Coracinis. Corax.

GRAECI quidẽ hodie Coracinum, Córaca (ut Massarius:) uel Κόρακον (ut Rondeletius) Carakidia (ut Bellonius scribit) nominant. ¶ Coracinus à Græcis uulgò nunc Mylocopi dicitur, Saluianus. Hermolaus Myllum, hodie Mylocopion uocari annotat.


ITALICE uulgò Carbo, Coruo, Corso, uel Corf appellatur, Venetijs & alibi. (Corbetto autẽ Venetijs dictus, Bellonij Glaucus est.) Romæ Coruo & Corueto: & in plerisq; Italiæ locis pesce Coruo, Saluianus. qui etiam Coracinum fl. nigrum, Romæ Coruo di fortiera uocari ait.

GALL. Nostra Gallia Narbonensis Corp (per apocopen) uocat: alij Durdo, alij Vergo, alij Corbau.

GERM. F. Ein kleiner Seerapp. (Rab quidem uel Rapp piscis fl. apud Saxones dictus, Capitoni fl. cognatus est.) Ein schwartzlachte Meerbrachsmen art.

Venetijs pictum hunc piscem, quondam Tincæ marinæ nomine accepi: sed falsò, ut admonuit Bellonius: qui uisa hac effigie statim Coruum mar. siue Carpam mar. id est, Coracinum esse pronunciauit. Colore magna ex parte nigricat tum corpore, tum pinnis: sed per latera fusco colori aliquid subuiride admixtum est. unde coloris nimirum ratione, Tincæ mar. nomẽ (quod alij uulgò Merulæ tribuunt, Romani etiam Phycidi Rondeletij, id est, Callariæ Saluiani) imperitior aliquis ei adtribuit.

GERM. Ein andere figur deß obgenanten fischs/des schwärtzeren.




Hæc quoq; Coracini species uidetur, colore ferè tantùm à præcedenti differens. est enim candidior: reliqua uerò specie similis, oris nempe & caudæ, item latitudine, ac pinnis & aculeis in uentre.

GERM. Ein weyssere gattung deß obgenanten fischs.



PRAETER


Piscem hunc Coruuli nomine in Italia pictum Cor. Sittardus misit, colore rubicundo, &c.



PRAETER album & nigrum Coracinum, fuerit fortè etiam tertia quædam species, minor, rubescens: quam alicubi in Italia Coruulo uocant: & alijs nominibus Guarracino, (quasi Coracinum,) Capo grosso, Coruasili.

GERM. F. Ein rotlachter Meerfisch/Großkopff/Räpplin.

SEQVVNTVR LATI QVIDAM PISCES NON SQVAMOSI: qui nihil ferè cum præcedentibus latis commune habent, excepto Apro Bellonij, quem Sargo comparat, &c.



CAPRISCVS (Καπρίσκος) piscis à Græcis dicitur, & Μῦς, Athenæo & Oppiano: & à Strabone lib. 17. inter Nili pisces Χοῖρος, (id est, Porcus,) Rondeletius. Ego non Capriscum hunc, qui marinus est piscis, sed alium fluuiatilem (quem Percam rotundam Germani pleriq; nominãt) Porcum Nili esse suspicor. ¶ Aprum suum Bellonius squamas habere negat: Rondeletij uerò tũ Aper tum Capriscus squamosi sunt. In cæteris plerisq; descriptio Apri Bellonij, & Caprisci Rondeletij, ferè conueniunt: ut uel ijdem, uel omnino cognati inter se pisces uideri possint. Vtriq; pellis dura & aspera, qua ligna expoliri possunt: duæ in tergo pinnæ: quarum prior fortibus aculeis obfirmatur. branchiæ non detectæ. corpus rotundum ferè. lineæ cancellatæ in cute. una utrinq; in lateribus pinna. Oculi sursum in capite. Os paruum: in quo dentes acutissimi & ualidissimi, Rondeletio: humanis æmuli, in gyrum siti, Bellonio. Hactenus descriptiones conueniunt. Icones uerò ab utroq; positæ, multùm dissimiles sunt.

E libro Saluiani. Piscis Græcè dictus Κάπρος, Καπρίσκος, Χοῖρος, Ὗς & Μῦς. Latinè Caper, Aper, Porcus, Sus & Mus. Κάπρον Aristoteles & Athenæus nominant: Plinius Græcam uocem imitatus, Caprum: Gaza Aprum. Eundem hunc esse Caprisco piscem, non solùm ex maxima nominũ affinitate: sed ex eo etiam intelligi potest, quòd uterq; duram pellem habere traditur. quòd præterea Κάπρος, Χοῖρος etiam (cuius apud Strabonem & Athenæum habetur mentio) sit, & dicatur. Athenæus enim Aristotelis Κάπρον, Χοῖρον uocat. Ὗς uerò apud Athenæũ: licet is dubitare uideatur an Capros sit: unum tamen & eundem piscem esse, eadem nominum significatio insinuat. accedit, quòd quemadmodum alij Καπρίσκον & Χοῖρον ferum esse tradunt: ita Ouidius Sues diros appellat. Postremò quòd Μῦς etiam (cuius Aelianus atq; Oppianus mentionem fecère) & Καπρίσκος, unus sit piscis, apertissimè declarat Athenæus, his uerbis: Capriscus uocatur etiam Μῦς, (id est Mus.) nec est, ut unà cum Hermolao Barbaro, Ὗς hoc Athenæi loco, pro Μῦς restituendum cõijciamus: quando quæ Μυὶ ab Aeliano & Oppiano tribuuntur, Caprisco optimè respondent. Interim non negandũ etiam alios dici Sues marinos, ut Thynnos, quòd glandibus uescantur. Isidorus Hispalensis Sturionem, Suem uocat. Marini Mures etsi non magno corpore, (*nec magnis uiribus, Oppianus:*) inexpugnabili tamen septi sunt robore atq; muniti: quippe qui ad propugnandũ duplici confidunt armaturæ, prædura nimirum pelli & dentium robori. cum ualentibus enim piscibus & rei piscatoriæ peritissimis hominibus pugnant, Aelianus: ex quo & Oppianus transcripsit. Aristoteles Ca-


Χοῖρος. Ὗς. Μῦς.

pri singulas utrinque branchias esse tradit, easq; duplices. Congro binas, alteras simplices, alteras duplices. Verùm ut de Congri, ita etiam Capri branchijs hæc perperam scripsit. Vtrinq; una tantùm pinna parua & rotunda ad branchias cōspicitur. nam illis, quæ in piscibus alijs utrinq; in uentre sunt conspicuæ, prorsus caret. In dorso ferè medio tres membranis inter se iuncti reperiuntur aculei robustissimi & magni: quorum prior reliquorum duorum triplus est: eosq; omnes non solùm ubi uult deprimit (hic piscis:) sed in sulcum etiam osseum in dorso ob id sculptum recondit. Depressi autem & reconditi, uti quàm facillimè omnes simul eriguntur, ita eorum unus duntaxat erigi nequit. Et pari ratione erecti omnes deprimi possunt, cum eorum unus solus nequeat. suntq; ea arte fabrefacti, ut cum prior & maior quantumuis impulsus deprimi nullo prorsus pacto possit: postremi tamen depressione quæ facillima est, statim deprimitur: non secus quàm in arcubalistis uocatis accidit: in quibus paruo ac inferiori ferreo uecte compresso, tensus illico remittitur arcus: ob cuius similitudinē hic piscis Romæ pesce Balestra uocatur, &c. Horum aculeorū meminit Strabo, his uerbis: Χοῖροι, id est, Porci, cū rotūdi sint, & spinas ad caput habeant, periculū Crocodilis afferunt. Et Plinius hisce: Inter uenena sunt piscium Porci marini spinæ in dorso, cruciatu magno læsorum, &c. Corio tegitur squamoso, (cuius tamen squamæ serpentis potiùs quàm piscis uidetur,) ita duro & aspero, ut uix dissecari queat, atq; lignum & ebora eo poliri possint. Totius piscis figura ualde cōpressa & lata, atq; ferè orbicularis est. Pondere duas libras rarò excedit: (quanquam Plinius scribat: Appion maximum piscium tradit esse Porcum, quē Lacedæmonij Orthragoriscum uocāt.) Reperitur in plerisq; maris locis, etsi ferè nullibi admodum frequens. Aelianus quidem & Oppianus Murem, marinum faciunt: Ouidius etiam Suem: & Archestratus Caprum: Aristoteles uerò & Plinius Caprum in Acheloo amne reperiri testantur: Strabo & Athenæus Χοῖρον inter Niliacos pisces connumerāt. Hucusq; Saluianus. Ego Plinij Porcum aculeis uenenatis Galeum centrinen esse potiùs suspicor: qui & uulgò hodie Italis Porcus dicitur, & eius aculeos ueneno non carere Oppianus cecinit. Nili etiam Χοῖρος, id est Porcus, alius fortè fuerit: ego Percæ similem piscem minorem & rotundum, capite aculeato, unde à Lucijs non deuoratur, & Porcellio apud inferiores Germanos uocatur, Nili Porcum esse conijcio. sed hic an in Nilo reperiatur, non constat mihi: ut neq; Saluiano, an Caper eius usquam in ullo flumine. ¶ Vide mox in Capro Rondeletij.

Plinij Porcus.

ITAL. GALL. A nostris (circa Monspelium) & Siculis Porco dicitur, Rondeletius. Romæ Pesce balestra, Saluianus: propter causam suprà expositam.


GERM. F. **Ein Sauwfisch im meer.** quanquā etiā Delphini & Phocænæ uulgò **Meerschweyn** uocantur: sed ij cete sunt, non pisces.



CAPROS, Κάπρος, ab Aristotele dictus piscis, à Gaza Aper conuertitur: à Plinio non rectè Caper. hoc enim Latinis hircum significat, capros uerò Græcis aprum.


An piscis (inquit Rondeletius) quem hic exhibeo Aper sit, pro certo nondum habeo: sed cum rarus admodum sit, & notas insignes habeat, studiosos, proposita pictura, ad rem diligentiùs expendendam, inuitare uolui. Τραχύδερμος est κάπρος Athenæo, & noster hic duris asperisq; squamis tegit. Sed noster marinus est, Aristotelis uerò fluuiatilis, nempe in Acheloo amne, idemq; uocalis. Alius est Capriscus dentibus acutis & ualidis, uirus olens, durus. Capros uerò dentibus caret, & ab Archestrato laudatur. Hæc ille. qui etiam rostrum oblongum & obtusum, Suis modo, in eo quem exhibet pisce, haberi scribit: multos firmosq; aculeos in pinnis uentris: à podice etiam tres, breues & acutos. Idem præterea Aprum suum à figura rostri aculeorumq; setas referentium sic appellandum censuit: cum ueterum Aper à uoce & grunnitu hoc nomen tulerit. ¶ Capron aliqui recentiores cū Caprisco cōfundere uidentur. Aprū piscē (inquit Gillius) uidi Venetijs in foro diui Marci conditum in opificis cuiusdam officina pendere: quem cum Thraci cuipiam ostendissem, Capriscum dixit appellari: cumq; huius pictam effigiem Siculis piscatoribus ostendissem, Porcum esse affirmarunt. Sic ille. Venetijs quidem Porcum appellant Mustelum centrinen, quem aliqui Vulpem ueterum esse putarunt. & Bellonius cum scribit: Piscis quem antehac aliqui pro Apro descripserunt, Vulpes marina est: Gillium notare uidetur. ¶ Equidem Rondeletij Aprum Hyænæ, uel Caprisci (quo cum plurima habet communia) speciem esse coniecerim. ¶ Plura lege superiùs in Caprisco.

GERMANICE circunscribo: **ein seltzamer Sauwfisch im meer/ mit gantz rauchen schüppen: vnd mit scharpffen dörnen in den floßfäderen am bauch vnd nach dem weidloch.**



APER à Bellonio exhibitus, à Rondeletij Apro differt, cum aliâs, tum quòd ſquamas ei negat: dentes albos & humanis æmulos tribuit, &c. Illyrij (inqt) piſcium affinitate decepti, piſcem iſtum Chiergner uocant: ſed uox ea Sargo debetur. Aper enim Sargi modo corpus tornatum habet. Erit forſan is quem Athenæus Porculum fluuiatilẽ uocat: quem etiam ex Ariſtotele uocalem eſſe tradit. Hæc ille. Plinij quidem Porcus aculeis in dorſo noxijs, Galeus centrines (meo iudicio) fuerit. ¶ Lege etiam quæ proximè retrò de Capro Rondeletij ſcripſimus.

GERM. **Ein vnbekannter frömbder fiſch/einer Geißbrachſmen gleych.**




STROMATEVS, Στρωματεὺς. Naſcitur Salpæ ſimilis piſcis in mari Rubro, qui Stromateus appellatur, per cuius totum corpus lineæ ſeu uirgæ aureæ extenduntur, Athenæus ex Philone. Stromata Grecis ſunt ſtragula & tapetes elegantiores, uarijs colorum imaginumq́ differentijs ſpectabiles: unde & piſci nimirũ nomẽ. Plura leges cum ſequentibus tribus Eiconibus ſcripta.

ITAL. Piſcis hic ſi in aliqua maris mediterranei parte reperitur, nec mari Rubro tantùm proprius eſt, forſan is fuerit qui Romæ Fiatola nuncupatur, eo à Salpa diſsidens, quòd lineas aureas breuiores habeat, nec ad caudam uſq; productas, (*atqui Philo requirit in Stromateo ῥάβδους δι᾽ ὅλου τοῦ σώματος τεταμένας, χρυσιζούσας: hoc eſt, per totum corpus tendentes lineas aureolas: ut etiã in Salpa, cui confertur:*) Rondeletius. Idem piſcem alium, de quo proximè agemus, in fine octaui libri cum peregrinis deſcribens, Romæ uulgò, ſimiliter ut hunc quoq;, Fiatolam nuncupari ſcribit: tanquam uterquè in Mediterraneo mari iuxta Romam capiatur.

GERMANICE F. **Ein Teppicher/oder Teppich fiſch: zů Rom bekannt / mit ſchönen goldfarben ſtreymen durch den leyb wie ein Goldſtreymer: gleych als ein Teppich die von farben ſchön iſt.**


Fiatolæ (alterius) eiconem à Bellonio exhibitam omiſimus: quòd forma & circunſcriptione corporis, ac pinnis, cum ea, quam Rondeletius dedit, conueniat. Lineæ tamen ſeu ſtriæ & maculæ, longè aliæ ac aliter in utriuſq; pictura ſunt: ut piſces eſſe diuerſos aliquis exiſtimaret: ſicuti etiam ex utriuſque deſcriptione idem non uidetur. Rurſus uerò propter formam & pinnas, ut dixi: & quoniam uterque circa Romam frequentem eſſe, & Fiatolam uocari, ſcribit, unus uideri poteſt.



Alia eiusdem piscis effigies, quam à Cor. Sittardo cum alijs piscibus Romæ depictis olim accepi. Hæc cum Belloniana ferè per omnia congruit, nisi quòd rudimenta quædam dentium ostendit, cùm Bellonius omnino edentulam faciat: & lineam mediam rectam à branchijs ad caudam non exprimit, (cuius tamen in descriptione Bellonius non meminit:) nec aliam superiorem Bellonio memoratam, incuruam & squamosam, cum reliquum corpus squamis careat.

Addebat (Sittardus) non excedere hanc magnitudinem. erat autem missa ab eo pictura uno alteró ue digito longior, quàm à nobis hic proposita est.

GERM. Ein andere figur des obgenannten fischs.



STROMATEI species altera, uel cognatus ei uideri potest hic piscis. Rondeletius nullũ ei uetus nomẽ posuit. Bellonius Callichthyn appellauit: hoc est, Pulchrum piscem, quod nomen (inquit) nulli pelagio pisci rectius conuenerit, quàm huic: ut qui totus ferè sit argenteus ut Lampuga, ac præterea multis aureis lituris uariegatus. *Callichthys.* Sed nihil tale de Callichthye suo ueteres prodiderunt. Hæc tantùm ex eorum scriptis obseruauimus: Callichthye piscem Anthiam esse, *Anthias.* (ex Athenæo: sed meliores authores distinguunt:) gregarium, cetaceum, dentibus serratis, & è Thunno esca gaudere. Aristoteles & Oppianus, ubi Anthias piscis appareat, nullum animal noxium illic in mari esse tradunt, ideoq; sacrum haberi. Plinius (lib. 9. ca. 47.) ubi de periculo scribit, quod urinãtibus imminet à Canibus marinis: Certissima (inquit) est securitas uidisse planos pisces; *Plani pisces.* quia nunquam sunt, ubi maleficæ bestiæ: qua causa urinantes, sacros appellant eos. Hoc in loco pro planos reposuerim Anthias. Plinium enim ab Aristotele mutuatum, ut alia pleraq;, nõ dubito. Bellonius forte hinc occasionẽ cepit, ut latos pisces, (qualis est Faber, Fietola, Lampuga,) eosdem Anthias faceret, cõstituto hoc quasi genere ad pisces forma plurimùm differentes. Latos enim pisces, quanquam à planis distinguit, quòd non sua latitudine natẽt sicut plani: uideri tamẽ & ipsos planos ait, si super solo collocẽtur. Sed hanc sententiam eius, nemo (quod sciam) doctorũ approbauit. ¶ Rondeletius cum superiorem piscem libro 5. in Latorum censu descripsisset: hũc in fine octaui inter cyaneos (id est cœruleos) collocat, cũ diuersis forma piscibus Hippuro, Sesserino, & Glaucis ipsius, (quos Bellonius etiam Lãpugæ nomine Anthijs suis adiungit.) *Cyanei.* Ego à ueteribus pisces cyaneos tanquam generis nomine appellatos nõ reperio: neque à colore alió ue huiusmodi adiuncto, genus constitui laudo, sic enim sæpe unius speciei pisces,

piſces, ad genera diuerſa trahentur: (Anthiæ Oppiano alij flaui ſunt, alij niuei, alij atro ſanguine fuſci:) & ſpecies generis unius proximi, nihil ferè præter colorem aut tale quippiam commune habebunt. Nos igitur neq; latos piſces adeò anguſte ad tres aut quatuor ſpecies infimas cõtrahemus: neq; ab accidente genus propriè uocandum ſtatuemus. ¶ Dorſum lateraq; in hoc piſce cœrulea ſunt, uenter candidus, labra purpurea. ferè rotundus & compreſſus eſt, Seſerino non ualde abſimilis, niſi quòd lineas duas à branchijs ad caudam ductas non habet: ſed unicam duntaxat. A dorſo autem ad hanc lineam, & ab hac ad uentrem lineæ demiſſæ ſunt, perbellè inflexæ, Rondeletius. ¶ Præter omnium piſcium morem, pinnis ſub uentre caret, eſtq; prorſus inermis: Cantharo quidem ſimilis, ſed eo maior euadit, non tamẽ æquè craſſus. Lineam habet à capite ſub uentre ad umbilicum extenſam, atq; utrinq; in ceruice nigram maculam. Squamis undecũq; caret: præterquàm in eo lineæ ductu, qui piſcis huius latera diſtinguit, &c. Bellonius.

GRAECI uulgò Goſidaria uocant, ni fallor.


ITAL. Romæ uulgò nuncupatur Fiatola, quemadmodum Stromateus ob ſimilitudinem quandam, Rondeletius. Romæ ac Neapoli Fietola: Tyrrheno familiaris, Adriatico non itẽ, Bellonius. ¶ De hoc piſce, miſſa eius icone, doctiſsimus Sittardus ſic ad me ſcribebat: Fetolo uulgò dicitur, Romanis Lampeca, delicatiſsimus piſcis, (*atqui Bellonius: Nullũ, inquit, inter apprime delicatos piſces nomen retinet:*) fertur naſci ex Pulmone marino. Ego ex Pulmone alió ue zoophyto marino piſcem naſci, non temere crediderim. Lampecæ uel potiùs Lampugæ nomen, alijs piſcibus (quos Glaucos Rondeletius facit) debetur. ¶ Quærendum an hic Venetijs à quibuſdam Figo, ab alijs Truellia nominetur. *Pulmo mar.*

HISPAN. A Luſitanis Pampano, ut audio.

GALLICVM nomen non habet, ut neq; ſuperior. in noſtris litoribus (inquit Rondeletius) nunquam uiſus.


GERM. F. **Ein andere art des Teppichers/zů Rom bekannt vnder einem namen mit dem nächſtgemelten.**

Rurſus alia eiuſdem piſcis eicon, Venetijs facta.



Hunc primùm Hepatum eſſe conijciebam, quoniam à Venetis Figo nominatur: & Italicè iecur quoque Figato: & figura Hepati à Rondeletio poſita, ad hanc proximè accedere uidebatur. Color etiam nigricans conueniebat. Poſteà me admonuit Bellonius, piſcem hunc potiùs eſſe Callichthyn ſuum, (ſeu Stromateum Rondeletij:) quanquam non ſint eidem colores & maculæ. idq; animaduerti cùm ex figura eius, tum quòd ſolus hic piſcium pinnis ſub uentre careat, nec aliam parte ſupina habeat, quàm quæ ab ano eſt. Hepatus ſquamoſus eſt, &c.

GERMAN. **Nach ein andere figur des ſelbigen fiſchs.**




SESERINVS Rondeletij. Σεσερῖνος. Sola (inquit) corporis latitudine à Glaucis diſcrepat. eſt enim corpore breuiore quidem, ſed latiore, compreſſo; ſine ſquamis, cute læui, dorſo cœruleo, uentre argenteo. Lineas duas à branchijs ad caudam ductas habet, ſuperiorem curuam, inferiorem rectam. ob quam notam in iſto piſce manifeſtiſsimam, in eam adducor ſententiam, ut exiſtimem Seſerinum eſſe, cuius ex Ariſtotele περὶ ζώων meminit Athenæus, his uerbis: Duas uir

gas siue lineas habent alij pisces, ut Seserinus; alij plures & aureas, ut Salpa. ¶ Idem Rondeletius in Orthragorisco pisce recitatis Aeliani de Luna pisce uerbis, descriptionem eius Seserino conuenire coniectat. ¶ Illum cuius eiconem damus, Rondeletius inter pisces Cœruleos ponit; & in eodem genere Stromateo non ualde absimilem facit.


GALL. Circa Monspelium Tronchou, Rondeletius.

GERMANICE circumloquemur: **Ein besunderer breiter meerfisch / on schüppen: mit zweyen strichen von den orwangen gägen dem hinderen teil.**

Nouacula Rondeletij.



Eiusdem alia icon, qualis Romæ olim depicta est, à Cor. Sittardo nobis communicata.



NOVACVLA Rondeletij, (inter latos planosq; ambigit, ut mox in Fabro dicetur.) Sequor in hoc pisce (inquit) uulgarem appellationem, quam ex Latina sumptam arbitror. dicitur enim Rason: quę uox nobis & Hispanis nouaculam significat: à Plinio uerò, qui solus ex ueteribus piscis huius meminit, Nouacula piscis. Eius uerba sunt: Nouacula pisce quæ tacta sunt, ferrum olent. nam in uulgaribus codicibus perperam locus hic legitur, eo quo citaui modo restituendus. Et meritò quidem Nouacula dicitur. est enim dorso cultellato, (*atqui Plinius à ferri odore Nouaculam dictam insinuat,*) quo maiorem nouaculam aptè repræsentat. piscis est marinus, palmi longitudine, tres digitos latus, unum spissus. capite Pagrum quodammodo refert, posteriore corporis parte Buglossum. Ore est paruo: dentibus acutis, magnis & recuruis. Oculis est paruis, à quibus descendunt ad os lineæ obliquæ, purpureæ & cœruleæ. Squamis tegitur magnis, rubescentibus: (unde aliqui pro Erythrino perperam hunc piscem acceperunt.) Piscis est Rhodo frequens, & in Melita insula, ex quo post Rhodum à Turcis expugnatam illuc migrarunt milites qui Rhodij appellantur. Capitur & in Maiorica Minoricaq; insulis. Carne est tenera, & delicatissima, ac in illis insulis, quas modò nominaui, summo est in precio. Sic ille. ¶ Eundem piscem postea Cor. Sittardus me-

Pauo. dicus Romæ depictum ad me misit, Pauonis nomine. sed nomen hoc alijs quoq; diuersis piscibus attribuitur. Varietas & elegantia colorum Stromatei nomine dignum hunc piscem faceret: sed a-

Stromateus. lius est Athenæi ex Philone Στρωματεὺς in mari rubro, ῥάβδους ἔχων δι᾽ ὅλου τοῦ σώματος τεταμένας χρυσο-

Aconias. ζώας. Aconias pisces quosdam Numenius apud Athenæum nominat duntaxat. acóne autem

Tonsicula. Græcis cotem significat, ad quam Nouaculæ exacui solent. Tonsicula ex Orimis celebratur nomine tenus à Cassiodoro, non describitur. ¶ Saluianus nullum adhuc Græcum aut Latinum no-


men

men huius piscis inuenisse se profitetur. Peculiarem (inquit) adeò figuram habet hic piscis, ut nulli alij piscium similis uideatur, ab omnibusq; internosci facilè posit. Capite enim permagno est, ualde tamen (non secus quàm corpore toto) compresso, & omni prorsus rostro carente. Latiusculus ualde est, Fabri instar compressus. Squamis magnis tegitur: & uarijs atq; pulcherrimis coloribus egregiè depingitur. Palmi mensuram excedere non solet. Soliuagus, infirmus & imbellis, carniuorus tamen. In Romano foro piscatorio uix deni aut duodeni quotannis conspiciuntur. In Rhodio, Siculo & Hispano mari frequentior gignitur. Carnem habet teneram atq; friabilem: boni succi & concoctu facilem. Vnde in Saxatilium penuria ipsis substitui poteft. Gustui suauissimus est, & in maxima habetur existimatione. Incola est litorum, maximè quę saxis abundant. Nullis ferè alijs spinis, præter eas quæ dorsi spinam constituunt, interciditur.

ITAL. Romæ pesce Pettine uocatur, *(fortè quasi Pecten, propter parallelas capitis lineas,)* & in plerisq; alijs locis Rason, Saluianus.

GALL. Rason: quæ uox nobis & HISPANIS nouaculam significat, Rondeletius. Causa nominis exposita est suprá.

GERMAN. **Ein seltzamer fisch / wirt im meer vmb die inseln Sicilia vnd Malta gefunden: mit mancherley schönen farben gezieret. Die Frantzosen vnnd andere völcker am meer vor Africa über in Europa / nennen jn ein Schärsack / rc.**



Χαλκεύς.

FABER. Græcis Ζεὺς, id est Iupiter: uel Χαλκεὺς, id est, Faber ferrarius. alius omnino piscis est Chalcis. Ζεὺς nomen fortè ex posteriore nominis Χαλκεὺς sylla ba factum fuerit. Putauerunt aliqui Fabrum dictum à similitudine fabri ferrarij qui fuliginosus est: (qui etiam cum Coracino hunc piscem confuderunt:) macula quidem insignis est nigra. ¶ Multæ in eo partes nigricant: ut à colore forsan Fabri nomen inditū ei aliquis conijciat: quanquam simul & hunc & Coracinum nominans Oppianus: non utrunq;, sed Coracinum tantùm à nigro colore denominatum ait, Saluianus. Dalmatæ etiam hodie Fabrum uocant: qui cū ex eis percunctarer (inquit Gillius) cur sic nominarent, mihi pulchrè responderunt, se ideo ita nuncupare, quòd omnia instrumenta fabrilia in ipso reperiantur: quod quidem ipsum statim uerum esse periclitatus sum. ¶ Non est hic Cyttus Athenæi, ut quidam suspicati sunt, quoniam à Romanis Citula nominetur. ab Athenæo quidem Cyttus nominatur tantùm, inter pisces, tanquam Dionysio sacer. Neq; Acanthias, ut propter spinas dorsi aliqui putarunt: is enim Mustelorum generis est. Neq; Orthragoriscus, uel Porcus marinus, quanuis dum capitur, grunnit. ¶ Dubitaui aliquando (inquit Rondeletius) in quam piscium classem piscem hunc referrem. neque enim inter squamosos, neque inter cartilagineos, neque inter beluas collocari poteſt. neque inter ψηττοειδεῖς recensendus: quippe qui una parte candidus, altera nigricans non sit, sed corpore concolore, dempta unica macula. A planis uerò oculorum situ differt. At cum exigua sit hæc differentia, corporéque plano sit, & figurâ Rhombo capite tenus quodammodo simili, non ineptè planis piscibus adnumerari posse uidetur. Sic ille. Bellonius latis piscibus adnumerat, contracta latorum appellatione ad paucos, Fiatolam, Lampugam, &c. ut paulò antè in Stromateo altero diximus. Nos latis simpliciter piscibus adnumerare uoluimus: quoniam à planis & oculorum situ, pinnisq; plurimùm differt: & non ut illi sua latitudine in aqua natat: Natura quidem, ut plerunque solet inter duo genera, quædam ita ambigua producere, ut ad utrum referas, dubites: sic Fabrum etiam & Nouaculam inter Latos planosq; ἐπαμφοτερίζοντας nobis genuit. refert enim Nouacula posteriori parte Buglossum: & latiuscula ualde est, Fabri instar compressa, Saluiano teste.

Cyttus.

Acanthias.

Porcus mar.

Piscem hunc inter planos & latos ambigere.

GRAECI hodie Christopsarum (nomine composito à Christus & opsarium, quod piscem significat) appellant: aiuntq; Christophorum, dum Christum humeris gestans mare traijceret, piscem hunc apprehendisse, & impressa digitorum uestigia reliquisse. ¶ Hodie forsan ideo Christopsaron nominant, quia olim Ζεὺς, id est, Iupiter nominaretur, Gillius.

ITALICE. Romæ Citula uel Cetola uocatur: hoc quidem nomen ceu diminutiuum à Ζεὺς fortaſsis factum fuerit. à Gillio Situla ſcribitur. Item Piſcis S. Petri, Peſce ſan Pietro. ferunt enim hunc piſcem fuiſſe, quem iubente Chriſto diuus Petrus, ut in eius ore numiſma pro tributo reperiret: unde digitorum impreſſorum ueſtigia in medio corpore relicta fuerint. (Sed Orphum etiam Græci multi hodie Petropſaro, id eſt piſcem S. Petri nominant.) Genuenſes ab orbiculari eius forma Rotulum nominant: Dalmatæ Fabrum. ¶ Ligures Zaphirum appellant, Iouius: alibi tamen Scarum, Zaphirum uulgò nominari inſinuat.


HISPANI, ut & Galli Narbonenſes, Gal, id eſt Gallum uocant. cauſam leges mox in Gallicis nomenclaturis.

GALL. A Maſsilienſibus Trueie uocatur: ſiue ab inſigni uoracitate, ut Bellonius putauit: ſiue ab aculeis dorſi ſetarum inſtar erectis: unde & Hyſtricis ſimilitudinem Iouius ei aſsignat: ſiue potiùs, quia dum capitur ſuum more grunnit, quod Rondeletio placet. In Lerino inſula & Antipoli Rode uocatur, id eſt, Rota: quia rotæ modo rotundus ferè ſit, & in medio corpore maculam nigram habeat ueluti centrum. alia quidem Rota eſt Plinij inter beluas. Galli (ad Oceanum) Doree uel Dorade uocant, ab aureo laterum colore, quaſi Auratam: nam antiquorum Auratam ignorant. In Prouincia Gal, ſicut & Hiſpani: id eſt Gallum: ut & Santones & Baionenſes Iau, id eſt, Gallum, à dorſi pinnis ſurrectis, ueluti Gallorum gallinaceorum criſtis: uel (ut Bellonius conijcit) ab aureo atq; micante colore, quem habet cum adulti Galli ruſtici maioribus plumis communem appellauerunt un Iau, uel un Cocq.

Rota.

GERMANICE nominemus licet S. Peters fiſch, ut & Romani appellant. (Gallum enim & Porcos marinos uocare non libet; quòd hæc nomina alijs quoque piſcibus attribuantur.) uel ein Meerſchmid, hoc eſt, Fabrum mar. uel ein Rad, id eſt, Rotam.

ANGLI piſcem quendam Dorée uocant, alij Dare uel Dorry pronunciant: qui alius uidetur quàm Doree Gallorum, hoc eſt, Faber. Praſino enim non diſsimilem eſſe aiunt, latiorem, colore Tincæ, in cibo lautiſsimum.




ICON hæc neſcio cuius piſcis reperitur in Tabula Oceani Septentrionalis ab Olao Magno edita: qui nihil aliud de ea refert, quàm piſcem eſſe duodecim pedum. Mihi quidem huiuſmodi pinnarum in eo poſitus, minimè ueriſimilis uidetur.

GERMAN. Ein vnbekannter Meerfiſch/in der Tafel des mittnächtiſchē hohen meers/ von dem Olao Magno beſchriben: ſol zwölff ſchůch lang ſeyn.

ORDO

ORDO V. DE PISCIBVS SIMPLICITER DICTIS: QVI FERME ROTVNDI, (MINVS TAMEN QVAM LYRIFORMES,) NON compresſi ſunt; alij ſquamoſi, alij læues.

Mænæ hæc imago Venetijs facta eſt. macula in medio latere talis eſſe debet, qualis in Smaride mox ſequente cernitur: & pinna à podice longior quàm ſit.





MAENA, Μαινίς. Gaza nõ rectè Halecem cõuertit, & Mænidion Haleculã. (Alex Plinio nõ piſcis, ſed gari uitiũ eſt, gen. fœ. ſine aſpiratione: etſi in Geoponicis ἅλιξ legit. Halec uel Alec gen. neut. Horatius & Plautus dixerunt; liquamen ex inteſtinis piſcium interpretantur. Halecula diminutiuum ſemper pro piſciculo capitur, uili nimirum quouis, [Columella riuales haleculas dixit:] quem etiam halecularium Hermolaus appellat: Græcè anthracidem, id eſt prunarium uel carbonarium: quicunque ſcilicet in pruna & craticula commodè coqui poteſt.) Mænarum ſpecies aliæ in utroque latere nigram maculam orbiculatam habent, quæ ſimpliciter Mænæ dicuntur. aliæ, Leucomænides, uel Smarides. aliæ, Boopes. ¶ Euenit ut cum fœtu impleri Mæna fœmina incipit, maris color in nigriorem, pluriſq; uarietatis mutetur, & caro deterrima cibo efficiatur: uocantur à nonnullis per id tempus τράγοι, (id eſt Hirci,) Ariſtoteles. De alio Athenæi Hirco, dictum eſt in Gobione nigro Rondeletij. *Alex.* *Halec.* *Halecula.* *Mænarum ſpecies.* *Hirci.*


ITAL. A Liguribus ac Romanis Menola uocatur: ab ijs qui Adriaticum ſinum incolunt Sclaua, uel Menola Sclaua: uel, ut ipſi proferunt, Schiaua.

GALL. A Maſsilienſibus Mendole, (aliâs Medola,) ab aliquibus Cagarel, quòd aluũ cieat. à noſtris in Gallia Narbonenſi Iuſcle, Rondeletius.

GERMANICVM nomen non habeo. Bellonius, Raró (inquit) in Oceano capiuntur, quod ſciam. Scheyſſerling uocari poteſt, interpretatione Gallici nominis Cagarel.

Mænulam Italorũ à Germanis inferioribus Houtinck uocari, olim accepi: ſed certi adhuc nihil habeo. Rondeletius Oxyrhynchum ſuum, qui Antuerpiæ crebrò cernatur, Hautin illic uocari ſcribit: aliqui Acum Ariſtotelis ſic nominant.

Bellonij icon ſquamas omittit: ſex autem ſeptém ue lineas à capite caudam uerſus exprimit.



SMARIS & Græcis (Σμαρὶς) & Latinis dicitur. Gaza Cerrum Latinè uertit, (ob id fortaſſe quòd Neapoli Smarides uulgò dicuntur Cerres, Maſsiliæ Gerres:) mirum cur non potiùs Plinij & *Cerrus.*

Gerres. *Leucomænis.* *Garus.*

Martialis appellatione usus, qui Gerres dixerunt. Est autem Smaris ea Mænæ species, quæ Leucomænis etiam à Græcis dicitur, id est, Mæna alba, quia semper alba remanet, cùm Mæna prior colorem mutet. Eundem piscem Garum esse, nominis affinitas facit, ut suspicer, cum pro Garo Cerrus dicatur: & à Plinio & Martiali multitudinis numero Gerres, & Antipoli hodie Garon. præterea ex hoc pisciculo optimum fieri garum experientia docet. ex Garo uerò pisce optimum fieri garum testis est Plinius, Rondeletius. Leucomænides aliqui Boaces nominãt, Athenæus. Smarides uocantur etiam Marides Athenæo.

Smaridem, Bocam & Mænam cognatos pisces, sic distingues. Boca lituris caret, quibus Smaris prædita est. Smaris quoq; asperiores fert squamas: lineasq; rectas, serie quadam in lateribus dispositas, quales & in Mæna cernimus: sed Mæna nullo seruato ordine confusas, Bellonius.

GRAECI hodieq; Marides aut Smarides appellant.


ITAL. Neapoli, Cerres. Venetijs, Giroli, Gerruli. alijs etiam Giri, Zerli. Romæ Spigaro: ubi & Rotonetum aliqui uocant, quod nomen Boopi debetur. Siculi etiamnum Smaridas uocant.


HISPANICE Picarel. Vide mox in Gallicis.

GALL. Massiliæ, Gerres uel Giarets. In Gallia Narbonensi, ut & in Hispania, Picarel: ob id fortasse quòd salitus hic piscis & fumo exiccatus, linguam acrimonia quadam pungit & mordet, Rondeletius.

GERM. F. Ein wysser Scheyßerling. uel imitatione Hispanis & in Prouincia usitati nominis Picarel, ein Bitzling. Bitzelen enim nostris de sapore pungente & mordente linguam in usu est. Mænulam Italorum à Germanis inferiorib. Houtinck uocari olim accepi. quod si uerum est, Smaridem seu Leucomænidem interpretabimur ein wysser Houtinck: Et Boopis species duas aut tres, geschlächte des Houtincks / oder des nächstgemelten fisches.

Bôcis alia effigies Venetijs expressa.





BOOPS, Box, Boax. Βόωψ, Βώξ, Βόαξ.

Hic piscis litoralis est, ex Mænarum genere: in Gallia nostra Narbonensi, Italia, Hispania, & re & nomine notissimus. A Plinio Box dicitur, uel (ut alij legunt) Boca. Gaza Vocam conuertit, Rondeletius.


GRAECI hodieq; Boopa nominant.

ITAL.

ITAL. Venetijs Booba. in reliqua Italia, Liguria, Gallia Narbonenſi, Hiſpania, Bogue uel Boga nominatur. Romæ etiam Boga uel Rotoneto, quòd corpore ſit rotundiore.


GALL. Bogue, ut in Italicis nominibus dictum eſt. Sunt qui cum Leucomænide (quæ potiùs Smaris eſt) confundant.

GERM. Ein geſchlecht des Houtincks. Lege ſuperiùs in Smaride.



BOOPIS ſecũda ſpecies Rõdeletio. Ex ueteribus ſolus Oppianus Boopis ſpecies duas facit. Piſcem hunc (inquit Rondeletius) in multis ſuperiori ſimilem, Bogue rauel appellant. quid uerò iſtud rauel ſignificet, non potui omnino aſſequi: niſi quòd peritiores piſcatores ſic dictum eſſe putant, quia capiatur & uendatur cum piſcibus, uulgò raualle appellatis, id eſt, minutis, quiq́ ſimul elixantur & apponuntur, nec propter paruitatem ſeliguntur, Rondeletius. Haud ſcio an idem ſit, (uidetur autem eſſe,) piſciculus litoralis, qui à Bellonio Bogue reneau nominatur.

GERM. Ein ander geſchlächt des Houtincks / ein rotlachter Houtinck. Lege ſuperiùs in Smaride.



BOOPIS tertia ſpecies Rondeletio.
Rarus eſt hic piſcis (inquit) cuius nomen neque à piſcatoribus noſtris, neque ab alijs potui unquam extorquere propter raritatem.

GERM. Das dritt geſchlächt des Houtincks. Vide ſuprà in Smaride.

SALPA, Σάλπη. Græcum Salpæ nomen Latini retinuerunt: & hodie plerique Europæ populi retinent. Hunc piſcem alio nomine Bouem (βοῦν) appellãt, ut eſt apud Heſychium. ſed nos alium dabimus magis propriè Bouem dictum in planorum cartilagineorum genere. *Bos.* ——Σάλπαι τ' ἰσομήκεσιν ἰχθῦς, Ἅς τε βόας πόρκηες ἁλίζωνοι καλέουσιν; Οὕνεκα γαστέρι φῦκος ἀεὶ ἀλέγουσιν ὀδοῦσιν, Antiphanes, hoc eſt: Et Salpæ, quas Halizonorũ piſcatores nominãt Boues, ab eo quòd dentibus ſemper algẽ ſuis uentribus molant. Cognominãtur aũt fortè ἰσομήκεσιν, quòd in nullo alio piſciũ genere, æquè atque in Salpis, eadem ferè ſemper ſeruari magnitudo uideatur. ad ſummum quidẽ bilibres fiunt, aut ſemper ad librã auctæ apparent, Saluian. Pro πόρκηες, lego πορκῆες, id eſt, piſcatores retiarij. nam πόρκος genus retis eſt. Halizoni populi ſunt Aſiæ minoris. Pro ἀλέγουσι, quod eſt, curant, malim ἀλέουσιν, id eſt, molunt. Eſt autem Σάλπη apud authores ſemper fœminini generis. Archippus per iocum maſculino genere protulit, tanquam de uiro tibicine, propter alluſionem uocabulorum. ---- κῆρυξ μὲν ἦν βόαξ, Σάλπιγξ δ' ἐσάλπιγξε. ¶ Chriſopleurus, piſcis dictus Salpa, Syluaticus: ſcribendum autem Chryſopleurus, ab aureo per latera colore.

Salpæ similis est piscis in mari Rubro, Stromateus nomine, Athenæus.

GRAECI etiamnunc nomen antiquum usurpant.


ITAL. Romæ & apud alias plerasq; gentes (quæ Græcæ aut Latinæ linguæ uestigia retinent) nomẽ seruat, Gillius & Saluianus. Veneti Salpam proferunt, Romani ferè Sarbam: alicubi Salpono.

HISPAN. Lusitani Salema uocitant.

GALLI etiam Salpa nominant, Massilienses Sopi, Bellonio teste.

GERMANICVM fingo, ein Goldstreymer, à strijs seu lineis aureis: uel circunloquor, ein art der Meerbersichen mit etlichen gälbẽ strichen durch die seyten/vom kopff gãgẽ dem hinderen teil.

Effigies hæc Salpæ Venetijs efficta est, ei quã Rondeletius dedit, satis similis: nisi quòd uirgas à capite ad caudam tendentes nõ exprimit: quæ à pictore colores inducente addi possunt.



SALPA minor est, ætate tantùm differens: uel potiùs species ei similis, qui in Gallia Narbonensi Vergadelle uocatur piscis, hoc est Virgatus, à uirgis siue lineis parallelis, quibus distinguitur, omnino similiter ut Salpa: qua cũ etiam partibus internis, saporis insuauitate, carnis mollitie, & uictus ratione conuenit. Rursus autem ab ea differt figura: est enim tenuior, breuior, rotundior, Sparis uel Auratis quàm Salpis similior. ad Salpæ magnitudinem nunquam accrescit. reperitur in stagnis marinis tantùm: Salpa uerò tum in mari tum in stagnis. quamobrem, ut diximus, specie potiùs quàm ætate differt, contra Rondeletij sententiam: qui piscẽ hunc in Salpa descripsit, eiconem uerò eius nullam dedit. ¶ Germanicè nominari poterit ein Streymbrachsme.

DE MVGILIBVS IN GENERE.

MVGIL dicitur Ouidio, Plinio: Mugilis, Iuuenali, Horatio, Gazæ, sicut as & assis. Mugil dictus est, quòd sit multùm agilis, Isidorus.

MVGILES frequentissimi (inquit Rondeletius) & uulgò notissimi sunt pisces; sed in eorũ generibus distinguendis difficultas est. Sunt enim qui Cephalum (Κέφαλον) genus Mugilum omnium siue marinorum, siue fluuiatilium con- *Cephalus.* stituunt, ut Galenus, alij Leuciscum, λευκίσκον, ut Hicesius. Galenus quidem Leuciscum, fluuiatilem *Leuciscus.* tantùm Mugilem facit. Aristoteli Cephalus species est, quæ cum alijs (Chelone, Sargino, & Myxone) Κεστρέως nomine continetur. ¶ Dorion Κεστρέας marinos & fluuiatiles facit: & rursus marinorum *Cestreus.* species duas Κέφαλον & Νῆστιν, nimis concisè. Hicesius species Leuciscorum quatuor nominat: *Νῆστις.* Cephalum, in cibo optimum: deinde Cestreum: tertiò Myxinum: postremò Chelonẽ, (qui & Bacchus dicatur: Rondeletius tamen Bacchum, potiùs Myxonem esse putat:) ex quibus tres etiam Aristoteles nominat: quartum uerò non Cestreum, ut Hicesius, sed Sarginum, Σαργῖνον: (aliqui Sargonem Latinè uertunt. Sargus alicubi pro Sargino perperam legitur apud Aristotelem.) Ego Chelonem non Mugilis speciem proximam fecerim, sed Cephali. Docet enim Aristoteles Cephalorum speciem unam litoralem esse, quam Chelôna nominat: alteram translitoranam, quã *Peræas.* adiectiuo nomine περαίαν cognominat, & muco suo nutriri dicit, ecq; semper ieiunum esse. unde quoniam, cum quatuor Mugilum species faceret, Chelonem nominauit, Peræam omisit, uel Cephalum simpliciter dictum, uel Sarginum pro Peræa eum nominasse probabile est. Rondeletius Cephalum Peræam, eundem Cestreo (Hicesij) Nestidi, id est, Ieiuno, & Sargino facit. Quòd si quis

quis(inquit Rondeletius) Peræam cum Myxino(quoq;) eundem eſſe uelit, non repugno, præſertim cum dicat Ariſtoteles muco(myxa) tantùm ſuo ueſci. Sic ille. *Myxinus.* Hiceſius Myxinum tum à Chelone, tum à Cephalo diuerſum facit: & Rondeletius quoq; in ſequentibus diſtinguit, quanuis dubiè. Ieiuni quidem epitheton (& prouerbium κεςρεὺς νηςεύει) Rondeletius Mugilibus omnibus *Ieiunus.* conuenire poſſe fatetur, cùm omnes carne abſtineant, imprimis tamen Cephalo translitorano cõgruere id uidetur, qui ſuo tantùm muco uictitat, cæteri enim algis & limo ueſcuntur: ut hic pręceteris ſicut eſt, ita etiam dicatur νῆςις. Ariſtoteles cum Mugiles aliquot locis recenſet, tribus, ſcilicet Myxoni, Cheloni, Cephalo, Sarginum Ieiuni loco annumeraſſe uideri poteſt, Ceſtreo pro genere poſito: quibus in locis mendoſè Σάργ⊛ pro Σαργῖν⊛ in uulgaribus noſtris codicibus legitur. Omnes autem hæ Mugilum quatuor ſpecies in mari mariniſq; ſtagnis naſcuntur. Sunt & fluuiatilium non pauciores differentiæ, Rondeletius. ¶ Mugilum in fluuijs alij è mari ſubeunt: alij in eis geniti paruis & numeroſis ſpinis abundant, Galeno teſte. ¶ Vocantur & πλωτὸν à nonnullis. ſed *πλωτόν.* Oppiano piſces omnes πλωτὸν ἁλὸς dicuntur. ¶ Ariſtophanis Scholiaſtes Ceſtreum cum Cephalo confundit. Ceſtreas apud Ariſtophanem Murænas aliqui interpretantur. Ceſtram Dorion & Pollux eandem eſſe cum Sphyræna uoluerunt. ¶ Inter Mugilum ſpecies legimus etiam Σφηνίας, à figura cunei dictum, quadratum & λαγαρὸν, id eſt, gracilem uel uacuum. & Δακτυλέα uel Διδακτυλαῖον, à magnitudine. ¶ Ariſtotelis Hiſtoriæ 8.2. uerba: Τρέφεται δὲ πᾶς κεςρεὺς φύκει καὶ ἄμμῳ. ἔςι μὲν ὁ κέφαλος, ὃν καλοῦσί τινες χελῶνα, πρόσγει⊛: ὁ δὲ περαίας. οὐ βόσκεται δὲ ὁ περαίας, ἢ τὴν μύξαν τὴν ἑαυτοῦ: διὸ καὶ νῆςις ἐςὶν ἀεί. οἱ δὲ κέφαλοι νέμονται τὴν ἰλύν. διὸ ὁ βαρεῖς καὶ βλεννώδεις εἰσί. Gaza uertit: Veſcit̃ Mugilis unuſquiſq; alga atq; arena. Capito quem aliqui labeonẽ uocant, litoribus gaudet. alter generis eiuſdem translitoranus eſt: qui non niſi mucore ueſcitur ſuo. quamobrem ſemper ipſe ieiunus eſt. paſcuntur limo omnes(*in Græco non eſt, omnes*) capitones: quo fit ut graues & ſordidi ſint. Rondeletius nõ rectè uertit, Capito quem alij Labeonem uocant: ſic enim aliquis duo hæc nomina pro una ſpecie accipere poſſet: cum Ariſtoteles hoc ipſo capite diſertè diſtinguat, ſpecies Ceſtrei quatuor nominans, Chelonem, Sarginum, Myxonem, & Cephalum. Quare ita mecum ſtatuo, Ariſtotelis hanc ſententiam fuiſſe: Cephali tres eſſe ſpecies, unum ſimpliciter cephalum dictum, (quem Hiceſius etiam à Myxino & Chelone ſeparat:) alterum cognomine chelonem: & tertium cognomine peræam uel ieiunum. longius enim hic à litore degit: quare limum & algam non inuenit, & muco ſuo paſci uidetur, unde & Myxinus nimirum idem fuerit. Sunt igitur tres iſtæ ſpecies Cephali, ceu generis proximi: Ceſtrei uerò tanquam remotioris. Reſtat Sarginus, nõ iam Cephali, ſed Ceſtrei tantùm ſpecies: & hic aliquando Ceſtrei nomine (ut Hiceſio præſertim) abſolutè uenit: nihil enim quàm κεςρεὺς eſt, non etiam Cephalus. Hanc ſententiam pleraq; & clariora authorum loca confirmant: quòd ſi pauca quædam & dubia, opponi poſſunt: cogitandum ipſos etiam ueteres fortè aliquando non omnia ſatis diſtinctè, ſed quædam ita ut acceperant, tradidiſſe. ¶ Ibidem Ariſtoteles ſcribit: Ceſtreum guloſum & inſatiabilem eſſe: quare uentrem eius diſtendi: & quãdo ieiunus fuerit, inertem aut uilem eſſe. (in Græcis abundat negatio, καὶ ὅταν ᾖ μὴ νῆςις, φαῦλος. Aldina editio & Athenæus, negationem non habent.) Et poſſunt hæc quidem omni Ceſtreo conuenire, Myxino uel Ieiuno excepto. is enim ſemper ieiunus eſt. Athenæus libro 7. ex Ariſtotele recitans, quædã non mendoſa, ut Saluianus ſuſpicatur. ſed diſtinctius certiuſq; quàm noſtri Ariſtotelis operũ codices habeant, exponit. ut, ἔςι δὲ ὁ μὲν τις κέφαλος, ὁ δὲ χελὼν, ὁ δὲ φεραῖ⊛, (lego περαίας, non περαῖ⊛, ut Saluianus:) καὶ τροφῇ χρῆται ὁ μὲν φεραῖ⊛, τῇ ἀπ᾽ αὐτοῦ γινομένῃ μύξᾳ: ὁ δὲ χελὼν ἄμμῳ, καὶ ἰλύϊ. ¶ Ceſtreus dictus eſt à figura, nempe à ceſtra, quod teli uel miſſilis genus eſt, Latini uiriculum uocant,) *Verucu-lum alij ſcribunt.*) teli enim modo publica Athenienſium pœna intrabat adulteros, &c.

ITAL. Veneti omne Mugilum genus Cephalos nominant, Gillius. Vulgus circa Venetias profert, Cieualo, Scieuolo, Sebolo. aliqui etiam Tragono.

GERM. Mugil uel Cephalus à noſtris Germanicè appellari poterit ein Meeralet. nam & eũ piſcem, quem noſtri uocant Alet, Auſonius Capitonem uocat, Itali Squalum, quaſi Cephalum. Scio Anglos à Gallis mutuatos, Mugilem uocare a Mullet, & Albertum Germanico nomine Harderen: (Flandros Mullenaer:) ſed illud nobis inſolens & ignotæ ſignificationis eſt, hoc originis Latinæ & Gallis uſitatum. Albertus quidem perperam Mullum pro Mugile nominauit. Inter icones Oceani Germanici piſcium, quas à Io. Echtio accepi, Molenaer & Herder nomina non uni ſed diuerſis piſcibus adſcribuntur.

CEPHALVS, Κέφαλος, ſpecies Mugilũ, à Theodoro conuertitur Capito. eſt autẽ capite magno, craſſo, latoq;. Degit maximè in

marinis ſtagnis & fluminibus: cubiti magnitudinem aliquando ſuperat. Alius eſt Capito fluuiatilis Auſonij. ¶ Vide ſuprà in ijs quæ de Mugilib. in gen. ſcripſimus.

GRAECVM uulgus Cephalum maiorem, ex quo botargę fiunt, Coclano uocat, Bellonius: minimos uerò, Gillaros.


ITAL. Romæ & in tota ferè Italia Grę co nomine Cephalo uocatur, Rondeletius. Venetis Ceuola. Qui ad oras Padi agunt, Cephalos uarijs nominibus pro magnitudine appellant: Caneſtrellos nempe minimos, quos in caniſtris ferre ſolent. Alios quoque Baſtardos, medios inter maiores & minores. Alios Letreganos, cæteris paulò latiores. Boſeguas alios, mediam magnitudinem inter Letreganum & Mieſine ſortitos, Bellonius. Priuatim Cephalum grandem, Mieſine, quaſi Myxinum, uocant Padi accolæ, Idem. Capitones in ſinu Adriatico Capitellos uocant, ſiue Capiſtellos, Gillius.


GALL. Circa Monſpelium Cabot, quaſi Capitatus: à Gallis Mullet, Rondeletius. Bellonius ſcribit, un Mulet, & Maſſiliæ un Muge uocari. Cephalum autem grandem, à uulgo Stœchadum Vergado nominari addit, (Rondeletius à piſcatoribus ſe accepiſſe ait, Samez uulgò dictos Monſpelij de Mugilum genere, ipſe priuatim Ceſtreos facit, in eos quos Vergadelles uocant, mutari: ut Capitones in Mugiles.) Maſſiliæ Calug. Gillius ſimpliciter Capitones, Maſſilię Calugos uocari tradit.

ILLYRICE Czypo.

GERMAN. Das erſt geſchlecht des Meeralets. Vide ſuperiùs cum Mugilibus in genere.

Alia eiuſdem eicon, Venetijs olim nobis picta.






CESTREVS, Κεστρεύς, Rondeletio, Leuciſcorum ſeu Cephalorum ſpecies altera. Ariſtoteles ſemper opinor pro generis nomine accipit, Hiceſius Leuciſcum genus conſtituit, cui inter alias ſpecies Ceſtreum ſubijcit. Vide in ijs quę de Mugilibus in genere ſcripta ſunt. ¶ Eſt hic piſcis Cephalo ſimilis omnino, & idem uideretur niſi capite eſſet minore, & acutiore: lineasq; à branchijs ad caudam ductas breuiores haberet, Rondeletius.

GALL.

GALL. A nostris Same dictus est. Piscatores hunc piscem cum senuerit in piscem Vergadelle dictum, mutari aiunt, Rondeletius.


GERM. F. Das ander geschlecht des Meeralets. Vide suprà in Mugile in genere.



MYXON Rondeletij, Mugilum species altera. Μύξων (inquit) uel Μύξινος appellatur, à myxa, id est muco & pituitoso humore: Cestreo omnino similis, sed magis mucosus: capite minùs acuto. ¶ Est hic Cephali species, qui & peræas & nestis cognominatur. Lege quæ suprà de Mugilibus in genere scripsimus. ¶ Dorion Cephalum tradit differre à Cephalino, qui & Blepsias uocetur: Rondeletius quoniam nulla Blepsiæ uocabuli ratio appareat, (tanquam id necesse sit,) pro Blepsia, Blennum uel Blennodem legendum putat, ut idem sit qui Myxinus: quoniam blenna idem quod myxa significet. Sed longè alius est Blennus marinus. quare Blepsiam si quis mutare uolet (ego quidem non laudo) in Blenniam potiùs quàm Blennum aut Blennodem mutet: nullius equidem piscis nomen in ώδης terminari puto. ¶ Chelônes, Hicesio teste, etiã Bacchi nominantur. Plinio non hi, sed Myxones Bacchi uel Banchi appellãtur. Sed hic in ijs quæ à Græcis mutuatur sæpiuscule errat. maior fides Hicesio, Græco scriptori in Græcis nomenclaturis: ut Chelon alio nomine Bacchus dicatur. quanquam hoc etiam considerandum est diligentiùs. Suspicor enim Bacchi nomen ad Aselli tantùm speciẽ minorem pertinere, quæ Oniscus & Chellares uel Callarias uocatur, ex Athenæi authoritate. (nam hîc etiam Plinius aberrauit, Asellos maiores, Bacchos appellans.) ab Aselli autem nomine Chellares, Hicesius ad Chelonem, uel (ut alicubi scribitur) Chellonem, facilè transierit. Bacchus quidem non Banchus legendum, tum ex uetustis Plinij codicibus, tum ex Græcorum scriptis apparet. Et ut Asinus quadrupes Libero, id est Baccho consecrabatur, ita piscem quoque Asellum minorem, eiusdem nomine appellatum uerisimile est. ¶ Μύξος & Μύζων pro hoc pisce scribi, non probo. *Bacchus.*

ITAL. GALL. Prouinciales & Ligures Maxon uocant. nostri communi uocabulo Muge, Rondeletius. Mugilum genus etiam hac ætate Græci Myxones appellant: qui Niceam accolũt, Massones nuncupant, Gillius. Saluianus Cephalum simpliciter Senis Mazone dici scribit. ¶ Padi accolæ Cephalos grandes Miesine uocant, uoce ad Myxinum accedente, (fortè quasi μείζονας,) Bellonius. Eustathio Μυξῖνος (penanflexum) est parui Mugilis genus.

GERM. F. Das dritt geschlecht des Meeralets. Vide suprà in Mugilibus in genere. Ein Schleymharderen/ein Schleymling.




CHELON Rondeletij, Mugilum species quarta. Grecè scribitur Χελών uel Χελώνος, Κολών & Χελλών & Χάλλων, uocabula sunt corrupta. Gaza Labeonem uertit. Labrum caudã placentẽ nominauit Plinius inter Ouidianos pisces: sed Melanurum legi oportet, non Labrũ. Piscis est (inquit Rondeletius) Cephalo similis, capite paulo minore, oculis prominentioribus, sine pellicula illa molli, ueluti pituita concreta, quam ueluti palpebram habet Capito. Lineas nigricantes à branchijs ad caudam æqualibus spatijs distantes, protensas habet, unde Vergadelle à quibusdam (circa Monspelium) uocatur. Labra crassa, spissa, prominentia. Chelônes Hicesio teste, etiam Bacchi nominantur: de quo leges superiùs in Myxone, & plura de hoc pisce inter ea quæ de Mugilibus in uniuersum annotauimus.

GALL. Circa Monspelium, Chaluc: à quibusdam Vergadelle, quoniam lineis seu uirgis quibusdam nigricantibus, à branchijs ad caudam distinguitur.


GERM. F. Das vierdt geschlecht des Meeralets. Ein streymharderen, id est striatus Mugil: Vel, ein Maulharderen/ein Harderen art mit grossen läfftzen.

MVGIL niger Rondeletij. Vndis nostris (inquit) incognitus est quẽ hîc expressimus: Mugili corporis specie ualde similis, sed totus ater: lineasq́; nigras à branchijs ad caudam producit: quam ob causam Mugilem nigrum uocaui.



Maxillam inferiorem ualde diducit, ob id ualde hiante est ore. Septem octó ue aculeos in dorso gerit, ut effigies (quam Pisis à Portio philosopho accepi) ostendit.

GERM. F. Ein frömbder schwartzer fisch von der art der Meeraletẽ/mit siben oder acht dörnen auff dem rucken. Ein schwartzer Meerstichling.




MVGIL alatus Rondeletij. Hic piscis (inquit) alatus & uolans, cum Hirundine & alijs uolantibus collocari posset. sed quia & corporis figura, (pinnis, caudaq́; exceptis,) & uictus ratione planè Mugil est, (& internas partes reliquis Mugilibus omnino easdem habet, carne quoque & succo similis,) ideo Mugilibus alijs subiunxi. Bellonius hunc pro Hirundine descripsit: nos aliam Rondeletij Hirundinẽ dedimus. ¶ Mugilem alatũ Rondeletij, Saluianus quoq; Hirundinẽ facit: Hirundinem uerò Rõdeletij, Miluum, ne Mugil hic alatus, ueteribus indictus relinquatur, &c. Speusippi uerba, quibus duros stimulos Hirundini tribuit, & Cuculi Mulliq́; similitudinem, ei suspecta sunt: cum Mullus etiam Cuculusq́; (inquit) præterquam colore nonnihil, similes non sint. Oppianus quoq; ei uidetur non rectè hunc piscem aculeatum facere, cum alibi mitem uocet, (*hoc tamen Lippius interpres, non Oppianus fecit:*) præsertim cum Gobium quoq; non rectè aculeatis adnumeret. Sic ille. Ego Rondeletij opinionem præfero.

ITAL. Romæ non rectè Rondola uocatur, & Hirundo marina creditur: nostra autem & uera Hirundo (Cuculo, Mulló ue similis, ut Speusippus ait) Miluus Romæ creditur, & uulgò dicitur Miluo, (Nibio.) ¶ Depictus hic piscis Romæ, & plerisq; locis Italiæ, Saluiano teste, pesce Rondine uocatur.


GALL. Agathenses Falconem marinum uocant, Rondeletius. Bellonius, qui pro Hirundine hunc piscem descripsit, à Gallis Arondelle de mer uocari tradit, Massiliæ Landola. Sed ea nomina cum Hirundinem significent, minùs propriè huic pisci tribuuntur. Vide suprà Ordine tertio in Hirundine Rondeletij.

GERM. F. Ein fliegender Meerfisch: der gestalt nach (außgenomẽn die fecken vñ schwantz) võ der art der Meeraleten.



Icõ prior, maioris Lupi et lanati est: posterior uarij et minoris.

LVPVS piscis Latinè, Græcè λάβραξ (nam Lycos




...alius est: Vide in Lucio inter fluuiatiles) dictus est à uoracitate, os enim illi hiat, & repente ac cum impetu uorat glutitque escam: qua de causa facilè capitur. ¶ In tãto honore apud antiquos fuit, ut per excellentiam Piscis nomen adeptus sit. Lucilius poëta Catillonem pro Lupo dixit. ¶ Luporum duo uidentur esse genera. alius enim uarius est, teste Columella, id est, cuius dorsum ex albo cœruleum est, uenter candidus, nigris maculis conspersus. Alius sine maculis, qui appellatur (*cognominatur*) laneus siue lanatus, à candore mollitieque carnis. Vterque in mari, marinis stagnis, fluuiorum ostijs, & fluuijs reperitur: non quòd in fluuijs nascatur, sed quòd è mari marinis'ue stagnis fluuios subeat, Rondeletius.

Piscis.

Catillo.

Alia Lupi effigies, Venetijs quondam nobis depicta.



Columella Lupos alios uarios, alios sine macula nominat. Neque uerò est (inquit Saluianus) quòd paruulos Lupos, nigricantibus notis insignes, uarios ab eo uocari arbitremur. nam hi ab illis qui sine macula sunt, ætate sola ac magnitudine differunt: grandioresque facti, nigris illis deletis notis sine macula apparent. Hæc ille: qui Lupum uarium Columellæ, piscem fluuiatilem, uulgò Truttã dictum esse arbitratur, ut etiam ante ipsum Iouius, à Rondeletio ob id reprehensus.

GRAECI hodieque Lábraca appellant, Gillius.

ITAL. Hodie à Romanis Lupasso & Spigola (aliàs Spicola) dicitur, à Liguribus Louuazzo. Venetis Varolo (uel Vairolo, quasi Varius.) à solis Hetruscis, Araneo, (Ragno, Saluianus,) Rondelet. Paruus adhuc Venetijs, Baicolo dicitur.

HISPAN. Lupo, Robalo.

GALLICE. Lubin. Apud nos Loup: minor uerò, Loupasson, Rondeletius. Oceano finitimi Var uel Bar, siue à Græco Laurace corrupto nomine, siue à uario colore facto. Burdegalenses Lubinam nominant, Bellonius.

GERMANI eodem quo ANGLI nomine uti poterunt: (uocant autem Angli a Base, nimirum à Gallico nomine Bar:) aut fingere proprium, ein Fräßling/ein Röubling.



SPHYRAENA (Σφύραινα) piscis est, quem Attici plerunque Cestram nominant, Dorione teste. Plinius Sudim. Sunt præterea (inquit) à nullo authore nominati: Sudis Latinè appellata, à Græcis Sphyrena, rostro (*nauis nimirum*) similis nomine, magnitudine inter amplissimos, rarus, sed tamen non degener: & Pernæ Concharum generis, &c. Atqui meminit Sphyrænæ Aristoteles

Cestra.
Sudis.

(semel quod sciam lib.9.hist.cap.2.) & è recentioribus Græcis Oppianus, Athenæus. Sudis teli militaris genus est: & palus acutus, qui in terra defigendus præurebatur. Ob eandem formæ similitudinem, Κέστρα dicebatur ab Atticis, (nam κέστρα teli (σφύρας σιδηρᾶς, Pollux) genus est: aut stimulus siue stylus apud Sophoclem & Aristophanem:) ab acuta rostri figura: ut Cestreus etiam Mugilum siue genus, siue species, dictus uideri potest, quia teli (cestræ) modo, publica Atheniensium pœna, intret adulteros, Hermolao teste. Sphyra etiam (*σφῦρα, oxytonum, ut differat à plurali σφυρᾶ, quod est, malleoli*) teli genus significat, Rondeletius. Sphyra quidem Græcè sudim sonat, ut arbitror: cui simile & eiusdem significationis uocabulum nostri usurpant, ein Schwire. A sphyra autem nomen factum apparet Sphyrænæ pisci: qui non solum nomine, ut Plinius scribit, sed reipsa etiam similis est sphyræ, nimirum rostro suo: ut fortè nomini (in dandi casu) legi debeat apud Plinium, hoc sensu: Sudis piscis rostro (auferendi casu) similis est nomini suo, hoc est sudi seu sphyræ. Vocabula piscium (inquit Varro) pleraq; translata sunt à terrestribus ex aliqua parte similibus, ut Anguilla, Sudis. Ab eadem rostri figura, Hispani, & Itali, & ad mediterraneum Galli aliquot, Spettum (hoc est, ueru) hunc piscem appellant. Est enim piscis longus, & acuto rostro. qua de causa Speusippus Acui assimilauit. ¶ Errant qui piscem Iudæum Massiliæ uulgò dictum (is Zygæna ueterum est, & capite suo libellæ aut mallei speciem repræsentat) Sphyrænam interpretantur. Malè etiam Gaza Sphyrænam transtulit Malleolum: cum mallei forma Zygænæ tantùm capiti conueniat (unde & pesce Martello à quibusdam Italis uocatur) Sphyrænæ uerò sudis pali'ue. ¶ Dubium quidem mihi non est, quin exhibita à Rondeletio & Bellonio Sphyræna, uerè sit ueterum Sphyræna: quamuis de eius magnitudine nihil tradiderint: (nisi quòd Rondeletius Sphyrænam suam primam corpore longo & tenui esse scribit: alteram, minorem esse prima, & palmi longitudinem non superare:) & Plinius inter amplissimos piscem hunc rarum esse prodat. ¶ Species eius duas Rondeletius facit, de quarum altera mox dicetur. Saluianus unicam tantùm hucusq; se reperisse fatetur. Bellonius duarum, ætate solùm differentium, meminit: Sphyræ (inquit) duæ obseruantur species, quæ inter se minimè dissidere comperirentur, nisi uetustas indicio esset. siquidem harum altera Trachurum colore refert: atq; eodem modo sub uentre albicat. altera autem senescens Mormyri laterales picturas colore assequitur, &c. Hoc eis peculiare, quòd inferiores eorum maxillæ, in Pelamydis modum, superiorem magnitudine uincant, &c. ¶ Vtraq; Sphyræna Lucio pisci fl. corporis figura tam similis est, ut qui proprium nomen ignorant Romæ & Montepelio, Lucium marinum appellent, Rondeletius. Venetijs etiam alium piscem Lucium mar. nominari quidam aiunt: undecimum scilicet genus Turdi Rondeletij, uel omnino cognatum piscem, sed minùs aptè. Alius est, qui à Gallis Merlu, quasi Lucius mar. uocatur, ex Asellorũ genere. ¶ Sphyræna utraq; squamis caret: nisi quòd per medium ferè corpus prioris linea ducta est ex squamis cõtexta. ¶ Mugilis fl. genus illud, quod à rostri figura Rondeletius Oxyrhynchum cognominat, Sphyrænam fl. quoq; dici posse arbitratur, à quadam similitudine.

Spettus. *Zygæna alius piscis.* *Malleolus.* *Magnitudo.* *Species.* *Merlucius.* *Sphyræna fl.*


GRAECI huius temporis Σφύραιναν adhuc nominant, Gillius & Massarius. ¶ Græcorum uulgus, quod ab Italis uoces mutuatum est, Lucios mar. nominat. Lesbij Sphyrnam. Græci qui in Asia agunt, Zarganes: uoce quidem falsa, quæ Belonæ pisci debetur.

AFRICANI Scaumè, Rondeletius: ut & Massilienses ferè. lege mox in Gallicis.

ITALI & HISPANI Spetto uocant, Galli circa Monspelium, Spet, id est ueru: ut dictum est suprá. Italorum aliqui (ut Romæ) Lucium marinum, Lucio de mare.

GALL. Circa Monspelium Spet, ut iam dictum est: uel Brochet de mer, id est, Lucius mar. Massiliæ pes Escomè nominatur, quòd Scalmo multùm affinis sit, id est, utrinq; fastigiatus, Bellonius, ab Africanis Scaumé, Rondeletius.

GERMANICVM nomen non facile erit inuētu, cum in Oceano deesse uideatur hic piscis. In Gallia ex Oceano nunquam habetur, quod sciam, Bellonius. Quamobrem fingo, ein Meerhecht, id est, Lucius marinus: ein Spißfisch/ ein Schwirefisch, hoc à pali, illud à ueru figura.




SPHYRAENA altera, siue parua Rondeletij. Oppianus quidem species duas huius piscis reperiri author est, quæ in petris arenisq; pascantur. Vide in præcedenti pisce.

GALLICE circa Monspelium Hautin dicitur exhibitus hic piscis, corporis specie superiori ualde similis: rostro tenui & acuto, &c. quare Sphyrænam alteram Rondeletius esse conijcit. Eodem nomine Antuerpiæ uocant fluuiatilem piscem, qui Sphyræna fl. dici posse uidetur: & Germani aliqui Acum Aristotelis Hautin.


GERM. F. Ein ander geschlecht des Meerhechts/ Spißfischs oder Schwirefischs.

PISCIS



PISCIS huius iconem ex primo Saluiani libro mutuati ſumus: qui nullam eius apud ueteres ſcriptores mentionem ſe reperiſſe ſcribit, cum Septentrionalis tantùm Oceani alumnus ſit. Quamuis enim arenam ſubiens facilè penetret, quod ſerpenti mar. Ariſtoteles tribuit, (Plinius Draconi marino, quem Rondeletius Araneum interpretatur) Serpentem tamen marinum non eſſe conſtat, cum is Congro corpore colorecꝫ conferatur. Sed necꝫ Gobio ille paruus & ignobilis fuerit, quem terram ſubire tradit Ariſtoteles, & ex Apua gobitide gigni. nihil enim cum Gobijs commune eius forma oſtendit. Quamobrem nos nouo nomine uocabimus Ammocœtũ, Exocœti exemplo: nam & ipſe Exocœtus quidam marinus eſt: ut qui extra mare in arena ſe condat. Aut Ammodyten, ab eo quòd arenas ſubeat: ſicuti & ſerpens quidam Ammodytes uocatur: & Callionymus piſcis, alio nomine Pſammodytes. *Ammocœt⁹. Exocœtus mar. Ammodytes.*

ANGLICE Sandilʒ appellatur, hoc eſt, De arena anguilla: & Walmeſter, id eſt, De ponente monaſterio, Saluianus: neſcio quàm rectè quod ad nomẽ Walmeſter piſci attributum. ¶ Piſciculus eſt litoralis (inquit Turnerus in epiſtola ad me) quem Angli Northumbrienſes, Cumbrienſes & Caletienſes uocãt a Sandele: (*compoſito nimirum ab arena & Anguilla uocabulo:*) albus, tenuis, capite puſillo: forma aliqua ex parte Anguillam referens. Is nunquam aut rarò extra arenam, in qua poſt receſſum maris ad eiuſdem uſcꝫ reditum delitеſcit, conſpici poteſt. Eruitur autem magna copia ex arena, falcibus denticulatis quibus ſegetes demetuntur. ¶ Si ex piſcatorum manibus in arenam fortè delabatur, celerrimè ac profundè adeò ſub arenam penetrat, ut nullo prorſus modo capi rurſus queat, Saluianus. Idem longis & paruis piſcibus annumerari eum debere ſcribit: cum necꝫ pollicis latitudinem (in medio,) necꝫ palmi longitudinem excedat unquam. Qua ratione nos eum primo Ordini, hoc eſt, Piſciculis marinis aſcribere poteramus: propter aliquam tamen cum Sphyrænis ſimilitudinem, ipſis ſtatim ſubiungere eum uoluimus. cum altera quidem Rondeletij Sphyræna, in multis conuenit, roſtri figura & tenuitate, ore paruo, ſine dentibus, cute glabra, magnitudine. differt pinnis & alijs fortè, quæ iudicabunt qui inſpexerint.



HIPPVRVS, ἵππουρος. Gaza Equiſelem uertit. Plinius Græco nomine uti maluit. Dorion & Epænetus Κορύφαιναν etiam uocari ſcripſerunt. Hiceſius ἱππουρίας nominat. Numenius ἵππουρον ἀφροδίτην uocat, (*melius, cognominat,*) Rondeletius. Vocatur autem (inquit) Hippurus à cauda equina, quòd pinna à capite incipiens caudæ equinæ ſimillima ſit, id eſt, longa, continens, uilliſcꝫ multis conſtans, cuiuſmodi in nullis alijs piſcibus reperitur. Præterea Κορυφαίνης nomen ad id alludit. nam à pinna, quæ à uertice incipit, in eocꝫ ueluti criſta erigitur, Κορύφαινα dicitur. eſt enim κορυφὴ, uertex, pars capitis inter occiput & ſynciput: & per metaphoram cuiuslibet rei ſummum & extremum. Hæc ille. Hippurum fortè aliquis dictum coniecerit, διὰ τὸ ἵππου δίκην ὀρθεῖν καὶ ἐξάλλεσθαι, unde & ἀφροδίτης uocatur. ¶ Rondeletius hunc piſcem cœruleis adnumerat. Glauco (*inquit, cui à colore ſuo glauco, id eſt, cœruleo nomen impoſitum eſt*) colore internisꝫ partibus ſimilis eſt: ab eo diſſidens, ꝙ hic à capite ſenſim tenuior fit ſtrictiorcꝫ, ille à podice tantùm, donec in latam caudã deſinat. Nos Cœruleis piſcibus genus peculiare ſtatui, in Stromateis improbauimus. Quantus quidem hic piſcis ſit, à Rondeletio non exprimitur: quamobrem ad Piſces ſimpliciter eum retulimus.

HISPANICE. Lampugo, teſte Rondeletio: qui alibi Glaucum maiorem quocꝫ à quibuſdã Lampugo perperam uocari, ſcribit.

GERM. F. Ein Federkopff, id eſt, Pinniceps: quoniam pinna dorſi à capite ei incipiat, ein Meerfiſch in Hiſpanien Lampugo genannt.

ASELLVS piscis à colore dictus est, aut pigritie: qui uulgò Merlucius dicitur, tanquam Latino nomine ab Italico & Gallico detorto. ὄνος Aristoteli, alijs etiam (ut Galeno) ὀνίσκος. Dorion tamẽ onon esse tradit, quem aliqui gádon uocent: alium ab onisco, qui & galleridas & galarias, uel gallarias, (clarias Oppiano per syncopen) & μάξεινος, & χελλάρης dicatur. Oppianus etiam distinguit. ὄνους enim in alto mari collocat: ὀνίσκους uerò in cœno lutulentisq; litoribus. Plinio duo Asellorum genera sunt, callariæ, minores: & bacchi, qui non nisi in alto capiuntur, ideoq; prælati prioribus. ¶ Dorionis Oniscum gallariam, & Galeni galaxiam, esse Sturionem Rondeletius sentit, mihi non uidetur. Gallariæ nomen etiamnum in Græcia uulgare esse Gillius à nauta quodam Massiliæ cognouisse se scribit: sed incertum de quo pisce. Bacchi Plinio maiores Aselli sunt: Callariæ, minores: Athenæo uerò Bacchus, Oniscus & Chellares idem est piscis. Oniscon equidem minorem esse puto quàm sit Onos, cum pro diuerso pisce accipitur, (quod & forma diminutiua innuit,) cum Plinio, quanuis aliter Rondeletio uideatur.

GRAECE hodie Gaidaros, Arabico asini nomine: uel quasi Gados, ueteri Græco.

ITALICE. Ligures hodie quoq; Asello nominant, alij Asino, alij Nasello. Romæ (inquit Niphus) Scarmus & Merluzus dicitur, Merluzo, Saluianus. ¶ Venetijs Mollo. Vide mox in secunda specie Asellorum.

HISPAN. Merluza. Lusitanis Pescada, Saluianus, malim Pes Gada, hoc est, Piscis Asinus.

GALL. Merlus, quasi maris Lucius. huic enim oris scissura caudaq; ualde similis est, Rondeletius. Corcyrenses & Cretenses Sphyrænam hodie, impropriè Lucium marinum nuncupant, Bellonius.

[Margin: Stockfisch. Salpa. Rodtscr. Rotscher. Tôrtsch. Dorsch. Capito. Sporten. Pomuchell. Stockfisch. Rauchfisch. Flachfisch. Dorsch. Flitten. Durwẽgelein. Spordẽn. Nopsen. Strumulus.]


GERM. Ein Wytling uel Wyßling / ein Gad. Vide mox in Anglicis. Vel ein Stockfisch: quod tamen nomen nimis commune est ad omnes Asellorum (quæ diuersę sunt in Oceano) species. Merlucius fortè fuerit, qui priuatim ab accolis Oceani Germanis Zandet / Sandat, uel Sant appellatur. ¶ Nomine Stockfisch Galli etiam & Angli utuntur. id à trunco factum est, quem Germani Stock nominant. huic enim aridus hic piscis tundendus imponitur. quoniam ariditate adeò riget, ut nisi præmaceratus aqua aut prætunsus, coqui non possit. At longè alius piscis est Salpa, qui recens etiam ferulæ ictibus ad coctionem præmollitur. Erasmus Rot. in epistola quadam fustuarium piscem hunc uocat, à baculo quo contunditur, cum à trunco potiùs denominari deberet. ¶ Partes circa uentrem & pinnas resectæ, seorsimq; salitæ, Rodtser (uel Rotscher) à Germanis nominãtur, carne aliquanto molliori suauioriq;. Aliqui Stockfisch & Tôrtsch uel Dorsch eiusdem generis esse dicunt. Aliqui Latinè Capitonem uocant, propter capitis ad reliqui corporis magnitudinem, excessum. Venter piscis, qui Tôrsch Lubeci uocatur, aptus est cibo. delicatior uerò eius pars, rostrum & pinnæ: Sporten appellant, uel Spordẽn. ¶ Pomuchell piscis uocatur in Dania, ubi abundat, & Prussia: cui caro est mollis, caput magnum, iecur quale in Mustela fluuiatili & similiter suaue. E maioribus in hoc genere sunt, qui uulgò Stockfisch & Rauchfisch (frigore indurati, uel infumati) dicuntur. è mediocribus fiunt Flachfisch dicti (nescio qua ratione. flach nobis planum significat, quare pisces planos ego Flachfisch interpretor.) Parui saliuntur, & dolijs inclusi Dorsch appellãtur. Minimis uescuntur incolæ, quas ita coquunt ut Mustelas fl. solent mediterranei. Capitibus mutilati pleriq; omnes exportantur. Capita enim, maiorũ præsertim, caudas & abdomen (flitten uocitant, id est, partes uentris inferiores) abscindunt: & pulpas (die vrwengelein) ac si quid esui est, separant: & Sole tostas has partes dolijs cõdunt, & Sporden appellant. cibus hic delicatissimus est. Hoc piscium genus quo remotius ad septentrionem capitur, eò melius pinguiusq; habetur. Aliqui Nopsen uocant, si bene memini. Murmellius Latino nomine ficto Strumulum nuncupauit, haud scio quamobrem. Capiuntur hi pisces uigente frigore duntaxat, ut mense Ianuario. calor enim eos laxat & emollit, ut exportari non queant: frigus uerò indurat.

[Margin: Albica. Gemma maris.]

ANGLICE. Wyting, quo nominę etiam Germani quidam ad Oceanum utuntur. Albicam uocat recentior quidam. Germani & Angli, alij aliter scribunt, Whyting / Wytink / Wittig / Wittling. Germanis inferioribus Wyt album est. ¶ Eundem piscem non ultra dodrantem longum Frisij orientales uocant ein Gad: ubi adoleuerit, ein Witling. Vulgus ibi Latinè loquentiũ uocat Gemmam maris, (ut etiã Albertus Magnus.) Angli Occidui iam exiccatũ uocant a Bukhorn, à duritie cornu, ut nos docuit Turnerus Anglus, uir ut eruditione clarus, ita fide dignus: qui non ex lectione uel auditu, sed quæ præsens uisa & contrectata à se obseruauit, præsertim circa Asellorum Oceani Britannici genera, cõmunicare mihi dignatus est. ¶ Qui Wyting Schellfisch / & Cableau uel Bolch, nõ tres diuersas esse species putãt, sed ætate tantũ ac magnitudine (ut primus sit paruus, secundus mediocris, tertius magnitudine ferè hominis) inter se differre, fallunt.

ASEL-

ASELLORVM ſpecies ſecunda: Merlanus Rondeletio, Marlangus Bellonio ad Gallici nominis imitationem.




GALLICE. Qui uulgò à noſtris Merlan dicitur, Aſini ſpecies eſt minor: multumq; ab eo piſce differt, qui à Venetis peſce molle, à Romanis Phyco nominatur, qui eſt antiquorum Phycis, Rondeletius. Dubiũ eſt mihi an is ſit piſcis, qui à carnis mollitie & candore antiquis GRAECIS πρόβατον, hoc eſt Ouis ſeu Pecus dici cõſueuerat. Hoc aſſeuerare poſſum, Venetis piſcem mollem, Byzantinis Muzum uel Mazum, (*Dorion Oniſcum, etiam Μάξεινον uocari ſcribit,*) uulgo Romano Ficum appellari, quanquã etiam hoc uocabulum ad permultos alios Aſellos transferant, quemadmodum Græci uulgares ſuum Gaideropſarum. Eſt etiam Phycus alius ab hoc, ut orthographia, ſic natura longè diuerſus, de quo in Phycide agemus, Bellonius. *Ouis.*

GERM. F. Ein andere art des Stockfiſchs.

ANGLICE. Britanniæ litora uocant *a Marling*: uel rectiùs, *a Merling*. Rarus eſt tamen apud Britannos piſcis: & Vuitingo carnis bonitate conferri poteſt, Turnerus. Ab Arnoldo Villanou. Merlengus dicitur: & Rogeto Gornatoq; exceptis, ſalubrior alijs pleriſque piſcibus marinis iudicatur.


ASELLORVM ſpecies tertia Rondeletio. Egrefin (inquit) uel Eglefin uocamus piſcem: cui ANGLI Scotiq;, qui hoc piſcis genere abundant, nomẽ dederunt. eſt is ex Aſellorum genere, Græcis (ut arbitror) incognitus. Hunc ſalitum (*à Gallis Hadou*) à Britannis Hadock quidã uocari exiſtimant. at mihi aliũ ab Egrefino pro Hadock oſtenderunt aliquando ichthyopolæ: qui latior erat, et ad eum quẽ Goberge uulgò uocant, propiùs accedebat, Rondeletius. Quidam hunc piſcem non rectè Hepatum eſſe putarunt: ut alij Ouem marinam, aut Arietem marinum. ¶ Oceano Gallico peculiaris eſt, reliquis litoribus infrequens. Roſtrum aquilinum ei tribuit Rondeletius: unde forſan & Eglefin nomen ei factum eſt. nam Egle Aquila eſt Anglis, ut Gallis Aigle. ſed illud fin quid ſibi uelit, non aſſequor. malim Eglefiſch, id eſt, Aquila piſcis. quanuis longè alia eſt ueterum Aquila.



Eicon Aſelli cuiuſdam ex Oceano, ad ſalſum hunc piſcem delineata olim Francfordiæ, ubi eum Rheynfiſch *appellant ſalſamentarij.*




GERM. Piſcis qui ab Anglis uocatur *an Haddok*, à Germanis dicitur ein Schellfiſch, Turnerus. Audio Schellfiſch Coloniæ & alibi Rheynfiſch appellari, id eſt, Rheni piſcem, pedalem plerunq;. Murmellius Latinè ficto nomine piſcem Capitoſum uocare uoluit. Scalda, ſiue Scaldis flumen eſt apud Antuerpiam profluens in mare, in quo capi hunc piſcem aiunt quidam, & nomẽ ab eodem mutuari: (niſi ab Aſello ita dicatur, quaſi Sellfiſch.) Ego neq; in Scaldi neq; in Rheno capi exiſtimo: ſed quoniam per ea flumina ad diuerſos mediterraneos uehitur, ab ijs denominari. ¶ Caro huius piſcis craſsior & durior eſt carne Vuhytingi, & apud Friſios orientales, ubi mare ualde limoſum & uadoſum eſt, febres excitare creditur. Verùm in mari Northumbrico, quod ualde profundum, undoſum & clarum eſt, piſcis ſatis eſt innocens, Turnerus.



ASELLORUM species quarta, Rondeletio. Maris Oceani piscis est (inquit) qui uulgò Goberge dicitur, & ex terræ parte nuper reperta salitus ad nos aduehitur, Morhua siue Molua latior & maior, &c.

GERM. Ein andere art der Stockfischen. Goberge nomen à Rondeletio positum, loci alicuius uidetur. Stockfisch appellantur etiam Bergerfisch, Eberus & Peucerus.




Molua. Leopardus. Asinus uarius.


ASELLORUM quinta species, Rondeletio. Est etiam (inquit) inter Oceani Asinos, is piscis qui à nonnullis Molua, ab alijs Muschebout (*nimirum à maculis seu punctis. nam mouscheter Gallis ita distinguere significat,*) ab alijs Leopard à maculis nominatur. nos Asinum uarium appellabimus, & Moluam maiorem. Moluæ enim similis est hic piscis, (sicut & Gobergo,) & eodem modo maculatus. ¶ A Bellonio Heberdū uocatur hic piscis, ab oppido Islandiæ, à quo ad Scotos primùm, deinde ad Britannos (Anglos) apud quos magni nominis est, perueniat. ¶ Hic piscis puto à Germanis Oceano uicinis nominatur Labordeau / & Laebberdane Angli proferunt Habberdyne: Galli aspiratione neglecta, l. pro articulo addunt. Ego Leouardiā oppidum esse audio uel pagum prope Groningam Frisiæ, à quo fortaßis nomē pisci factum fuerit: aut à iecore forsan, quod Germani läber uocant. ab eo enim Aselli quidam laudantur. Alicubi Yßfisch uocari audio, quòd ex Islandia aduehatur: idem nimirum qui alibi apud Anglos groß Jßlandfisch dicitur.

Idem, opinor, piscis est Ling appellatus ab Anglis: quem meliorem & delicatiorem esse audio quàm Stockfisch: per quadragesimam edi loco bubulæ. capi etiam circa Angliam, sed paucos. quamobrem piscatores Anglos circa Maium mensem in Islandiam se conferre, ubi magnam copiam conquirant. solos ferè Anglos hoc pisce uti. De hoc doctißimus Turnerus ita ad me scripsit. Asini (inquit) genus quoddam à longitudine uocamus a Leng, e. in hac dictione non aliter, atq; in plerisque merè Anglicis, ut alij iota pronunciantes. Est enim reliquis omnibus Asinorum generibus longior. primo aspectu Asinum barbatum refert, sed multò tenuior est & longior, capite non ita crasso, nec uentre tam prominente. Caro huius, saporis est iucundißimi, dum adhuc recens est. Cutis illi densa est & glutinosa. Quare post coctionem glutinosus humor in patinis reperitur, qui ab artis popinariæ magistris gelu, aut gelatinum appellatur.

Memorato iam pisci, quem Angli Leng uel Ling appellāt, forma similis est piscis Haka ab eisdem dictus: ut sapore alius, quem Codlyng appellant: de utroque quæ ex Turneri epistola cognoui, adscribam. Asini genus (inquit) quod Codlyng appellant, nusquam in tota Anglia, nisi in Northumbria uidi. piscis est Haddocco multò maior; sed Coddo multò minor. forma Coddum & sapore Lengum (nisi me mea fallat memoria) refert. In littore Northumbrico prope oppidum Beduel in copia multò maxima capitur. ¶ At qui Haka uocatur (inquit idem Turnerus) in nostro mari nunquam cernitur; sed in illo, quod Galliam respicit, piscis est ualde frequens. forma, nempe longitudine & tenuitate ad Lengi similitudinem ferè accedit. colore & sapore Coddum utcunque exprimit. Sic ille. Haka nomen unde sit inditum nescio. Germani uncum uocant Haggen uel Hacken: & forsan aduncum huic pisci rostrum est, quale & Haddocco Rondeletius tribuit.



ASELLORVM ſexta ſpecies Rondeletio, Molua ſimpliciter, uel Molua minor. Molua (inquit) uel Morhua à Gallis nominatur, ab Anglis Morhuel: piſcis Oceani, magis corporis figura quàm carnis ſubſtantia Aſinis ſimilis: minor ſuperiore Moluâ. ¶ Bellonius tamen hanc Aſellorũ ſpeciem præter cæteros maximam eſſe ſcribit. ¶ Fit ex hoc etiam piſce, ut alijs quibuſdam ichthycolla. non ideo tamen (ut Ruellius putabat) hic ipſe piſcis ichthyocolla (per ſynecdochen à parte dictus) ueterũ eſt, cum hunc etiã ut & reliquos Oceani piſces, ueteribus ignotos fuiſſe exiſtimemus. Molua à carnis mollitie dici potuit, ut Merlucius Italis Mollo, Gallis Mole. Morhua uerò à Germanico uocabulo, quo & Angli utuntur, Morhuel, quanuis Germani primam ſyllabam per e. longum potiùs efferũt, Meerhüel: quod marinam Vlulam ſonat, fortè quòd oculi eius hebetiores ſint. *Ichthyocolla.*




ASELLORVM alia ſpecies, quam Colefiſch appellant Angli, id eſt, Carbonarium, à nigricante colore. Col enim carbonem ſonat Anglis, ſicut & nobis. Caput huius piſcis non oſtendimus (inquit Bellonius) quòd id ne apud Anglos quidem (apud quos ſanè peregrinus eſt hic piſcis,) nobis uſquam fuerit compertum. Defertur ad nos ex eo tractu Britannico, qui ad Hollandiam ſpectat. Cauda ei lunata ac bifurca: quæ cæteris (in hoc genere) rotunda eſt. Sic ille. Anglis non eſt peregrinus hic piſcis, ſed lippis & tonſoribus notus, inquit Turnerus: neque Aſinorum uiliſsimus, ut alius ſcribit: ſed recens captus, tam iucundi ſaporis eſt, ut cum Vuhytingo & Merlinga propemodum certare poſsit. Ego Haddoko, ſi quid meo palato tribuendũ ſit, multùm præfero. Verùm non diffiteor, quin Carbonarius ille exiccatus, omnem ſaporis ſui gratiam amittat.

EST præterea Aſellorum Oceani generis proculdubio Anthias ſecundus Rondeletij: de quo leges ſuprà, Ordine 2. pag. 24.

Callarias Saluiani: qui eiconem exhibuit noſtræ huic à Sittardo miſſæ, ſatis ſimilem: niſi quòd dorſi pinnam, & quæ à podice incipit ſupinam, digitum ferè citra caudam terminat: & ſquamas oſtendit hîc omiſſas. Eadem eſt Rondeletij Phycis, quanquam eicon eius, ſuprà (pag. 29.) poſita, diuerſa uideri poteſt.

ASELLVS Galarias, apud Græcos diuerſis modis ſcribitur, γαλαρίας & γαλαξίας, tanquam à lacte: à nonnullis per λ. duplex γαλλαρίας. Et à lacte forſan dictus fuerit, quòd iecur lacteum habeat: (Callariæ ſuo ſubalbum id tribuit Saluianus) ſicut etiam Germani inferiores Muſtelæ fl. genus Milcher appellant. ego à γαλῆ potiùs ſiue γαλέα, quod eſt Muſtela, γαλερίας, id eſt Muſtelaris, uel Muſtelæ cognatus deduxerim. nomina quidem in ίας ueluti adiectiua quædam ſunt, & habitum quendam ſignificant. ſic ab αὐθος, ὠχρός, fiunt αὐθίας, ὠχρίας, &c. Dorion O'non ab Oniſco diſtinguit, ut O'nos ſit prima ſpecies Aſellorum de qua diximus. Oniſcus uerò (ὀνίσκος) alio nomine Galleridas (malim Galerias) & Maxinus (Μάξινος) uocetur. Idem alibi tradit Murænam fluuiatilem unicam ſolùm ſpinam habere, Oniſco galariæ ſimilem. Arbitrantur aliqui Oniſcum ſiue Aſellum minorem, genere non differre à maiore. ego uerò ut nomine Oniſcus galerias dicitur, ſic etiam reipſa genus eſſe medium in O'non & Galen ſiue Muſtelam crediderim. appellari autẽ Oniſcon forma diminutiua, quòd magnitudine minor ſit. Ariſtoteles quidem Onon ſemper nominat: alij Oniſcon abſolutè dictum pro Ono accipiunt. ¶ Hæc cum ita ſe habeant, ſententiæ *Galaxias. Gallarias. Galerias.*

Clarias. Saluiani Callariam siue Clariã (sic enim per syncopen carminis gratia, gamma insuper in κ. mutato, Oppianus uocitat) eum esse piscẽ, *Phycis Rondeletij.* qui pro Phycide à Rondeletio descriptus sit, facilè assentior. is quidem piscis in litoribus cœnosis agere dicitur, quod conuenit illi quẽ hîc exhibemus: non autẽ Saxatilis est, ut ueterum Phycis. Vide etiam suprà in Phycide Rõdeletij, Ordine 2. pagina 29. ¶ Rondeletius (inquit Saluianus) Phycidem esse cõtendit hũc piscem, inde nimirum persuasus, quòd uulgò Romæ pesce Fico appelletur. Verùm is non Grẹca origine sic nominatur: sed quòd maturissimi & passi fici instar, mollis, flaccidus, & non succi plenus sit. Athenæus Phycidem uarij coloris facit, & spinis uallatam uel coronatam: & Percæ, Channæq́ similem: quorũ nihil huic pisci quadrat. Nos *Callarias.* Callariam esse asseueramus, Asello congenerem, sed minorem: non quòd simpliciter minor Asellus sit, sed similis. Dorion Γαλλαρίαν uocauit: Oppianus Καλλαρίαν, & per syncopen metri ratione Κλαρίαν. Quòd si fortè in historia undecima: hẹc ita absolutè distincta nõ sunt, ea ad huius historiæ censuram reuocamus. Piscis est haud suauis: & propterea ubique ferè plebeius & parui precij esse solet. carnem habet satis mollem, sed non friabilẽ: concoctu facilem, sed excrementitiam. Hæc ille. Atqui Galenus tradit Galaxiam preciosissimum Romẹ piscem è genere Galeorum, (id est, Mustelorũ,) Γαλεῶν, uel Galeonymorum esse, & in Græciæ mari fortè non inueniri. sed fieri potest ut Mustelarum Mustelorumq́ genus non rectè distinxerit Galenus: hos γαλεὺς, illas γαλᾶς uel γαλέας Græci appel- *Galeonymus* lant. Galeonymus quidem ex Galeni uerbis uidetur aut idem esse qui Galaxias, aut genus ad eum ceu speciem: ut lõgè alius sit qui Callionymus uocatur, & alio nomine Vranoscopus. Bellonius Mustelam fl. (Lotam *Mustela fl.* Gallorum) Clariam fluuiat. uocat, pro Callariam: & similem ei in Nilo quendam piscem Clariam Niloticum: & in mari Mustelã Massiliæ dictam. ¶ Asellus minor Athenæo li. 7. os habet magno rictu dissectum ὁμοίως τοῖς γαλεοῖς, hoc est, Mustelis similiter, Aristotelis testimonio. Sed hoc (inquit Saluianus) apud Aristotelem non legitur, neq; Galeis huiusmodi os est. Sic ille. Ego pro τοῖς γαλεοῖς, legerim ταῖς γαλέαις uel γαλαῖς, id est, Mustelábus similiter. Idem Saluianus, Asellus minor (inquit) est πελογάστωρ, id est, uẽtriosus, Athenæo (lib. 7. fol. 163. uersu 33.) etsi alibi apud Athenæum, eâdem Epicharmi sententia repetita ποικιλογάστωρ mendosè legitur, &c. Ego πελογάστωρ uocabulum corruptum ac minimè Græcum esse dixerim. & in hoc etiam falli Saluianum, quòd Athenẹum de Asello minore hoc scribere dicat: cum is nihil quàm Epicharmi uerba referat hẹc: Μεγαλοχάμμονάς τε χάννας, ποικιλογάστοράς τ' ὄνους: sic enim & in Ono, & in Channis legi debet lib. 7. Athenæi: ut carmen sit




ſit trochaicum, tetrametrum, catalecticum, non conſtabit autem Trochaici, ſed neq; alterius puto carminis ratio ſi πελογάστορας legas. ὄνους certè Aſellos minores interpretari ineptum eſt.

ITAL. Romæ hic piſcis Tenca marina uocatur, & peſce Fico, (alij Figo ſcribũt,) propter cauſam ſuprà expoſitam: à nonnullis Meſanca, ut audio. Venetijs etiã Figo: uel, ut alij dicunt, Lepo: Neapoli Lepre.

HISPAN. Vide mox in Gallico nomine.

GALL. Circa Monſpelium Mole, fortè ob carnis mollitudinem, ut & Hiſpanis Molcre.

GERM. Ein fiſch den Trüſchen oder Alputten änlich im meer: ſol zum teil einem Wytling/zum teil einer Meertrüſchen ſich vergleychen.



MVSTELA uulgaris Rondeletij. Sit'ne hæc Plinij & Auſonij Muſtella, magna inter doctos contentio eſt. Mihi uerior eorum ſententia uidetur, qui Muſtelam illorũ (Plinij & Auſonij) Lampetram noſtram interpretantur. Quare piſcis quem hîc oculis ſubijcimus, à ueterũ Muſtela procul abeſt. Ob id Muſtelam uulgarem cognominauimus: quam ex Aſellorum genere eſſe puto, ut fortaſſe Callarias ſit, Aſellus minor Plinij, Rondel. Ego hunc piſcẽ à ueterib. etiã Muſtelam dictum arbitror; & Græcos Italosq; hodie Muſtelæ nomen ab antiquis accepiſſe. talis enim ferè deſcribitur ab Aeliano libri 15. de animalibus cap. 11. ¶ Dux ceti, quem Oppianus deſcribit, eſt piſcis quem uulgò γαλῆν (hoc eſt, Muſtelam) nuncupant, Paraphraſtes Græcus innominatus Halieuticorũ Oppiani. ¶ Porrò Callariã & Gallariã unum & eundẽ piſcem puto, Aſellorũ ſeu Muſtelarũ generis, ab Acipenſere ſeu Sturione diuerſum: Muſtelæ marinæ, quam hîc Rõdeletius exhibet, cognatum: ſiue is Grillus hodie dictus ſit, ſiue Phycis Rondeletij, ut Saluianus putat. Horum enim uterq; Muſtelæ fluuiatili iſti, quam Lotam Galli nominant, ſimilis eſt. Mihi Muſtelæ marinæ nomen latiùs extendere placet, ut ſpecies aliquot complectatur: quarum tamen una quæpiam priuatim nomine generis appelletur. Hæc quidem à Rondeletio exhibita, ſi non ipſa priuatim dicta Muſtela, Chremes Aeliani forſitan fuerit: qui & barbatulus, & generis Aſellorum deſcribitur: & cũm Muſtela mar. comparari ab Aeliano uidetur. alius autem piſcis Chremes eſt quàm Chromis, ne quis decipiatur.


GRAECI hodie Gaideropſaro *(id eſt, Aſinum piſcem)* appellant.

ITALI, ut Adriatici accolæ & Ligures, Galeam: alij peſce Moro.

GALLI circa Monſpelium, Muſtellam.

GERMANICVM F. Ein Meertrüſch: ein art der Ruppen/ oder Alruppen/ Rutten/ Ruſelcken/ Putten oder Quappen im meer.

Cirrus à maxilla inferiore ſimplex & ſingularis dependere debet, ut in Bellonij figura.




MVSTELAE uel Galeæ marinæ ſpecies altera: quam Rondeletius ſimiliter non ſimpliciter Muſtelam, ſed uulgarem (id eſt, uulgò tantùm ſic dictam) facit. Lege quæ cum ſuperiore annotauimus.

Piſcem hunc apud nos rariſsimum, comperi eum eſſe qui à Maſsilienſibus (& Genuæ, Bellonius) Muſtella uocetur, ob ſimilitudinẽ quã cum ſuperiore habet: ab Illyricis (indigenis ad Portum Veneris) Pegorella: à Græcis huius ætatis etiã (ut ſuperior) Gaideropſaro, id eſt, piſcis Aſinus. Notæ quidẽ aliquæ inſignes, quę Aſino uel Aſello tribuunt ab Ariſtotele, huic magis competere mihi uidentur quàm Merlucio, (quẽ omnes hodie Aſellum ueterum eſſe iudicãt,) maximè uirgulæ ad alliciendos & capiendos piſces, quibus prorſus caret Merlucius; quòd lapides molares in capite habeat, quòd lateat, Rondeletius.

Bellonius Ariſtotelis & Galeni Callariam hunc eſſe putat.

GERM. F. Ein andere Meertrüſchen art/ꝛc.




MVSTELA mar. tertia. Huic pisci nota peculiaris est, quod inter caput & pinnę dorsi principiū, media dorsi pars, ad longitudinē pollicis trāsuersi caua est, & albicantē intus lineā ostendit. in superiori labro duo ceu pili breues nigricantes eminent, ab inferiori unus albicans dependet. à quibus fortè Musculi nomen ei factum est, quòd pilis istis barbulas murium repræsentet: quanquam alijs quoque mustelarum generibus ijdem non desunt. Caput ceu serpētis denticulos habet, &c.

ITAL. Venetijs Sorce, quasi Sorex uel Mus, unde Musculum à Plinio dictum, Balænarum ducem, esse conijcio. nam & Oppiani Paraphrastes, Cetorum ducem, uulgò γαλῆν, hoc est Mustelam nuncupari scribit.

GERM. F. Das dritt geschlecht der Meertrüschen/rc. ein Walfürer/ein Walleiter.

Icon hæc non est, quam Rondeletius dedit: sed nostra Venetijs picta: eadem prorsus, ut iudico: nisi quòd innumeris illis & rotundis ferè maculis caret, quas in sua ostendit Rondeletius, Bellonius omittit. Quare genera Ophidij tria statuerim: Barbatum maculosum: alterum sine maculis: & tertium imberbe, idemque flauum.



Ophidion. MVSTELA marina quarta. Ophidion Plinij, secundum Rondeletium: quem Plinius semel nominat tantùm, alibi autem Congro similem facit. ¶ Rondeletius hunc piscem Asellis (*& Mustelâbus*) adiudicandum negat, cum planè eis dissimilis sit (inquit) corporis habitu, capite, pinnis: atque cum longis planè connumerandus.

Mollium Asellorum clasis est Italorum plerisque Grilli nomine cognitus piscis, palmum ex mediterraneo non excedens, carnis admodum delicatæ, Romanis antistitibus in delicijs habitus: à quorum uulgo pro Congro accipitur, atque interdum ab ichthyopolis eius loco supponitur. Sed à Congro longè diuersa est huius capitis ac pinnarum effigies, &c. quamobrem quid de hoc pisce statuam non habeo. Veneti quidem hunc quoque Galeam (*id est Mustelam*) appellant: sed quòd Mustela sit, ipsius pinnæ caudam ambientes ac nigricantes, (*atqui in Musculo etiam nostro, & in Mustela altera Rondeletij, pinnæ caudam ambiunt:*) ipsaque carnis in manducando iucunditas plurimùm reclamant. Audio qui Tragum antiquorum esse iudicent, Bellonius. Sed præstātia saporis à ueteribus, quod sciam, Mustelarum generi non negatur. quamobrem forma tantùm à Mustelabus nonnihil diuersa obstiterit: quæ cum rursus in Grillo uulgari aliqua ex parte similis sit Mustelabus, cum aliâs, tum gemina ceu barba è maxilla inferiore: & longitudo palmum nō excedens ad Mustelas potiùs quàm longos pisces accedat: ambigere (ἐπαμφοτερίζειν) inter utrunque genus potiùs dixerim, quàm ab alterutro excluserim. Tragum quidem esse hunc piscem, nullis ueterum testimonijs comprobari potest: & barbulæ illæ à mento dependentes, à quibus forsan tanquam arunco Tragum, id est Hircum, aliquis uocandum censuerit, non huic tantùm pisci peculiares sunt. Gryllus Nicandro idem qui Cōger est. Diphilus distinguere uidetur. anguillæ enim similem facit, & insuauem, cum congros iam priùs nominasset. Rondeletius piscem circa Antipolim & Lerinum insulam, frequentem, reperiri tradit, corporis specie carnisque substantia Ophidio suo similem, sed flaui coloris, & imberbem, id est, nullis è maxilla inferiore propendentibus cirrhis. Hic nimirum potiùs Ophidion

Tragus. *Gryllus.*

Ophidion fuerit, utpote similior Congro, cum barbulis careat: idemq; Alphestes Athenæi, quem flauum (κιῤῥόν) & μονάκανθον facit. nam & Kiranides Hedonen (Ἡδονὴν) piscem memorat, qui alio nomine Ophidiō dicatur. Fuerit autem Hedone, idem qui Adonis piscis, cui flauus color tribuitur, unde & Ceris nomen. Quòd si Grillus uulgaris Asellorum aut Mustelarū generis esse posset, ille forsan potiùs quàm ulla alia Mustelæ species Callarias seu Galarias fuerit, cum saporis bonitate antecellat: nomine etiam nonnihil alludente. Nihil definio: in medium propono. *Ophidion. Alphestes. Adonis. Galarias.*

ITALIS plerisq; Grillo dicitur: Venetijs Galea uel pesce Galia (ut secunda etiam species Mustelæ,) Bellonius. Aliquibus Cepolla marina.


GALL. Circa Monspelium Donzelle, Rondel. sed hoc nomen alij etiā alijs piscibus tribuunt.

GERM. F. Das vierdt geschlecht der Meertrüschen/ꝛc. ein lange Meertrüsch.


Araneus Rondel.



Aranei aliæ icones nostræ, quas Venetijs accepimus. Maioris.



Minoris.



DRACO Aristoteli. Plinio alibi Draco, uel Draco marinus: alibi Araneus. Δράκων θαλάσσιος. Aranei appellationem retinuerunt Galli circa Monspelium, Masilienses, Ligures & Hispani. ¶ Genera Aranei (inquit Saluianus) duo sunt, (quod tamen neque ueteres, neque recentiores animaduerterunt,) maius & minus. ¶ Aculeorum eius ictus uenenatus est: quare & à uenenatis animalibus nomen tulit.


GRAECI huius ætatis Dracænam dicunt.

ITAL. Siculi, & Neapolitani, & Genuenses, Tragina, corrupta uoce, pro Dracæna proferunt. alij Trachina, Tratzeina, Intrasine. ¶ Romæ maiorem & minorem speciem, Tragina nominant, Saluianus. Venetijs minorē in hoc genere, pesce Ragno: maiorē, pesce Ragno pagano.

GALLICE. Viue. Viua aut Viuio Gallis dicitur, quòd præter aliorum piscium naturam, captus diu extra aquam uiuat: Masilienses Areigne uocant, Bellonius. Ego maiorem in hoc genere à Gallis alicubi, Tumbe uocari audio.

ANGLI Viuer, ut Galli Viue: siue à uiuacitate ut dictum est: siue à febri, quam Fiuer nominant Angli. aculeo enim uenenato cum aliâs noxius est, tum febrim ac delirium protinus excitat. Turnerus tamen alicubi in Anglia hunc piscem a qua wyuer, hoc est malam uxorem uocari monuit. nimirum autem ut pisces Aranei Scorpijque tutò non attrectantur: sic malæ mulieres intractabiles sunt: &, nisi cautissimè tractentur, noxiæ. Qua pro malo Flandricum esse audio, ut & Wyuer pro muliere. Angli plerique uocem Qua non agnoscunt, & pro uxore scribunt a Wyfe.

GERMANI Petermanche uocant, nescio an corrupto Italico uocabulo, quasi Pesce ragno, alibi Torpot, ut audio: quod nomen fortè à Scorpio insecto factum fuerit. quanquam & alius piscis est similiter uenenatis aculeis, quem ueteres Scorpium appellarunt, Germani quidam Postken: Araneum uerò minorem Pietersfisch, ut in picturis Oceani Germanici piscium, quas Ioan. Echtius communicauit mihi, obseruaui.



DRACVNCVLVS piscis, cuius solus Plinius, quod sciam, meminit. Poterat is propter paruitatem ad primum Ordinem referri, sed malui alijs nomine & ueneno cognatis ipsum adiungere.

GALLICE. Hunc esse putamus qui à nostris Lacert uocatur, quòd lacertis terrenis corporis figura similis sit: & Dracunculum, ut à dracone maiore distinguatur, esse appellatum, Rondeletius.

GERM. F. Ein kleiner Petermanche.

Rondeletius & Bellonius unam tantùm Scorpij iconem dederunt: pro qua nos Scorpij maioris Venetijs depicti effigiem posuimus; quanuis cum neutra illorum undiquaque conueniat. Rondeletius quidem in fine Capitis, Scorpænam (id est, Scorpium minorem) se effigiasse scribit: quod annotatum ab eo superuacaneum uidetur, si corporis forma non differunt, ut ipse sentit, sed colore duntaxat. Idem à syncipite Scorpij sui ceu cornicula quædam in summo trifida produxit. de quibus in descriptione puto sentit, cum inquit, superciliorum loco cartilagineas apophyses duas molles esse. Bellonius quidem super oculis appendices quasdam Scorpioni esse scribit, ut in Exocœto suo: sed nihil tale repræsentat eius pictura. Idem pinnam quæ ab ano proximè est, tribus aculeis exasperari scribit, non item pingit. Rondeletius ad pinnæ illius initium aculeos duos expressit.

SCORPIVS uel Scorpio, siue pro pisce, (qui pungit & ferit, uenenumque suis circa caput aculeis effundit, Scorpij terreni ritu,) siue pro insecto uenenatis, Græcum est nomen, Σκορπίος, paroxytonum. Idem piscis ἴζελος, nescio qua dialecto, dicitur apud Hesychium: item ἔξεγρα. ¶ Psellus Scorpidium nominat diminutiua forma, cuius etiam Scorpis uideri potest. Αἱ σκορπίδες ἐν τῷ πελάγει τίκτουσι. Aristot. historiæ 5. 10. cùm præcedenti statim capite dixisset: ὁ δὲ σκορπίος τίκτει δίς. unde Scorpidis Scorpijque nomen, promiscuum ei esse apparet: ita quidem ut Scorpis de fœmina potiùs dicatur, Scorpius de utroque sexu. Athenæus tamen, quoniam Aristoteles hæc duo nomina diuersis locis (nimirum iam recitatis) usurpat, an unius & eiusdem sint piscis, dubitat. Scorpium quidem & Scorpænam disertè distinguit. Scorpænas (inquit) & Scorpios sæpe edimus, & eos succo coloreque differre nullus ignorat. Cum Scorpio & Scorpæna (inquit Gillius) eiusdem generis

ἴζελος. ἔξεγρα. Scorpidium. Scorpis. Scorpæna.

generis ſint, multùm tamen & colore & bonitate differũt. nam Scorpio ruffus (πυῤῥὸς *Hiceſio, Plinio rufus, Diphilo* κιῤῥὸς, *Numenio* ἐρυθρός: *Epicharmo* ποικίλος, *quòd maiori ex parte rufus ſit, aliqua ex parte nigreſcat, Rondelet.*) & pelagius eſt: Scorpæna nigra & litoralis (τεναγώδης, *id eſt, paluſtris uel in cœnoſo litore degens,*) & cibi ſuauitate longè Scorpione inferior: quod ipſum nõ modo ex antiquorum (*Hiceſij*) conſcriptione accepi, ſed certa palati ſapiẽtia expertus ſum. Hæc ille. Quæ cũ ita ſe habeant, ſpecie hos piſces differre, nõ uerò ſolùm colore, ſapore locoq́ue, ut Rondeletius ſuſpicatur, crediderim. Hoc uel ex eiconibus noſtris, utriſq; ad uiuum factis, apparet. Plinius quoq; Scorpænam & Scorpium tanquam diuerſos numerat. Oppianus primo Halieu. etſi Scorpionis ſimpliciter genera duo eſſe dicat, utrunq; tamen in petris & arenis collocat. quod ſi etiam loco diſsideant, quem admodum Hiceſio placet, (cui hac in parte magis faueo,) multò iuſtiùs ſpecies duæ ſtatuentur: ut longè fallatur Euſtathius, qui Scorpium & Scorpęnam ſexu tantùm differre putauit, ſicut Leonem & Leænam. Ambigit autẽ Scorpius uterq; Oppiano ad petras & arenas: hoc eſt, modò in ſaxoſo, modò in arenoſo litore degit. Ariſtoteli Scorpiones interlitorales ac pelagios ambigunt: qui nimirum ſpeciẽ unam tãtùm exiſtimauit, loco duntaxat differentem. Hiceſio (ut diximus) alius in pelago, alius in cœnoſo litore paſcitur. Mneſitheus Scorpios ſaxatiles facit: Philotimus duram carnem eis tribuit, quod approbat Galenus, in ſaxatilium penuria eos ſubſtituens. ſaxatiles quidem duræ carnis non ſunt.



Quòd non ſit propriè ſaxatilis.

¶ Quod ad magnitudinis differentiam, Bellonius rufum, qui pelagius quoq; & ſaxatilis ei eſt, multò maiorẽ facit: fuſcum uerò, (quam priuatim Scorpænam nominandam & ipſe & Rondeletius putant,) minorem, id quod mihi quoq; uidetur, & noſtræ icones præ ſe ferunt. Rondeletius differẽtiæ ex magnitudine non meminit, ſed Diphili tantùm uerba recitat: qui contrà, non pelagios & rufos, ſed illos qui in cœnoſis litoribus agunt, magnos facit. *Magnitudo.* *Scorpæna.*

¶ Scorpius apud recentiores quoſdam Spinula uocatur, nimirum à ſpinis capitis. Vide mox in Italicis nominibus. Sabot nomen eſt piſcis, & eſt Spinula, Syluatico. nos ſuper Arabico hoc nomine aliquid in Callionymo annotauimus. *Spinula.* *Sabot.*

GRAECI hodie Scorpidi; Scorpænam uerò, Scorpinam nominare ſolent, Bellonius. Græ

ci à uero nomine aberrantes, utrunque Scorpium appellant, Gillius.


ITAL. Nonnullæ regiones Italiæ Scorpium utrunque Scorpænam appellant, Gillius. Romani Scorfano, Saluianus. Genuenses Scorpium, ad discrimen Scorpænæ, quam Strasinam dicunt, Bellonius. Aliqui pesce Spin uel Spino, uel Spinoso, præsertim Scorpænam, nuncupant. Aggregator Spinulam piscem à Galeno libro 3. De alimentis memorari scribit. nominatur autem Scorpio eodem libro inter duræ carnis pisces. Scorpio piscis nostro idiomate Doracæna dicitur, Syluaticus. sed alibi meliùs Draconem marinum interpretatur, qui hodieque à Græcis uulgò Dracæna dicitur. ¶ Scorpæna Romæ Scrofanello dicitur, Saluianus.

Spinula.

GALL. A Massiliensibus Scorpeno dicitur, à nostris Rascasse, Rondeletius. Et rursus: Massilienses eum qui niger est, Scorpeno: qui flauus est, Scorpena uocant. ¶ Scorpionem Massilienses Scorpænam uocant: Scorpænam autem ueterum (id est, Scorpium minorem) Rasquessa, Bellonius. Idem & Callionymum Massiliæ Rascassam biancam, quasi Scorpionem album appellari prodidit.

GERMAN. Bellonius Gallico Oceano Scorpionem infrequentem esse tradit: quare Germanico etiam Balthicoque rarum existimârim. In picturis Oceani Germanici pisciũ, quas Echtius Coloniensis medicus ad me misit, inuenio unum Scorpio (minori) similem, quem Germanicè Postken appellat. Licebit nobis fingere nomen, ein Scorpion oder Scorpfisch, id est, Scorpionem piscem: uel ein Meerscorp, id est, Scorpionem marinum. Priuatim quidem ruffum circunloqui licet, der grösser rotlach Scorpfisch: fuscum uerò, der kleiner graw Scorpfisch. ¶ Scorpius ei'ue cognatissimus uidetur piscis, quẽ à Io. Echtio Coloniẽsi medico pictũ accepi, adscripto Germanico nomine Postken, tanquam accolis Oceani Germanis usitato. capitis, quod magnum ei est, & multis aculeis (qui branchiarum operculis & reliquo capiti hærent) infestũ: ac reliqui corporis magnitudine, proportione, forma, Callionymum refert. fuscus est colore, & maculosus, præsertim cauda (quæ subrotunda est) & pinnis. Hæc ad picturã. ¶ Audio Frisios appellare a Storme piscem ferè similem Rochetto Anglorum, colore Scombri: pinnis, ut Perca, aculeatis in dorso. binis prope nares in capite aculeis. opercula etiam branchiarum aculeata esse. Caput proportione magnum, oculos magnos. caudam rubram, maculis nigris. Idem hic uel simillimus illi quem iam Postken nominauimus, uidetur: colore forsan solùm differens.

Scorpij minoris eicon, & ipsa Venetijs ad uiuum effi cta: à qua nonnihil diuersam exhibuit Saluianus.



Scorpæna.

SCORPIVS minor, qui priuatim Scorpæna dicitur. Scorpioni (maiori, inquit Saluianus) simillimus est, ut colore tantùm & magnitudine differre uideatur. Falluntur qui ætate tantùm eos distinguunt: item qui solo sexu: & qui Aristotelem quoque eius meminisse putant: cum Plinius tantùm & Athenæus eius meminerint. ¶ Plura leges supra in Scorpio maiore, proximè retro. ¶ Athenæus Scorpium à Scorpæna colore tantùm & succo differre scribit, Rondeletius: (sed dictio tantùm apud Athenæum non legitur.) Nos Scorpænam (inquit idem) eam esse credimus, quæ nigrescat, quæque insuauior sit, minusque boni succi, & litoralis, lutoque gaudens.


ITALICA & GALLICA nomina Scorpij utriusque, leges proximè superiùs in Scorpio maiore.

GERM.

GERMAN. Das kleiner vnd schwärtzer geschlecht des Scorpfischs/welchen fisch etliche Teütschen ein Postken nennend/als ich acht: die Frießländer a Storme.

SCORPIOIDEM Rondeletij, Blenno Bellonij simillimum, nisi idem est, Ordine primo collocauimus.

Ab ano etiam pinnula exprimi debuerat, quam Saluianus non omisit: qui piscem hunc accuratiùs depinxit.



LACERTVS peregrinus uel maris Rubri. Piscem hunc, tum à coloris uiriditate iucunda, tum ab oris totiusq; capitis similitudine cum Lacerto terrestri, multi Lacertum uocãt, Rondeletius. Est autem (inquit) Lacertus maris Rubri ab Aeliano descriptus.

Saluiano hic Saurus uel Sauris (Σαῦρος, Σαυρὶς) Græcorũ est, diuersus aliquantulum ab eo qui in Rubro mari reperitur, ab Aeliano descriptus. Sauri (inquit) Latinorum ueterum nemo meminit. Theodorus in Aristotele non rectè Lacertum conuertit: quanquam σαῦρος quadrupes, Latinis Lacertus est. at eorundem Lacertus piscis, Græcorum κολίας est. Nos hunc piscem Græco uocabulo Saurum appellabimus. Esse autem hunc Saurum Græcorum, tum ex eo coniicitur, quòd ad terrestris Lacerti similitudinem, propiùs, quàm quiuis alius piscis accedat: tùm quòd ea omnia quæ Sauro ueteres tribuunt; huic nostro perbellè conueniant. Is qui Romæ hodie Suaro appellatur, Trachurus potiùs fuerit, quàm Saurus. Oppianus τραχούρους & σαύρους manifestè distinxit. Aduertendum præterea Turdum etiam, Σαῦρον à nonnullis appellari. Non in omnibus aut plerisq; maris locis, sed in quibusdam duntaxat reperiri solet: cœnosoq; loco delectatur, Oppiano teste. Hæc ille.

Lacertus Latinis priscis, alius quàm Saurus Græcis.

Trachurus.


ITAL. Romæ pesce Tarantola, Saluianus.

GERM. F. Ein frömbder Meerfisch/mag seiner gestalt vnd schöne der grünen farb halben ein Meerheydox genennet werden.

ORDO VI. DE PISCIBVS LONGIS, SPINOSIS, QVORVM SPECIES FERE SERPENTINA EST.

Longi pisces (inquit Rondeletius) ferè omnes cartilaginei sunt, (sed à cartilagineis illis, quæ Græci σελάχη nominant, diuersi.) Dicuntur autem longi à corporis specie, qua à Galeis, qui longo etiam sunt corpore, differunt, quòd rotundiores sint: quodq; illi Mustellis, hi Serpentibus similiores sint. Præterea Galei neq; seuum neq; pinguedinem habent, ut Athenæo placet, ex longis autem sunt qui pinguedinem habent.

Bellonij Muræna flexuosa pingitur, sicut & Saluiani: maioribus per interualla maculis: & à superiore labro duo ceu cornicula protendit, ut Saluiani quoque: & rostrum longius latiúsque, superiore eius parte ultra inferiorem prominente, &c.





MVRAENA, Græcè Μύραινα, uel Σμύραινα: Massarius hoc Doricum esse putat, cum tamen apud Platonem legatur. apud Kiranidem Ζμύραινα. Eustathius docet multas dictiones ab σμ. incipientes, olim per ζμ. scribi solitas. Eidem Μύρος, Μύραινα, ut & Μόρμυρος, pisces, à uerbo μύρειν uel μύζεσθαι deducunt, quod fluere significat, unde & μύρον unguentum liquidum. est quidem Myrænæ, cuius mas Myrus dicitur, cutis læ-


uis & lubrica, ueluti unguento oleóue delibuta, ſicut & aliorum læuium: & motus eorum flexuoſus uelutiq́ undoſus ut fluere uideatur, ſed horum neutrum Mormyro conuenit: in quo nomine etiam ypſilon corripi ſolet à Græcis, (Ouidius produxit:) in Μύρος, Μύραιν, μύρειν, μύρεσθαι, ſemper producitur, quare Μῦρος etiam penanflexum ſcripſerim, non ut pleriq́ omnes ſolent, paroxytonum. ¶ Muræna corporis habitu Lampetræ affinis eſt: Anguillæ etiam aſpectu proxima, ſed latior, Rondeletius. Anguillam (inquit Bellonius) magnitudine ac figura refert: ſed recurto & craſſo eſt magis corpore: & adulta Anguilla omnibus modis Murænam magnitudine exuperat. ¶ Morſis à Muræna eadem accidunt quæ à uipera morſis, & ſimilia remedia adhibentur, Aëtius.

Flutæ. In cibo quidem expetitur, & à Galeno commendatur. Imprimis placebant flutæ cognominatæ, à Græcis plotæ, (πλωταί,) quòd præ pinguedine in ſumma aqua fluitantes, cute iam Sole aduſta mergi ampliùs non poſſent, præcipuè in Siculo freto: & ſimiliter anguillæ. ¶ Sphyræna & Smyræna piſcium longè diuerſorum uocabula ab imperitis librarijs aliquoties permutata deprehendimus. Aelianus etiam Myrum, uel ut ipſe uocat, Myronem, non agnouit. Muræna, ut & Aloſa, quanquam marini piſces, paruis ac numeroſis ſpinis conſperſi ſunt: quod non animaduertit Galenus, qui piſces tantùm in fluminibus ac ſtagnis genitos huiuſmodi ſpinis abundare ſcribit: marinorum uerò nullum.

GRAECE uulgò, ITALICE, HISPAN. GALL. Vbique gentium in hunc diem Murena nuncupatur, ut docet Maſſarius Italus, & Gillius Gallus. A noſtris, ab Italis & Hiſpanis Mourone dicitur, Rondeletius. Ab Italis profertur Murena, uel Morona, ſed cauendum, ne Antacæus piſcis cetaceus, quem recentiores aliqui, (& Itali uulgò,) Moronam uocant, cum Muræna confundatur. ¶ Myrum piſcatores noſtri (inquit Rondeletius) peculiariter non agnoſcentes, Serpentem uocant. Sed alij ſunt ſerpentes marini magis propriè nominandi.

LVSITANIS Moreia.

GERMANICVM nomen ignoro: & ſanè Bellonius nihil Muræna in Oceano rarius eſſe tradit. & alibi, Murænas in Gallia eſſe negat: nam oram fortè Mediterranei maris, ut Prouinciam, Galliæ nomine non eſt complexus: ubi Murænas reperiri non dubito. In Gallia Septentrionali (*inquit Plinius, de Oceano nimirum ſentiens*) Murænis omnibus dextra in maxilla ſeptenæ maculæ. In Hiſpanico etiam Oceano circa Tarteſum & Carteiam, Murænas maximas, minarum aliquando ſuprà octoginta reperiri legimus. Circunloqui licebit, *ein Meerſchlangen art*: hoc eſt, Serpentis mar. genus. Vel nomen fingere, *ein Muraal*, à Latino Muræna, & Germanico *Aal*, quod eſt Anguilla, compoſitum. Non probo quidem compoſita ex diuerſis linguis uocabula: ſed ea quoq́ tolerantur, cum meliora deſunt.



MYRVS, hoc eſt, maritus Murænæ, Latinum nomen non inuenit. Græcè Σμῦρος uel Μῦρος. Vide ſuperiùs in Muræna. Gaza Murum interpretatur. Apud Plinium alicubi Myrinus pro Myro mendoſè legitur: apud Ariſtotelem Μύξινος pro Myxino Mugile. ¶ Dorion autor eſt Myrum per carnem ſparſas ſpinas non habere, totumq́ utilem eſſe, & ſupramodum tenerum. Genera eius duo eſſe: unum nigrum, præſtantius: alterum, ruffum. ¶ Smyrus etiam apud Plinium legitur: apud Aelianum Μύρων. Myron (inquit) piſcis eſt, neſcio unde dictus: Serpentem marinum eſſe aiunt. ¶ Mirum hoc, ſi Myrus & Muræna ſexu tantùm differunt, fœminam ſpinas habere, marem non item: cum hic robuſtior, illa imbecillior prædicetur. & hunc concolorem eſſe, illam uariam, cum in pleriſque, ubi colorum differentia eſt, uel pulchrior uel magis uarius in maſculis ſit. ¶ Myrus ſerpenti ſimilior eſt, quàm Muræna: roſtro acuto, longo corpore, nigricante, tenui, rotundo, ſine maculis, &c. Rondeletius. ¶ Murænam fœminam eſſe, Murum uerò marem, Ariſtoteles non aſſerit, ſed aliorum opinionem refert: quæ quidem (inquit Saluianus) uerìſimilis non eſt. quî enim fieri poſſet, ut inter numeroſas toto uère quàm plurimis marinis litoribus captas Murænas, aliqui etiam non caperentur Myri? cum tamen neque nos multis iam annis id ſummopere contendentes, ullum prorſus uiderimus unquam, ab alijs'ue alicubi uiſum audiuerimus. Quòd ſi caperetur, facilè ex ſcriptis de eo à ueteribus notis, internoſceretur. Quamobrem credendum potiùs arbitror, Murænas non ſecus, quàm alias ferè omnes piſciũ ſpecies, in mares & fœminas diuidi. neque ſi quis eas omnes ouis grauidas capi aſſereret, ob idq́ fœminini ſolùm ſexus eſſe contenderet: ad Viperæ (ut ueteres quidam faciunt) aut Myri concubitum confugiendum eſſet: cum & alij quidam piſces memorentur ouis grauidi omnes capi, ut Erythini, Channæ, &c. Hæc ille. ¶ Serpens marinus rubeſcens, (quem pictum dabimus ſub finem huius Ordinis,) Myrus alter fortè fuerit, cuius Dorion meminit tanquam ὑποπυῤῥίζοντος, id eſt, rufi coloris.

GALL.

GALL. Circa Monspelium Serpentem uocant. Vide suprà in Muræna.
GERMAN. Das männle (als etlich meinend) von der obgesetzten Meerschlangen art.



CONGER uel Congrus. γόγγρος Græcis, non etiam κόγγρος per κ. ut nuper quidam somniabat. Nicander Epopœus Congros aliter Gryllos uocari scribit, id est Porcos, à uoracitate nimirum, &c. Conger, quem & Gongrum Plinius 32. uolumine appellasse uidetur, Plinius. *Gryllus. Gongrus.*

Duo Congrorum genera sunt: unum albicat, & pelagium est: alterum nigricat, & litorale magis est quàm pelagium, Rondeletius.

Duo breuia cutaceaque cornicula in extremo rostro tum Congri (tum Murænæ) existunt, Saluianus.

GRAECIS nostri temporis Cauorofas, Saluianus: composito nimirum nomine ab ophis, & nescio quo alio.

ITAL. Romæ Drongo uel Brongo (Bronco, Saluianus) uocant. Veneti Grongo. Antiates Brunchum appellant, Platina. ¶ Græcum Latinumque uetus huius piscis nomen pleræque gentes retinent, Itali, Hispani, Galli plerique & Angli.

HISPAN. Lusitanis Cromgo, Saluianus.

GALL. Congre. Massilienses nominant Filat (Fiela, Fielaz, Bellonius) quia instar retis pisces inuoluit & implicat, Rondeletius. Massilienses planè barbarè Phialassum appellant, Gillius.

GERM. Ein Meeraal: id est Anguilla marina. Quidam in parte Germaniæ inferioris, Palen uocari mihi retulit, nescio quàm rectè. Palynck quidem Flandris Anguilla est.


ANGLICA sunt a Conger/a Congre/a Congerele. Dicuntur & Eluerz ab Anglis Congri pusilli (nomine, ut apparet, ab Anguillarum similitudine facto) in fluuio Sabrina prope Glocestriam; in quem paruuli duntaxat è mari subeunt.

Pictura à Rondeletio posita.



Picturam à Bellonio exhibitam omisimus: similem ferè ei quam Rondeletius dedit, sed multis implicitam spiris, (non quòd in mari adeò inuolutus sit hic Serpens, sed ad longitudinem eius exprimendam:) uentre crebris uelut internodijs crispo. qualem ego etiam, hîc adiunctam, ab amico ex Italia missam Serpentis marini imaginem olim accepi. corpore ubique plano, non tanquam aculeis quibusdam eminentibus aspero, quales in Rondeletiano uisuntur: quanuis eorum in descriptione non meminit.

SERPENS marinus, ὄφις θαλάττιος, similis est terrenis, dempto capite quod magis ad Congrũ accedit, Aristoteles: qui tamen alia etiam multa serpentium marinorum genera esse tradit, quę in gurgitibus seu præalto mari nascantur, alia alijs coloribus omnis generis, χρόαν δ' ἔχουσι παντοδαπήν. Is quem depinximus (inquit Rondeletius) terreno uel fluuiatili serpenti simillimus est. ad trium uel quatuor cubitorum longitudinem accedit. corpore rotundiore quàm Anguilla, capite Congro similis: colore fuluus, sed uentre & rostro cinereus, &c. ¶ Ab Ophis diminutiuum est Ophidion, quo nomine piscem appellat Plinius; quem nos dedimus suprà Ord. v. cum Mustela- *Ophidium.*




bus mar.

bus mar. Bellonius quidem & Saluianus Ophidion Plinij ab Ophi (id est, Serpente mar.) non distinguunt, nos Rondeletium distinguentem sequimur, cum aliâs, tum quia maior est hic serpens, quàm ut Ophidium, id est, Serpula diminutiuè nominari debeat. Hydrus dici potest omnis aquaticus serpens, tum in dulcibus tum in salsis aquis. nam & marinos serpentes Hydros nominat Aelianus, (quos alij ὄφεις θαλαττίους:) eosq; asperum potiùs serratis dentibus quàm uenenosum os uideri habere. Idem Aelianus alibi de Myrone pisce, (quem Myrum esse, id est, Murænæ marem ignorasse uidetur:) eum ipsum (inquit) esse dicunt marinum Serpentem. ¶ Alius est Draco marinus Aristotelis, quem non à corporis figura, sed ueneno Græci sic nuncuparunt, ut Latini Araneum. ¶ Vide infrà penultimam huius Ordinis imaginem, & quæ adscripsimus. *Hydrus.*

ITAL. Serpe marina, Saluianus.

GERM. Ein art der Meerschlangen / mag ein Kongerschlang genennt werden: dann sy von leyb vnd gestalt ist wie ein schlang: mit dem kopff aber geleychet sy baß einem Meeraal / oder Kongeraal.



ACVS (prima species,) Aculeatus, Belone. his tribus nominibus utitur Plinius. Græcè Βελόνη, Ῥαφίς. habet enim rostrum acus aut subulæ instar. item Ἀβλεννής, ab eo nimirum quòd siccæ sit carnis & minimè mucosæ. ¶ Rondeletius Acum lib. 8. descripsit, cum Lacerto siue Colia & similibus piscibus; mihi illis qui Serpentem corpore quodammodo referunt, adnumerare libuit.

GRAECE uulgò Βελονίδα, Zargane, Aiulone.

ITALICE Arguzella, Acucella Romæ, Acicula, Acusigola, Angusigola.


HISPA. Aguilla, (Agulia, Saluianus:) Aguia pescado.


GERMANICE. Hornfisch / Snacotfisch: Tobias / Sobias / Topeiaß / Gebbei: & alicubi (ni fallor) Gerfisch.

ANGLICE. Hornekek / Garrefysshe / Pyper fysh / Hornebeacke.



Hanc Acus figuram Venetijs accepimus.





* *Quærendum an hæc sit Acus Bellonij, quæ proximè ponetur, maximè propter pinnas illas paruas uersus caudam, &c. Sed cognatus uidetur potiùs piscis, quàm idem. Suum ex Oceano Bellonius habuit, hunc ex Mediterraneo Rondeletius.*

† *Acus minor Bellonij: quæ magnitudine tantùm (inquit) à priore differt, &c. Hic fortè Saurus Rondeletij, proximè retro exhibitus fuerit. Lege quæ cum illius eicone scripta sunt.*


SAVRVS (alius à Trachuro quē aliqui Saurū nuncupant) Acubus similis, breuior & crassior, &c. ea uerò corporis parte quæ à podice ad caudā est, caudaq; ipsa, Scombrum refert: siue partis huius caudæq; figuram, siue eiusdem pinnulas spectes. & similiter carnis substantia. Rondeletio hic potiùs, q̃ Trachurus, Saurus appellatur: & diminutiuè etiam Sauris: Σαῦρος, Σαυρίς. Sed Sauri fortè communior

Trachurus. est appellatio, & hunc & Trachurum comprehendens: ut ex uulgaribus Trachuri nominibus cõijci potest: Sauris uerò priuatim qui hîc exhibetur: Sauridem enim, Acum, & Sphyrænam similes esse Speusippus prodidit. Præstat autem Græcum Sauri nomen retinere, quàm ex uocabuli significato, *Lacertus.* Lacertum Latinè interpretari. Lacertus enim Latinorum ueterum, Κολίας Græcis dicitur. Σαῦρος uerò uel Sauris Græcorum, is piscis est Saluiano, quem Lacertum peregrinum Rondeletius nominat, in fine Ordinis V. à nobis propositus.

GALL. A quibusdam circa Monspelium Aiguille uocatur, ab alijs Beccasse.

GERM. F. Ein Macqueralse. Vide infrà in Trachuro, Ordine 8. Ein kleiner Hornfisch.

A Rondeletio propositæ figuræ.



Duas has eicones (ut scripsi) Cor. Sittardus misit. Magnitudinis quidem inter ipsas proportio non eadem seruatur, quæ in Rondeletianis apparet.

ACVS (alia species.) Acus seu Belone Aristotelis, secundũ Rondeletium. Sunt qui Serpentem mar. esse credant, sed falsò, ut in *Typhle.* Serpente mar. Rondeletius arguit. Bellonius Typhlen uel Typhli- *Typhline mar.* nen marinã nominat, à similitudine cum Typhlope seu Typhline serpenti terrestri. Sed Typhle Athenæo, Typhlinus Hesychio, inter Nili pisces est, Lampetra parua fl. nimirum. Saluianus hunc piscem Græco & Latino nomine carere putat. Ego huius piscis eicones duas, ueluti unius generis species, à Cor. Sittardo Cæciliæ nomine olim accepi. uocatur autem hoc nomine piscis quidẽ apud ueteres Latinos nullus: sed Typhlines serpẽs, &c. Easdem ex Rondeletio, breuiori spacio pictas, exhibemus, &c. ¶ Qui Remoram esse conijciunt hunc pisciculum, uel Musculum Iulum ue, falluntur.

GRAECE uulgo Nerophidion.

ITALICE alicubi Diauolo. sed alij Ranam piscatricem Diabolũ mar. uocant. Priuatim speciem alteram, quæ corpore rostroq; minor est, uulgò in Italia Arzinarello uel Coaliotto nominari, Cor. Sittardus nos docuit. Saluiano utraq; species, ut Græco Latinoq;, ita etiam uulgari nomine caret. pauci enim (inquit) temere potiùs, quàm comprobata aliqua consuetudine, Serpente marino uocari aiunt.

GALLICE Trompette. Masilienfibus Gagnola.

GERMANICE dici potest ein Trommeeter: uel circunscribi, ein art deß Hornfischs. ¶ Inter eicones piscium Oceani Germanici, maiori huius generis (cui os ferè rotundo hiatu, tubæ instar aperitur,) picto, Germanicum nomen Hautinck adscriptum est: quod tamẽ etiam Mugili cuidam Oxyrhyncho Antuerpiæ tribuitur, & Sphyrænæ alteri Monspelij. ¶ Knakfisch audio esse piscem, qui sola cute & ossi- *Holosteus.* bus cõstet, (Holosteum dixeris,) inutilis cibo, & captus abijci solitus in litus: ubi mox corrugatur. Hic an Acus sit, quærendum.

Figura hæc desumpta est ex tabula quadam descriptionis Orbis terrarum.



GVAICANVS uel Reuersus piscis Indicus. De nouo piscationis genere Petrus Martyr Oceaneæ Decadis primæ libro ȝ. Non aliter (inquit) ac nos canibus Gallis per æquora campi lepores insectamur, illi (*piscatores Cubæ insulæ in Nouo Orbe: in cymba, id est caua arbore piscantes, Christ. Columbus*) uenatorio pisce pisces alios capiebant. Piscis erat formæ nobis ignotæ: corpus eius anguillæ grandiori persimile: sed habens (caput grandiusculum, &) in occipite pellem tenacissimam, in modum magnæ crumenæ. Hunc uinctum tenent in nauis sponda funiculo, sed tantum demisso, quantum piscis intra aquam carinæ queat inhærere. neq; enim patitur ullo pacto aëris aspectum. Viso autem aliquo pisce grandi aut testudine, quæ ibi sunt magno scuto grandiores, piscem soluunt. ille quum se solutum sentit, sagitta uelociùs, piscem aut testudinem, quà extra testam partem aliquam eductam teneat, adoritur: pelleq; illa crumenaria iniecta, prædam raptam ita tenaciter apprehendit, ut exoluere ipsam eo uiuo nulla uis sufficiat, nisi extra aquæ marginẽ paulatim glomerato funiculo extrahatur. Viso enim aëris fulgore statim prædam deserit. Præda igitur iam circa aquæ marginem euecta, in mare saltat piscatorum copia tanta, quanta ad prædam sufficiat sustinendam, donec è naui comites eam apprehendãt. Præda in nauim tracta, funiculi tantum soluunt, quantum satis est uenatori ut ad locum suæ sedis intra aquam redeat, ibiq; de præda ipsa per alium funiculum escas ei demittunt. Piscem incolæ Gaicanum, nostri Reuersum appellant, quòd uersus uenetur.

GERM. Ein wunderbarer fisch in dem Jndianischen meer/mag ein Meerseckel/oder ein Seckler genennt werden.




SERPENS marinus rubescens, rarus: quẽ Rondeletius exhibuit. Hunc (inquit) nonnulli Myrum esse putauerunt, sed falsò. nam branchias osseo operculo squamosorum modo intectas habet: pinnasq; ad natandum maiusculas, quibus Muræna & Myrus carent. sed Dorionis Myrũ alterum esse ὑπoπυῤῥίζοντα, id est, rufescentem, non absurdè quis existimauerit. *Myrus.* *Myrus alter.*

GERM. Ein seltzame rotlachte Meerschlang. ein Schlangfisch im meer.

Hic fortè Serpens iste marinus fuerit, cuius meminit Aristoteles, capite Congro quàm Serpenti similior: nam is quoque fului coloris est. non mirum autem si in Oceano longè maior euadat.



IN Balthico uel Suecico Oceano, flaui quidam serpentes marini reperiuntur, triginta aut quadraginta pedes longi: qui, nisi irritati, neminem lædunt. Quorum iconem Olaus Magnus in Tabula regionum Septentrionalium Europæ iunctarum, dedit huiusmodi.



IN eadem Tabula alius Serpens marinus, ad centum aut ducentos pedes longus, (ut descriptio habet: uel etiam trecentos, ut numerus iconi adiunctus præ se fert,) circa Noruegiam interdum apparet, mari tranquillo infestus nautis, adeò ut homines quandoque è naui abripiat. Nauim ab eo inuolui aiunt tantam, quantæ ferè in nostris fluuijs aut lacubus maiores fieri solent, quæ mercium uecturæ destinantur, inuolutam subuerti. Spiras supra mare tantas aliquando erigere, ut nauis per unam transire posset. Figuram, qualis in Tabula illa est, apposui.

GERM. Die groß Meerschlange in Norwegischen landen/welche die schiffleüt schediget/ wenn der wind still ist.

ORDO VII. DE PISCIBVS
MARINIS SPINOSIS, PLANIS.

PLANOS pisces non cartilagineos, sed spinosos, Græci Ψηττοειδεῖς, Latini Passerinos uocant. Multa sunt huius generis apud nostros Gallos nomina, multoq; plures species quàm apud antiquos, Bellonius. Aristoteles Ψηττοειδεῖς dixit: recentiores quidam Passerina specie pisces & Psettaceum genus. Vt Passer auis prona parte fuscus est, supina albus: ita in hoc genere non solum priuatim ab hac aue denominatus piscis, sed etiam reliqui omnes. Omnes situm corporis & oculorum (Tænijs exceptis) aliter quàm reliqui pisces habent. Eorum alij læues, alij squamosi sunt, &c.

GERMANICE Plani pisces communi nomine Plattfisch appellari poterunt: ut species una Plateyßle: eiq; similiores in suo genere Plateyßfisch. Communius uerò ad pisces latos planosq; omnes (tum cartilagineos, ut Raias: tum spinosos, ut Passeres) nomẽ fuerit Flachfisch: quanuis idem nomen Saxonibus Asellorum quoddam genus significat. ¶ Halbfisch priuatim dicuntur Passerini generis quidam pisces in Albi fl. ex Oceano subeuntes: cuius nominis significationem si respicias, (sonat autem dimidiatum, ἡμίτομον, à corporis specie ueluti per medium dissecta,) pro generis uocabulo usurpari posse uidetur.

Rhombi effigiem, quæ hic collocari debuerat, cum spacium desit, in sequentem paginam retulimus.

Psetta. RHOMBVS aculeatus Rondeletij. Rhombi uocabulum Græcum Latini retinuerunt. Aristoteli & reliquis Græcis piscis hic Ψῆττα est. Romani (inquit Athenæus) Psettam, Rhombũ appellant, nomine Græco. Rhombi quidem nomen apud Aristotelem non extat. Sumitur etiam Passer siue Psetta pro diuerso pisce à Rhombo. Marinorum (inquit Plinius lib. 9. cap. 20.) alij sunt plani, ut Rhombi, Soleæ, ac Passeres: qui à Rhombis situ tantùm corporum differunt. Galenus etiam & Diphilus Psettas à Rhombis manifestè seiunxerunt. Rhombus piscis à Rhombo figura (turbinata, Bellonius) nomen habet, quæ quatuor æqualibus lateribus constat, non autem rectis angulis, Rondeletius. *Syacion.* Syacion nominatum animal, id est, Porculum apud Symeonem Sethi, aliqui pro Rhombo accipiunt.

GRAECI huius temporis adhuc Ψῆτταν uocant, teste Gillio.

HISPANI Rodouállo.

ITALI omnes, Ligures & Massilienses Rhombum uocant, ut Gillius & Rondeletius scribunt.


GALL. Circa Monspelium Romb appellant, Massilienses Rombo (ut etiam Rhombum læuem:) Galli Turbot (quasi turbinatum, Bellonius:) Normani Bertoneau, Rondeletio & Gillio authoribus.

ANGLI similiter ut Galli Turbot uel Turbut.

GERMANI Tarbutt: Frisij Terbut/Terbot. Possunt autem uideri hæc nomina deriuata uel à Latino Turbo, idẽ quod rhombus Græcis significante: uel ab origine Germanica Thornbut. compositum enim hoc uocabulum, aculeatum Passerem significat. Arnoldus Villanouanus etiam Turbotum Latina terminatione dixit. Butt quidem inferioribus Germanis Passerem significat: (alij enim quidam Germani fluuiatilem quendam pisciculum, Phoxinum, ei'ue cognatum, Butt appellant. Putt uerò Mustelæ fluuiatilis species est.) Inde compositæ sunt uoces Tarbutt/Heiligbutt/Steinbutt. Ex his Steinbutt, ni fallor, non alius est quàm Tarbutt: nomen hoc partim à lapidibus factum, illud à spinis. quoniam corpus eius acutis eminentijs osseis & lapillorum instar duris (basis quidem singularum instar calculi rotundi est) ceu rubi spinis, ut Raiarum quoq;, exasperatur.

Icon


Icon hæc non à Rondeletio posita, sed à Veneto pictore nobis efficta est.



ANGLICE. Rhombum marinum in meridionali Britannici maris litore uocamus a flounder, (& fluuiatilem a freshwater flounder,) ut eundem piscem in Septentrionali litore flüke uocamus, Turnerus. Bellonius non Rhombum, sed Passerem fluuiatilem, Gallicè Flez, Anglicè flonder uocari tradit.

Rhombi læuis species, ab amico Venetijs ad nos missa, alia quàm à Rondeletio posita: cuius iconem addere ideo minus necessarium uisum est, quoniam læuem suum aculeato per omnia parem facit, dempto quòd aculeis caret.

Rhombus alter.



RHOMBVS alter est (inquit Rōdeletius) qui ut à superiore distinguatur, lęuis à nobis dicitur, quòd aculeis prorsus careat. Plura lege in nominibus Gallicis. ¶ Fortè non absurdè quis existimauerit Rhombum læuem, Galeni Citharū esse: quòd is mollis sit carnis, cuiusmodi Rhombum læuem esse constat: quodq́ eum Rhombo similem faciat. *Citharus.*


ITAL. Venetijs, Romæ & Massiliæ, etsi frequenter reperiri solet, tamen & Rhombi nomen habere, & pro Rhombo apud eas nationes diuendi solere, frequenter conspexi. Rhombo quidem minor est, læuior, & magis plano corpore, minusq́ carnoso, solido ac delicato: capite etiam magis elato ac grandi, &c. Bellonius. Itali quidam Rhombum læuem ac sine spinis Suazo uel Cuco uocitant. aliqui (Itali an Galli nescio) Soagia.

GALLIS Barbue dicitur. à nostris (inquit Rondeletius) per similitudinem Passar, quasi Passer: à nonnullis Pansar, id est, uentriosus. nos enim Panse uentrem appellamus. Sed Passar, meo quidem iudicio, rectiùs dicitur: quanquam uerus Passer seu ψῆττα non sit, sed ei figura duntaxat similis, situ uerò dissidens. huic enim dexter resupinatus est, Passeribus læuus, Rondeletius. [Si Rhombum sic in latus componas, ut oculi cœlum suspiciant, & mentum deorsum spectet, pars supina, erit dextra. sed si similiter Passerem constituas, supina pars erit læua, Gillius & Massarius.] Massilienses Rombo. uide suprà in Italicis. ¶ In Gallia quidam (etiam ex coquis) hunc piscem sexu tantùm à Rhombo aculeato differre rati, Rhombi fœminam temere appellant.

GERMANOS Meerbutten uocare puto, ut ab ijs (conijcio) qui flumina subeunt, distinguāt.

Sunt

Sunt & alij quidam marini duntaxat generis piſces Meerbuttẽ (aut potiùs Meerputten. Muſtelabus fortè cognati) dicti, prorſus læues, ut Anguillæ, carne etiam ſimili, ut audio.




RHOMBOIDES Rondeletij. Romæ (inquit) piſcẽ ſæpe uidimus, qui ab ichthyopolis Rhombi nomine uenditur: quem tamẽ à ſuperioribus Rhombis diuerſum eſſe ſenſus ipſe doceat, etiamſi figura Rhombum imitetur. Quare hunc Rhomboidẽ appellauim⁹, ut tantùm à Rhombo piſce differat, quantũ figura rhõboides à rhombo figura. eſt enim rhomboides figura, quæ neq; latera æqualia, neq; angulos rectos habet. Huius mentionem nullam à ueteribus factam fuiſſe comperio. ¶ Vide an hæc ſit Tænia Bellonij.


ITAL. Romæ cum Rhombo confundunt, ut iam dictum eſt.

GERM. Ein kleine Tarbutten art zů Rom/wirt niemer über ein ſpann lang.

Citharus Rondeletij.



Alia eiuſdem piſcis (ut uidetur) eicon, à Corn. Sittardo miſſa, pro piſce qui Romæ uulgò Pecten uocetur. ſed Saluianus Nouaculam Rondeletij, Pectinem Romæ uocari ſcribit. Differt quidem hæc imago à ſuperiore, cum aliâs nonnihil, tum pinnis.




CITHARVS Rondeletij. Κίθαρος uel Κιθάρα Varino. Oppiano Κιθάρη. Gaza ex Ariſtotele Fidiculam conuertit. ¶ Citharœdus Aeliani, piſcis eſt, cuius ille in mari Rubro genera duo deſcribit, ſolis corporum pigmentis à Citharo noſtro diuerſa; Rondeletius. Latitudine (inquit Aelianus) Bugloſſum præ ſe fert. lineis à ſummo capitis uertice ad extremam caudam nigris ſic diſtinguitur, ut eas citharæ fidiculas cõtentas eſſe dicas: unde & Citharœdus appellatur. ¶ Quidam hunc piſcem Tæniam eſſe putauerunt, quæ Romæ uulgò Pecten uel Pectenorzo dicatur. *Tænia.* Nos alias Tænias Rondeletij dabimus. ¶ Rhombum alterum ſiue læuem Rondeletij, Galeni Citharum eſſe non abſurdè quis exiſtimauerit: quòd is mollis ſit carnis, cuiuſmodi Rhombum læuem eſſe conſtat: quódq; cum Rhombo ſimilem faciat Galenus. ¶ Citharus à Strabone inter

Nili pisces recensetur.

ITAL. Romæ satis frequens est, & Folio nominatur. Bellonio Tænia ibidem Sfolia, uel Sfolio: quo & Veneti nomine (inquit) Soleam uocare consueuerunt. Buglosso quidem, id est Soleę, quàm Rhombo similior est hic piscis, si squamas excipias, quæ in Citharo sunt magnæ, rhombi figura.

GERM. Ein Plateyßle oder Zungē art. Ein Sandling: Vide mox in Anglico nomine.


GALLICE. Piscis qui ab Anglis uocatur a Sab, à Frisijs Orientalibus ein Sandling, Galeni Citharus mihi esse uidetur. Is Rhombo minimo similis est, sed candidior: & circa caudā summasq; oras, quæ piscem totum ambiunt, rubescit. Saporis non iniucundi, utcunque apud Londinenses in paruo precio habeatur, Turnerus.



CITHARVS alter Rondeletio, quem flauum siue asperum cognominat. Athenæus quidem ex Archestrato Citharum unum λευκὸν, alterum πυῤῥὸν facit. ¶ Sunt (inquit Rondeletius) qui uerum Buglossum esse credant, nec sine ratione: non ob figuram solùm, sed etiam ob asperitatem. est enim bouis lingua, magna & aspera.

GERM. Ein andere gälblachte Meerzungen art.

Passeris effigies Venetijs facta, ab ea quam Rondeletius dedit, differens, cum aliâs nonnihil, tum quòd pinna superior in pictura Rondeletij ad oculos usque procedit, paulatim humilior, &c.



PASSER. Piscis ψῆττα à Græcis, à Latinis Passer dicitur, Rondelet. A colore Passerum auium Passeres dicti sunt. parte enim supina candidi, prona uerò terrei coloris, ut Passeres aues sunt, Massarius. Psetta Græcis genus uidetur esse ad Rhombū & Passerē: (lege suprà in Rhombo:) Itaq; & Rhombus aliquando Psettæ nomine uenit: & Buglossum Athenæus Atticè Psettam uocari scribit. Ψίτται pisces leguntur apud Suidam: ego ψῆτται scripserim per η. circunflexum. Στρουθὸς Græcis Passer auis est. Aelianus (De animalib. 14.3.) piscem quoq; Passerem scilicet, uel aliquam eius speciem similiter nominat, unà cum Rhombo, Psetta & Torpedine. quare apud Aristotelem quoq; Historiæ 2.15. idem nomen pro pisce rectè legi aliquis coniecerit, quanuis diuersum sentiat Rondeletius. Ψιτίον quoq; apud Symeonem Sethi & Psellum De diæta, non alius quàm

Psetta. *Στρουθός.* *Ψιτίον.*


quàm Paſſer piſcis mihi uidetur. Pectinem (qui ueteribus in Teſtaceo genere eſt) Alberti Magni ætas imperitè pro Paſſere accepit: inde forſan, quòd ſpinæ huius generis piſcium rectæ & parallelæ, pectinis inſtrumenti ſpeciem præ ſe ferant. Eundem piſcem Auſonius Plateſſam nominat, & mollis epitheton attribuit. uidetur autem factum nomen à Græco πλατύς: eſt enim de genere planorum & latorum: à qua origine forſan & Gallica quædam & Germanica nomina mox dicenda deriuantur. Plagitia barbarum nomen eſt, Arnoldo uſurpatum pro Latino. *Pecten.* *Plateſſa.* *Plagitia.*

ITAL. Ab Italis noſtrisq; Plane dicitur, Rondeletius. Paſſer hodieq; nominatur Romæ, & in multis Italiæ litoribus, (uulgò Paſſaro,) Iouio & Gillio teſtibus.

GALL. Ab Italis noſtrisq; Plane dicitur, ab alijs Platuſe, à Gallis Plye. Paſſerũ ſpecies multæ ſunt. maxima à Gallis Plya, neſcio qua ratione uocatur: quæ à Quadratulo ſibi congenere piſce (uulgò Carlet) non niſi ipſa forma ac magnitudine differre uidetur. eſt enim Plya Quadratulo tantùm maior: qui ad quadrangulum proximè accedit. uterq; flauis lituris in tergo cinereo ſuggillatur: ſubtus, ut & reliqui huius generis, albicat, Bellonius. Sunt inter Gallos qui Paſſerem cum Solea confundant, Gillius. *Quadrat...*

GERM. Noſtri uocant **Platyßle**, alij **Plateyſe/Pladyß**: cuius nominis & ſimilium in alijs linguis etymon eſſe Græcum paulò antè monuimus. **Plattgin**, Flandricum nomen eſt. **Bot** uel **Butt**, unde diminutiuum **Bütch**, inferioribus Germanis, Flandris & alijs, Paſſerem ſonat. Inde nomina compoſita, quæ in Rhombo diximus. **Bot** tamen & **Pladyß** aliquos diſtinguere uideo. **Butt** (ut audio) in lacubus ſeu ſtagnis dicitur, marinis craſſior, pinguior ac nigrior: in mari **Schollen**, qui ad nos uehuntur. capiuntur enim maiore copia. A nomine **Schollen**, ſpeciei unius nomen **Platyßſcol** compoſitum apparet. **Scholl** quidem uel **Schull** Germanis quibuſdam maritimis uſitatum nomen, quanquam ipſo ſono ad Soleam accedit, & quidam non indocti nuper Soleam interpretati ſunt, non aliud tamen quàm Paſſerem populis eo nomine utentibus ſignificat: eundem ſcilicet piſcem quem Flandri **ein Plattdice** nominant, Angli **a Place**, ut Turnerus me monuit. ¶ **Gantzfiſch** & **Halbfiſch**, hoc eſt, integri & dimidiati piſces, genera quædam Paſſerum nominantur apud inferiores Germanos: ſola (ni fallor) magnitudine diuerſa: ut ille maior ſit, hic minor: quem etiam è mari in Albim uenire audio. Lege quæ ſcripſimus ſuprà de planis ſpinoſis in genere, initio huius Ordinis. ¶ **Plye** Gallica Paſſeris nomenclatura eſt: ſed eodẽ nomine Germani in lacubus aquarum dulcium ad Septentrionem, piſcem, haud ſcio an Paſſerini generis, appellant. ¶ Eſt & **Plaetkens** Paſſeris parui (opinor) nomen.

ANGLICVM nomen **Plaſe** uel **Playſe**, uidetur per ſyncopen factum à Germanico **Platyßle**. Turnerus Anglus ſcribit **a Place**.




PASSERIS alia ſpecies. Planum hunc piſcem Quarrelet uocant, hoc eſt, Quadratulum. Sunt qui eum hoc tantùm nomine appellent, cùm minor eſt: cùm uerò ſenuit, Plye. Ego uerò ſpecie hunc ab illo differre exiſtimo. magis enim quadrata eſt forma, unde Quadratuli nomen: maculasq; rufas ſiue ſubflauas plures habet. Totus læuis eſt. carne candida, molli, ualde humida. Magna eius copia in Oceano capitur, Rondeletius. A Paſſere quid differat, leges ſuprà in Gallicis nominibus Paſſeris.

GALL. Quarrelet, ut prædictum eſt: uel Carlet, Garlet.

GERMAN. **Ein kleine Plateyßle art / ein gefierts Platyßle.** Quærendum an idem ſit, qui à nonnullis Oceani accolis **Scherren** uocatur Paſſer, deprauato forſan Gallico nomine.

PASSEREM Aſperum ſiue Squamoſum cognominare licebit, quem Galli uocant Limandam. Flauas maculas in pinnis quæ corpus ambiunt, & in reliquo corpore habet. Linea corpus interſecans ſinuoſa, in Paſſere noſtro rectior eſt. Antuerpiani exiccatos uendunt, Rondeletius.




ITALIA hunc piſcem ignorat, Bellonius.

GALL. Ob tenuitatem corporis, quam cum aſſeribus dolabra in laminas diffiſis commune habet (eas laminas uulgus limandas uocat) Limandæ nomen adeptus eſt, Bellonius.

ANGLIS admodum uulgaris eſt, & Brut appellari ſolet, Rondeletius & Bellonius. Ego Anglos proferre audio Burte, uel Birte, uel Brette: fortè à latitudine plana. (ſic enim noſtri quoque aſſes ſiue aſſeres & tabulas ligneas uocant: & inde piſci huic nomen aptum fingemus, ein Brettfiſch.) Vocatur & Burtcock Anglis, eiuſdem generis piſcis, mas, ni fallor. Cock quidem gallinaceus eſt. Bellonius in litore Angliæ exiccatum hunc piſcem ad Germanos transferri ait: Ioannes Caius uerò Anglus, nunquam in Anglia ſiccatum ſe uidiſſe, etiamſi uulgaris ſit piſcis, mihi teſtatus eſt.

GERM. Vide in Anglicis.



PASSERIS aliud genus uulgò à Gallis Flez nominatur, eiuſdemq́ſpecies alia maior Fletelet. nos Fleſum & Fleteletum Latinis terminationibus appellare nihil prohibet. Fleſus ſquamis paruis integitur, colore eſt nigro. In corpore pinniſq́ id ambientibus maculas rufas habet. Hoc piſce mare noſtrum caret, ac fuiſſe utranq; eius ſpeciem ueteribus incognitam affirmare auſim, quòd Oceani piſces ignorarint. E mari flumina ſubit, ut aliæ etiam Paſſerum ſpecies: non autem naſcitur in eis, Rondeletius. Fleſo corpus eſt paulò longiùs quàm Paſſeris; cumq́ adoleuit, craſsius. Fleteletus Fleſo ut plurimùm maior (etſi nomen eius diminutiuum eſſe uideatur) ab Anglico tractu ad Gallos adfertur, Bellonius.

ITALI hos piſces Oceano peculiares ignorant.


GALLI, ut dictum eſt, ſpeciem minorem Flez: maiorem Fletelet nominant.

ANGLI ſpeciem minorem, Bellonio teſte, Phlonder uocitant: maiorem Helbut. Ego Anglos uideo ſua lingua ſcribere Flunder, uel Flonder/Flownder. in Tameſi capitur. Maioris nomen Eliota Anglicè ſcribit Hallibutte, Caius Holybut. Heiligbutt (ſic enim nomen integrum Germanicè ſcribitur) Paſſerem ſacrum ſignificat, fortè à magnitudine. Audio piſcem in ora Germaniæ dictum Queep uel Heiligbutt, ſimilem Paſſeri, pedes circiter xij. longum, ualidiſſimum eſſe in aqua, ſegmenta eius oblonga indurari ad ſolem, & uocari Raff uel Regling: quæ aliò deportata in delicijs habeantur. Idem piſcis (ni fallor) alicubi Elenbot uocatur.


GERM. Vide in Anglicis.

Icon

Icon à Rondeletio exhibita.



Alia, quam Venetijs nacti ſumus, ijs quas Rondeletius pingit, omnibus diſsimilem.



BVGLOSSVS uel Bugloſſum (Βούγλωσσος ἢ Βούγλωσσον) genus eſt piſcis, Pſettæ & Tæniæ ſimilis, authore Speuſippo. A Varrone & Plauto Lingulaca dicitur, à linguę figura, quæ Græcis eſt γλῶττα: cui βου particulam additam fuiſſe puto, ut magnitudinem potiùs, quàm bubulæ linguæ figuram ſignificet. *Lingulaca.* A Plinio Ouidioq́; Solea: à figura Soleæ, quæ ſolo pedis ſubijcitur. *Solea.* Galenus Philotimum reprehendit, quòd Paſſeris aut Pſettæ uocabulũ ad Bugloſſum, nulla ſpeciei habita ratione, temere tranſtulerit. Bugloſſum Attici Pſettam uocant, Athenæus. Pſetta piſciculus planus eſt: uel is quem nonnulli Sandaliũ (Σανδάλιον) aut Bugloſſum nominant, Varinus. *Sandalium.* ¶ Citharum aſperum ſunt qui uerum Bugloſſum eſſe credunt, nec ſine ratione, &c. *Citharus aſper.* ¶ Saxaulis uel Saxaulus piſcis Arnoldo eſt Solea, neſcio cuius linguæ uocabulo.

GRAECIS hodie γλῶττα dicitur.


ITAL. Romę Linguata uel Lẽguata. Venetijs Sfoia uel Sfoglia, uel Sfolia, à maioris alicuius folij forma, ut Bellonius ſcribit. Sed Romanũ uulgus aliud quoq; Paſſeris genus, (alteram Soleę ſpeciem,) quod Bellonius Tæniam facit, Sfolia nuncupat.

HISPANI Lenguado, Luſitani Linguado uocitant.

GALLI Sole. Aliqui à carnis delicata (ſolida tamen & candida) iucunditate, Perdicem marinam.

ANGLI ſimiliter ut Galli nominant a Sole.

GERM. Piſcis quẽ inferiores Germani Scholle/ Schulle uel Scolle indigetant, Solea non eſt, etſi illã nomine præ ſe fert, ſed Paſſer ut prædiximus. Soleam uerò Friſij & alij quidam nominant Tonge uel Tunge, id eſt, linguam, nos Zunge proferimus.




SOLEA oculata Rondeletij. Est (inquit) alijs Soleis corporis habitu & partibus internis omnino similis: sed in prona parte maculas habet magnas, oculorũ effigiem cum iride & pupilla referentes. unde Soleam oculatam appellandam esse censeo: quemadmodũ Torpedinis oculatæ, item Raię oculatæ species una est. Huius mentionem nullam à ueteribus factam fuisse comperio: nisi quis Athenæi Escharum aut Corin esse putet. Hæc ille. Corin quidem apparet de genere planorum esse: & παρὰ τὰς κόρας, id est, ab oculis, uel pupillis dictum aliquis coniecerit. Eundem autem & Escharum dici Dorion tradit. Cæterùm Eschara Rondeletij, planta quædam marina esse uidetur.

Coris. *Escharus.*

GALL. Piscis hic Massiliæ satis frequens & apud nos, Pegouse dicitur, à squamarum (ut arbitror) tenacitate. ita enim tenaciter hærent, ut nisi diu in aqua calida maduerint, desquamari non posit, Rondeletius.


GERMANICE uocetur **ein Spiegelbot/ein Spiegelzunge.** uel **ein Augebot/ꝛc.**



CYNOGLOSSVS. Hũc inter Buglossi species numerare necesse esse, forma ipsa satis arguit, qua Buglossi planè similis est. Est tamen corpore spissiore & breuiore. Squamis tegitur paruis, in ambitu serratis. Colore est fusco. Vt Rhombus à Passere, ita hic à prima Buglossi specie differt situ corporis, nec non sapore. Eundem fortè Epicharmus apud Athenæum Cynoglossum (Κυνόγλωσσον) appellauit. Vel si is non sit (nihil enim certi ex tam paucis uerbis Epicharmi ab Athenæo citatis colligi potest) optimo tamen iure, ut à cæteris Buglossi generibus distinguatur, Cynoglossum nuncupabimus: neq; aliud est genus, cui nomen hoc aptiùs quadret, Rondeletius. Bellonius Soleam alteram nominat.

GALLI Pole nominant. est autem frequens in Oceano piscis. Similitudine decipiuntur, qui in mari nostro (Mediterraneo ad Monspelium) capi putant: eumq; esse piscem, quem Massilienses Seruantin uocant, Rondeletius.

GERMANI uocare poterunt **ein Hundes zunge**, id est, Canis linguam: uel **ein verkeerte zunge/Letze zunge**, id est, Soleam inuersam, quòd os ei oppositum ostendat, quemadmodum & Rhombus Passeri.




ARNOGLOSSVS Rondeletij. Arnoglossus (inquit) læuis, siue Arnoglossus simpliciter, ea Buglossi species à nobis uocatur, quæ squamis carere uidetur, prorsusq; læuis esse. Nam ut plantagini herbæ à figura uel foliorum læuitate, arnoglossi, id est, agninę linguæ nomen positum est: ita species hæc Arnoglossus à læuitate uel figura rectè nominabitur. eum ex Buglossorum genere reuera esse, corporis habitus, figuraq; indicat. à cęteris differt, quòd multis squamis tenuissimis & statim deciduis integatur, ut meritò læuis dici posit,

posit, tenuiꝗ tantùm cute opertus esse uideatur. Corpore est ualde gracili, pellucido, candido. Tænia non est, ut quidã existimarunt, cum pinnas quatuor habeat, Aristoteles uerò Tæniæ duas duntaxat attribuat, Rondeletius. *Tænia.*


GALL. Perpeire circa Monspelium.

GERMANICVM nomen fingimus, Arnoglossi significationẽ interpretantes, ein Schaafzunge. uel circũloquimur, ein glatte art der Merzungen: hat wol vil schüppelen: die sind aber gar klein/vnd fallend flux ab.

SOLEA parua, Lingula Rondeletij. Lingulã (inquit) appellamus, quòd sit Buglossorum omnium, quæ à linguæ figura nomen traxerunt, minima. Dodrantalem magnitudinem nunquã excedit. Linea quæ corpus dirimit, spinamꝗ firmat uel tuetur, ex squamis contexta est longè eminentioribus quàm in toto corpore, dempta ea parte quæ circa maxillam inferiorem est. Satis rarus est piscis, & ob corporis tenuitatem uilis.



GERM. Die aller kleinste art der Meerzungen/ein Zünglin/Meerzünglin.



HIPPOGLOSSVS Rondeletij. Hippoglossum (inquit) Buglosi speciem, (Oceani tantùm accolis notam, ueteribus incognitam,) sic uocauimus, quòd Buglossa omnia magnitudine superet. Græci enim rei magnitudinem indicant βου & ἱππο particulis.

GALLI Flettan appellant, quòd fluitando natet, ut opinor, Rondeletius. Hæc etymologia si proba est, Fleso quoꝗ & Fleteleto piscibus, à Gallis ita dictis, in eodem Passerum genere nomẽ dedisse uideri potest.

GERMANICE uocetur, ein Vrzunge: das gröst geschlecht der Meerzungen.




TAENIA (ταινία) piscis quanquam corporis specie, pinnis & oculorum situ à cæteris planis spinosis differt: à Rondeletio tamen, propter corporis tenuitatem opinor, planorum historiæ additur. & Speusippus Passerem, Buglossum ac Tæniam, similes facit. Corpore est oblongo, candido, & tenuissimo, fasciæ instar, (quam Græci tæniam uocant, sicut & uittam seu redimiculum et cingulum,) unde nomen inuenit. Tenuitatis quidem tantæ est, ut ossa uertebrarum spinæꝗ, carne (ceu) non tecta appareant. Oculos habet magnos: nõ in prona parte ut plani, sed utrinꝗ unum. Corporis tenuitate, carnis (quæ dura & glutinosa est) sapore candoreꝗ Buglosso similis, Rondeletio teste. ¶ Is quem Arnoglossum paulò antè nominauimus, non potest esse Tænia, ut quidam *Arnoglossus.*

Vitta. putarunt, cum pinnas quatuor habeat. nam Tæniæ Aristoteles (apud quem Gaza Vittam interpretatur, Plinius Tæniæ uocabulum retinuit) binas tantùm iuxta branchias attribuit. Aliqui etiam Citharum Rondeletij, qui Romæ Pecten (*quo nomine Saluianus Nouaculam Rondeletij Romæ uocari tradit*) uel Pectenorzo dicatur, Tæniam esse suspicati sunt. *Citharus Rondeletij.*


GALLICE. Circa Monspelium Flambo uocatur, id est, flamma, quia colore est rufo siue flammeo: uel quia cum natat, flammæ modo moueatur & flectatur. A quibusdam Spase, id est, ensis nominatur, à figura. capite enim lato est, reliquo corpore in acutum paulatim desinente, Rondeletius.

GERM. F. Ein Binde/ein Flåmmling.



TAENIA altera à Rondeletio, propter similitudinem superioris, (quæ uera Aristotelis Tænia est,) uocata. Et huic (inquit) tæniæ, id est, fasciæ nomen aptissimè quadrat. est enim tenuis & longissima, quippe quæ ad duûm triúm ue cubitorum longitudinem excrescat. Differt tamen à priore, quòd præter pinnas quæ ad branchias sunt sitæ, duas alias habet sub maxilla inferiore rufas, cuius coloris sunt uilli dorsi caudáque. Præterea quinque maculas habet in parte prona, purpureas, rotundas. colore est argenteo, &c.

GERM. Ein andere gattung des nechstgemelten fischs.




TAENIAE genus tertium, ut uidetur, quod Bellonius Falcem usitato Venetis nomine appellauit. Exhibita quidem ab eo figura, propter illas ueluti crenas, quibus, inquit, in gyrum serrata est, & asperam in lateribus lineam, cum Rondeletianis duabus non conuenit. Tenuis (inquit) est adeò ut penè transpareat. Quòd si caudam diligentiùs inspexeris, uitrarij penicillum refert: quoniam sicca cum fuerit, equinas imitatur setas. Argentei coloris est arida. Ea quam uidi, digitos lata sex, quinque palmos longa erat: ore prægrandi, sine dentibus: nulla subtus (*ab ano*) pinna, quod in alio piscium nullo obseruaui. Hæc ille. Tæniam autem alium piscem, quandam Soleæ speciem appellat, quæ Rondeletij Citharus siue primus, siue secundus, uideri potest.

GRAECE uulgò apud Tenedum Anthias, sed falsò.

ITALICE. Mollis est piscis (inquit Bellonius) ita ut perfrixus uel assus, in quoddam ueluti glutinum resoluatur. unde ab omnibus ferè mensis explosus, nullum præterquàm formæ (qua rusticam falcem aliquo pacto imitari uidetur) nomen uulgo Italico retinuit. nostro (Gallico) autem litori planè inuisus est. Capite est deformi, ut Simiam esse dicas, unde Marmotum plerique uocãt. alij in Italia Colpiscem: alij ut libuit. *Falx. Simia.*

GERM. F. Ein Meeraff: ein sundere art der obgenennten Flåmmlingen. ein Leimfisch.



PASSERINI generis uideri posset hic etiam piscis, si pinnæ extenderentur, & oculi ambo una parte, prona scilicet, apparerent. Iconem eius olim à Corn. Sittardo qualẽ accepi, apposui. color est rubicundus, &c. (Sunt qui Pectinem in Italia uocari dicant. Saluianus Romę Nouaculam Rondeletij ita

nominari

nominati author est. alij alium piscem Pectenorzo, quasi Pectinem, Romæ uocari mihi retulerūt, qui Citharus Rondeletij uidetur.) Hunc ultimo loco posui: quòd super eo incertior sim.

ORDO VIII. DE LACERTIS SIMILIBVSQVE PISCIBVS, ET ALIIS QVIBVSDAM MAXIMIS, NON TAMEN CETIS, VT sunt Pompilus, Gladius, Glauci.

DE LACERTIS IN GENERE.



LACERTORVM nomen communius est, aut esse potest, & plures Coliæ similes pisces compectitur. Colias enim Græcorum, Latinis propriè Lacertus est. huic & similibus plerisq; omnibus, appendices quædam pinnularum uersus caudam spectant, ut Scombro, Acus generi uni alteri'ue, & inter maiores Pelamydi, Thunno, Orcyno, Amiæ. Sed Acus Ordine VI. cum Longis piscium numerauimus, qui serpentium ferè speciem referunt, unà cum simili illis, rostro præsertim, Rondeletij Sauro siue Sauride. nam alius est Saluiani Saurus, Lacerto terrestri similis rictu, capite, colore, & ferè corporis figura, quem ad finem Ordinis quinti retulimus. Et quanquam Saurus Græcis Lacertum quadrupedem significet, Latinè tamen Saurum piscem non interpretabimur Lacertum, ut caueatur homonymia. (Latiùs enim Lacertus patet Latinis: Saurus uerò Græcis species una est, nec huius generis.) Siquidem Lacertus Latinorum, ut diximus, propriè Colias Græcorum est: non à quadrupedis similitudine: sed ob similitudinem, quam habet cum musculis nostri corporis, qui lacerti etiam dicuntur, ut Saluianus scribit. sed an Latini ueteres Lacertos pro Musculis posuerint, ut superiori seculo rei medicæ scriptores parum Latini soliti sunt, nescio an ulla authoritate cōstet: fieriq; potest ut à Lacertorum quadrupedum aliqua simili specie, Coliæ etiam suum obuenerit nomen: quoniam ut quadrupedum illorum corpus in caudam attenuatur, uel ut cauda illorū crassior primo, in magnam exilitatem colligitur, (καὶ μυουρίζει, quod uocabulum idem significans à Muris cauda tractum est Græcis,) καὶ κολούεται, hoc est, imminuitur: unde & de Latina & Græca horum nominum origine constare nobis potest: ut Grecè etiam κολίας dicatur διὰ τὸ κολοῦσθαι καὶ ἐλαττοῦσθαι πρὸς τὴν οὐράν: non ab aue quam Græci κολοιὸν, Latini Graculum uel Monedulam uocant, ut perperam Gaza Coliam piscem apud Aristotelem Monedulam uerterit. nihil enim his animalibus commune: etsi κολοιὸς auis ab codē uerbo κολούειν denominetur, sed propter aliam eius significationem, quę est turbare, tumultuari. Bellonius tamen ab auis Coliæ similitudine hunc piscem eodem nomine uocatum putat: quòd eius latera similiter multis coloribus uariegata conspiciantur. sed Coloeus (Κολοιὸς) Græcè scribitur pro Graculo: Colias nullius auis nomen est. apparet autem ipsum eo nomine auem illam intellexisse, quæ genus Picarum est, & ab Italis uulgò Glandaria uocatur: à Plinio modò Pica simpliciter, modò Pica quæ glandibus uescitur: quam à Græcis Κολοιὸν dici nemo (opinor) eruditus asseruerit. ¶ Videtur ex Plinio Lacertus genus esse, quod species aliquot contineat: & in his Colian esse minimum. Hicesius tamen Scombrum Colia minorem facit. Elacatenes sunt Lacertorum genera Plinio. sic enim uidetur legendum. ¶ Scombrum nostri Lacertum appellant, & Celsus etiam eum pro Lacerto accipere uidetur, Iouius. Pelamydes, Thynnum, Scombrum, Coliam & Lacertum, habitu figuraq; conuenire Bellonius obseruauit: corpus eodem modo efformatum habere: pinnis etiam, cauda, tergoris appendicibus inuicem persimiles. His addo Amiam Rondeletij. Pancrates Arcas Turdum piscem alio nomine Saurum uocari scribit. Rondeletius piscem Lacertum uulgo dictum circa Monspelium, Draconculū Plinij facit.

LACERTVS siue Trachurus, Scombro similis. Trachurus (τράχουρος) idem esse creditur, qui & Saurus, (Σαῦρος:) cui opinioni uulgaris appellatio consentit. à nostris enim Saurel, uel Sieurel dicitur. Aristoteles Trachuri nusquam meminit, sed Sauri tantùm, &c. Athenæus diuersis locis de Sauro & Trachuro loquitur, ut diuersos existimasse uideri possit. Oppianus procul dubio diuersos fecit. sed siue eundem cum Sauro, siue alium Trachurum existimes, haud equidem ponam in magno discrimine. nam, utut res habeat, uerum Trachurum nos certè depingimus, Rondeletius. ¶ Trachurus (inquit Saluianus) etsi Romæ Suaro dicatur, ut Massiliæ Suuereau, non tamen est ueterum Saurus. nam Saurus aliquam similitudinem, ut nomen præ se fert, terrestris Lacerti habere debet. Is autem qui Romæ Tarantola nominatur, colore ac uniuersa corporis forma, similis adeò terrestri Lacerto est, ut dubio procul Σαῦρος censeri debeat, ut historia 92. docebimus. Τράχουρος proparoxytonum apud Athenæum bis; apud Galenum semper *Trachurus. Saurus.*

τραχὺρ@ penanflexum. Hæc ille. Scombrũ nostri (Itali hodie, circa Romam) Lacertum appellant. Celsus quoq; cum pro Lacerto accipere uidetur: & interpres Galeni antiquior Saurum, Lacertum appellauit, Iouius. Idem Dracones uel Araneos pisces non recte Trachuros uocat. Trachuro nomen inditum à reflexis uersus caudam quadragenis utrinq; uncinis, (quibus exasperatur, & præcipuè cauda,) Bellonius.

ITAL. A Romanis Sauro dicitur, Rondeletius. Romani Suuarum uocant, quem Veneti un Suro. Genuenses un Sou uel Surelle nominant. Mediolanenses aliíq; Longobardi missos ad se hos pisces, Argẽtinos, à colore quem sale conditi præ se ferunt, appellant, Bellonius. Saurus Romæ antiquũ nomẽ retinet. minores Fricturę nomine ueniunt, (nimis communi.) multa enim pisciũ genera ob paruitatem frigi solita, sic appellantur, Iouius. Olim Cor. Sittardus de Lacerta pisce, ut ipse nominat, sic ad me scripsit: Lacerta rarò capitur. uagatur enim in alto mari. Pellucida est. estur. uulgò (in Italia) Racanus dicitur. Lacerta autem uocatur, quòd caput eius quandam cum Lacerta similitudinem habeat. Dentes omnes habet mobiles. Sic ille. De quo autem pisce loquatur, mihi non liquet.

GALL. Massilienses maiorem huius generis piscem Suueram, un Suuereau: minorem uerò un Egau, *(Germani ferè Lacertũ terrestrem sic uocant,)* uel un Coquin appellant. ¶ Circa Monspelium Saurel uel Sieurel dicitur. ab aliquibus Gascon. à Santonibus Cicharou. à Gallis Maquereau bastard, id est, Scomber spurius.


GERM. Ego Lacertorum genera, donec certius aliquid cognouero, Germanicè sic nominabo, plerosque à similitudine, quam cum Scombro habent, (Scombrum autem Germani & Angli uocãt **Maccarell/Macrell/Macrill:**) Lacertum simpliciter, **ein Macrellen geschlächt**. Trachurum, (qui Scombrum figura, colore, & sapore refert: & à Gallis quoque Maquereau bastard dicitur,) **ein bastard Macrell / oder ein rauscher Macrell**. Sauridem, **ein Macqueralse**, composito ex duobus piscibus quos refert nomine, Scombro inquã & Acu. [Scio **Alsen** à quibusdam Germanis Alausam uocari: sed quoniam eadem uox subulam quoque, quæ ueluti acus ansata est, significat, accommodare ad hoc nomen libuit: cui componendo cæteræ Acus piscis usitatæ Germanis nomenclaturæ ineptiores sunt.] Coliam Rondeletij, **ein grosse Macrellen art**. Coliam Bellonij, **ein kleine Macrellen art**. Denique Lacertum peregrinum, qui toto genere à prædictis differt, **ein Meerheidox/ein Heidoxfisch auß dem Rooten meer**. ¶ Qui Lacertum Germanis **Alrupen** (quod Mustelæ fluuiatilis genus est) interpretantur, prorsus aberrant. ¶ **Grossen** in Germaniæ maritimis uocari audio piscem Lacerto Trachuró ue similem, qui hamum ex ore emittat.

Lacertus.
Trachurus.
Sauris.
Colias.
Lacertus peregrinus.


Effigies hæc est Trachuri, Venetijs olim mihi delineata. Rondeletij icon pinnas duas dorsi contiguas ostendit: & lineam per medium utrinq, corpus serratam meliùs exprimit, circulis perexiguis in medio cohærentibus deinceps, eminentibus sursum ac deorsum spinis.



COLIAS



COLIAS piscis à Græcis dicitur, (Κολίας:) quem Gaza Monedulam interpretatur, parum rectè, ut opinor. Monedula enim auis Κολοιὸς ab Aristotele & alijs nominatur, Rondeletius. Alius est Colias Bellonij, nempe Scomber minor, siue ætate tantùm, siue etiam specie ab eo differens. Rondeletius suum Scombro maiorem facit. Vterque tamen Massiliæ Coliam piscem uulgò Coguiol (uel Cogniol) uocari scribit. Nos Coliam Bellonij, minorem appellabimus: quoniam & Græci hodie Colion uocant, qui Lemnum, Thasum, Samothracen & Imbrum incolunt. Rondeletij, maiorem, ut sententiæ utriusque faueamus. ¶ Coliam Plinius Graculum reddidisse uidetur, ut cum Draconem piscem Graculo similem esse scribit. nam & auem Κολοιὸν Plinius Graculum interpretatur, alij Monedulam. Galeni tamen interpres in libris de alimen. pro Coracino Graculum conuertit, ut priùs etiam Gaza ex Aristotele. Atheneus Amyclanos & Sexitanos Colias commendat. Cum Saxetani (*Sexitani*) ponatur cauda Lacerti, Martialis, uidetur autem de Colia sentire: sicut & Galenus Saxatina salsamenta (Σαξάτινα ταρίχη) nominans. Colias siue Parianus, siue Sexitanus à patria Bætica, Lacertorum minima, Plinius. ego pro [minima] lego, genera. nam & Helacatenes (quod paulò antè dixerat) sunt Lacertorum genera. ¶ Plura de huius piscis nominib. eorumque causis, suprà ab initio huius Ordinis, sub lemmate De Lacertis in genere, scripsimus. Καὶ σκολιαὶ, σκυτάλαι τε, &c. Oppianus inter pelagios, ubi pro σκολιαὶ, malim Κολίαι.



Colias minor.

Colias maior.

Graculus.

Lacertus.

A GRAECIS etiam hac ętate Colios (uel Σκόλεὸς, ut Rondeletius habet in Scombro) pro Colias effertur.

GALL. A Massiliensibus Coguiol uocatur, Rondel. Qui Niceam incolunt Coguiol corruptè uocant, quasi Coliam, Gillius. Rondeletius Coliam piscem Scombro maiorem facit, Bellonius minorem, &c. uterque tamen suum Massiliæ Coguiol uocari tradit.

GERM. F. Bellonij Coliam nominabimus ein kleiner Macrell, id est Scombrum paruum. Rondeletij uerò, ein grosser Macrell: id est, Scombrum magnum, uel potiùs magnam Scombri speciem, ne quis magnitudine tantum aut ætate differre putet.

Scombri hæc effigies Venetijs facta, non satis probè exprimit pinnulas illas uersus caudam. nam & plures, & suprà infraque esse debebant: tales omnino, quales in Amia, Colia, & Thynnorum genere spectantur.

SCOMBER siue Scombrus à Plinio & Latinis omnibus dicitur piscis, qui Græcè Σκόμβρος. Scombros etiam Lacertos nonnulli uocant, à figuræ musculorum nostrorum siue lacertorum, potiùs quàm terrenorum Lacertorum similitudine: (*Vide quæ scripsimus suprà De Lacertis in genere ab initio huius Ordinis:*) nisi quis ob uiriditatem quæ in Scombris exigua est, eos terrenis Lacertis com-

parare malit, Rondeletius. Non est hic ueterũ Lacertus: an uerò ex Lacertorum sit genere, quod Gillius asserit, dubitari potest. Coliam quidem Græcorum, Latini Lacertum dixerunt: cui Scomber similis est, Solus Plinius Lacertum genus fecit, quod species contineat, Saluianus. Horatius Sermonum 2.8. piscem Iberum uidetur pro Scombro dixisse. Bellonius Coliam non alium esse putat, quàm Scombrum ætate paruum: (Rondeletius species diuersas facit:) Vide mox in Græco nomine uulgari. ¶ Scombros per omnia maria affatim capi solere, uel hoc argumenti esse potest, quòd ubiq; cognoscãtur. in Oceano tanta crassitudine proficiunt, ut pari cum Pelamydibus crassitudine plerunque euadant, Bellonius. ¶ Macarellum Albertus nominat, Arnoldus Villanouanus Maquerellum, barbaricis uocabulis.

GRAECE uulgo Lemnij (inquit Bellonius) minores Scombros, Colias, aliâs Colios nominant, quemadmodum & Thasij, Samothraces & Imbrij. Et sanè quid inter Scombrum & Coliam intersit, nihil aliud obseruari posse puto, quàm quòd Colias magis paruus sit: Scomber uerò, paulò maior. Aiebant quidem Lemnij quidam indigenæ, Coliam idem cum Scombro non esse: sed quum nullam uiderem notam, qua utrunque distinguere possem, totam in magnitudine posui differentiam. Hicesius tamen Scombrum Colia minorem esse affirmat.

ITAL. Ab Italis Lacerto uocatur, à Venetis Scombro, Rondeletius. Genuæ, un Oreol: Vide in Gallicis mox. Genuenses (inquit Bellonius) quoddam Scombri genus uulgò Lacertũ nominant, cuius tergus multò magis quàm alijs Scombris uiret, & uenter est uariegatus: quem reuera Coliam esse Scombrini corporis paruitate liquet. ¶ Ligures & Neapolitani uocãt Lacertum, Gillius. Romani Macarello, Saluianus.


HISPAN. Cauallo, teste Rondeletio, alicubi Aláche, ut audio: quo nomine etiam pro Harengo utuntur. Massilienses Clupeam, similem Harengo piscem, Halachiam uocant.

GALLICE. A nostris (inquit Rondeletius) Veirat dicitur, quòd uitri instar splendeat. uel Peis d'auriou, id est, piscis Aprilis, quòd eo potissimùm mense capiatur. A Gallis Maquereau, à Massiliensibus Auriol, Rondeletius. Aurioli nomen, quod Massiliæ in usu etiam Gillius refert, (sicut & Ligures Oreol uocitant,) factum uideri potest uel à mense Aprili, uel ab oculis aureolis. Bellonius tamen hunc piscem Massiliæ Horreau nominari scribit. Vide plura in Germanicis.

GERM. Vt Gallicè Maquereau hic piscis dicitur: sic Anglicè Mackerel/Macrel. & Germanicè Makrell uel Macrill. Vocatur & in Noruegia Maccarel, & in lacu Suerinensi Macrill, piscis Harengo maior aliquanto: ut aiunt, &c. Fortè autem non Gallicum hoc nomen fuerit, (quanuis Bellonius scribat Macareos, hoc est, lenones uocari hos pisces, quòd uerno tempore Alausas paruas quæ Gallis uulgò Virgines uocantur, statim subsequi soleant:) sed Germanicum à macritudine factum. in Oceano enim durior sicciorq; capitur, & ob id deterior hic piscis, quàm in plerisq; Mediterranei locis. Cæsar Scaliger nomen hoc Græcæ originis esse iudicat, nescio qua ratione: neq; enim exprimit. ¶ Est & alius piscis fluuiatilis apud inferiores Germanos similiter dictus ein Macrel, & alio nomine Bratfisch: quem ego Capitoni fl. cognatum esse suspicor.

ANGLICE. Vide in Germanicis.

Pelamydis ueræ, seu Thunni Aristotelis eicon, secundum Rondeletium: ueram autem Pelamydem uocat, ad discrimen Sardæ nimirum: & Thunnum Aristotelis, quoniam circa Monspelium Orcynus Thunni nomine uulgò uocatur, Ton: & à Santonibus Athon.




PELAMYS (πηλαμύς) Græcum nomen est, oxytonum, & per ypsilon in ultima plerunq; à doctioribus scribitur: generis fœm. sic dicta, ut Varinus docet, παρὰ τὸ ἐν πηλῷ μύειν. Sic & Festus: Pelamys (inquit) genus est piscis, dictum quod in luto moretur. Gaza modò Limosam, modò Limariam (apud Hermolaum Lutariam legimus) conuertit. In his uerbis Plinij: [Cordyla appellatur partus, qui fœtas (*Thunnas partu liberatas, è Ponto*) redeũtes in mare autumno comitatur. Limosæ uerò à luto Pelamydes incipiunt uocari: & cum annuum excessere tempus, iam Thunni:] pro Limosæ legerim maiores: hoc sensu, Cordylæ maiores factæ, incipiunt Pelamydes uocari à luto. sic enim ordinis & magnitudinis ratio disertiùs fuerit explicata. Limosæ quidem uocabulum alibi nusquam, neq; apud Plinium, neq; authorum quenquam pro pisce inueniri puto. Legerim igitur, uel maiores: uel deinde: & pro uerò coniunctione: uêre, hoc est, uerno tempore, ex Aristotele. ¶ Plutarchus non παρὰ τὸ ἐν πηλῷ μύειν, hoc est, ab eo quòd in cœno se occultet: sed à grege illi nomen

nomen datum innuere uidetur, διὰ τὸ πέλειν ἅμα: ſicut & Amijs παρὰ τὸ ἅμα ἰέναι, ego eam quæ à luto eſt etymologiam præfero. ¶ Pelamys uel Thynnus aliquando genus ſunt ad plures ſpecies. ¶ Pelamydes mutato nomine Thunnos fieri aut uocari, contra Gillium Belloniumq́;, Ariſtotelis ſententiam Rõdeletius & Saluianus defendũt. ego in medio relinquo. Rondeletius ita ſentit: eos qui Ariſtotelem reprehendunt, quòd dixerit Pelamydes in Thunnos mutari: non rectè Thunnum uulgarem (Orcynum nimirum, quem uulgò Ton uocari ſcribit alibi) pro Thunno Ariſtotelis uſurpare: & Ariſtotelem non mutari hos piſces dixiſſe, ſed cum ætate nomẽ uariare. ¶ Pelamydum generis maxima Apolectus uocatur, durior Tritone, Plinius. Hermolaus neutro genere Apolectum legit. ego pro ipſo piſce maſculinum fecerim: pro parte autem conciſa, neutrum, ut τέμαχος ſubaudiatur. Sic etiam Melandrys & Cybeas, (Μελάνδρυς, κυβείας,) piſces mihi uidentur: Melandryum uerò & Cybium, partes ex eiſdem conciſis. Pelamides in Apolectos, & particulatim conſectæ diſpertiuntur in genera Cybiorum, Plinius. Apolectum (*id uocabulum Græcis cum adiectiuum eſt, eximium electumq́; ſignificat*) eſſe Synodontidem Athenæi Hermolaus ait, & Rondeletio quoq; ꝓbabile eſt. Συνοδοντὶς (inquit Athenæus) eſt maior Pelamys, durior quàm Chelidonias. Plinius pro Synodontide uidetur Apolectũ dixiſſe: pro Chelidonia Tritonẽ. Athenæus Orcynum cum magnus eſt, Chelidoniæ ſimilem facit: eundẽ (Orcynum) Plinius & Xenocrates Tritoni comparant. Chelidonias fortè à colore dictus fuerit: ut & ficus quædam & lepores. Chelidon uerò, id eſt, Hirundo, piſcis diuerſus à uolatu proximè aquam. Tritonem legimus Pelamydum generis magni eſſe: ſine ſquamis, Orcyno ſimilem. ex quo uræa (ſiue horæa) Cybia fiant. ¶ Pelamys à Symeone Sethi dicitur φιλομήδα, (aliâs φιλομῆλα,) corrupto nimirum Pelamydis nomine.

Apolectus. *Cybeas.* *Cybium.* *Synodontis.* *Chelidonias.* *Triton.*

Alia Thunni imago: qualem olim Venetijs miſſam accepi.



ITAL. Ab antiquo Pelamydis uulgaria quædam hodie, quanquã aliorum piſcium, ſed ſimilium, nomina, detorta uidentur: ut ſunt Polauda, Lopida, Lampugo his enim uocabulis Romani & Illyrij, Glaucos Rondeletij nominant, piſces cœruleos: quorum alteram ſpeciem Galli quoq; in Prouincia Palamide uel Vadigo nuncupant uulgó. ¶ Palami piſcis, id eſt, lo Palamodo, Syluaticus. A Platina uidetur Palmita dici, tanquam Latino uocabulo. Venetijs Thynnum uocari audio el Ton: eiq́; ſimiles piſces, alterum la Palamida: alterum el Sgompha diggio. Saluianus etiam Pelamidem apud Italos nomen ſeruare tradit. Vide mox in Gallicis.

GALLICVM nomen nullum peculiare Rondeletius ac Bellonius adferunt, nam Palamide

uulgò dictum in Prouincia, secunda Glauci Rondeletiani species est. Quidam circunscribit, Le petit Thun. Pelamidi uulgò ab Italis & in Prouincia, dictus piscis, Thūnus Aristotelis est. in Gallia uerò Narbonensi eodem nomine dictus, Glaucus secundus Rondeletij.

GERMAN. Ein Mitteltunijn. Ein Tunijn der nit mee dann ein jar alt ist/doch älter dann ein halb jar. Veterum testimonijs constat Pelamidem uocari Thunnum, qui uti sex mensibus natu maior est, sic annuum non excesserit tempus, Saluianus. Vide mox in Thunno.

ARISTOTELES & alij ueteres Thunnum à Pelamyde, ætate tantùm secernunt: quos nimirum secutus Rondeletius, unam utriusque iconem dedit. nos quidem de Thunno priuatim etiam scribere uoluimus: non solùm quia Thunni Pelamydisq́ nomina tum uetera tum uulgaria hodie diuersa sunt: sed etiam quia specie differre à nonnullis existimantur. Piscatores Ligures & Massilienses apertè mihi ostenderūt, ex Pelamidibus nunquā fieri Thunnos, Gillius. Hoc itidē scribit Scaliger: ac insuper: Et sanè (inquit) corpulentia diuersa est aliquātùm, subtiliùs intuenti: Productior Pelamys, & linearum filamentis tæniatim uaria, quæ in Thynno sunt nulla.

Thunnus. THYNNUS (θύννος) Græcum uocabulum, à Latinis plerisq; seruatur. Gaza Thunnum (y. in u. uerso) dicere maluit: sicuti etiam Horatius & Varro. Sic autem uocatur ἀπὸ τοῦ θύνειν καὶ ὁρμᾶν, ab impetu & concitatione, Rondeletius. Piscis certè impetuosus est, eo præsertim tempore, quo agitatur œstro, Canis exortu. Quòd si hoc nomen non Græcæ originis est à uerbo θύνειν, (ν. per
Tannin. epenthesin Ionicam uel Doricam abundante:) ab Hebraico Tannin seu Thannin, quod Cetum interpretantur, uel piscem magnum, factum uideri poterit.

Thynnis. Thynnos Athenienses solent Thynnides appellare, ut Athenæus notat. diligentiores ferè distinguunt, ut Aristoteles, Thynnum in genere, uel pro mare duntaxat usurpantes, Thynnidem
Thunna. pro fœmina. Gaza Thynnidem interpretatur Thunnam. Est quando pro Pelamyde Thynnis ac
Thynnax. cipitur, forma nimirum diminutiua: cuius etiam Θύνναξ est. Oppianus fœminam θύννην nomi-
Cordyla. nat. Archestratus similiter, & Thynnidem quoq;. ¶ Cordyla dicitur Thynnorum fœtus: qui à capitis magnitudine fortè nomen inuenit. Cordyla enim Græcis clauæ caput, hoc est, partem crassiorem significat. solent autem capita in animalibus nuper natis, piscibus præcipuè, proportione maiora esse. Alia est Cordyla uel Cordylus potiùs, quadrupes amphibium.

Scordyla. Cum Thynni in Ponto pepererint fiunt ex ouo, quas uocant alij Scordylas (Σκορδύλας: *sunt qui*
Auxis. *Cordylas legant:*) Byzantij Auxidas, (Αὐξίδας,) ideo quòd paucis diebus augescunt: & Ponto exe-
Pelamys. unt autumno unà cum Thynnis, remeant uêre iam Pelamydes factæ, Aristoteles. Et rursus: Cū
Thynnis. Thynnides (θυννίδων, *Gaza* πηλαμύδων, *id est, Pelamydes legit, & uertit: quod Rondeletius approbat*) anno uno aliquando nullæ fuissent, insequente anno Thunni quoq; nulli fuerunt. uidentur enim Thunni quàm Pelamydes anno uno maiores esse. Sostratus author est Pelamydem uocari Thynni-
Orcynus. dem: postea Thynnum, deinde Orcynum, postremò Cetum. Orcynus Plinio Pelamydum ge-
Cetus. neris maximus est, similis Tritoni. ¶ Pelamyda siue Thunnum ueluti genus esse, quod Tritonem, Synodontida, (aliam à Synodonte pisce, quem supra inter Latos posuimus,) Sardam, Pompilum & Melandryam comprehendat, ueterum testimonijs comprobat Rondeletius. De Pom-
Melandrys. pilo & Sarda, dicemus inferiùs. Melandrys (Μελάνδρυς) Athenæo maximorum Thunnorum species est: unde Melandrya salsamenta dicta: idem hic fortè Melanthynus Oppiani fuerit: quem inter Cete numerat. ¶ Thunnus uerus Aristotelis quem exhibemus (inquit Rondeletius) cute planè læui est, & inter læues ab Aristotele recensetur. At Thunnus noster, id est, is qui à nobis Ton (*alibi Orcynum uulgò sic uocari scribit*) uocatur, squamis magnis tegitur, sed ita ad amussim compactis, ut ijs carere uideatur. hæ coctione dehiscunt, tumq; perspicuè apparent tenui membrana contectæ. præterea & gregalis est, & œstro concitatur. Accedit Italiæ Prouinciæq; uulgaris appellatio, Pelamyde. quam uerò eo nomine uocat uulgus in Gallia nostra Narbonensi, ex Thunnorum genere non est: (*alibi secundam Glauci à se uocatam speciem uulgò Palamide uocari scribit, & Pompilum quoque pro Pelamyde uendi.*) ¶ A Pelamyde Sarda, cui internis externisq; partibus simillimus est, discernitur: Pelamys Sarda partem quæ pinnis ad branchias sitis subest, squamis tectam habet: Thunnus uerò Aristotelis, ab omnibus squamis omnino nudus est, cute læui & tenui, Rondeletius.
¶ De Thunnis plura qui nosse uolet, præcedentia etiam de Pelamyde uera, & sequentia de Orcyno ac Pelamyde Sarda, scripta legat.

GRAECIS hodie uulgò Thunnus dicitur Pallax uel Pallacis, Πάλλαξ, Παλλακίς, Niphus. uidentur autem hæc nomina à Græco uocabulo antiquo Pelamys corrupta.

ITALICA Thynni nomina inuenio, Ton, Tonno, Tonnine. Massarius Venetus eos uulgò nomen seruare testatur: quod quidem in alijs etiam plerisq; linguis uerum est. Italia tota cū Prouincia Pelamyde uocat, Rondeletius.

HISPAN. Atun. Lusitanis Bonito, ut audio. sed Rondeletius Amiam Gallicè ab aliquibus Boniton uocari scribit.


GALL. Orcynum Rondeletius scribit in Prouincia uocari Ton, à Santonibus Athon. Gallus quidam anonymus interpretatur la Thunnine; sed id nomen uidetur magis propriè dic. de

carne

carne Thunni, præsertim salsa. Vide proximè retrò in Italicis.

GERMANI omnes eodem quo Flandri & Angli nomine appellare poterũt. est autem Flandricum Tünijn: Anglicum Tuny uel Tunie. Licebit & pro ætatis ac magnitudinis differentia recepto Thunni uocabulo, epitheta adijcere: ut Cordyla, id est fœtus Thunni, dicatur ein junger Tunijn: uel diminutiuo nomine uno, Tunijnle. deinde Pelamys, ein Mitteltunijn/ od Halb tunijn: tertio Thunnus, ein Tunijn. quarto Orcynus, ein grosser Tunijn. quinto Cetus, ein Waltunijn. Bellonius Thunnum in alto degere tradit, Tyrrheno ac Mediterraneo frequentẽ, Oceano atq; Adriatico non item. proinde non mirum si Germanis propè incognitus sit.

THVNNI genus aliud Cretensium uulgus appellat Lissam uel Glissam, à glabra ac squamis carente cute: bicubitalis longitudinis, humaniq; corporis crassitiei. Eundem extra Cretam, Copanum uocant. Pelagius est, ac delicatissimi saporis. A maiori ac uulgari Thynno differt, quòd teretior est, brãchiasq; Pelamidis habeat, ac dentium loco rugosas atq; asperas maxillas, &c. Bellonius. Vocãtur etiam Lisses nescio qui pisces apud Barbaros & anthropophagos quosdam Americæ incolas, Bratti ab alijs dicti. *Lissa. Glissa. Copanus.*




ORCYNVS nomen Grecum, in plerisq; codicibus Græcis uulgatis scribitur per o. breue, spiritu tenui, ὄρκυνος. apud Athenæum frequentius ei aspiratur: & sanè Grammatici o. ante ρ. attenuari docentes, cum alia quædam excipiunt, tum quæ κ. uel μ. post ρ. habent, ut ὀρκίζω, ὅρμος, &c. quibus nimirum etiam ὄρκυνος adscribi debet. nos quidem promiscuè modò Horcynum, modò Orcynum scribimus: hoc pro consuetudine & Aeolica dialecto, illud ut grammaticis etiam aliquid tribuamus. Heracleon Ephesius Thynnum ait ab Atticis Horcynum dici. Videtur & ὄρκυν in recto singulari efferri posse, sicut φόρκυν. Archestratus Horcynum ait esse Thynnum magnum, & alicubi etiam Κῆτος nominari. Sostratus uerò Κῆτος uocari Thynnum, qui iam Horcyno maior ad summum peruenit incrementum. Orcyno idem uideri potest Apolectus ab alijs dictus: item Melandrys, Melanthynus, Elacaten. Sed Oppianus solus Melanthynum nominat, idq; inter cete, cum Orcynos iam antea piscibus pelagijs adnumerasset. uerùm ipse etiam Orcynus iam summi incrementi Κῆτος dicitur, tunc etiam, ut uerisimile est, nigrior. Penultimam uocabuli Orcynus, Archestratus corripit, Oppianus producit. A Pergæis Κασσύας uocatur, teste Hesychio. ¶ Capitur in Hispania, præsertim ad Herculis columnas: item in nostro mari & Tyrrheno, Rondeletius. Plura diximus suprà in Pelamyde uera, & in Thynno. *Horcynus. Orcyn. Κῆτος. Apolectus. Melandrys. Melãthynus Elacaten. Cassyas.*

ITALICE. Vide mox in Gallico nomine.

GALL. A nostris Ton uocatur, à Santonibus Athon. Membratim & in assulas dissectum, sale conditum, nostri Tonnine appellant, Itali Tarantella à Tarentino, unde aduehitur, sinu, Rondeletius. Lege etiam suprà in Thunno.

GERM. Ein grosser Tunijn/mag ein Waltunijn genamset werden. Vide in Thunno superius.

Pelamydis Sardæ iconem simpliciter dictæ Pelamydi non statim subiunximus, quoniã tres superiores unius speciei esse, & ætate tantùm differre, ab Aristotele alijsq; eruditis existimantur: Sardam uerò alterius speciei esse nemo negat.



PELAMYS Sarda, uel Sarda simpliciter Rondeletio. Inter Pelamydas (inquit) Sardã numerat Plinius: & Pelamydem longã interpretatur. Ea quidem quam exhibemus, Pelamydi tam similis est, ut eadem planè esse iudicetur. qua autem nota ab ipsa (Pelamyde uera, seu simpliciter dicta) Thunnó ue distinguatur, iam indicatum est in Thunno. Trichiades & Premades (aliâs Premnades) Thynnides (τὰς θυννίδας) uocabant, Athenæo teste. Apud Aristotelem semel tantùm αἱ πρεμαδίαι legũtur: ubi Gaza conuertit, Primadæ (tribus syllabis) hyeme in cœno se abdunt, &c. πρημάδιν & πρῆμναι, pisces sunt Thynnis cognati, εἶδος θυννώδους ἰχθύος, Hesychius. Primadias Aristotelis Vuottonus Pelamydes esse coniicit: nam & Thũnis cognatæ sunt, & similiter infestantur asilis, & in cœno (à quo Pelamydi nomen) delitescunt. adde quòd Thynnides etiam alio nomine dicantur Athenæo, quæ ex Aristotele Pelamydes esse uidentur. Verùm Oppianus lib. 1. Halieut. Pelamydes primùm litorales facit, deinde Prenades (πρηνάδας) pelagias.

Premades. *Primadiæ.*


Sarda. Considerandum igitur an piscis hic non simpliciter sit Pelamys, sed species illa quæ Sarda cognominatur: cuius aliud uetus nomen Græcum non habemus: etsi Galenus scribat præstantissima omnium esse salsamenta, quæ Sardica (Σαρδικά) à ueteribus dicta sint: suo tempore Sardas uocari: Diphilus etiam Sardam nominans, Coliæ eam magnitudine confert. Sanè ut Latinis Sarda Pelamydum Thynnorúm ue generis est, Sardina uerò, Σαρδίνη Galeno, nouo similiter nomine, pisciculus plebeius: sic apud Græcos, non modo τριχὶς & τριχίας, uiles pisciculi memorantur, (antiqua uidelicet Sardinæ postea dictæ nomina) sed è Thynnorum etiam genere Trichias (τριχιάς oxytonum) semel duntaxat apud Athenæum lib. 7. in Chalcidum mentione, his uerbis: τριχιάδας δὲ καὶ τὰς πρημάδας, τὰς θυννίδας ἔλεγον. Sed pisces minores aristosi, id est, spinis exiguis pilorum instar referti, ut sunt Trichides, Trichiæ, Thrissæ, non temere ἀπὸ τῶν τριχῶν denominantur. maiores uerò, ut Thynnides & Premades sunt, qua ratione Trichiæ dicantur, non uideo. quamobrem non Trichiadem, sed Premadem, Pelamydem Sardam appellabimus; donec certius aliquid cognouerimus.

Trichias.

HISPAN. Vide statim in Gallico nomine.

GALLICE. Nostri & Hispani Bize, nomine communi cum Amia, ob similitudinem uocant. at pisciculus qui lingua nostra Sarde nominatur, minimè ueterũ Sarda, sed Græcorum Trichis aut Trichias fuerit, Rondeletius.

GERM. Ein bsundere art der Tunijnen/dem Mitteltunijn gantz ähnlich/ dann daß sy etliche schüppen hat bey den floßfädern der orwangen. die anderen Tunijnen all sind überal glatt/wiewol der Waltunijn schüppen hat/sind aber mit einer glatten haut überdeckt.




AMIA, Ἀμία, Græca piscis nomenclatura est, quam & Latini retinuerunt. est autem gregalis, atque inde nomen, ὅτι οὐ κατὰ μίαν φέρεται, ἢ παρὰ τὸ ἅμα ἰέναι, ut ex Athenæi & Plutarchi uerbis apparet. Pelamydi corporis specie, pinnis & cauda similis est; (ab Aristotele quidem Pelamydi comparatur.) Cutis læuis, dempta ea parte quæ circa branchias est, similiter ut in Sarda. Ἀμία ἡ, genere fœm. inflexione 2. apud Matronem Parodum tamen masculinè ponitur, Κυανόχρως δ' Ἀμίας ὑπὸ τοῖς μέγας, &c. est enim dorso cœruleo, eoq́ splendente dum uiuit, uentre argenteo: corporis magnitudine Thynno inferior, Oppiano teste: carne infirma & molli, sed dentibus acutissimis. Carniuora tantùm est Aristoteli: (quanquam & algis eam pasci alibi scribit:) unde à uoracitate nimirum Trocta (τρώκτης, ὁ,) apud Aelianum uocatur. longè quidem alius piscis, quàm quæ in dulcibus aquis Trutta uulgo dicitur, quanquam & ipsa edacissima. Amia etiam è mari fluuios subit, præstatq́ in fluentis & lacubus Aristoteli. Plures collectæ contra unum Delphinum pertinacissimè pugnant. A dorso ad uentrem in hoc pisce lineæ ductæ sunt obliquæ, nigricantes, certis interuallis à sese distantes, Rondeletio teste. ¶ Alia est Amia Saluiani. uide mox in Glauco primo Rondeletij.

Trocta.

GALLICE. Byza à nostris (circa Monspelium) & HISPANIS dicitur, quasi Byzantia, ut opinor. Amia enim Byzantia in precio habebatur. Ab alijs Boniton, Rondeletius.

GERMANICE circunscribimus: Ein art der blawfischen im meer / den Macrillen oder den Tunijnen geleych: mag ein Streymtunijn geheissen werden / vonn wägen der schelwen schwartz=

ſchwartzlachten ſtreymen/welche von ſeinem rucken gegen dem bauch ſich ſtreckend.



POMPILVS, πομπίλος, dicitur piſcis ab Athenæo, Aeliano, Oppiano, alijsq; Græcis: & inter Latinos Plinio: qui à quibuſdam inter Thynnos eum numerari ſcribit. Verùm hi, meo quidem iudicio (inquit Rondeletius) ſimilitudine decepti fuerũt. Pompilus enim alius eſt à Thynnis & Pelamydibus, etſi eis quodammodo ſimilis eſt. ¶ Thynni (inquit Plinius) ſæpe nauigia uelis euntia comitantes, mira aliqua dulcedine per aliquot horarum ſpacia & paſſuum milia à gubernaculis non ſeparantur, ne tridente quidem in eos ſæpiùs iacto territi. quidam eos qui hoc è Thynnis faciant, Pompilos uocant. ¶ πέμπειν Græcis mittere & deducere eſt: unde nomen πομπὸς, uiæ deductor, & ab hoc rurſus πομπίλος piſcis, qui nauigia uſq; in portum comitari & deducere perhibetur. Gregatim quidem naues circum ſiliunt, & curſum earum ſequuntur miro ſtudio. ubi terram præſenſerint, relictis nauibus in pelagus redeunt. hinc nautæ terram propè eſſe certò cognoſcunt: & ex eorundem comitatu, placidum tranquillumq; mare futurum ſibi promittunt. Itaque pro piſce ſacro habetur. alij tamen alium ſacrum piſcem (ab Homero dictum) interpretantur. *Sacer piſcis.*


Quæcunque de Pompilo ueteres tradiderunt, (ut ſunt, naues in pelago comitari, uarium eſſe, ſupercilijs aureis, Pelamydi ſimilem,) ea omnia piſci à ſe exhibito conuenire, Rondeletius aſſerit.

Penultimam in Pompilo Græci omnes corripiunt, Ouidius in Halieutico produxit.

GALL. Maſsilienſes piſcatores corruptè Pampalum uocant, Gillius.

GERM. F. Ein Leitfiſch/ein Schiffleiter/oder Schiffgſell.

In hac icone Gladij piſcis roſtrum expreſſum eſt ad imaginem à Io. Caio Anglo nobis miſſam: reliquum uerò corpus, ut à Rondeletio exhibitum eſt.



GLADIVS à Plinio & Gaza uertitur Græcorum Xiphias, qui & Galeotes alio nomine dicitur. Ξιφίας uel Σκιφίας, ut Αἰνείας. Γαλεώτης ut Χρύσης. Roſtrum eius oblongum gladij figuram præ ſe fert. Tomus Thurianus, quem alij Xiphiam uocant, Plinius: ut Hermolaus emendauit, cũ uetus lectio eſſet Tynnus, Tranus, quem alij Xiphiam uocant. ego legerim, Thynnus, (ne piſcis tam nobilis Pliniano catalogo deſit:) Thranis, &c. nam & Xenocrati Thranis, idem qui Xiphias eſt. Græci de parte piſcis conciſi τέμαχος potiùs quàm τόμον dicunt. Carchariæ canis pars eſt qui à Romanis Thurſio uocatur, ſuauiſsimus ac tenerrimus, Athenæus. Græcè θυρσίων legitur: Hermolaus tomum ſeu pulmentum Thurianum tranſtulit. Cauendum igitur ne cum Gladio confundamus Phocænam, quam Latinè Gaza interpretatur Turſionem, (aliâs Tirſionem, uel Tyrſionem. Item ne cum Cane carcharia, aut Galeo. Ex Thynnorum uenatione pingueſcere aiunt Galeotas, quos & Xiphias uocant, & Canes, aiunt, Strabo lib. 1. Grecè ſcribitur, ἐκ δὲ τῆς θήρας αὐτῶν πιαίνεσθαι τοὺς γαλεώτας, οὓς καὶ ξιφίας λέγεσθαι καὶ κύνας φασίν. Euſtathius legit, οὓς καὶ ξιφίας φασὶ καὶ κύνας καλοῦσιν, inuerſis nimirum uerbis, pro οὓς καὶ ξιφίας καλοῦσι, καὶ κύνας φασί. Saluianus hæc uerba οὓς καὶ ξιφίας λέγεσθαι parentheſi includit, ut uerbum φασί, non ſolum ad πιαίνεσθαι, ſed etiam ad ξιφίας λέγεσθαι referatur, non autem ad κύνας. ut ſenſus ſit, ex uenatione thunnorum tum Galeotas (aliâs Xiphias dictos) pingueſcere, tum etiam Canes, nimirum Carcharias. Θορηνεύς, Xiphias piſcis, Heſychius.

Fieri quidem poteſt ut Xiphiæ alio nomine ideo Galeotæ dicti ſint, quòd ſicut Galei canes (id eſt, Muſtelæ,) cæteros piſces perſequãtur, & forſitan alicubi etiam Canes eandẽ ob cauſam, ſiue ſimpliciter, ſiue cum adiectiuo ξιφίαι: ſicut & καρχαρίαι κύνες dicuntur: ut Strabonis uerba non eo quo diximus modo accipiantur, ſed ſicut Euſtathio placuit, Galeotas alijs nominibus tum Canes tum Xiphias appellemus. Aelianus de animalib. 13.4. è Meſſenia Menandri hos uerſus recitat: Ἐάν με κινῇς, καὶ ποιήσῃς τὴν χολὴν Ἄπαξ ἄν, ὥσπερ καλλιωνύμου ζέσαι, ὄψει διαφέρων τοῦ ξιφίου κυνός. uerſus quidem poſtremus apparet corruptus, legi poteſt, ὄψει διαφέρειν με ξιφίου μηδὲν κυνός. ¶ Aelianus Xiphiam inter Iſtri piſces numerat: in quo flumine hodiéque hunc piſcem capi circa Gomorrham (Komaram fortè) oppidum, ſupra Budam, rarò tamen, & paruum, uix tribus dodrantibus longiorem, teſtis quidam oculatus mihi affirmauit.

GRAECIS hodieq; Ξιφίας appellatur.

ITAL. Venetis Spada, Genuenſibus Imperator.

GALL. Ab accolis Oceani Heron de mer, id eſt, Ardea marina. Burdegalẽſibus Grand Eſpadas. Maſsilienſibus (ut Italis) peſce Spada. Circa Monſpelium Emperador, ut Genuenſibus, quòd gladium, ueluti imperatores picti, gerat. Alius uerò eſt piſcis ex Galeorum genere, Vulpes nimirum, quem in Prouincia & circa Monſpelium Spatam uel Peis Eſpaſe uocant, cuius cauda gladij ſimilitudinem præ ſe fert.


GERMANICE. Schwertfiſch. Noſtrates Militem uocant, Albertus: qui alibi Teſtudinem mar. aut eius ſpeciem quandam uulgò Militem uocari ſcribit.

ANGLICE Schwerdefiſſhe.

Alia minus accurata Gladij effigies, qualem olim ab amico accepimus.



GLAVCVS (maior hexacentrus,) Rondeletio: à colore glauco, id eſt, cœruleo, dictus. γλαῦκος. Dorſo eſt planè cœruleo. Statim à capite aculeos habet, quorum primus in anteriorem partem uergit: quinque alij ad caudam ſpectant, breues, ſed acuti, nulla membrana connexi, Rondeletius. *Glaucidium.* Glaucidiũ, Glaucus eſt paruus: (Glauciſcus uerò alius uidet̃ eſſe quàm Glaucus,) Rondeletius ſpeciem alteram priuatim ſic nominat. ¶ Cæterùm quòd Aelianus ſcribit, Glaucum piſcem fœtus ſuos timentes ore admittere, quod propter dorſi aculeos non eſt probabile, Rondeletius nõ de hoc Glaucorum genere ſed de Canicula glauca accipit. Ariſtoteles Galeos & Torpedinem hoc facere ſcribit. Solus (inquit)




quit) ex Galeis Acanthias non recipit propter ſpinam, &c. Omnia quidem (inquit Saluianus) quæ à ueteribus Amiæ tribuuntur, huic piſci probè conueniunt: nec obſtat, ut ſibijpſi obijcere uidetur Iouius, quòd cum gregalis ſit Amia, iſte noſter Romæ ſæpe ſolitarius capiatur: quando uti non omnis maris locus ſingulis piſcibus accommodus eſt, ſic haud ubique gregales appellati piſces, gregatim reperiuntur: nec eorum qui in congruis ſibi locis gregales habentur, in locis alijs ſolitarios nonnullos reperiri inconuenit. Verùm cum Amiæ à ueteribus attributa (ſi earum cum Delphinis pugnam, cuius Aelianus & Oppianus meminerunt, quam neque hunc noſtrum, neq; ullum alium piſcem cum Delphinis committere, obſeruare potuimus, exceperis) eiuſmodi ſint, ut pleriſq; etiam alijs piſcibus cõuenire poſsint, haud ſolùm ex eis hunc piſcem noſtrum, Amiam eſſe fatendũ eſt. Sed ſi præter hæc animaduertatur, ab Ariſtotele & Plinio (Amias cum Thynnis & Pelamidibus Pontum intrare, ęſtatemq; ibi traducere aſſeuerantibus) & ab Oppiano (eas cum Thynnis in robore conferente) Amias Thynnis & Pelamidibus ſimiles eſſe innui: uti nulli piſcium quæ Amiæ attribuuntur, & Thynno ſimilem eſſe, magis quàm huic noſtro reſpondent, ita ipſum, Amiam eſſe, aſſerere poſſumus. Hæc ille. Sed alia eſt Rondeletij Amia, uerior, ut mihi uidetur.

ITAL. Romæ & in Liguria Lechia uel Leccia uocatur, Rondeletius (& Saluianus.) Idem mox in Glauco ſecundo à Romanis Lopida uocari dicit hunc piſcem. Laccia quidem eſt Thriſſa. ¶ De genere Anthiarum ſunt (inquit Bellonius) piſces plani & lati, quos uulgus Romanum Lopidas & Leczias appellat: quorum ut rariores quidem Lopidæ, ſic etiam maiores: Stellæ uerò, minores, non uſqueadeò frequentes: Lecziæ frequentiſsimæ ſunt, quas cum his piſcibus libenter contulerim, quibus Maſsilienſes Lampugarum *(ſed falſò, Rondeletius)* nomen indiderunt.

GALL. Circa Monſpelium, Derbio. A Prouincialibus Biche, & Cabrolle, & Damo, *(quaſi Capreolus & Dama, neſcio quam ob cauſam.)* A quibuſdam Lampugo, ſed falſò, uocatur, Rondeletius. Lecziæ Romæ frequentiſsimæ ſunt, quas cum his piſcibus libenter contulerim, quibus Maſsilienſes Lampugarum *(ſed falſò, teſte Rondeletio)* nomen indiderunt.

ILLYRICE Polauda.

GERM. Glaucis Rondeletij tribus, unum commune Germanicum nomen finxerim, **Groß Meerſtichling**. uel à colore **Meerblawling**. Sunt enim magni piſces marini, & in dorſo aculeos habent, ſimiliter ut fluuiatiles piſciculi, quos **Stichling** Argentinæ nominant.




GLAVCI ſpecies II. quæ ſuperioris magnitudiem nunquam attingit, unde Glaucidium forma diminutiua dici poteſt.

ITAL. Romanis piſcatoribus Stella dicitur.


GALL. Circa Monſpelium Palamide uel Vadigo.

GERMAN. F. **Die ander art der groſſen Meerſtichlingen.**



GLAVCI ſpecies III. à ſecunda non multùm differt, niſi quòd huic dentes ſunt acuti, linea à branchijs ducta, longè magis flexuoſa tortuoſaq; eſt; à qua (diſtinctionis gratia) Glaucum ſinuoſum appellabimus, Rondeletius.

GERM. **Das dritt geſchlecht der Meerſtichlingen.**



ANARRHICHAS, Oceani Germanici piſcis magnus, à nobis uocatus. Huius iconem ad ſceleton Ge. Fabricius ad me miſit, & deſcriptionem adiecit. Hic piſcis (inquit) à Balthicis populis ſuo nomine Σκόπελος dicitur. Klip enim ipſorum lingua ſcopulum ſignificat. Vnde

Klipfiſch.

Klipfiſch dicitur, uel quòd ſcopulos aſcendat: id enim facere fertur: uel quòd in ſcopulis latitet. E naribus paruæ quaſi fiſtulæ, quas ex arenis ruſtici faciunt, eminent: & propter ſuperiores dentes in capite tuberculum eſt. Dentibus imprimis terribilis, quos non ſolùm in mandibulis, ſed faucibus quoq; & lingua geſtat. anteriores rotundi & acuti, reliqui molaribus humanis ſimiles, niſi quòd in media fauce (*medio palato*) noſtris ſunt grandiores. poſiti autem ſunt duplicata ſerie omnes, in inferioris mandibulæ parte una, octo, & in altera annexa quinq;: neq; aliter in parte è regione oppoſita. ſuperior mandibula plures acutos habet propter fauces: in quibus tres duplicatæ ſeries, media parte præcipuè decem grandibus molaribus munita: quin in lingua ipſa molares ſunt. Reliqua ex pictura apparent. Voracem & ualidum eſſe apparet, cum aliâs, tum caudæ ictu. ¶ Ego Anarrhicham uocare uolui, (id eſt, Scanſorem,) à Græco uerbo ἀναῤῥιχᾶσθαι, quod propriè manibus pedibusq; nitentem & prenſantem, hoc eſt, omni ui corporis, in ſublime ſcandere ſignificat.

Hippurus.

Licebit & Hippurum Oceani nominare: quòd multa cum Hippuro illo, quem Rondeletius exhibuit, (uero, ut arbitror, ueterum, quem dedimus ſuprà pag. 75. Ordine V.) communia habeat: ſi modo non prorſus idem eſt, ſed in Oceano maior: quanquam eicones parum ſimiles uideantur. ad ſceletum enim expreſſa eſt, quam G. Fabricius miſit. Primùm communis eſt utriq; oblonga & continens una à capite ad caudam uſque extenſa pinna: quam in Hippuro ſuo notã præ alijs omnibus piſcibus (*Tænias excipimus*) illuſtrem & ſpectabilem eſſe ſcribit: & ab hac ipſa Hippuri nomen impoſitum putat: quòd caudæ equinæ (inquit) ſimillima ſit, id eſt, longa continens, uilliſq; multis conſtans, cuiuſmodi in nullis alijs piſcibus reperitur. ¶ Apparet autem in noſtra pictura, non ſolùm talis in dorſo pinna, ſed etiam alia in uentre, quæ ſimiliter à capite ad caudam uſque producitur, ut non ſolum pictura oſtendit: ſed Fabricius etiam in deſcriptione his uerbis, ſuprà omiſsis: Dorſum pariter & uenter à fine capitis uſq; ad caudæ extenſionem pinnas habent: quæ ſecundum corporis quantitatem, ipſæ quoq; paulatim minuuntur. Hoc ſi uerum eſt, & non in ſceleto aliquid aliter quàm reuera ſe habeat apparuit, planè mirum & ſingulare fuerit. in Rondeletiano quidem, pinnæ ad branchias, illis quæ in uentre ſunt, proximæ apparẽt. hæ rurſus, cum oblongæ ſint, extremitate ſua podicem, & quæ ab eo ſequitur pinnam ferè attingunt. Habent aũt piſces omnes pinnas parte ſupina diuerſas. binas primùm (ſi Hepatum & Tæniam Ariſtotelis excipias:) deinde unam à podice, Teniarum genere excepto. Quamobrem uiros literatos, qui iuxta Balthicum mare habitant, ut diligentiùs in hanc rem inquirant, adhortor. ¶ Hippurus quidem dictus fuerit hic piſcis, ſiue à dorſi pinna (ut diximus) caudæ equinæ quodammodo ſimili: ſiue διὰ τὸ ἵππου δίκην ὀξέως καὶ ἐξάλλεσθαι: hoc eſt, ab eo quòd Equi inſtar cum impetu & celeritate, ueluti q; ſaltu feratur. Ouidius Hippuros celeres cognominauit. Oppianus eos ſi quid in mari uagum & fluctuans uiderint, maximè ſi naufragæ nauis, diſiecta oberrent fragmenta, ſtatim frequentes proximè comitari canit, &c.

Coryphæna.

Vocatur & Coryphæna, ſiue ut Rondeletius putat, quòd pinna dorſi mox à uertice (quem κορυφὴν Græci uocant) ueluti criſta incipiens, erigatur: ſiue, ut nos conijcimus, à magnitudine uerticis ſeu capitis ſui ad reliquum corpus. à cauda enim uerſus caput paulatim augetur & eleuatur, quod Græci dicerẽt κορυφοῦται, Heſychius interpretatũ αὔξεται, ὑψοῦται: & κορυφὴν, κεφαλὴν, λόφον. A tali figura, Cotto etiã fluuiatili piſciculo nomẽ factum uidetur. Hippurus (inquit Rondeletius) à capite ſenſim tenuior fit ſtrictiorq;: id quod in eicone ab eo poſita, nõ tam clarè, ut in noſtro Anarrhicha apparet: fortè quia noſter ad inueteratum expreſſus eſt: caput autẽ uetuſtate non ita contrahitur, ut reliquæ partes quæ carnoſæ ſunt.

Ἀρνευτής.

Ab eadem nimirum figura, Ἀρνευτὴς appellatur: quòd urinatorum, uel agnorum (ἀρνῶν) ſalientium inſtar, in caput pronus feratur, ſiue per ludum, ſiue dum perſequitur piſces; carniuorus enim eſt, quamobrem naufragia ſectatur.

ctatur, ad talem quidem motum ſaltumq; corpus egregiè compoſitum habet. ¶ Dentes etiam in maxillis, palato, & lingua, ut noſter habet, ita ſuo Hippuro Rondeletius tribuit: ſed exiguos tantùm & acutos, ut os etiam mediocre. ¶ Ad quam magnitudinem noſter perueniat, certi nihil habeo: Eicon à Fabricio miſſa, dodrantem ferè trium menſuram æquat. Ariſtoteles Hippuri ex ouis fœtus è minimis celerrimè in maximos euadere ſcribit. ¶ Hippurus ueterum in ſpeluncis latet, hyeme præſertim: noſter etiam in ſcopulis latitat. Sed ſcopulos etiam ſcandere, de ſuo ueteres non prodiderunt: unde uel naturam eius nondum plenè ueteribus exploratam fuiſſe; uel noſtrum hunc non eundem, ſed cognatum eſſe piſcem, ſuſpicor. ¶ Hippurus ueterum pingui, ſuaui & dura eſt carne: qualis Thynnorum Glaucorumq; eſt. Hæc præter propoſitum prolixiùs exponere uolui: ut hominibus eruditis Oceani accolis (quales iam non paucos Germania noſtra habet) certiùs omnia indagandi occaſionem præberem.

ORDO IX. DE PISCIBVS CARTILAGINEIS PLANIS: PRIMVM DE RANA PISCATRICE, PASTINACIS, TORPEDINIBVS, SQVATINA: deinde de Raijs diuerſis.


DE PISCIBVS CARTILAGINEIS QVAEDAM IN GENERE.



CARTILAGINEA nominamus Aquatilium quæ neque ſpinas, ut propriè dicti piſces: neque oſſa, ut Cete habent, ſed cartilaginem duntaxat; & nec ſeuum, nec adipem, ut Athenæo placet. itaque differunt à longis quibuſdam piſcibus, qui quanuis Galeorum generis non ſint, cartilaginei tamen uidentur: ſed pinguedinem habent, ut Rondeletius annotauit. Ariſtoteles σελάχη (τὰ) hoc genus nominat, (παρὰ τὸ σέλας, ut Aëtius docet, quòd noctu ſplendere uideantur: uel παρὰ τὸ ἔσω λεχάζειν, ut Suidas quoniam oua concepta intra ſe excudunt, & fœtus uiuos pariunt:) & alibi χονδρακάνθα, σελαχώδη: ut Oppianus, σελάχεια. A piſcibus quidem propriè dictis diſcernit, cum ſcribit: inter piſces, fœcundiſsima Mænis eſt: cartilagineorum autem Rana. Alibi non diſtinguit: ut, Squamoſi omnes ouipari ſunt: cartilaginei uerò, τὰ σελάχη, omnes uiuipari, excepta Rana. ¶ Cartilagineorum rurſus, alia plana ſunt, de quibus in præſentia dicemus. alia longo corpore, de quibus poſtea. ex longis maiores ad Cete accedunt, ut Canicula, Lamia. Et ita quidem ueteres diuiſerunt. Sed uidetur inter duo hæc genera, etiam medium quoddam eſſe, quod ſpecies aliquot piſcium rotundæ ſeu ſphæricæ figuræ comprehendat: de quibus etiam ſeorſim agemus. Bellonius ex Cartilagineis quoſdam ouiparos facit: Attilum, Collanum, Silurum, Sturionem: quibus & Lampetra addi poterit. qui omnes è mari flumina ſubeunt: & non propriè σελάχη dicuntur: pinguedinem enim pleriſque habent. ¶ Ex propriè cartilagineis, ſola Rana, ut diximus, Ariſtoteli uiuipara eſt. quare eam primo loco poſuimus, ut piſcibus hactenus deſcriptis, qui omnes ouipari ſunt, uicinior eſſet, uelu ti ἐπαμφοτερίζων.

CARTILAGINEA (inquit Saluianus) in Aquatilium duntaxat genere inueniuntur. Græci Σελάχη uocant, ἀπὸ τοῦ σέλας ἔχειν, Galeno teſte: quoniam cutis eorum (aſpera) noctu ſplendicat. Et hæc quidem omnia ſquamis carent: & inſuper pleraq; cute aſpera ſunt. quoniam enim ſpina cartilaginea conſtant, terrenam portionē natura inde ad cutē tranſtulit, inq; eius aſperitatē abſumpſit. Nonnulla uerò læui cute teguntur, ut Rana marina, Torpedo, Paſtinaca, Aquila, Læuiraia, & Læuis Muſtelus. Os pleriſque antè & ſupinum eſt. quamobrem niſi conuerſa reſupinentur, cibum corripere nequeunt: qua re nō ſolùm aliorum piſcium ſaluti cōſulitur, (rapina enim piſcium omnia hæc uiuunt,) qui dum illi ſe cōuertunt effugere poſſunt: ſed etiam ipſorum, ne nimia uoracitate pereant. Aliquibus tamen in extremo roſtro os poſitum eſt, ut Ranæ marinæ, Squatinæ, Lampetræ. ¶ Branchias detectas omnia habent: ſpinea enim aliorum integumenta ſunt, hæc autem ſpina carent. Habentur autem branchiæ cartilagineis planis quidem parte ſupina: longis autem ad latera; utriſq; duplices & quinæ utrinq;. Iecur duplicatum habere uidentur, idq; adipeum. adipe quidem diſcreto, qui carni uentri'ue hæreat, nullo pingueſcunt. Fœminæ uuluas habent ea ſpecie, qua aues. In hoc genere nec fœminæ ſuos conceptus, neq; mares ſuum ſemē ſpargere uiſuntur. ſemine enim minimè abundant. Superfœtant. Vterum menſibus complurimū ſenis ferunt. Sub partum repetunt litus & uada, relicto pelago, &c. Hæc omnia Saluianus. Etrurſus: Plani piſces dicuntur (inquit) à Columella proſtrati & cubantes, qui non ut cæteri, erecti, ſed ueluti proſtrati atq; iacentes (ſua latitudine) natant. Horum alij ſpinoſi ſunt, ut Paſſeres: alij cartilaginei, ut Raiæ: Ariſtoteles πλατεῖς κερκοφόρους, id eſt, latos & caudatos nominat.

Imago à Rondeletio proposita.



Alia eiusdem pictura ad sceleton: in quo nimirum quædam, partim arte distorta sunt: partim ariditate, &c. Hanc misit Ge. Fabricius, qui ab eo quòd capite tantùm & cauda constare uideatur, Cephalurum appellari posse, ad nos scripsit.




RANA piscatrix, uel marina, aliquando simpliciter Rana, ubi scilicet de marinis sermonem esse constat, Plinio, Ciceroni. Græcis βάτραχος simpliciter, uel cum epitheto ἁλιεὺς, id est piscatrix: nam ἁλίας non placet: ἅλιος quidem dici posset, sicut & θαλάττιος in Admirandis narrationibus Aristotelis. ¶ Piscatricis nomen (inquit Rondeletius) à piscandi solertia inuenit: Ranæ uerò à Ranæ palustris nuper natæ (quam Græci Gyrinum uocant, priusquam cauda siue posterior pars in posteriores pedes degeneret) similitudine. capite enim caudaq; tantùm constare uidetur, ut etiam Cottis fluuiatilibus piscibus aptissimè comparari posit. ¶ Cum cæteri cartilaginei animal pariant, Rana sola, Aristotele teste, ouipara est. caput enim multò maius reliquo corpore habet, idq; aculeatum, ualdè asperum. quamobrem neque postea catulos suos recipit, neq; initio animal parit. ¶ Non minor quàm Torpedini solertia Ranæ quæ in mari piscatrix uocatur. eminentia sub oculis cornicula turbato limo exerit, assultantes pisciculos pertrahens, donec tam prope accedant, ut assiliat, Plinius.

ITAL. Hodie quoque à Neapolitanis Rana piscatrix dicitur, Rondeletius: uel Piscatrix (tantùm,) Gillius. Romæ Martino piscatore. A Liguribus, piscis piscator, (pesce piscatore, Saluianus,) Gillius. Epidaurij (Ragusini) ob deformitatem & fœdum horridumq; corporis aspectū Diabolum marinum (Diauolo marino, Saluianus) uocarunt, Bellonius: eodem nomine aliqui Acum Aristotelis nominant. Hodie ab incolis Istriæ piscis Rospus appellatur, Massarius. sed Itali etiam Aquilam piscem Rospum, id est Bufonem, uocant, ut tradit Bellonius. Siculi uocant Lamiam, Gillius: nescio qua ratione, nisi ab ore admodum hiante, uel à uoracitate. Lamiam quidem hodie aliqui Canem carchariam nominant, &c.

HISPAN. Lusitani Xarocho: uel, ut Saluianus habet, Emxarroco.

Rursus

Rursus alia, qualem Venetijs aliquando depictam ab amico accepi. coniicio autem ad piscem aridum factam esse.



GALLICE. Masſilienſes Bodroyum,(Baudroyum,Bellonius) hoc eſt Batrachum, corruptè uocant, Gillius. uel, ut Rondeletius ſcribit, Baudroy, à lato & amplo oris rictu, quo marſupium refert, quod baudrier uernacula lingua nominatur. Burdegalenſes, Peſcheteau, quaſi Piſcatorem paruum. Monſpelienſes, Gallanga.

GERMANICE, ut accepi, Tôrſch: niſi id nomen Aſelli cuiuſdam in Oceano generi capitato potiùs tribuendum ſit. ¶ Seetode, id eſt, Rubetā mar. ANGLICE: (*Germanus diceret Meerkrott*,) à rictu nimirum ſimiliter patente, GALLICE eâdem ſignificatione Crappe uel Crappaude, uocatum piſcem ſe uidiſſe aridum, uir doctus quidam mihi retulit: totum capite & cauda conſtare, triplicem habere ordinem dentium, linguam quoq; dentatam, cadaueribus hominum ueſci: & hominibus natantibus inſidiari, quos membro uirili apprehēſos ad profundum detrahat ac deuoret. ¶ Licebit aliarum gentium uocabula interpretando ſequi & nominare, **ein Meerkrott/ ein Meerteüfel/ein Tâſchemaul.**



PASTINACA dicitur à Plinio & Celſo: quæ Græcè τρυγὼν, tanquã Turtur. quo nomine Latino ꝓ Paſtinaca Ambroſius in Hexaëmero, & recētiores quidam uſi ſunt. Dictam autē Paſtinacā puto (inquit Rondeletius) à caudæ colore rotũditateq́; (*& longitudine, Saluianus,*) Paſtinacæ radice ſimili. Τρυγόνα uerò non à colore, ut quidam (*Bellonius & Saluianus Turturem à tergoris colore, ac quibuſdam ueluti expanſis alis, in eiuſdem nominis auis ſimilitudinem, dictam conij ciunt*) ſcripſit: nam piſcis hic flaueſcit, ſed ab alarum expanſarum ſimilitudine tantùm. Sunt qui Columbam marinam appellent. Vide in Italicis. Paſtinaca cum natandi eſt cupiditate affecta, natare poteſt: cum rurſus uolandi ſtudio tenetur, ſurſum uerſus ſublimis uolat, Aelianus. unde à ſimilitudine fortè auis uolantis, Turturem Græcè nominatam aliquis coniecerit. ſed Saluiano eam uolare uerîſimile non fit, quòd grauis & ad uolandum inepta uideatur. ¶ Eius ſpecies duæ ſunt: quanuis antiqui unius duntaxat meminerint, uel ob ſimilitudinem non diſtinxerint. neq; enim facultatibus, neq; caudæ aculeo differunt, ſed roſtro tantùm & capite, Rondeletius. De harum altera, quæ maior eſt, agemus proximé. Bellonius tres ſpecies facere uidetur. Maiorem primùm, quam Aquilam nominat. deinde minorem, quam in læuem & aſperam ſubdiuidit. Nos mox in Aquila (Paſtinaca altera) aſperæ cuiuſdam Paſtinacæ caudam, ſex dodrantibus longiorem exhibebimus: ut aſpera etiam forſan duplex ſit: una minor, Bellonio nota: altera maior, eidem alijsq́; ſcriptoribus hactenus incognita

Turtur. *Colũba mar.* *An uolet.* *Species duæ, aut plures.*

ITAL. Romani Bruchum nominant, Genuenſes (ut & Maſsilienſes) Ferraſſam, (Ferrazza,) Bellonius. Romani Bruccho, Siculi Baſtonaga, Rondeletius. Veneti piſcem Columbum (peſce Palombo, Saluianus) appellant, Maſſarius. Rondeletius Orbem piſcem, Venetis Columbam uocari ſcribit: & ſimiliter Galeum læuem Romanis. Ferraſam Ligures uocant, Gillius. Rondeletius Ferrazam ſcribit. ſic autem nominata uidetur, quòd eius cauda mucrone oſſeo ad uulnerandum, ut haſta ferreo, muniatur. Arma ut telum perforat, ui ferri, & ueneni malo, Plinius.


GALL. Circa Monſpelium Paſtenago uocant. Prouinciales nonnulli Baſtango uel Vaſtango. Maſsilienſes Bougnette: quia farina conſperſa & in ſartagine fricta, itrij genus quod uulgari lingua bougnette uocant, referat. Galli Raiam, ob ſimilitudinem, quam cum Raijs habet. Burdegalenſes Tareronde, Rondeletius. Lutetiæ (ubi uerno præcipuè tempore frequentiſsima eſt) nullo præterquàm Raiæ nomine diſcernitur, ac cum Raijs in foro piſcario nullo diſcrimine diuendi ſolet. quanquam Burdegalis & Baionæ Taram rotundam appellant: ad diſcrimen Aquilæ, cui Taræ francæ nomen indiderunt. Maſsilienſes ac Genuenſes Ferraſſam nominant, Bellonius. Taræ nomen Aquitanis in uſu, factum uidetur à Turture aue: quæ Hebraicè Tor, Italicè Tortora dicitur. Maſsilienſes tum maiorem, tum minorem Paſtinacam, Glorinum appellant, Gillius. Dicunt autem fortè Glorinum, quaſi glorioſum ſeu ambitioſum piſcem: nimirum quòd caudæ radium erigat, ut ceruicem ac criſtas ſuperbi & ambitioſi milites ſolent: & pleroſque cæteros piſces facilè præ ſe contemnat.

DALMATAE Laccizza, Rondeletius.


ANGLICE A Poffen, ut audio.

GERMANICE Ein schwartzer Rocche, hoc est Raia nigra, ut Valerius Cordus interpretatur. Raiæ enim (inquit) figura non admodum dissimilis est, nigrior, & longiore cauda. Germani inferiores quidam uocant een Peilstert: quæ uox sagittæ caudam significat. Stert quidem cauda est: & piscis huius nomen Flandris sua lingua caudam muris significare, author est Rondeletius. Flandri fortè pronunciarent een Ratte point. Genuenses quoque Aquilam pesce Ratto uocant. Dortedauben (id est, Turtur) alicubi ad oram Germaniæ dictus piscis, Pastinaca fortè, aut eiusdem generis fuerit. cum aëre durari solere aiunt. Ego Germanicum regioni nostræ conueniens huius piscis nomen confinxerim, Gifftrocche, id est, Raia uenenata. uel Stachelrocch/uel Angelfisch, ab aculeo siue radio in cauda uenenato. Sic & Pastinacam maiorem, (quam aliqui Aquilam marinam uocant,) interpretari licebit Adlerfisch, uel Krotterocch, (capite enim buffonem refert,) uel grosser Angelfisch. (quò minùs enim Meeradler interpreter, Haliæetus auis facit: quam Angli uocāt an Osprey.) Quanquam autem & alij multi pisces in diuersis corporis partibus aculeati sunt, nihil uenenatius tamen Pastinacæ aculeo: ut meritò per excellentiam illa à ueneno aculeó ue factum nomen sibi uendicet. quod si quis Venetorum nomen interpretari, & Columbam marinam appellare uoluerit, ein Meertaube, per nos licebit.

Pastinacæ alterius, (uel Aquilæ,) eicon à Rondeletio exhibita.



Alia eiusdem effigies, à Bellonio exhibita.



PASTINACAE species altera, Pastinaca maior. Aquila, Ἀετός, ut Bellonio placet: quanquam Rondeletius Aquilam esse negat, & simpliciter secundam Pastinacæ speciem facit. Aquilam uerò esse suspicatur, non affirmat, Raiam clauatam suam. ¶ Aquila hic piscis est, inquit Saluianus. nam præter nomina uulgaria, quæcunq; ueteres Aquilæ tribuunt, respondent: et alis suis expansis uolantem aquilam imitatur, nec propterea quòd proximè ad Pastinacæ accedat similitudinem, eius species altera (ut falsò arbitrantur nonnulli) censeri debet: quando manifestis adeò notis ab ea distinguitur, ut diuersa species statui, atq; Aquila appellari iure posit & debeat, Saluianus. Ego simul Aquilam hunc piscem appellare, simul alteram Pastinacæ speciem statuere minimè absurdum censeo.

Rursus alia eiusdem pictura, à Cor. Sittardo nobis communicata.




Aquila (inquit Saluianus) caudam multò tenuiorem & longiorem habet quàm Pastinaca: unde forsan Genue pesce Ratto appellatur, quia murinam caudam habere uideatur. Os subtus habet, nec nisi supinus uescitur: unde tum ob id, tum quia haud admodum celer est, cum pisces, quibus uescatur, haud difficilè assequi possit, astu eos uenatur. nam Pastinacæ instar latrocinatur ex occulto, transeuntes radio caudæ figens. quem quidem radium non secus quàm Pastinacæ perniciosum atq; pestiferum non solùm piscibus, sed & hominibus esse arbitrantur. unde ubique captis Aquilis, non minùs quàm Pastinacis, cauda statim à piscatoribus abscindi solet.

ITALICE. Romani & Neapolitani Aquilam uocant, Rondeletius. Romanorum uulgus Aquilonem: Genuenses ab oblonga & ferè murina cauda, duarum ulnarum longitudinem interdum excedente, pesce Ratto nominant. ILLYRII lingua utentes Italica, Rospum (hoc est Bufonem) marinum, à capitis bufonem referentis similitudine uocauerunt, Bellonius. A Genuensibus Rospo & pesce Ratto uocatur; à nonnullis Rate penade, Rondeletius.

GALLICE. Ab Aquitanis Tare franke. ab alijs Falco, ab alijs Erango & Ferraza, Rondeletius.


GERM.

GERM. Ein grosser Peilstert/ein grosser Angelfisch/oder Stachelroch/Gifftroch/ꝛc. Vide paulò antè in Pastinaca simpliciter dicta.



SVNT qui Aquilam (Pastinacam maiorem) in cauda non unicum ut Pastinaca, sed binos radios habere putent, ut in figura præposita à Cornelio Sittardo transmissa apparet.

GERM. Das hinder teil oder Stert von einem grossen Peilstert oder Gifftroch.



HVIVSMODI quoque caudam Cremonæ in cœnobio diui Petri iuxta Padũ se uidisse amicus quidam mihi retulit, Pastinacæ scilicet maioris, &c. Longa est hæc cauda in pictura quã habeo, dodrantes sex cum palmo: lata circa initium, digitos ferè tres. Radius maior, longus palmos duos, uel paulò plus. Bellonius quoque hanc picturam apud me contemplatus, permultas huiusmodi caudas Pastinacarum asperarũ, clauis quales in Raia sunt, armatas, Arimini apud Iulium Moderatum, pharmacopolam doctissimum, se uidisse aiebat: addebatque Burchi illic uocari has Pastinacas: aculeos in cauda geminos habere, eosque contiguos, ita ut breuior sequatur, (si bene memini,) longior præcedat, contrà quàm hîc expressum est.

DE TORPEDINE IN GENERE.

TORPEDO nominatur à ui sua, Varrone teste: & ab eadem Græcis νάρκη, torporem enim siue stuporem contactu suo inducit membris, ui quadam occulta: nõ frigiditate, ut quidam putarunt. uiuæ enim duntaxat hæc uis est, extinctæ non amplius. Τέρπαινα etiam pro eodem pisce apud Aeginetam medicum legitur, quod à Latino deflexum apparet. Albertus hunc piscem Stupefactorem nominat: ut alij similiter mixobarbari Stuporem, Stupefacientem. ¶ Vi quidem sua non solùm tangentes alligat, sed per ipsum etiam rete obtorpefacientem grauedinem piscatorum manibus inducit. Procul etiam & è longinquo, (inquit Plinius,) uel si hasta uirgá ue attingatur Torpedo, quanuis præualidi lacerti torpescunt, quamlibet ad cursum ueloces alligantur pedes. ¶ Nec ipsa hanc uim suam ignorat, supinam sese in terram abijcit, & humi strata iacet immobilis tanquam mortua: & ita appropinquantes ad se torpore correptos, inuadit. Sæpe etiã in natantes medijs fluctibus pisces incurrens, celeritatem eorum sistit, & stupore astrictos deuorat. ¶ Torpedinum genera quatuor facimus: tria earum quæ maculis notatæ sunt: quartum eius quæ maculis caret. De fluuiatili (*cuius in Nilo Athenæus & Strabo meminerunt*) nihil hîc dicendum: à marina enim non differt, Rondeletius. *Turpana.*

ARABICE Rahade, uel cum articulo Alrahade uocatur. harada Hebræis stuporem significat. aliqui imperitiùs scribunt Rahas, Rahadar. ¶ Berulie, Thead aut Fead, Torpedinis apud barbaros quosdam nomina, nescio cuius linguæ sunt.

GRAECORVM uulgus Margotirem (*Narcotêrem*) appellat, Bellonius.


ITAL. Veneti (*apud quos rarissimè capitur, Bellonius*) Sgramfum à torpescentis membri affectu

appellant. Romani modò Battipotam, modò Foterisiam, frequentiùs uerò Oculatellam dicunt, Iouius. sed Oculatæ nomen primis tantùm duabus à Rondeletio exhibitis speciebus attribuerim. ¶ Venetijs uulgò Tremolo appellatur, à tremore: Romani uerò (me quidem latet unde id nomẽ traxêre) Batti potta, & Fotterigia dicere consueuerunt: & alijs in locis Itali, *(ut Apuli)* Torpedine, Matthiolus. Ligures Tremorizam nominant, Gillius. Istri Tremulam, Scaliger.

HISPANICE Tremielga, ut ab erudito Hispano accepi. alibi Hugia, ut Matthiolus scribit.

GALLICE. Oceano Gallico infrequens est Torpedo: Burdegalis nota, apud quos Tremble appellatur, quasi Tremulam dicerent, Bellonius. Massilienses Dormiliouse uocant, à stupore: Galli Torpille, Rondeletius. Gillius Massiliæ Turpilliam uocari scribit.


GERMANICA nomina fingimus ad eorum, quibus aliæ gentes utuntur similitudinem, **ein Zitterling oder Zitterfisch / ein Schläffer / ein Krampffisch.** Itali enim similiter (mutuati nimirum à nostra lingua) spasmum uocant gramphum, ut nostri **Krampff.**



TORPEDINIS (Oculatæ uel maculosæ) species prima à nobis posita est ea, cuius maculas efficiunt circuli albo nigroq; distincti: quorum medium oculi pupillam, maculæ totæ oculos planè referunt, Rondeletius. ¶ Plinius Torpedinis id genus quod in tergore sex, atq; interdum septem, *(Saluianus in sua icone, quinq; tantùm huiusmodi maculas pingit, ceu per angulos pẽtagoni digestas: & Rondeletius similiter in duabus suis primis,)* aut eo minùs maculas, quosdam quasi oculos referentes gerat, Oculatam appellauit, Bellonius. Torpedo à quinq; in dorso nigricantibus notis, Romæ Ochiatella *(aliqui Ochiatello scribunt)* uocatur, (quasi Oculata, uel Oculatella, ut Iouius habet:) sed alius piscis est Romę uulgò Ochiata, (id est, Oculata) dictus, nempe Melanurus, Saluianus. Verùm Oculatæ nomen non cuilibet Torpedini, sed primis duabus tantùm à Rondeletio exhibitis speciebus conuenire uidetur. ¶ Colore est ad rubricæ fabrilis colorem accedente.

ITAL. Romæ uulgò Ochiatella, ut iam diximus.


GALLICA & GERMANICA nomina eadem conueniẽt, quæ Torpedini simpliciter, huic & sequentibus speciebus, aliqua differentiæ, à maculis præsertim, nota adiecta. hanc igitur & secundam speciem uocabimus, **Spiegelschläffer**, uel **gespieglete Zitterling / rc.**



TORPEDINIS Oculatæ uel maculosæ species altera: quæ à superiori differt, quòd maculas nigras, rotundas, circulis non distinctas habeat, sed eâdem pentagoni figura dispositas. est etiam

am primæ concolor, Rondeletius. Plura lege in prima ſpecie.

ITALICE, GALLICE, GERMANICE: Lege quæ cũ ſuperiori adnotauimus. Ein anderer Spiegelſchläffer.




Eiuſdem Torpedinis maculoſæ, ut ſuſpicor, pictura ſupina, à Bellonio exhibita.




TORPEDO tertia, non oculata, ſed maculoſa tamen: magis uaria eſt quàm præcedentes. habet enim maculas diuerſarum figurarum, huc & illuc ſparſas & ſine ordine, Rondeletius.

ITAL. GALL. GERM. Vide quæ annotauimus cum prima ſpecie. Ein geflăckete art des Schläffers oder Zitterlings/hat keine ſpiegele wie die zwey erſten geſchlecht.

Iconem hanc Rondeletius exhibuit: ut & ſuperiores, ſupina excepta.




Eiusdem alia imago, à Cornelio Sittardo olim ad me missa. eam Romæ uulgò Motsargo & Fumicotremula nuncupari addebat.



TORPEDO quarta non maculosa.

ITAL. GALL. GERM. Lege annotata superiùs cum prima specie. Das vierdt geschlächt eins Schläffers oder Zitterlings/hat weder spiegele noch fläcken.

TORPE-



TORPEDINIS cuiusdam figura à pictore Veneto depicta, nulli illarum, quas Rondeletius pingit, similis; nec satis probè, ut suspicor, expressa.

GERMAN Ein gattung von den obgenanten Schläffern oder Zitterlingen: vilicht nit beym besten conterfeetet.

DE RAIIS IN GENERE.

RAIAE sunt inter planos cartilagineos notissimæ, maximeq; variæ. Latini nominis etymũ, nisi fortè à radendo Raia dicatur, nullum reperi. Βάτος & Βατὶς à Græcis dicitur, (utroq; nomine Plinius etiam utitur, ut & Raia Latino,) à rubi quem bάτον uocant similitudine. quemadmodum enim spinosus aculeatusq; est rubus: ita Raiæ omnes aculeos uncos in cauda gestant, aliquæ etiam reliquo corpore, Rondeletius. D. Ambrosius non rectè ad uerbum transtulit Rubum. Arnoldus Villanouanus Regem appellauit, nulla ratione, à Gallico Raye. ¶ Aristoteles Βάτου nomen præcipuè ponit, ubi de his loquitur, quæ ad utrunq; sexum pertinent: quum uerò de eo quod fœminæ tantùm proprium est, Βατίδα dicit. Raiæ omnes aspectu ipso deformes sunt: sed rusticis & ijs qui corpus graui labore fatigant, in cibo sunt utiles, plurimumq; nutriunt. Carent pinnis quibus natent. latitudine enim sua natant. ¶ Raiarum genera ueteres tria tantùm fecerũt: Raiam scilicet simpliciter dictam, Raiam læuem, & asteriam. Nos (inquit Rondeletius) diligentiùs clarioris doctrinæ gratia, in multò plures species distribuemus. Raiam igitur primùm in læuem & asperam diuidimus: deinde in Raiam stellulis notatam, & ijs carentem. sunt enim & leues & asperæ stellulis uariæ, aliæ minimè. Asperarum aliæ tactum modicè solùm uellicante lanugine: aliæ aculeis robustis, sed raris: aliæ aculeis robustissimis & densissimis asperantur. Rursus earum quæ stellulis notantur, aliæ binas duntaxat maculas habent, aliæ plures. Illæ binis maculis circumiectos oculos habent, ut in Buglossi & Torpedinis specie. Harum nonnullæ rotundæ, stellisq; pictis similes notas multas habent: quædam albis nigrisq; prona parte conspersæ sunt. Aculeis etiam uariè à sese differunt. aliæ in prona supinaq; parte aculeis armatæ sunt, aliæ in prona tantùm, aliæ in rostri supina parte: aliæ in nulla parte præterquàm in cauda: quorum ea est diuersitas, ut in alijs triplici ordine dispositi sint, in alijs simplici. Prætereà ipsorum aculeorum plures sunt differentiæ. Sunt quidam molles & imbecilli, pilorum uel lanuginis modo: nonnulli paulò ualidiores: alij robustissimi ex ossea planè substantia. Rursus alij longi & tenues, alij parui & uix supra cutem extantes, alij medio modo se habent. omnes ferè ad caudã spectant, longi ferè ad caput.

Rubus. Rex. Raiarũ genera. Aculeorũ differentiæ.


ITAL. Raia Venetijs Raggia nominatur.

HISPANI, ut Latini, & scribunt & pronunciant, Raia.

GALLI Raye.

GERMANI & Flandri Roch/uel Rocch potiùs. ab ea asperitate forsan indito nomine: nam Ruch nobis asperum est. Gothi Rocka. Haud scio an idem sit marinus piscis qui circa Rostochium in ora Balthici maris Ruch uocatur.


ANGLI A Thornebacke, à tergo spinoso. Eliotæ tamen Raia piscis Anglicè uocatur Raye aut Skeat: quorum prius nomen Gallicum est: posterius Squatinæ debetur.



RAIAE in Oceano & in mari mediterraneo plurimæ apparent. earum autem fœcunditatis causa (inquit Rondeletius) hæc est. Fœtum quidem unicum aut summùm duos uno partu edunt. sed præter ouum testaceum (*unum*,) quod hîc depingendum curaui, aut duo, quæ perfecta in inferiore uuluæ parte cernuntur, ex dissectione comperi permulta alia, & ferè infinita in superiore uuluæ parte haberi, quæ tempore perficiuntur: ex quibus, sæpius iteratis partubus, fœtus excluduntur.

cluduntur, atq; hæc fœcunditatis causa est eadem quæ in Gallinis, &c. Oua quidem in superiori uuluæ parte sine testa primùm concipiuntur, alia gallinaceorum magnitudine, alia minora, quædam uix ciceris. equidem plura centenis aliquando in Raijs singulis numeraui. Ex his quæ à perfectione propiùs absunt, in inferiorem uuluæ partem demissa, testa operiuntur: in quibus albumen primùm cum uitello confusum est, &c.

GERM. Die Bärmůter/oder der Bärdarm in den Rochen/sampt den eiern/wie die erstlich oben an der Bärmůter wachsend: darnach laßt sich ye das reyffest eins oder zwey hinab dareyn/vnd bekumpt ein schalen.




RAIA læuis, Λειόβατος (Gaza Leuiraiam uertit) corpore est tenui, & in amplissimas alas expanso: cute glabra læuiq;, id est ab aculeis nuda: præterquàm in locis prope oculos, quorum uterq; aculeo munitus est: itē excepta media dorsi linea, & cauda, &c. ¶ Bellonius (quem & Saluianus sequitur) Raiam læuem facit illam, quæ Massiliæ Flassada dicatur: eam Rondeletius Oxyrhynchum alteram facit. ¶ Quòd apud Athenæum Λειόβατος, ῥίνη (id est, Squatina) uocatur, mendum uidetur, Saluianus.

HISPANICE Liuda, à cute læui & pellucida. sunt qui Rasam uocent à glabra cute, Rondeletius. qui tertiam quoq; Raiæ læuis speciem (id est, Oxyrhynchum minorem) ab Italis Perosam rasam uocari scribit.

GALL. Nostri à colore fusco Fumat & Fumado appellant, Rondeletius.

GERM. Ein glatter Roch: mag ein Röuchling geheissen werden/darumb daß er rouchfarb ist.



RAIA læuis secunda: quam (inquit Rondeletius) à colore cineream: à maculis undarum modo flexuosis undulatam uocamus. Corpore ad oui potiùs figuram accedit, quàm rhombi ut reliquæ. Aculeis caret: nisi quòd in linea dorsi pauci sunt, parui, rari: & circa oculos nonnulli. in cauda triplici ordine disponuntur, maiores & densiores.

GALL. Quidam Coliart appellant, Rondeletius.

GERMAN. F. Ein Aeschroch/ein Schammlotroch/ein äschfarber glatter Roch.




Oxyrhynch'. RAIAE læuis ſpecies tertia: quam à roſtri longitudine & acumine Raiam oxyrhynchum (minorem) appello. Corpore eſt maximo, maculis multis lentis ſpecie in parte prona notato. Ad oculos, quatuor habet aculeos. in cauda tres eorum ordines, &c.

ITALICE Peroſa raſa. nam Raiam aculeatam ſimpliciter Peroſam uel Petroſam nominant. Alijs Sot, alijs Gilioro, Rondeletius. qui primam quoq; Raiam læuem ab aliquibus Raſam uocari tradit.

GALL. Noſtri Eleno *(id eſt, ſubulam)* uocant, à longo, acuto, tenui, latiuſculo & non rotundo (qualis eſt cerdonũ ſubula) roſtro. alij Lentillade, à maculis illis multis in ea lentis ſpecie, Rondeletius.

GERMAN. F. Ein Spitzroch/Alſenroch/oder Linſeroch/der kleiner.




RAIAE læuis oxyrhynchi ſpecies altera, à ſuperiore multùm diuerſa, dempta roſtri figura, à qua idem cognomen meretur. Sunt qui Bouem antiquorum eſſe putent, quòd in maximam molem accreſcat: quòd in ore latentes habeat dentes, paruos, inualidos, utpote qui mobiles eſſe uideantur: quæ omnia Oppianus Boui tribuit. His conſentit nonnullorum uulgaris appellatio: Vaccam enim uocant (Ligures.) Proximæ deſcriptæ ſimilis eſt: aculeos nullos omnino habet, præterquàm in cauda, in qua unicus eſt eorum ordo, Rondeletius. Bellonius & Saluianus hanc Raiam læuem faciunt. ſed diligentiùs conſiderandum eſt quid Bellonius ſenſerit. ſeorſim enim deſcribit Bouem, Vaccam à Liguribus dictum, in Raiarum genere uaſtiſsimum, (quem Oppianus homicidam uocet, quòd undis immerſos ac natantes homines, ſua mole obruens ſuffocet: eandem Pariſijs notam eſſe ſcribens, ſed non alio quàm communi nomine Raiæ:) ſeorſim uerò Raiam læuem ſuam, quam Maſsiliæ Flaſſadam nominari tradit: cum Rondeletius Vaccam à quibuſdam (Ligures quidem non nominat) dictam, eandem Maſsilienſium Flaſſadæ faciat. Gillius etiam diſcernere uidetur. Lege mox in Italicis. Vtcunq; eſt, in Raiarum genere maximam hanc eſſe apparet: & Bouis nomen à magnitudine, (quam in compoſitione plerunq; Bouis uocabulum, ut etiã

Bos. *Vacca.* *Flaſſada.*

Equi

Hanc quoq; Raiam depictam Venetijs accepi, corpus ferè cinereum maculis distinguentibus fuscis: ambitu corporis subruffo. Ad Raias oxyrhynchos Rondeletij accedit. Normannis audio uocari Hal, Lusitanis Huga, Venetis Stramazo.



Equi, Græcis significat,) non à figura, neque cornibus attributum. Bouis quidem uocabulum etiam alijs piscibus attribui scimus, ut Salpæ: & Cornutam Plinij binis cornibus armari, ut & Vaccam Olai Magni. ¶ Qui alteram speciem Raiæ clauatæ Bouem putarunt, à Rondeletio redarguuntur.

ITAL. Vacca à Liguribus, ut iam dictum est. Romæ Mucosa siue Bauosa, eò quòd muco sordida eius sit cutis, Saluianus. Eandem, ni fallor, Venetijs, uulgò Stramazo uocari, olim accepi: ab aliquibus Lamiam. sed Lamiæ nomen antiquum est de alio pisce cartilagineo longo: quanquam à recentioribus, etiam alijs quibusdam attribuitur.


Bos planus & cartilagineus Plinij ad trecentas aliquando libras accedit. Dalmatæ etiam nostra ætate Bouem uocant, Gillius. Idem Bubosam siue Mucosam uulgò dictum, ueluti diuersum piscem, Raiam læuem facit, sicut & Saluianus, &c.

Flassadam Massiliensium, Romani nominant Falsam uelam à carbasorum forma, Bellonius.

HISPAN. A Lusitanis Huga, hunc aut simillimum piscem uocitari audio. Matthiolus tamen Torpedinem, ab Hispanis Hugiam uocari prodidit.

GALL. Quidam ex nostris (ut & Massilienses) à magnitudine Flassade uocant: quæ uox stragulum lecti significat, Rondeletius. Vide superiùs in Latinis nominibus. A Normannis (ni fallor) Hal appellatur.

GERMAN. F. Ein grosser Aeschrocch / oder Spitzrocch, ein Vtrocch / Walrocch / Kürocch.




Eiusdem alia imago à Cornelio Sittardo: quam cum hîc collocari deberet, & spacium deesset, in sequentem paginam retulimus.

RAIA læuis oculata Rondeletij. Hæc (inquit) à maculis oculorum figuram referentibus, oculata à nobis nuncupatur: à Prouincialibus Mirallet, à speculorum paruorum similitudine. sed quia maior est his maculis cum oculis similitudo, quàm cum speculis, maluimus uulgari neglecta appellatione oculatam nominare. medium enim cœruleum pupillam refert: circulorum duorum, qui iridem constituunt, prior & internus colore est nigro: externus flauo. Corpus fusco colore, maculis obscuris conspergitur. Non est hæc Raia stellaris, ut quidam putarunt, Rondeletius. Vide in Italicis Raiæ stellaris (de qua proximè) nominibus.

GALL. Mirallet, ut suprà dictum est.

GERM. F. Ein glatter Spiegelrocch / ein Augerocch.

Raia oculata à Cornelio Sittardo missa.






RAIA Asterias (id est, stellaris) & ipsa læuis. Rarior hęc est (inquit Rondeletius) ideoq; multis minùs cognita: degit enim in alto mari, & puriori aqua, litoribus minùs frequens. ab alijs Raijs distinguitur aculeis quos in dorso habet, mox à capite incipientes, & in priorem caudæ pinnulam desinentes. præter hos nulli alij sunt in toto corpore. Dorsi pars prona, alæq; expansæ, stellulis pereleganter sunt depictæ, à quibus asteriæ nomen inuenit.

ITAL. Raia stellaris Athenæo memorata (inquit Saluianus) non solùm piscis noster LI. (qui Romæ dum minor est Arzilla, maior uerò factus Raia uocatur:) sed & qui Massiliæ Mirallet (Vide proximè antè in Raia læui aculeata Rondeletij) dicitur: nec non quiuis alius ex Raiarum genere, cuius dorsum maculis quibusdam insignitum apparet. Secundum aliquos hic piscis Romæ uulgò Arsilli dicitur. differt autem ab Arzinarello dicto (quem secundam Acus speciem Rondeletius facit) ut Cor. Sittardus indicauit.

GALLICE Raye estelée uocari potest: quanquam id nomen Galli, Stellari asperæ priuatim tribuunt.


GERMAN. F. Ein Sternroch.

HACTENVS DE LAEVIBVS RAIIS: DEINCEPS VIII. earum genera aspera proponemus.



RAIA Oculata aspera Rondeletij. Hæc (inquit) oculatæ læui maculis similis est: aculeis autē differt, quos in alis expansis è regione macularum utrinque habet, alios in lateribus capitis utrinq;, alios in dorso: alios in cauda, maiores, ualidiores & frequentiores. Falluntur qui sexu tantùm ab oculata læui differre putant. colore quidem eodem est.

GERMAN. F. Ein raucher Spiegelroch oder Augeroch.




RAIA

RAIA Stellaris aſpera Rondeletij. Aſterias (inquit) hæc etiam appellabitur à ſtellulis multis quas habet in lateribus & caudæ principio depictas: aſpera uerò, ab aculeis plurimis quibus tota horret, &c. Huius generis ſpecies duæ eſſe uidentur: una, quæ ſtellulas habet in medio albas, ſed quas ambit circulus ex nigris punctis conſtans, totumq́ corpus aculeis horridũ eſt. altera ſtellulas prorſus candidas cum multò paucioribus aculeis.

ITALI (Romani, Bellonius) Rometam uocant, Rondeletius.

GALL. Raie eſtelée, Rondeletius & Bellonius.

GERM. F. Ein raucher Sternerocch.



RAIA Clauata Rondeletio dicta, ab aculeorum magnitudine & ſimilitudine cum clauis æreis ſiue ferreis. Vidi (inquit) huius generis Raias, quibus poſteriore tantùm parte corporis aculei illi magni eſſent, nulli uerò parte anteriore: ſed horum ſitus diuerſus ſpeciem non mutat, cum alia omnia reſpondeant. Poſſet hæc Raiarum ſpecies Aquila antiquorum exiſtimari, (nihil enim hîc affirmo,) colore enim nigricante eſt. incurui aculei uncis unguibus reſpondent. alas ualde expanſas habet ueluti Aquila: quam inter cartilaginea plana numerarunt antiqui. Poſtremò carne eſt dura, qualem Philotimus Aquilæ eſſe ſcripſit, & approbauit Galenus. Hæc ille. Bellonius quidem & Saluianus hanc propriè dictam & ſimpliciter Raiam faciunt. nos Aquilam aliam ſuprà in hoc ordine dedimus, quam Rondeletius Paſtinacæ genus alterum facit. *Aquila.*

ITAL. Peroſa ſiue Petroſa, Rondeletius. Saluianus ijſdem nominibus eam appellari ſcribit Romæ, ob aculeos lapideos.

GALL. A Maſsilienſibus & noſtris Clauelade (*Clauellata, Bellonius*) à ſimilitudine quam aculei eius cum clauis habent; à Gallis Raie bouclée, quia aculeos habet fibularum ſpecie, uocatur, Rondeletius.

GERM. F. Ein Nagelrocch.




RAIAE Clauatæ species altera Rondeletio. A superiore(inquit) differt, quia rostro est acutiore, aculeoq; illic caret. Colore est cinereo. Pro dentibus maxillas asperas habet. quare falluntur qui speciem hanc Raiæ, Bouem esse credunt. Boui enim Oppianus dentes tribuit.

GALL. Nostri Ronse(Ronce) uocant, id est, Rubum, Rondeletius.


GERM. F. Ein anderer Nagelroch.

Huius generis Raiæ iconem amicus quidam Venetijs ad me misit. Videtur autem cognata Clauatis Rondeletij. Maculis distinguitur fuscis. reliquum corpus obscurè subluteum est. cætera apparent.



GERM. Ein andere art der Nagelrochen/als mich bedunckt.


RAIA



RAIA Spinosa Rondeletij. Raiæ læui (inquit) similis est, si longas cutis spinas excipias: à quibus nostri eam Cardaire, id est, Lanificam uocant: à spinis illis siue aculeis, cuiusmodi multi infixi sunt instrumentis ijs, quibus lanifici lanas carpunt. Nos ab his spinis Spinosam appellamus: quas non in alis solùm habet, ut superior (Clauata,) sed etiã in lateribus circa caput. Oculis præfixi sunt alij duo. In media dorsi linea, & ad priorem usq; caudæ pinnulam, continuus est aculeorum ordo unicus.


GALL. Cardaire, ut dictum est.

GERM. F. Ein Thornroch/oder Hechelroch.




RAIAM Asperam (inquit Rondeletius) particulatim hîc appellamus, quæ ab alijs eo differt, quòd aculeis paruis latera cõspersa habeat, corporis ipsius truncum nullis. In cauda tres sunt longorum & firmissimorum aculeorum ordines ad extremum usq; caudæ. Rostro est acutiore.

GERMAN. F. Ein Rüchling oder Rauchling.




RAIA Fullonica Rondeletij. Hanc (inquit) Fullonicam cognominauimus, eò quòd ubiq; in alis, in corpore, in capite, in cauda, tota frequentissimis & asperis aculeis consperſa ſit, instar instrumenti eius quo fullones pannos curant poliuntq;, quod totum aculeis ferreis consertũ est. Rostro satis longo est & acuto. Caudæ aculei incurui sunt, triplici ordine dispositi. Pugnacissima & rara est hæc Raia.

GERM. F. Ein Kartenroch/ein Karterſche.



RAIA asperrima Rondeletij. Hîc depicta (inquit) Raia, in supinum conuersa, proximè descriptæ omnino similis est: nisi quòd illa parte tantum prona aculeos frequentissimos habet: hæc non solùm prona, sed etiam supina, tota aculeis peracutis ita horret, ut manu tolli non possit, nisi pinnulis caudæ apprehensis. Hæc causa fuit cur supinam depinxerim: tum, ut huius, ita aliarum Raiarum partes supini situs cognoscerent studiosi, scilicet, oris, narium, foraminũ branchiarum, podicis, duorum uuluæ foraminum, formam & situm. Dentibus hæc caret, ut aliæ plurimæ: sed horum uice maxillas habet asperas, & ferè osseas.

GERM. F. Ein überraucher Roch/nit allein an dem oberen teil/ſunder auch dem vnderen des leybs/alſo daß man jn nit wol kan in die hend nemmen/anderſt dann bey den floßfädern am ſchwantz.



OLAVS Magnus in Tabula qua Oceani oram ad Septentriones Europæ ob oculos ponit, in Oceano pingit Raiam, quæ hominem natantem, *(uel etiam submersum, ut in Latina Tabulæ explicatione scribit,)* qui à multitudine Canum siue Canicularum in profundum rapi periclitatur, naturali quodam affectu aliquandiu defendat ac tueatur. Cuius rei typum (quanquam neque Canes nec Raiam probè exprimi curauit) ex Tabula eius apponere huc libuit.


GERMAN. Wie die Rocchen auß natürlicher neigung helffend vnnd beſchützend den ſchwümmenden menſchen (im hohen Teütſchen meer) welcher vonn vile der Hundfiſchen vndergezogen wirdt.

PHAR-


PHARMACOPOLAE, & alij quidam, Raias exiccare, & sceletos earum in uarias admirabilésque uulgo figuras effingere solēt, cum alias, tum quæ Serpentem aut Draconem alatum præ se ferant. Corpus enim inflectunt: caput & os distorquent: aliqua incidunt, aut circuncidunt, laterum anteriorem partem aliquousq; rescindunt: reliquum erigunt, ut alas simulet: & alia pro arbitrio comminiscuntur. Talem sceleton olim mihi depictum qualemcunque huc apposui.

GERMAN. **Die cörpel von todtnen Rocchen werdend vff dise vñ andere mancherley wyß seltzam zügerüst vnnd gedeert.**

Squatina à Rondeletio exhibita.



Alia Squatinæ effigies Venetijs ad me missa, quæ ad aridum piscem extensum facta uidetur: uiuo enim non probè respondet.



SQVATINA Plinio & Gazæ, is piscis est, qui Græcis Rhina dicitur, forsan à squalore & asperitate cutis. Vocatur & Squatus apud Plinium duobus in locis: & ita rectè legi nos ostēdimus. Squatinæ cute ligna & ebora poliri testis est Plinius: quamobrem Græci ῥίνην, id est, limam uocarunt hunc piscem. quod nomen cum fabrile instrumentum significat, oxytonum esse: cum piscē, paroxytonum, à Cyrillo quodam annotatum est, nescio quàm rectè. neque enim ab authoribus obseruatur. ¶ Athenæus λειόβατον, id est, Raiam læuem, tradit etiam ῥίνην, hoc est, Squatinā appellari: quos tamen pisces diuersos esse, ex utriusq; historia liquet. Rhinobatum uerò à uulgo Græcorum, etiam Rhinam uocari author est Gillius. ¶ Oppianus inter Galeorum genera, qui pisces sunt cartilaginei longi, Squatinas quoq; numerat. Hinc fortè est quòd Rondeletius scribit, eruditum quendam uirum, Galeum Cato rochiero uulgò dictum Gallis, pro Squatina habuisse: qui piscis est longus, Galeis reliquis similis: Squatinam uerò uulgò existimatum pro Squatoraia, utpote latiorem, & Raiæ aliqua ex parte similem. Plinius tamen Squatinas cum planis cartilagineis numerat. Squatina quomodo sit media inter planos & longos cartilagineos, à Rondeletio ab initio Capitis de Raia pisce exponitur. Nos quoniam inter duo hæc genera ambigere uidetur, ultimo inter planos loco, hoc est, inter eosdem & longos medio, reposuimus. ¶ Oppianus scribit Squatinam non recipere (intra se) fœtus, sed in hiatum seu rimam sub pinnis utrinq; subiectam fœtus suos in metu à matre occultari. ¶ Pisciculis similiter ferè ut Rana piscatrix insidiatur. ¶ Rhinobatus hucusque à nobis uisus non est, nemo quidem ueterum præter Aristotelem, & interpretem eius Plinium, ipsius meminit, Saluianus.

Rhina. *Squatus.* *Liobatus.* *Rhinobatus.* *Squatinā inter Cartilagineos planos et longos ambigere.*

GRAECI nostræ ætatis & Rhinam, & Rhinobatum, uocant Rhinam, Gillius.

ITALI hodie Squatinam siue Squadram uocant, Gillius. Squatina uulgò nomen seruat, Massarius Venetus. Scoppa Italus interpretatur lo pesce Squatro. Veneti Squaquam uocant, alij Squaiam, alij Squadram, Rondeletius. Romani Squadro di mare, Saluianus. Ligures Angelum: Vide mox in Gallicis.

HISPANI Lyra, ut audio, à specie corporis: sed alia est ueterum Lyra. Lusitani Lamio, Saluianus.

GALL. Nostri, Massilienses, Galli, Ligures, Angelum (*uel Angelotum, Bellonius: Peange, Saluianus*) uocant, à similitudine angeli picti cum alis expansis. Burdegalenses Creac de buch.

GERMANICE Ein Huyghe. hoc enim nomen Squatinæ eiconi ab Echtio missæ adscriptum reperi. Huga quidem uel Hugia Hispanis Raiæ quædam species est, uel (ut Matthiolus scribit) Torpedo. Poterit etiam uocari ein Engelfisch oder Meerengel. Albertus Squatinam Germanicè Catulam maris uocari scribit: qui piscis (inquit) quinque pedes longus est, & insuper caudа pedem unum. Et alibi: Lignum raditur corio quorundam piscium arido, ut eius qui dicitur ad mare Flandriæ Seerohe, quod est Canicula marina. Ego Germanicum hoc nomen non agnosco, deprauatum fortè à librarijs.

ANGLICE dicitur a Skate, ut audio: uel Skeat. ¶ Piscem Raiæ similem, qui in cibo Venerem iritet, apud Scotos audio nominari a Scat of koy.

ORDO X. DE PISCIBVS CARTILAGINEIS LONGIS.

DE GALEIS SIVE MVSTELIS ET CANIBVS AC SIMILIBVS IN GENERE: QVI OMnes Græcis γαλεοὶ uel γαλεώδεις dicuntur.


GALEI, quos Mustelos uertit Gaza, sunt pisces lōngi, cartilaginei. Nomen à corporis habitu Mustelis terrenis simili datum est. γαλεὸς uerò siue γαλεώδης, generis nomen est apud Aristotelem: cui epitheta, ut formas quæ generi subsunt, distinguat, adijcit. dicitur enim Galeus acanthias, Galeus asterias, Galeus læuis. Plinius lib. 9. cap. 24. Squalorum nomine Galeos intellexit, ubi Massarius Galeos legit, quòd ita uocârit Aristoteles, ex quo Plinium sua hæc mutuatum constat. Atqui alibi etiam Plinius (inquit Rondeletius) nominat Squalos: ut eiusdem libri cap. 5. Rectè uerò Galei Squali uocantur, quasi squalidi, id est, horridi asperiq;. sunt enim omnes aspera cute. Sic Rondeletius. Ego in citato utroq; Plinij loco, nec Squalos, nec Galeos legendum uideo, sed Squatos, ex diligenti uerborum Aristotelis, unde sua Plinius transtulit, inspectione. Squatos autem appellat Squatinas. In Catalogo piscium, quem confecit Plinius ad finem libri 32. Galeos nominatur suo ordine: Squa-

Squali Plinij *Squati.*

Squalus Ouidij,&c. lus nusquam: Rhinam uerò (id est, Squatinam) ibidem Squatum interpretatur. Ouidius in Halieutico Squalum nominat inter pisces, qui in herbosa arena degunt. uidetur autem Squalum pro Cephalo, id est Capitone dixisse, per syncopen. quanquam Cephali mare uicinum fluuijs & stagnis amare dicuntur, & limo uiuere. Capitones fl. quoque in herbosa arena degunt Ausonio. Varro etiam lib. 3. de re rustica, de piscinis loquens, Squalos cum Mugilibus nominat. sunt autem Capitones Mugilum species. Vulgus in Italia hodieque Squallum uel Capitonem nominat piscem fluuiatilem, quem nostri Alet. nam qui Schwal, quasi Squalus à nostris uocatur, longè alius est, ex Leuciscorum fl. genere. Columella etiam ubi de esca piscium, qui in piscinis aluntur, uerba facit, Squalorum branchias nominans, Cephalos fortè intellexerit. Squalorum autem eo in loco legendum, nō Scaurorum, rectè animaduertit Rondeletius. ¶ Piscem γαλεώδη Gaza alicubi Musteligenam, id est, Mustelorum generis interpretatur. Oblongi & cartilaginei omnes, Galei uocantur, minores præsertim: nam maiores & cetacei, Canes Caniculæ'ue, aut alijs nominibus suis *Galeonymi.* appellantur. Philotimus nominat Galeonymos inter pisces duræ carnis, & qui ægrè conficiūtur, &c. Latinus interpres Mustelos uertit, nimirum quia Galenus monet, lectionem aliam esse, Galei: hoc est, in Græcis Philotimi uerbis, aliàs γαλεώνυμοι, aliàs γαλεοὶ legi. Callionymus quidem lon*Galaxias.* gè alius piscis est. Idem Galenus Galaxiam Romæ dictum, & maximi precij piscem, Græco mari ignotum, in γαλεῶν genere collocat, & molli carne esse prædicat, cum reliqui Musteli dura magis sint carne. Mihi uerò γαλαξίας, uel potiùs γαλαξείας, non ad Galeos, sed ad γαλέας uel γαλᾶς, referēdus uidetur, id est, non ad Mustelos, sed Mustelas. Toto enim genere hi pisces differunt. communia tamen quædam habent, quæ ut ab eadem quadrupede nomen utrisque inditum sit, in causa fuêre: quanquam Aelianus, γαλῆ marina (inquit) nullam cum Galeis communitatem habet, &c. sic autem uocata est, quoniam similiter, ut terrena, omnium cadauerum in quæ incurrit, oculos exest & conficit. Mihi uerò communia uidentur hæc: Vtrique oblongo (& maculoso ferè) corpore sunt: sicut & terrestres quadrupedes cæteris comparatæ, longiusculæ sunt, respectu ad crassitiem habito. Vtrique parte supina albicant, sicut & terrestres, prona fusci sunt. Iecur utrisque dulce & adiposum, quodque facilè in oleum resoluatur. Mustelos priuatim aliqui ore parere fabulantur, sicut et Mustelam quadrupedem. Catulos quidem suos ore recipiunt ac gestant interdum, tum Mustelæ terrestres, (unde orta fortè credulitas quòd ore pariant,) tum Mustela quadrupes, tum Galei mari*Canes.* ni, præter eos quos catulorum asperitas prohibet, ut Acanthiam. ¶ Canum nomen Oppiano Aelianoque communius est quàm Galeorum. nam Canum alios magnos & pelagios esse dicunt, (ut Carchariam:) alios, minores quidem, sed piscibus præstantissimis adnumerandos, in cœno profundo degere: omnes specie corporis, moribus & uictu inuicem similes: uocarique minores priuatim Galeos, præter Centrinas: tanquam Centrinæ genus proprium constituant, & Canes quidem minores sint, Galei autem non sint, aut saltem uulgò non ita uocentur. Galeorum species faciunt σκύμνους, λείους, ἀκανθίας, ἀλωπεκίας, ποικίλους. ¶ Galei omnes litorales sunt, Bellonius. Oppianus etiam & Aelianus, Canem maiorem (id est, Carchariam) pelagium faciunt: minores uerò Canes, id est, Galeos & Centrinas, in cœno profundo degere scribunt. Omnes ex ouis, quæ intus concipiunt, uiuos postea fœtus emittunt. Differunt inter se figura, magnitudine, corporis constitutione, atque internis partibus, præsertim utero, Bellonius. ¶ Galeorum differentiæ cōstitui possunt, ut alij Galei simpliciter, alij Galei cetacei sint: cui generi Galenus Canes (*nimirum Carcharias*) & Libellas subijcit. His Vulpes, Malthas, aliosque, qui in magnam molem accrescunt adiungere possumus, Rondeletius.

GALL. Galeos omnes nostri nullo discrimine marinos Canes (Chien de mer) appellant, Bellonius.

GERMANICE Hundfisch appellantur, id est Canes pisces, omne Canum & Galeorum genus: ANGLICE Doggefische: POLONICE Morski pies: uel Psia ryba. Licebit autem differētię causa cetaceos appellare grosse Hundfisch: Galeos uerò priuatim dictos, kleine Hundfisch.



GALEVS acanthias, γαλεὸς ἀκανθίας, nomen tulit ab aculeis, quos in tergo gerit, spinacem conuertit Gaza. Coloris est cinerei: duos aculeos in dorso habet, quibus pinnæ innituntur, detectos, firmos, acutos, non admodum latos ueluti in Centrine.

ITAL. Azio à Venetis dicitur, quasi aculeatus. ea enim uox illis stimulum significat, quo punguntur boues, à Liguribus Aguseo, Rondeletius & Bellonius. Veneti Asilato uocāt, quasi aculeatum


aculeatum. nam ſtimulum, quo animalia punguntur, Veneti, præcipuè Patauini, à ſimilitudine proboſcidis aſili tergora animalium penetrantis, aſilum nominant, Maſſarius. Ligures Aguſco, Romani peſce Palombo, communi alijs quoqꝫ Galeis nomine: alij Scazone, Saluianus.

HISPANI Muſole uocant, ut audio. Vide mox in Gallicis.


GALL. A noſtris & Maſsilienſibus Aguillat, ab aculeis, nominatur. acus enim à Gallis Eguille dicitur. A Gallis Chien de mer, Rondeletius. Maſsiliæ Egullat. Lutetiæ & reliquis litoribus Oceani particulare nullum nomẽ habet: cùm unico, ut dictum eſt, nomine Canis omnes Galeos comprehendant, Bellonius. Galli quidam hunc piſcem Aguillade uocant: alij Ferran, quòd aculei nimirum ceu ferrei quidam mucrones emineant: unde & Paſtinacam aliqui Ferraza uocitant. Hiſpani Muſole, ut audio: quod nomen à Muſtelo corruptum uidetur. Rondeletius tamen non hunc, ſed læuem, circa Monſpelium Emiſſole uocari ait.

GERMA. F. Ein Thornhund/ein äſchfarber Hundſiſch/ mit zweyen dörnen auff dem rucken.

Galeus ſtellaris Rondeletij.



Hæc etiā icō Venetijs effićta, ad Galeū ſtellarē pertinere uidetur. Is piſcis colore è ſubruffo pallet: maculisq́ crebris in dorſo nigricantibus, alibi fuſcis, diſtinguitur. Pinnæ ei in dorſo, tres: poſt branchias, binæ: nec alias pictor oſtendit: qui (ut ſuſpicor) neque brāchias, neq; pinnas rectè expreſsit. Roſtrū etiā latius obtuſiusq́ue, quàm in cæteris apparet: & ad Muſtelā magis accedit.




GALEVS aſterias, id eſt ſtellatus, ut Gaza uertit, γαλεὸς ἀστερίας: à quibuſdā ποικίλος, id eſt, uarius cognominatur. Maculę dorſi eius, aliæ ſtellarum ſpeciem referunt, unde illi nomen, aliæ rotundæ ſunt, Rondeletius. Sunt qui Galeum ſtellatum eſſe credant eum, (inquit idem,) qui à noſtris Cato Rochiero, à Maſsilieſibus Catto algario uocatur, (*Gillium & Bellonium notat:*) ſed non recte, cùm is oua teſtaceis quibuſdam, ut ita dicam, membranis incluſa gerat, id quod Caniculis Raijsqꝫ tribuit Ariſtoteles, minimè uerò Galeis ſtellatis. ¶ Quanquam ποικίλοι γαλεοὶ, ſpecies una hîc à nobis nominant̃, Aelianus tamen communiùs accepit. Canum enim non cetaceorum genera duo facit, unum κατεστιγμένον καὶ ποικίλον, quod priuatim γαλεὸν uocat. alterum paruum, (*concolor,*) ut in Centrine mox dicetur. Sunt & Caniculæ maculis uariæ, ideoqꝫ nebriæ, id eſt, hinnulares cognominantur. Porrò Pœciliæ

ſui generis piſces fluuiatiles ſunt. ¶ Fallitur qui hunc Galeum, Oppiani Pardalim putat: ea enim inter Cete & belluas marinas Oppiano eſt. ¶ Galeus Aſterias (inquit Saluianus) non eſt piſcis noſter 45. et 46. ut Gillius & Maſſarius ſuſpicati ſunt, propterea quod ualde maculoſi ſint. Nã cũ ouum teſtaceo quodam inuolucro, figura tibiarum ligulis ſimili, contectum (quale ouum tum Catulorum ſeu Scyliorum, tum Raiarum eſſe, notauit Ariſtoteles) non niſi hi noſtri ex Galeis piſcibus habere reperiantur: hos Catulos, & non aſterias eſſe, fateri oportet. Iam cum Galeorum piſcium (qui Romæ peculiari nomenclatura peſci Palombi uocantur) duo ſint genera, ita inter ſe conſimilia: ut cum rebus omnibus prorſus conueniant, ſolis quibuſdam albis atque rotundis maculis diſtinguantur: has enim qui non habet Galeus, λεῖος, id eſt, læuis, cognominatur: qui uerò habet, ἀστερίας, id eſt, ſtellatus aut ſtellaris, ut Theodorus uertit: Oppiano γαλεὸς ποικίλος, id eſt, Muſtelus uarius. Cuius nos iconem non exhibuimus: propterea quòd tum internis, tum externis partibus, ſimillimus adeò læui Muſtelo eſt (ſolis dorſi maculis ab eo differens) ut facillimè ex illius expicta icone, hic etiam cognoſci poſsit. Hæc Saluianus.

GALL. A noſtris Lentillat dicitur, à maculis albis, lentis magnitudine, quibus depictus eſt, Rondeletius.

GERM. F. Ein Sternhund/ein Fläckhund/ein Punterhund: ein geſtirnter oder gefläckter Hundfiſch.

ANGLICE A Donehownd (ſicut audio:) uel Donecow: id eſt, fuſcus Canis. Done enim Anglis ſignificat colorem fuſcum, ad cinereum uel cœruleum inclinantem. Cowe iiſdem Vacca eſt. Hunc piſcem maculis nigris in cœruleo diſtinctum aiunt. Sit'ne is uerè ſtellaris, uel alia quædam Caniculæ Galei'ue ſpecies maculoſa, uiderint qui ad Oceanum habitant eruditi.



GALEVS Canis, uel Canicula Plinij, Rondeletio. γαλεὸς κύων. Longè alia eſt hæc Plinij Canicula ab eo Galeo quem Ariſtoteles Σκυλίον appellat, Gaza Caniculam. Eſſe autem hanc noſtram, Plinij Caniculam, confirmatur tum à nube oculos operiente, (quæ in nullo alio Galeo, præterquàm in hoc, & Galeo glauco, reperitur:) tum ob id quòd partes corporis humani nudas candidasque appetat. quam ob cauſam etiam ab his qui nunc in mari uerſantur, reformidatur, Rondeletius. ¶ Quod ad Canem Galeum (inquit Saluianus) licet Oppianus Aelianum tranſcribere uidea ur: non tamen ambo de uno piſce loqui uidentur. Aelianus enim colore uarium faciens, non hîc exhibitum à nobis piſcem 41. ſed potiùs 45. noſtrum, uerè uarium, atque ab alijs Σκύλιον & σκύμνον appellatum, tertium Canum genus (poſt Carchariam & Centrinem) conſtituere uidetur. Oppianus uerò cum ſuum uarium non faciat, & à Scymno, id eſt, Catulo, diſtinguat, piſcem noſtrum 41. tertium Canum genus facit. Ariſtoteli ſimpliciter Κύων eſt. (nam Carchariam Ariſtoteles non cognouit.) At Latinorum nullus, eius meminit. Nam Vergilius per Canes marinos, Plinius per Caniculas, Carcharias intelligunt. Plinius quidem ex Theophraſto Carcharias uertit Caniculas. Quare cum Latino nomine careat hic piſcis noſter, nos Græcam imitantes nomenclaturam, Canem galeum uocabimus. Hæc ille.

Canicula Plinij.

GRAECI huius ætatis Σκυλόψαρο uocant.


ITALICE. Romani Lamiola, (quanquam & Maltham Romæ Lamiolam uocari, alibi ſcribit Rondeletius,) quaſi paruam Lamiam, quòd dentibus Lamiæ ſimilis ſit. Ligures (ſicut & Maſsilienſes) Pal: nimirum quòd oblonga corporis roſtrique in mucronem producti figura palum ſeu ſudim præ ſe ferat. uel à Palumbo: nam Galeum læuem à cutis colore Maſsilienſes Palumbum uocare Bellonius ſcribit. ¶ Canis Galeus (inquit Saluianus) Italicè peſce Palombo uocatur, nomine communi etiam alijs Galeis, acanthiæ ſcilicet & læui: peculiariter uerò, Canoſa. ¶ Gillius hoc Ariſtotelis Scylion putabat: Nonnullæ regiones (inquit) Caniculam (Italicè uulgò Caneglia) uocant.

GALL. Maſsilienſes (ſicut & Ligures, ut dictum eſt) Pal nominant. Circa Monſpelium Milandre & Cagnot, id eſt, paruum Canem.

GERMAN. Ein Hundfiſch/ein kleiner Hundfiſch: uel F. ein Hündle. Hoc animaduertendum, Germanos ad Oceanum, Phocam nominare Seehund, id eſt Canem marinum.

ANGLICE. a Dogfiſſhe.

Canicula Aristotelis. Testaceum ouum (inquit Rondeletius) separatim depingendum curauimus: & in dissecta canicula mammas illas candidas, bifidamq́ uuluam, &c.



Galeus stellatus Bellonij, quem Rondeletius Scylion Aristotelis, id est, Caniculam facit: quanquam eicones parum conueniunt.



CANICVLA Aristotelis. (Vide quædam proximè retrò in Canicula Plinij annotata.) Σκύλιον, Gaza Caniculam interpretatur. Eundem (Galeum) nebriam, γαλεὸν νεβρίαν, appellari idẽ Aristoteles testis est: hoc est hinnularem, à maculis uidelicet. est enim colore ruffo, nigris maculis aspersis, cute peraspera, &c. Athenæus σκύμνον appellat, id est, Catulum. ¶ Bellonius Nebriæ maculas albas tribuit: & Massiliæ Nissolam uocari scribit: ut fortè hic sit ille Galeus leuis, quem Rondeletius docet in Prouincia Emissole uocari. Idem Bellonius hanc Pardalim Oppiani esse putat: cum is poëta inter Cete numeret. Nec alium Galeum ποικίλον, id est, uarium: quem alij asteriam dixerint. addit dentium eius morsum non secus lethalem esse, ac Draconis aculei puncturam. Tres (inquit idem Bellonius) huius piscis species animaduerti possunt. alius enim est crassus, niger, & recurtus: quem uulgus Massiliensium Guattum auguerum uocat, [*Cattum algarium uidetur interpretari Rondeletius, etsi icon ab eo posita, cum illa quam Bellonius dedit, non conuenit.*] Alius uulgaris, & paulò magis candidus. (*Huius etiam iconem addit, similem ferè iconi Caniculæ saxatilis Rondeletij: & similiter, ut ille, Roussetam nominat.*) Tertius Tyrrheno tantùm (quod sciam) litori cognitus, carnis iucunditate ac redolentia cæteros exuperat. Quamobrem Romanum uulgus Guattum muscarolũ nominauit. nunquam is sesquilibram exuperat, stellulisq́ ut & toto corpore candidioribus est conspicuus. Hæc ille.

Catulus maior, (inquit Saluianus: utitur autem Catuli nomine pro Canicula,) Romæ Scorzone, Massiliæ Guat aughier: Gallis Roussete: Item alius, (*simpliciter Catulus,*) Romę pesce Gatto, Massiliæ Gatusio: Gallis Roussete, sicuti & prior: Vterq; ab Aristotele καὶ τὸ σκυλλάκιον (per syncopen Σκύλιον, id est, Catulus (uel paruus Canis, uel Canicula, ut uertit Theodorus,) uocatur. eodẽq; Aristotele authore νεβρίας (id est Hinnulus,) appellatur à quibusdam. ab Oppiano atq; Athenæo, Σκύμνος, id est, Leonis catulus. ab Aeliano uerò Galeus nuncupari, tertiumq; Canum genus constitui uidetur. Latinorum nemo horum piscium mentionem fecit. nam Vergilij Canis marinus, ut & Plinij Canicula, Carcharias est. Gaza ex Theophrasto Carchariam rectè Caniculam uertit: at Scylion ex Aristotele, similiter, non rectè. Nos Scylia catulos appellabimus, ne homonymis utamur: & species duas faciemus, etsi ueterum nemo notauerit: quòd utrisq; quæ Scylijs ueteres tribuerunt, conueniant: sed ex his prior, Maior est: alter, Minor. Massarius & Gillius hos pisces, quòd colore uarij sint, asterias esse, falsò crediderunt. Hæc Saluianus. *Scylia 2.* *Nebrius.*

ITALICE. Gatta. Veneti Guatta, &c. Vide in Latinis. LVSITANIS Cassaun, ni fallor.

GALL. Chat circa Monspelium: Roussete Gallis, nimirum à ruffo & subflauo colore. Massiliæ Gatto. Plura lege in Latinis.


N

GERMAN. F. Ein Fläckhund/ein gefläckter rotlachter Hundfisch.



CANICVLA saxatilis à Rondeletio dicta. Caniculam saxatilem (inquit) appellamus eam, quæ à nostris (circa Monspelium) Catto Rochiero: à GALLIS, ut superior, Roussete uocatur. Aristotelis quidem Canicula in cœno & litoribus degit, ad summum cubitalis: hæc in saxis & alto mari frequentiùs, (quamobrem raro capitur,) binos cubitos aliquando superans. ¶ Gillius & Bellonius Galeum stellatum hunc esse putabant, sed reprehendit eos Rondeletius. Vide scripta cum superiore.

GERM. F. Ein andere art des Fläckhunds/mag ein Steinhund genennt werden: daß er wonet vmb die stein im tieffen meer.



Alia Centrinæ galei imago, à Corn. Sittardo quondam missa: quam, cum hîc spacium non haberet, in sequentem paginam retulimus.


GALEVS Centrines (Rondeletij,) γαλεὸς κεντρίνης, Latino nomine caret. Aristoteles & Plinius nusquam eius meminêre: quanquam Athenæus hæc tanquam Aristotelis uerba citet: Καὶ κεντρίνην φησί τινα γαλεὸν εἶναι, καὶ νωτιδανόν. ἐπάλινετος δὲ ἐπινωτιδέα καλεῖ. χείρονα δ' εἶναι τὴν κεντρίνην καὶ δυσώδη. Sic Rondeletius. Notidanus quidem ex Athenæi uerbis diuersus à Centrine uidetur: nomen tamen ei à dorso, nimirum eminentiore factum apparet: quod in Centrine etiam præ cæteris Galeis, præcipuè circa ceruicem seu potiùs summam tergi partem, prominet. Λοφιὰ propriè dicitur in Suis ceruice surrecta seta: & hunc piscem Athenæus centrum (unde ei nomen) habere scribit πρὸς τῇ πρώτῃ λοφιᾷ, Rondeletius in ceruicis pinna interpretatur. At Galeus acanthias in dorso potiùs, quàm in ceruice, aculeos gestat, Rondeletio teste. Hoc etiam differunt (inquit idem) quòd Acanthias ex ouo uiuum fœtum parit, Centrines uerò oua duntaxat. ¶ Centrinæ Aeliano parui & pelle dura sunt, & capite acutiore, & coloris albedine à Galeis priuatim dictis, differunt. Eisdem innati sunt aculei duri, & aduersus omnia resistentes: quorum alter ad capitis (*immò dorsi*) summum uerticem, alter in cauda est. hi uenenatum quiddam habent. Sic ille, & partim Oppianus. Inde conijcio eundem esse Porcum mar. Plinij, de quo ille: Inter uenena sunt piscium porci marini spinæ in dorso, cruciatu magno læsorum. Quin & Massiliæ alibiq; hodie adhuc Porcus uocatur. ¶ Hyænam piscem nonnulli Centrinam esse putant, non rectè. Hyænæ enim belluæ sunt marinæ, unde ἀπαίσιον ἄχθος ὑαίνης Oppianus dixit: Centrinæ uerò, inter Galeos seu Canes minimi, locis etiam nominibusq; diuersis ab Oppiano nominantur. ¶ Cur Canum genus à Galeis, id est Canibus minoribus, diuersum & peculiare Centrinas quidam fecerint, inducti uidentur à corporis specie nonnihil uariante. sunt enim cæteri Galei uarij, (maiores.) pelle molliore, capite latiore. ¶ Bellonius Centrinam pro Vulpecula pinxit, duabus eius iconibus exhibitis: quarum unam simpliciter Vulpeculam nominat: alteram Italicam Vulpeculam, quæ à Venetis Porco marino dicatur. atqui in descriptione discrimen nullum facit.

Porcus mar.

Hyæna.

ITALICE Porco marino, Bellonius.

GALLICE. Alij Bernadet, alij Renard, alij Humanthin uocãt. Nostri & Massilienses Porc: nec



nec id ineptè, uel quia ſpeciem Porci referat, uel quia Porci more in cœno ſe uolutet, Rōdeletius.

GERM. F. Ein Sauwhund, ex Porco & Cane compoſito nomine: hat auch dörn auff dē rucken wie der Thornhund: aber den oberen näher beym kopff: ſind gröſſer/herter vnd ſchädlicher im ſtich. Retulit mihi uir quidam literatus, accepiſſe ſe à nautis Balthici maris, piſcem uocatum Hundfiſch/ (ſpeciem potiùs eius: hoc enim nimis commune eſt nomen,) aculeum in tergo habere, quo lædat naufragos; & captus fortè in nauim proiectus, aſſerem quernum etiam perforet.

Saluiani icon nonnihil ab hac differt: nam pinnam partis ſupinæ ultimam non uidetur habere: & caudam in extremo magis acutam.



VVLPES Galeus, à Plinio Vulpes, ab alijs Vulpecula dicitur. Ariſtoteles ſic appellatum innuit hunc piſcem ab ingenij calliditate, qua Vulpem quadrupedem referat: Diphilus à guſtu ingrato & graui, tanquam uulpinæ carnis; Rondeletius à caudæ longitudine. A Syracuſijs Κύων πίων, id eſt Canis pinguis uocabatur, ut profert Athenæus ex Archeſtrato, his uerſibus: Ἐν δὲ Ῥόδῳ γαλεὸν τὸν ἀλώπεκα, κἂν ἀποθνήσκειν Μέλλῃς, ἂν μή σοι πωλεῖν θέλῃ, ἅρπαζον αὐτόν: Ὃν καλέουσι Συρακόσιοι Κύνα πίονα. cum tamen neque adipem, neque pinguedinem ullam Galei habeant, Rondeletius. An uerò in illis Archeſtrati uerbis pro Κύνα πίονα, Κυναπέγνοτερα, uel Ἀκιπέγνοτερα legemus? nam ſuprà dixerat Athenæus Archeſtratum aſſerere Muſtelum Rhodium eſſe Ἀκκιπέγνοτερα. Quoniam uerò omnium ſapidiſsimum hunc piſcem eſſe tradit, Vulpes autem noſtra ubique uilis ac plebeius piſcis exiſtimetur: Archeſtrati Vulpem (inquit Saluianus) aut apud Rhodum ſolùm eiuſmodi eſſe: aut præter aliorum antiquorum morem, quod magis credimus, alium ab hoc noſtro piſcem, tenerum & pinguem, Vulpem ab eo uocari arbitrandum. Sic ille. Galei quidem Rhodij iconem aliam ex Rondeletio dabimus inter fluuiatiles.

Κύων πίων.

Errant qui hunc piſcem, Aprum marinum eſſe putarunt, propter corij nimirum aſperitatem: quæ tanta in hoc piſce eſt, ut limam referat.


Aper mar.

Vulpes piſcis eſt cetaceus, ex Galeorum genere, Ariſtotele teſte: corpore rotundo ſpiſſoq́, ore paruo, non multùm infra roſtrum, dentibus acutis. Caudæ pinna, quæ ſurſum abit, toto corpore longior eſt, falcis formam referens, altera multò minor. Animal parit. Fœtus uentriculo recipit, &c. Rondeletius.

GALL. Noſtri à caudæ longitudine, figuraq́; enſi ſimili, peis Spaſo nominãt: alij à caudæ longitudine, Ramart, *(Galli Vulpem quadrupedem uocant Regnard,)* Rondeletius.

GERM. F. Ein Meerfuchs/ ein Fuchshund: ein Schwertſchwantz/ ein Swwerthund.


Solus hic inter Galeos umbilico matri adhæret, &c.



GALEVS

GALEVS læuis, γαλεὸς λεῖ☉, hic uidetur (inquit Rondeletius) ex ipsa generandi ratione, quam ei Aristoteles adtribuit, & nos pictura expreſsimus. Fœtum enim cũ umbilico matri adhærente pingendum curauimus, ut à Caniculis, Vulpibus, alijsq; Galeis diſcerneretur: cũ nullus ex Galeis alius ſit, cuius fœtus ſecundis membranisq; inuoluatur, uteroq; matris per umbilicum alligetur. Interim non me latet alium eſſe Galeum, in quo cutis quàm in hoc ſit læuior: quem tamen, cum eodem generationis modo non procreetur, Aeliani Glaucum eſſe aſſerimus. ¶ Bellonius Galeos læues nominat, quicunque aculeis dorſi carent: ex ijs uerò priuatim illum qui à cutis colore Maſsiliæ Palumbus uocatur, ab Aristotele leuem dictum tradit. Læues quidem Galei non à cutis læuore dicuntur: omnes enim Galei aſpera cute ſunt, alij magis, alij minus: ſed quoniam aculeis carent, ut opponantur acanthijs. ¶ Saluianus ob id læuem dici opinatur, quòd non aſpera (ut reliqui ferè Galei) ſed læui tectus ſit cute. Latinorum (inquit) nemo eius meminit.

Icon hæc, non memini ubi olim mihi expreſſa, eiuſdem Galei læuis, uel ſaltem ei coniungenda uidetur.




Glaucus Aeliani.

ITAL. A Romanis peſce Columbo dicitur, Rondeletius: qui alibi Orbem piſcem Venetis Columbum uocari ſcribit: Maſſarius uerò Paſtinacam Venetijs ſic nominari. ¶ Romæ non ſecus quàm Aſterias, peculiariter peſce Palombo uocatur. (nam Canes galeus atque ſpinax communi, & non peculiari nomine, peſci Palombi appellantur, Saluianus.


GALL. A noſtris Emiſſole uocatur, Rõdeletius. Maſſilienſium uulgo à cutis colore Palumbus, Bellonius.


GERMANICE circunloquemur: **Ein glatte art der kleinen Hundfiſchen / hat wol auch ein rauche haut / wie die Hundfiſch überal: aber keine dörn auff dem rucken.**



GALEVS glaucus Aeliani, quatuor aut quinque cubitorum magnitudinem attingit. Dorſum cœrulei eſt coloris exaturati, unde illi cognomen, uenter candidi, &c. Color quidem hic cœruleus in nullo alio Galeo ſpectatur: unde & Cagnot blau, id eſt, Canis glaucus ſiue cœruleus à noſtris appellatur, Rondeletius. Hunc igitur Galeum, Aeliani glaucum arbitramur: qui catulos ſuos ore receptos abſcondit. qui tamen ab Aeliano (& Io. Tzetze) ſimpliciter γλαῦκ☉ dicitur, non γαλεὸς γλαυκὸς, ut Rondeletius nominat. Alius quidem fuerit Ariſtotelis & aliorum Græcorum Glaucus: qui cum aculeos multos, præacutos, ualidóſque in dorſo gerat: ab illis prohibetur ſoboles ore parentum recipi. Plinius Caniculis nubeculam quandam attribuit, qualis eſt in planis piſcibus: quæ ex omnibus Galeis in hoc ſolo, & in Cane galeo comperitur. hic quidem Cani galeo ſæuitia audaciaq; non cedit. humanas enim carnes eodem modo appetit, cuius rei ipſe oculatiſsimus ſum teſtis, Rondeletius.

GALL. Cagnot blau, circa Monſpelium, ut ſuprà dictum eſt.
GERM. F. Ein Blawhund/ein blawer Hundfiſch.





Caput hoc Zygenæ depictum Cor. Sittardus ex Italia olim ad me dedit.


ZYGAENA piſcis è Galeorum cetaceorum genere, ſic dictus eſt à Græcis, (ζύγαινα,) à ſimilitudine figuræ, quia ζυγὸν tranſuerſum librile ſignificat, ex quo lances dependent: uel ſimpliciter ἀπὸ ζυγοῦ, id eſt, à iugo: quod ut tranſuerſum boum ceruicibus imponitur, ita in Zygæna caput ex tranſuerſo ſitum eſt, Rondeletius. Latino antiquo nomine caret. Gaza Libellam tranſtulit: meritò (inquit Rondeletius:) eſt enim libella fabrorum lignariorum, cęmentariorumq́ue inſtrumentum: quo rerum in plano poſitarum æquilibrium ſiue libramentum, & neutram in partem propendens ſitus exigitur. id ligno tranſuerſo conſtat. in huius medio aliud erectum eſt, è cuius ſummo filum annexo plumbo demittitur. Hanc figuram piſcis iſte capite tranſuerſo, & reliquo corpore in huius medio ſito, aptè refert. Sic ille: cuius ſententiam potiùs quàm Saluiani (qui ad huius inſtrumenti ſimilitudinem hunc piſcem accedere negat: & Gazam, qui Libellam uerterit, reprehendit) equidem approbârim. ¶ Qui hunc piſcem Sphyrænam eſſe falſò putarunt, quòd capite malleum referat, Italico eiuſdem nomine (Martello) malleum ſignificante, (nam σφύρα etiam Græcis malleus eſt,) decepti uidentur: ijs uerò qui Lamiam arbitrati ſunt, dentium ſimilitudo impoſuit. *Libella.* *Sphyræna.* *Lamia.*

ITALICE Ciambetta dicitur: alicubi peſce Martello *(id eſt, Malleus, ut dictum eſt:)* alibi peſce Baleſtra: utrunque à ſimilitudine figuræ. Aduertendum tamen eſt, non hunc, ſed Aprum ſeu Caprum piſcem, Romæ peſce Baleſtra uocari, Saluianus.

HISPANICE. Peis Limo, Limada, Toilandalo.

GALLICE. Maſsilienſes peis Iouziou appellant, non à feritate *(ut Bellonius ſcribit)* ſed à tegumenti capitis ſimilitudine, quo olim Iudæi in Prouincia utebantur, Rondeletius. Maſsilienſes à dentium ſæuitie Cagnolam, & fortaſsis à deceptione Baratellam incerta nomenclatura dicunt: item Iudæum, Bellonius.

GERMAN. F. Ein Jud/ein Schlegel/ein Schlegelkopff/ein Schlegelhund.



CANIS Carcharias. Κύων καρχαρίας. A Theophraſto ſimpliciter etiam καρχαρίας dicitur. Mare rubrum (inquit) belluis refertum eſt, plurimosq́ue Carcharias habet, in tantum ut nare tutũ non ſit. Quem locum interpretatus Plinius: In mari rubro (inquit) fruticum magnitudo ternorum eſt cubitorum, Caniculis referta, uix ut proſpicere è naui tutum ſit, remos plerunq́ue ipſis inuadentibus. ¶ Dictus eſt autem Carcharias, quòd præ cæteris piſcibus aſperos, acutos, ualidosq́ue dentes habeat. Rondeletius & Gillius Carchariæ eandem faciunt Lamiam, Nicandri Colophonij Gloſſas ſecuti, qui Lamiam etiam Carchariam & Scyllam uocari ſcribit. Ego cum Oppiano potiùs diſtinxerim. hic enim poëta aliquoties Canes numerat inter Cete: de Lamijs uerò priuatim agit, &c. Fieri quidem poteſt, ut in nonnullis locis Carcharias alio nomine Lamia dictus ſit, propter ſimilitudinẽ: ab alijs uerò exactiùs ſuo diſcretus nomine. Bellonius in hoc potiſsimùm hos piſces diſtinguit, quòd Lamiæ os in anteriori capitis parte tribuit: Carchariæ uerò roſtrũ in mucronẽ exporrectum. Lamia quidẽ (λάμια, λάμνη: quod nomen Grãmatici παρὰ τὸν λαιμὸν [id eſt, à gula, quã prægrandẽ hic piſcis habet,] deducunt) à Plinio inter planos piſces numerat. Atqui Lamiã (inquit Rondeletius) cæterorũ Galeorum inſtar longũ eſſe ſpiſſumq́ue piſcẽ, ac rotundum, ſenſus ipſe docet, dempta ſola dorſi latitudine, qua à cæteris Galeis differt: quæq́ue Pliniũ impulit, ut cum planis cartilagineis numeraret, cũ proculdubio in longis cartilagineis & cetaceis cenſendus ſit. Plura de nomine Lamiæ in Italicis mox leges. ¶ Canis Carchariæ pars eſt etiam qui à Romanis Thyrſio (θυρσίων) uocat, ſuauiſsimus ille & delicatiſsimus, ſiue tenerrimus, Athenęus lib. 7. Plinius Phocænam, Turſionẽ interpretat. Gladiũ quoq́ue piſcẽ, Canẽ & Galeoten uocari teſtis eſt Strabo. ¶ Carchariam Ariſtoteles non cognouit. nam qui ſimpliciter Canis ab eo uocatur, Κύων γαλεὸς eſt, Saluianus. Vide etiam in Cane Galeo. In Sicilia hodie Raiam piſcatricem uulgò Lamiam uocari, Saluianus author eſt: item Squatinam à Luſitanis Lamio.

ITALICE. Lamiæ nomen uetus in Italia, Prouincia & Hiſpania ſeruatum eſt, Rondeletius. Genuæ & Neapoli uetus Lamiæ nomen notiſsimum eſt, Bellonius.

GALL. A noſtris (circa Monſpelium) Lamio uocatur, Baionæ Frax, Rondeletius.

Hæc pictura Carchariæ Canis ad sceleton olim nobis facta est.




GERM. Carcharias & Lamia siue unus, siue duo sunt pisces, propter generis tamen naturæque cognationem uno nomine à Germanis appellari potest, ein Fraß oder Fressihund, à uoracitate, uel à magnitudine ein Vrhund/ein grosser Hundfisch/ein Walhund. Bellonius apud Noruegos Perckfisch uocari scribit, quasi montanum piscem.

ANGLI nimium communi ad Canes & Galeos nomine Dogge fishe nuncupant.


GLOSSO-

GLOSSOPETRA Plinij, ut uidetur, è lapidum genere: quam aliqui uulgò hodie Dentem Lamiæ nominant, alij Serpentis linguam.



GERMAN. Ein Stein / welchen etliche nennend Schlangenzungen: andere aber ein Hundzan vō dem grossen Hundfisch Lamia genannt.


MALTHA Rondeletij, μάλθη. Latino nomine caret. Suidas cum Prestide seu Pristi confundere uidetur. Oppianus apertè distinguit. Maltha cetus est δυσανταγώνιστος, id est, inexpugnabilis, uel difficilis expugnatu. Oppianus ab infirma corporis sui mollitie denominari eam canit. Μάλθη δ', ἡ μαλακῇσιν ἐπώνυμος ἀδρανίῃσι Κῆτος. ¶ Pinnis, cauda, internis partibus à Cane non differt, nisi quòd alba oculorum nebula caret. Caro ei est laxa mollisque, non sensu modò, sed & facultate. aluum enim mollit cietque succi lentore: inde etiam nomen habet, Rondeletius.



ITAL. Romani Lamiolam uocant, à dentium similitudine. dentes enim latos & acutos Lamiæ modo habet, Rondeletius. qui alibi quoque Caniculam Plinij à Romanis Lamiolam uocari scribit.

GALL. Nostri Sorrat uocant, Rondeletius.

GERM. Canem carchariam siue Lamiam interpretamur ein Fraßhund: Maltham uerò, ein kleiner Fraßhund, id est, Lamiam minorem: uel, ein art des Fraßhunds, id est speciem Lamiæ: uel, ein Bluthund, à mollitie corporis.



SIMIA marina quædam, cuius iconem qualem à Ioan. Kentmanno accepi, hîc exhibeo. Is Simiæ marinæ nomine è Dania sibi allatam scribit. Pinnas tanquam uolans extendit, ut pictura præ se fert: & inter duas in summo dorso pinnas aculeum retrò tendit, ceu Galeus centrines. os simum habet, non ut Galei in longitudinem protensum rostrum. branchiarum foramina quina apparent, obliquo inter os & oculos descensu. Color ei uiridis toto corpore: sed in dorso magis fuscus, ad latera pallidus. dentes lati & continui. Reliqua satis apparent in icone: quæ cum ad sceleton facta sit, in uiuo animali non omnia similiter se habere suspicamur. Testudineũ inuolucrum si accederet, Aeliani hanc Simiam facerem: quam in Mari rubro cartilaginei generis describit.


ORDO XI. DE PISCIBVS ORBICVLATIS.

DE ORBICVLATIS CARTILAGINEIS IN GENERE.



De cartilagineis omnibus in genere diximus suprà ab initio Ordinis IX. Veteres eorum genera duo tantùm agnouerunt, Planorum & Longorum. nos Orbiculatos addidimus. Orbem certè Britannicum, cartilagineum esse, ossibus & spinis carere, sapore Squatinæ, à Turnero didici: an uerò is etiam adipe, ut propriè dicti cartilaginei, careat, nondum mihi constat. Reliqui si qui fortè cartilaginei non sunt, propter similitudinem tamen formæ, eodem Ordine collocandi uidentur. Rondeletius nullum certum ordinem eis attribuit: sed libro XV. inter pisces peregrinos, hos quoque numerat. ¶ Orthragoriscus Rondeletij, & altera eius species à nobis exhibita, etsi commune aliquid cum prima specie Orbis habere uidentur, corporis rotunditate ferè, & dentibus latis planisq́;, &c. ego tamen genere toto prorsus differre arbitror. & primam quoq; hanc Orbis Rondeletij speciem à sequentibus omnibus (nisi Echinatum fortè excipiamus, cuius os dentesq́; similes apparent) genere diuersam esse conijcio.

Orbis Aegyptius Rondeletij.



Eiusdem alia effigies rudior, ad sceleton inueteratum olim nobis effícta: quam, cum hîc poni deberet, & spacium deesset, in sequentem paginam posuimus.

Orbes uel Orbiculatos pisces appello, (inquit Rondeletius,) quòd in orbem & rotundã figuram circumacti sint. Horum aliquot sunt genera, quorum primum ex Orientis, alia ex Septentrionis plaga delata uidi.

Orbis primus Aegyptijs ex Nilo familiaris est. Capitur circa Saiticam præfecturam. genera eius duo sunt, ambo rotunda, corio duro contecta, ut lagenam imitari uideantur. Capitur uerò non ob aliud, quàm ut eius pellem tomento impletam, exteris uendant. Plinius Orchin, id est Testem, ob rotunditatem uocauit, alij uerò Orbem appellauerunt. Durissimum esse piscem constat, qui Orbis *(aliâs Orchis: sed Isidorus, qui plus quàm 900. ab hinc annis uixit: & alij, ut Aggregator, legerunt Orbis)* uocetur. Rotundus est & sine squamis, totusq́; capite constat, Plinius. Hęc omnia nostro Orbi conueniunt. est enim durissima, & propter aculeos aspera cute, cui cuticula alia tenuis subiacet. E mari Nilum subire constat: aiuntq́; uniones ex rore ore excepto concipere, & parere, quod falsum esse existimamus, Rondeletius. Aristobulus quidem apud Strabonem tradit nullum ex marinis piscibus in Nilum ascendere, præter Thrissam, Mugilem & Delphinum: eiusq́; rei causam addit. Quamobrem diligentiùs inquirendum fuerit, an Orbis quoq;, ut Rondeletius tradit, anadromus sit, hoc est, è mari subeat. ex tribus quidem iam nominatis piscibus, nullus idem qui Orbis esse potest: nec uerisimile est tam raræ in Nilo formæ piscem, & Nili accolis satis familiarem uulgoq́; notum, inter alios Nili pisces à ueteribus non esse cõmemoratum. quamobrem Physam Nili piscem Straboni & Athenæo nominatum, nõ alium quàm Orbem esse coniecerim. nomen enim Physæ ab inflatione factum apparet: & Orbis noster uesicæ instar inflatæ in globum tumere uidetur. Grammatici physan interpretantur follem, utrem, ampullam, uesicam, flatũ, aërem, pharetram, & Nili piscem: & Physcam crassius intestinum, quod inflari à coquis solet, ut farciatur. Idem fortè & Caluaria marina Ennij fuerit. neq; enim alium inuenio piscem, qui ad cranij formã magnitudine, rotunditate, & dentibus humanorum similibus, magis accedat. Lusitanicum quoque nomen Talpaire, inde corruptum uideri potest.

Orchis. *Physa.* *Caluaria marina.*

GRAECVM



GRAECVM uulgus Flaſcopſarum, id eſt Lagenam piſcem nominat: propter rotunditatem corio duro contectam, Bellonius.

ITAL. Venetum uulgus perperā Columbum (peſce Colombo) nominauit, Bellonius. Maſ-

ſarius Paſtinacam Venetis piſcem Columbum dici author eſt. & Rondeletius alibi Galeum læ= uem Romæ ſimiliter uocari.


GERM. Ein Ründling, à rotunditate: uel ein Flåſchling, à forma lagenæ. uel ein Egyptiſcher Lumpfiſch. Angli enim Lumpe in Oceano uocant aliam Orbis ſpeciem, de qua mox agemus.



ORBIS Scutatus Rondeletij. Hunc ita uocamus (inquit) ut à ſuperiore & alijs orbiculatis diſtinguatur, cuius nominis imponendi cauſa fuit os illud ſcuti forma, quod ea in parte, in qua in terrenis animalibus pectus eſt, ſterni uicem habet. Sunt qui Scutiferum appellant, (*recentiores fortè aliqui & indocti.*) Corpore eſt terete, mucoſo, capite magis exerto quàm ſuperior. A capite ad caudam uſque oſſa oui figura diſpoſita ſunt, inter quorum interualla aculei interiacent. Rarus eſt piſcis & non edulis.

GERMA. Hollandi, apud quos piſcem hunc uidi, Suetolt / alij Bufolt (*meliùs* Snotolf) nominant, à muco quem ore emittit, Rondeletius. Hollandi alijq́ inferiores Germani Schnotolf uocant, quaſi Myxinum & Muconem. nam Schnot uel Snot illis idem eſt, quod nobis Schnuder, id eſt, mucus & pituita. In alijs maritimis Germaniæ tractibus, uel hunc, uel ſimilem, Seehaß appellant: id eſt, Leporem marinum, neſcio qua ratione, niſi fortè à forma oris. (ſed lõgè alius eſt Lepus marinus ueterum.) ego potiùs Seehan, id eſt, Gallum marinum appellârim, quòd eius ſceletos, ut ſcribit Rondeletius, ſuſpenſus, à qua parte uentus ſpirat, roſtro ad eam conuerſo, indicet: ſicut Gallus auis tempeſtatis mutationem cantu denunciat. unde & Lyram Rondeletij, Germani ſimiliter uocant ein Seehan.

ANGLI hunc piſcem a Lumpe uocitant: & eodem nomine maſſam aliquam rotundam, informem, cuiuſmodi ferè hic piſcis eſt. noſtris quidem Lump eſt ῥάκος, id eſt, cento, linteum attritum, ueſtis lacera.




ORBIS Echinatus ſiue Muricatus Rondeletij. Hic etiam (inquit) in Septentrionali Oceano capitur, manifeſtis notis ab alijs diſsidens, nempe aculeis plures cuſpides habentibus, muricum (machinularum ferrearum quadam ſimilitudine.) His quidem aculeis totus hic Orbis adeò riget, ut manu tollere non poſsis, niſi cauda extrema apprehenſa. Sunt qui Hyſtricem ab aculeis non ineptè appellent.

Hyſtrix.

GERMAN. Ein andere art des Schnottholſen/oder Lumpfiſchs: mag ein Igelflåſch oder Stahel_lumpe genennt werden.


ANGLI, ni fallor, hunc priuatim Lump appellant: & in cibo (ſolum opinor in hoc genere) commendant, ueluti pinguiſsimum lautiſsimumq́, cute detracta. Audio frequentem eſſe in Anglia; rubentem colore infantis recens nati, laudari; album non item, ſanguine abundare.

ORBIS



ORBIS Oceani ſpecies alia, cuius picturam, ut ab amico quondam accepi, Germanico Leporis marini nomine, hic appoſui. Lepus quidem marinus Apuleij uideri poteſt; de quo leges mox in Orbe Britannico.

GERM. Ein andere art des Schnottfiſchs oder Seehaſen.




ORBIS Britannici ſiue Oceani ſpecies, neſcio an præcedentium alicui eadem, cuius picturam ut accepi quondam, appoſui: quam cum ad Guil. Turnerum Anglum miſiſſem, ut ipſius audirem ſententiam, his uerbis reſcripſit; Imago hæc Lumpi planè noſtratis eſt: uerùm duæ poſteriores pinnæ abundant. nam tales in piſce, quem ego recenter captum uidi, & poſtea comedi, nullæ comparebant. Deeſt etiam ſub mento, ut ita dicam, rotunda cauernula, cætera omnia bene conueniunt. Et alius quidam Anglus, indicauit hunc piſcem, Lump nomine, reperiri iuxta Cornubiæ (poſtremum Angliæ) promontorium. prominentias autem illas, quæ oſſeæ fortè alicui uideri poſſent ex pictura, calloſas eſſe, quibus adhæreat ſcopulis, quod piſcatores teſtantur. dorſum rubicundum, uentrem album haberi: piſcem ipſum in magnis delicijs reputari. ¶ Et rurſus in epiſtola ad me Turnerus: Lumpus noſter (inquit) non poteſt eſſe Orbis (Aegyptius) Bellonij. eſt enim edulis, cartilagineus. nam oſſa aut ſpinas intus non habet, ſed eorum loco cartilagines. eiuſdem eſt ſaporis, cuius Squatina. Duas tantùm habet pinnas, & eas infra branchias. In ſingulis lateribus ternas habet aculeorũ aut recuruarũ ſpinarũ ordines, à capite ad caudam uſq; porrectos. In ſummo tergo unicam talem habet ſpinarũ ſeriem. Spinæ iam dictæ rubi ſpinas mirè referunt, (*inde Batum rotundum appellare licebit,*) niſi quòd nõ ita recuruæ ſunt. Vmbilicus ei prominet in uentre portentoſæ magnitudinis. Sub mento rotundum quiddã circuli inſtar apparet: quo ſe ſolo aut lapidibus affigere interdum uidetur. Caput habet Ranæ ſimile: & oculos admodum paruos. Tota cutis ſumma, tactu aſpera eſt. *Batus rotundus.*

Lepus marinus Apuleij in Apologetico (quanquam dubitat an ſic ſit uocandus) cum cætera ſit exoſsis inquit, duodecim tamen numero oſſa ad ſimilitudinem talorum ſuillorum in uentre connexa & catenata gerit. Vnde apparet eum non eſſe Leporem marinum ueterum Græcorum. is enim in genere Mollium eſt, quæ omnia oſsibus carent. Conijcio autem hunc eſſe piſcem, qui à Germanis quoq; ad Oceanum Seehaß uocatur, id eſt, Lepus mar. neſcio qua ratione, niſi forma oris, qualis unus potiſsimum eſt, proximè ante hunc exhibitus: cui os fermè Ranæ eſt, non prominens ut cæteris, nec denticulatum. item Orbis Britannicus à nobis dictus. In his enim propter orbiculatam figuram ſpina dorſi per uentrem nimirum tranſire uidetur, cuius uertebræ ceu Orbiculi quidã (ſiue oſſei, ſiue cartilaginei potiùs) inuicem catenæ inſtar nectuntur. Rondeletius qui- *Lepus marinus Apuleij.*

dem de Orbe scutato, ut ipse cognominat, sic scribit: A capite ad caudam usque ossa oui figura dispo-sita sunt, inter quorum interualla aculei interiacent. Ea quidem numero duodecim esse conijcio: quoniam etiam foris per medium corpus prominentię ceu osseæ, uerius callosæ in duobus ijs quos dixi Orbibus, totidem uisuntur. Sed hæc doctissimus Turnerus: aut alius quispiam harum rerum studiosus in Angliæ Germaniæ'ue ora, diligentius perpendet. Sus quidem talo caret probiore, cum inter solipedes & bisulcos ambigat, authore Aristotele. quare fœdos Suum talos esse etiam Plinius ex philosophi uerbis repetijt.

GERM. Ein art des Lumpfischs oder Schnottholfs/ möchte wol über ein komme mit einem auß den vorgesetzten.

ANGLICE A Lump, à specie rudis & informis frustuli. Non desunt qui nominent a Seeoul *(id est, Noctuam marinam.)* SCOTI uocant a Paddel, *(nimirum quòd capite Ranam referat,)* Turnerus.




ORBIS Gibbosi, siue natura, siue arte aut ui: qualis ab amico uiro erudito ad me missa icon est, talem posui. Græcè Νωτιδανὸν dixeris à dorso eminente, sicut & Νωτιδανὸς uel Ἐπινωτιδεὺς Galeus quidam nominatur apud ueteres. Reperitur in Balthico Oceano, corio crasso & tenaci, &c. Spinæ sunt ceu rubi, sed mucrone recto. Dorsum in aciem acuminatum in carinæ modum.

GERMAN. F. Ein Hogerlump/ein art des Schnottholfs mit einem hohen rucken.



ORBIS oblongus. sic enim appellare libet, quòd cæteris, rotunditate tantùm excepta, similis uideatur, eodemq; nomine à Germanis Snotolfi nomine appelletur. Hunc amicus quidam ad sceleton depictum misit: fieriq; potest ut quædam ui aut arte in eo à naturali habitu deprauata sint. Mucosus est admodum, (ut monuit, qui misit:) nec osseum, nec carneum quicquam habet, mucoso tantùm lentore expletur. Captu difficillimus. nam ubi hamum uel retia senserit, suum illum mucum euomendo, lubrica reddit omnia, contractoq; in orbem exuuio prosilit.



ORTHRAGORISCVS, uel Luna piscis, Rondeletij. Ὀρθραγορίσκος. Piscis hic Luna uocatur à nostris (inquit Rondeletius,) quia extrema corporis parte, quæ pinnis subest, Lunę crescentis figuram aptissimè refert: uel quia demptis pinnis toto corpore rotundo est, Lunæ plenę instar: uel quòd noctu splendeat: Sed longè alius piscis est Aeliani Luna, hodie ignotus, nisi fortè Seserinus sit. Sed neque Rota Plinij est, ut Gillius putauit, quanuis Massiliæ Mole uocetur à rotunditate. At Plinij Orthragoriscus uidetur, de quo ille sic: Appion maximum piscium *(non quidem cetorum)* esse tradit Porcum, quem Lacedæmonij Orthragori-

Rota.
Orthragoriscus.


thragoriscum uocant. grunnire eum cum capiatur. Noster certè hic piscis (piscis inquam, non cetus) admirandam in molem excrescit, utpote qui quatuor uel quinque uel sex cubitorum molem æquet, & dum capitur, Porci modo grunnit, cuius rei ego auritus sum testis. eius soni causa rima est branchiarũ stricta. neque solùm Porco grunnitu, sed etiam aspectu, cauda Porci pedibusque demptis, similis est, Rondeletius. ¶ Orthragoriscus pro porcello, Lacedæmoniorum glossa seu dialectus uidetur, siue de quadrupede, siue de pisce dicatur. ¶ Caro eius cocta glutinum ex tergoribus boum confectum refert, uel Sepiarum salsarum & coctarum carnem. præter carnem, adipis multum habet Porci modo. In nostro mari aliquando capitur, sed rarißimè. ¶ Huius piscis (inquit Saluianus) à ueteribus Græcis atque Latinis scriptoribus mentionem nullam factam credimus: quare cum uulgo Molam uocamus, à figura ferè rotunda. Ea quidem quæ ueteres Rotæ pisci tribuunt, huic non conueniunt. Piscis est cartilagineus, uiuiparus, ouis intra se conceptis. *Mola.*

ITAL. Bota uel Bottaccio uocatur. hoc uocabulum eis dolium significat, siue labrum aut lacum. Talis quidem forma etiam Orcæ inter Cete nominis causa fuit: ut hic sit Orca piscis; sicut ueterum Orca, Orca cetus. ¶ Saluianus Italicè etiam, ut Maßiliæ, Mola uocari scribit.

HISPAN. Bout. Vide mox in Gallicis.

GALL. Circa Monspelium Lunam uocant, ut dictum est. Maßilienses Mole (*Rotam quoque puto Molam uocari alicubi: sed hæc non est Rota*) uocant à rotunditate, quòd molæ molendinariæ similis sit. Hispani Bout appellant. Nonnulli ex nostris, qui Prouinciam Hispaniamque frequentarunt, utraque coniuncta appellatione Molebout nominant, Rondeletius.

GERMANI **Mon** uocare poterunt, quod uocabulum eis Lunam significat. uel **Monfisch**: quoniam & Galli circa Monspelium sic appellant. uel **Sauwfisch**, id est, Porcum piscem, ut differat à Delphino, qui simpliciter Porcus marinus dicitur à Germanis, *ein Meerschweyn*. piscis enim non est, sed cetus.



ORTHRAGORISCI alia species: quam Venetijs depictam uir quidam nobilis Gallus ad me misit, unà cum descriptione: Piscis Cal. Martij, anno Salutis 1552. non longè à Venetiarum ciuitate captus est: qui primo aspectu massa carnea potiùs existimabatur quàm piscis. forma in orbem uergebat. corio sine squamis & pilis tegebatur. Os in arctum colligebatur, ut pro beluæ magnitudine miraculo fuerit. Oculi patentes, prominentes, & ampliores quàm bobus. Branchiæ detectæ, carnosæ, læuesque. Pinnæ in lateribus dodrantales. Tuberculum habebat in fronte durißimum. Maxillæ utrinque dentium uice continui oßis soliditate armabantur, &c.

GERMAN. **Ein andere art des Monfischs/zů Venedig gefangen.**

ORDO XII. DE CETIS PROPRIE DICTIS.

DE CETIS IN GENERE.



Cete propriè. CETE (Κήτη) ex aquatilibus propriè dicuntur, quæ perfectum animal ex ſemine, non ex ouo, gignunt, ut Delphini, Balænæ, Phocæ. Et hæc pleraque omnia prægrandi ſunt corpore; quod ſanguine alitur, oſsibusq́ fulcitur, ſimiliter ut terreſtrium reſpirantium. & cum multo calore natiuo abundent, cordis refrigerandi gratia pulmones etiam hæc omnia habent. Minimum in hoc genere Phoca uidetur: inde Phocæna, Delphinus. maxima uerò, Balæna, Phyſeter, Priſtis. *Impropriè.* Impropriè uerò aliquando Cete dicuntur, alia etiam aquatilia animalia grandiora: ut ex piſcibus cùm alij maiores, ut τεμαχῖται cognominati, quòd in tomos ſegmentáue ſciſsi uendantur: *Thynnus.* tum præcipuè Thynnus: qui aliquando etiam ſimpliciter Cetus dicitur, præſertim ubi ad ſummum incrementum peruenerit, hinc Thynnopolæ, à Latinis Cetarij dicuntur. *Cartilaginea maiora.* Ex Cartilagineis longis Canem ſiue Lamiam magnitudine præcipua eſſe puto. inter planos uerò eiuſdem generis Bouem: quanquam & alius Bos eſſe uidetur generis Cetorum propriè dicti. *Teſtudines.* Teſtudines etiam aliqui Cetis adnumerāt, impropriè, ut ego iudico. quadrupedes enim ouiparæ ſunt. Verùm hæc omnia ferè Cetacea cetariáue, ſeu piſces cetacei, potiùs quàm cete uocari debebant: Κητώδη ζῶα, ἢ ἰχθῦς κητώδεις μᾶλλον ἢ Κήτη. Piſces propriè dicti omnes, branchias habent, & ouipari ſunt.

Cete cuius inflexionis & generis. Cete plurali numero, genere neutro, Latini ueteres ferè dicunt, Græcos imitati: nec alium ferè caſum Græcæ declinationis apud Latinos reperias. Celſus quidem Cêtos in ſingulari numero, genere neutro dixit: & ſimiliter Plinius, accuſandi caſu ſingulari. Cetarij dicuntur à cete, qui maiores ſunt piſces, Maſſarius. Græca declinatio τὸ κῆτος, κήτη: ut βέλος, βέλη. nam Latinè ſic declinari non poteſt, Seruius. *Cetus, hic.* Plautus & Feſtus Cetum in accuſandi caſu ſingulari, genere maſculino dixerunt, declinatione ſecunda Latinorum more, in qua caſus formari omnes poſſunt. *Piſtrix.* ¶ Quoties Aratus κῆτος habet, à Cicerone ſemper uertitur Piſtrix, Perionius. Vide infra in Serra. ¶ Omnibus maximis beluis dux eſt exiguus, oblongo corpore, cauda tenui. Κήτεσι δ' ἐκπάγλως κεχαρισμένος ὅσιν ἑταῖρος, Oppianus libro 5. ubi Κῆτος generis nomen pro ſpecie poſuit, Balæna fortè. nam & Feſtus: Balænam (inquit) beluam marinam, ipſam dicunt eſſe Piſtricem, ipſam eſſe Cetum. Et uulgò quidam Cetum pro Balæna accipiunt, excellentia quâdam, quòd hæc in cetaceo genere fera maxima ſit.

Beluæ mar. Cete Latini Beluas marinas etiam uocarunt, ab immanitate, opinor, & magna cum terreſtribus beluis ſimilitudine. nam eodem modo concipiuntur & gignuntur; & pulmones habent, renes, ueſicam, teſtes, mentulam, fœminæ uuluam, teſtes, mammas. Carnis quoque ſubſtantia non multùm à terrenis diſcrepant. Externis uerò partibus mutilatæ ſunt, naribus carent: item pedibus (*præter Phocas, Hippopotamos, & alia fortè*) auriculis, mammæ papillis, Rondeletius. Beluam (*alij l. duplici ſcribunt belluam*) pro Ceto Plinius dixit, Feſtus beluam marinam, Horatius belluam Ponti, Ouidius feram. *Θῆρες.* Græci etiam θῆρας aut θηρία uocant Cete, præſertim homini noxia, θῆρες πόντου quidam. Monſtra Vergilius dixit, pro cetis raræ & inuſitatæ formæ.

Hebræis Thannin, Thannim, & Leuiathan nominantur. ¶ Cete, ut diximus, omnia reſpirant: aquam uerò non refrigerationis gratia, ut piſces, ſed obiter dum cibum capiunt, ore coguntur accipere: *Fiſtula.* eamq́; mox reſpuunt per fiſtulam (αὐλὸν, φυσητῆρα,) quæ eis ante cerebrum ſita eſt. Edita etiam per ſumma æquoris fiſtula dormiunt & ſpirant. Hanc Cete maiora omnia habent uſque ad Delphinum: Phocæ uerò pro fiſtula foramina duo ſunt ante oculos narium loco: & ſimiliter Teſtudinibus, quæ tamen Cete propriè non ſunt.

Dentes. Dentibus ita differunt. Truculentos habet Orca: Delphin multos quidem, ſed paruos & minùs noxios: Phoca Luporum terreſtrium dentibus ſimiles. Teſtudines dentibus carent: ſed pro his maxillarum pyxidatas commiſſuras habent.


Victus. Victu etiam differunt. nam Balænæ aqua & ſpuma maris ueſcuntur: Orca & Phoca piſcibus. Cætera, ut diximus, animal uiuum concipiunt pariuntq́;. Teſtudines uerò ob integumenti duritiem, & compreſsius latiusq́; corpus, uiuum animal in utero geſtare non poſſunt, ut Rondeletius ſcribit.

GERMANI Cêtos omne Wallfiſch appellant; quod nomen à Balæna factum uidetur, & ad illam propriè pertinere.

ANGLI ſimiliter Whale/Whalefiſhe.

ILLYRII Sum, ut quidam aiunt: ego Silurum propriè Sum ab eis appellari puto.

Delphinus fœmina cum fœtu masculo, ut Rondeletius exhibuit.



Alia Delphini pictura, quam à Corn. Sittardo habui.


Delphini Caluaria è libro Bellonij



Ex eodem, Delphini matricis cum fœtu efformatio: quæ Phocænæ etiam conuenit.



Ex eodem, Antiquiſsimi numiſmatis ærei pictura: quod Delphinos duos dorſo repando curuos oſtendit, non quòd eiuſmodi uerè ſint: ſed ita pictores alijq́, ad impetum opinor eorum, ſagittæ inſtar è neruo ſeſe iaculantium, exprimendum, fingere ſolent.





DELPHINVS uel Delphin. Δελφίν, Δελφίς. Cognominatur ἱερὸς ἰχθῦς, & παιδεραστής, & φιλάνθρωπος, ab amore quo pueros & homines prosequitur: & Simo, quòd hoc nomine delectetur. Nonnulli Delphinos, Berellos uocant: eò quòd (ut Alberti uerbis utar) ante naues aquã euomant. Delphinus tanquã genus Phocænam sub se comprehendit, teste Aristotele: qui scribit Phocænam Delphino similem esse, sed minorem: & à compluribus Delphini genus esse existimari. Et Aelianus de Taprobanæ insulæ piscibus loquens, Balænas Thynnis insidiari scribit: atq; horum duo genera illic nasci: alterum ferum, dentibus serratis, & inexorabili immanitate piscatoribus infestum: alterum natura mansuetum circum homines natare, & more canum blandiri, & se contrectari sustinere, atq; obiectum cibum sumere. *Simò.* *Berellus.* *Phocæna.*

GRAECIS hodieq; nomen retinet.

Apud plerasq; Europæ gentes etsi Delphini nomen paßim audiatur, & à pictoribus alijsq; figura eius effingatur, in Oceano tamẽ eo nomine piscem nullũ norunt piscatores. alijs enim nominibus barbaris, singulæ suis, Delphinum nuncupant. In hoc pleræq; gentes cõueniunt, quòd Porcum mar. Suis uocabulis appellãt: & sanè Græca etiam Delphini nomenclatio, ad Delphacem, id est, Porcum in eâdem lingua sic dictum, accedit. pinguißimum enim animal est: & Porco terrestri pinguedine lardoq; non cedit: cui & interiora similia habet, costas, iecur, intestina, & reliqua pleraque. Porci quidem marini, pisces diuersi, à ueteribus dicti, longè alij sunt.


ITAL. Delfino.

GALL. Vulgus nostrum marinum anserem appellat, Oye de mer: quoniam rostro tereti, tenui, & oblongo Anseris in modum conspicitur, Bellonius. Ab accolis maris mediterr. Delphin uel Dauphin uocat, à quibusdã Oceani accolis Marsouin uel Mersouin *(uocabulo Germanico)* quasi maris suem dicas: à Gallis Becdoye, quòd prominentiore sit rostro, Rondel. ¶ Britanni & Armorici in Gallia Morhouch uel Morho appellãt, uocabulo similiter Porcum marinũ significante.

GERM. Meerschweyn à Germanis dicuntur circa Suerinum & alibi, cõmuni nomine Phocæna & Delphin. Sunt enim inter se similes: nisi quòd rostro porrectiore & anserini instar prominẽte Delphinus est: & ut plurimùm gracilior, magis carnosus, minùs pinguis, maior alioqui. Phocæna, minor: sed dorso latiore, rostro obtuso. Orcæ etiam, quam Oudre Galli uocẽt, Bellonius cõmune nomen Gallicum Marsouin (à Germanis acceptum) facit: quum ea Delphino nõ parũ maior sit. Nos distinctionis causa nomina imponemus, ut Delphinus dicatur ein Ganßschweyn, composito ab Ansere & Porco nomine: uel, *ein Meerganß*, quod est Anser marinus: nã & Galli quidam sic uocant. Phocæna simpliciter ein Meerschweyn, uel ein klein Meerschweyn, id est Porcus marinus minor. Orca uerò, maior: ein groß Meerschweyn. ¶ In Frisia orientali Phocænam uocant ein Brunfisch: quod nomen eadem ratione, qua Meerschweyn, Delphino etiam & Orcæ accommodari poterit.

ANGLI Phocænam præcipuè, sed etiam Delphinũ, ut puto, Porpose (in Northumbria Porpeß) appellant, Gallico nomine (ut apparet) ex Porco & pisce composito, quanquam Gallis ipsis non usitato.

POLONI Morska swinia.



PHOCAENA (φώκαινα) Delphino similis est, nascens in Ponto. sed interest, quòd Phocæna minor est, dorso ampliore, colore cœruleo. plures genus Delphini esse aiunt, Aristoteles. Gaza pro Phocæna interpretatur Tursionem siue Tyrsionem, motus nimirum Plinij uerbis, qui Delphinis similem facit Tursionem, ut Aristoteles Phocænam. Delphinorum similitudinem habent qui uocantur Tursiones. distant & tristitia quidem aspectus: abest enim illa lasciuia: maximè tamen rostris, *(ego hîc distinguo: quod Iouius & Rondeletius non faciunt)* Caniculatum maleficentiæ aßimilati, Plinius. Idem Aristotelis uerba, Ἔξω γὰρ φαλαίνης καὶ δελφῖνος οὐδὲν ἔστιν ἐν τῷ πόντῳ· καὶ ὁ δελφὶς μικρός: sic transtulit: In Pontum nulla intrat bestia, præter uitulos & paruos Delphinos. quo in loco pro φαλαίνης, φώκης eum legisse apparet. Ephesius φωκαίνης legit. ¶ De uocabulis Tursio, Torsio, Thurio, Thursio, θυρσίων, Tomus Thurianus: leges suprà in Gladio. ¶ Φῶκος cetus est marinus, Delphini similis, Varinus. Phocænæ nomen fortè à Phoca factum fuerit, quòd similiter præpinguis sit, lardoq; abundet. *Tursio.*

Phocænæ nomina diuerſis in linguis tribui poſſunt, quæcunque in Delphino recitauimus, minoris tantùm differentia adiecta: & ſimiliter Orcæ, epitheto maioris expreſſo.

GALLICE Marſouin: id eſt, Maris ſus, ob corporis craſsitudinem (obeſitatem:) Delphino is ſimilis eſt, ſed differt triſti corporis habitu guſtuq́: maximè uerò roſtrum Canicularum roſtris ſimile habet, ut in Galeis uidere eſt, Rõdeletius. Meduli & Baonenſes, Delphinos minores, Marſupas uocãt: alios Marſuinos, quaſi marinos ſues. Duo genera: alteri roſtrum porrectius: alterum minus, ſimum, Scaliger. Plura lege in Delphino.

GERM. Meerſchweyn das kleiner/ ein Brunfiſch in Frieſzland: Süch im Delffyn.

ANGLICE. Phocænam, quam Angli in Northumbria uocãt a Porpeſſ, in Orientali Friſia, in qua ad integrum degi quadrienniũ, quo tempore duas integras emi Phocænas, & emptas, certioris cognitionis cauſa, diſſecui, ſcio uocari ein Brunfiſch, Turnerus.

PHOCA (mediterranei maris.) φώκη à Græcis dicitur, ducto nomine ex βώκη, ob boatum ſiue mugitum quem edit. Phocam appellauit Vergilius. à Plinio, *Vitulus mar.* Gaza & alijs Vitulus marinus uocatur: cuius nominis rationem ſecutæ ſunt gentes multæ, Rondeletius. Phoca cêtus eſt, etiamſi oſſa cartilaginoſa & molliora cæteris cetis habeat. Εἰνάλιον κῆτος, Phocã ſignificat (Homero) non quoduis cetaceum animal, Varinus. Plinius modò Vitulos marinos nominat: modò Vitulos ſimpliciter: cum de marinis ſermonem eſſe ex argumento uel adiunctis conſtat. Ipſis in ſomno (Vuottonus legit ſono) mugitus, unde nomẽ Vituli. Non uerò mugitu ſolùm, ſed & maxilla ſuperiore, & naribus, Vitulum terreſtrem refert: &, ſi aures excipias, Vitulo terreſtri ualdè ſimilis eſt, ut Rondeletius obſeruauit. Pierius Valerianus à ſpecie tergoris, Boum inſtar uilloſi, nomen inditum putat. *Bocas.* ¶ Bocas genus piſcis à boando, id eſt, uocem emittendo appellatur, Feſtus. Hermolaus hunc eſſe ſuſpicatur piſcem, qui Box à Græcis appelletur. ſed eum uocalem eſſe nemo tradidit. quare Phocam potiùs intellexerim hoc nomine, quæ boat mugitq́ue: etiamſi piſcis ea non eſt, ſed cetus. Box quidem Græcè dictus piſcis, à Theodoro Voca conuertitur. ¶ Phocæ ſunt *Bos marin.* marini boues, Seruius & Iſidorus. Maſſilienſes uulgò Boues marinos appellant, Gillius. Scriptor de nat. rerum alicubi etiam Vaccam marinam uocat. Alius eſt Bos marinus plani & cartilaginei generis. *Lupus,mar.* ¶ Albertus Phocam, etiam Lupum *Canis mar.* marinum nuncupat: & alibi Canem marinum, quoniam Germani ſimiliter appellant. Quanquam autem dentibus ac maxilla ſuperiore Lupũ refert, authore Rondeletio: & rapax uoraxq́; eſt Lupi terreſtris more, (unde & Hiſpani Lupum marinum uocitant:) mihi tamen hoc nomen non placet, cùm ut retineamus uetera potiùs, tum ut homonymiam uitemus. nam & piſcis quidam rapax, Lupus appellatur: & à Bellonio quadrupes quedã perfecta. Eiſdem de cauſis, Canis etiam marini ac Bouis mar. nomina non probo; ne

Phocæ icon qualem ab amico olim accepi. Aliam accuratiorem, à Rondeletio exhibitam, reperies in fine libri: & alteram quoq; Phocæ Oceani.



cum

cum Canibus Galeis & Bobus diuersis consundantur. ¶ Barbarica sunt apud Albertum, Isidorum & similes scriptores, Koky, Helcus, Felchus, Kochi, pro Phoca. In Abinsceni libris translatis Cokium legebatur: Bellunensis restituit Chuchi, & alibi alchusi. Isidorus quidam Caab animal memorat, cui attribuit quædam Phocæ, quædam Elephanto propria.

Animal est amphibium, nam in mari degit, & aërem haurit spiratq;, & dormit in terra. egressusq; in eam parit in litore. diutius tamen in mari quàm in terra immoratur, cibumq; ex humore petit.

ITALI Vechio marino uocant, Rondeletius: id est, Vitulum mar. Alij, præsertim Genuenses, Buo uel Boue marino, hoc est, Bouem marinum.

HISPANI Lóbo marino, id est, Lupum marinum.

GALLI Veau de mer, hoc est Vitulum marinum. Massilienses Bouem marinum. aliqui Lupum marinum.

GERM. Quem uulgus Germanicum uernacula lingua nunc Lupum marinum, nunc Canẽ nominat, Phoca est, Sig. Gelenius in epistola ad me. Lupus marinus, Germanicè Meerwolff dicitur: Canis marinus, Meerhund, Flandri pronunciant Seehond. quo nomine de Phoca Germani etiam circa Suerinum utũtur. Canes Galeos uocant Hundfisch, id est, Canes pisces: Phocas uerò simpliciùs, Canes marinos. Pleriq; inferiores Germani non Seehund, quod nomen à mari & Cane probè compositum est: sed Selhund uel Sålhũd pronunciãt, nescio qua ratione, nisi quòd Angli hanc bestiã a Sele uel Seale nominant. sed l. litera fortè abundat: nã & Cochleã marinam Seelslecke appellant. E Phoca propriè esse puto lardum illud, quod Salspeck uocatur, non è Delphino, ut quidam rentur: nisi ex eo quoq; impropriè sic uocetur. Frisij Phocam ein Rub indigetant. Audio & Seekalf nomen, quod Vitulum marinum significat, alicubi in usu esse: nos Meerkalb diceremus. Súch wyter in der nachgenden figur.

ANGLI nominant A Sele uel Seale, ut dictum est: uel a Sea caulfe.

POLONI Morskieciele, id est, Vitulum marinum.

SCYTHAE. Ex Scythis circa finem Asiæ Septentrionalis duci Moscouiæ subiectis, propiores Oceano sunt Iuhri & Coreli: qui capiũt Balęnas seu Vitulos & Canes marinos, quos ipsi Voruol appellant, Matthias à Michou.

PHOCA alia Oceani. Hoc animal etsi paulùm diuerso sit corporis habitu à superiore, nihilominus tamen Vitulus est marinus qui nascitur in Oceano, corpore crassiore est, magisq; in se collecto, &c. Rondeletius.


ITALICVM, HISPAN. GALL. & aliarum gentium nomina prædicta sunt in Phoca mediterranei maris. distinctiùs quidem nominaturi, illam simpliciter Phocam, uel potiùs cum adiectione mediterranei maris Phocam: hanc uerò Oceani nominabunt.

GERMAN. Ein Seehund/Selhund/Sel/oder Rub im hohen meer (Oceano:) dann die obgesetzt figur ist von einem Sel/wie er im kleinen meer (mediterraneo) gefunden wirt.


PHOCAE Oceani cognata uidetur bellua, quæ à Moschis appellatur Mors, à quibusdam Rosmarus. Vide infra inter Cete ex Olai Magni Tabula.



BRETHMECHIN (Arabico uocabulo, ut conijcio) nominari aiunt belluam, cuius iconem hîc posui, à nobili & doctissimo uiro Theodoro Beza mihi communicatam: addebat ille, nimirum ut à mercatoribus acceperat, inuentam esse in Iaua insula, nostro tempore, anno Domini 1551. Aprilis die 14. longam circiter decem cubitos fuisse inter caput & caudam: altam cubitos duos cum dimidio: animal esse amphibium, ad uiuum depictum. Pictura magna ex parte rubri coloris est, quibusdam in locis cœrulea, &c. Cauda instar equinæ diffunditur: diluti coloris cœrulei est, punctis distincta rubris. Vngues leonini ferè aut pantherini uidentur: ut cauda quoque pantheræ caudam referre.



SERPENTIS Indici nomine, monstri huius eiconem Hier. Cardanus olim ad nos misit, Mediolani in macerie quadam reperti. nec aliud addidit. Sed cauda uidetur animalis aquatici esse: caput πιθηκοειδὲς, id est, Simijs cognatum aliquid pre se fert: ut & digiti pedum, quos binos tantùm ostendit, manuum instar oblongi. Vix equidem ausus hoc animal proferre fuissem, nisi à tanto uiro accepissem.




BALAENA uera Rondeletio. Græcis Phalæna, φάλαινα.

GALLI Santones beluarum piscatores hanc beluam uocant Gibbar, à gibbero dorso, id est, in tumorem eleuato, in quo est pinna. ea Balænis uulgò dictis minor non est, sed minùs spissa, minusq; obesa. longiore est & acutiore rostro, ob id fistulam habet, Rondeletius. quem miror de barbis illis à maxilla superiore pendentibus, ut posita ab eo figura ostendit, nullam facere mentionem: Bellonium uerò etiam magis miror, in descriptione quidē earū meminisse, in icone uerò præterire. Peculiaris certè hæc pars huic belluæ est, nec alteri ulli cōmunis, quantū ex descriptionibus & figuris positis cognoscimus. Bellonius tamē non hanc, sed aliā uerā Balænā facit, quę uulgò ITALIS Capidolium uocatur, ea Rondeletio Physeter est ex Balænarum genere. Ego (inquit Gillius) Capitoleum arbitror Balænam ex eo potiùs quàm Orcam (*contra Iouium*) esse, quòd Græci etiam nunc uocant φαλαίνην, quam uulgò appellamus Capitoleum: & quòd etiam in Capitoleo, & non in ea quæ nunc alicubi Balæna uocatur, fistula in fronte spectetur. *Capitoleus.*

GERM. Ein Wallfisch insunderheit also von den alten genannt/ rc. mag vonn vns ein Hogerwal genannt werden / von wägen seines hohen vnnd hogerachten ruckens: oder ein Bartwal/dieweyl wir kein anderen gebarteten Wallfisch erkennend. Etlich nennend disen fisch ein Braunfisch/welcher nam auch den Meerschweynen (Delphino & Phocænæ) zůgegäben wirt. Sic Galli etiam Marsouin nomen Gallicum (sed originis Germanicę, Meerschwyn) commune faciūt Phocænæ, Delphino & Orcæ. Ego similem ferè à Rondeletio exhibitæ pro Balæna uera figuræ olim ab amico accepi, ad Oceanum Balthicum depictam, ubi capta est talis bellua, anno Salutis 1545. ad locum quem uocant Gripßwald, longa supra 24. pedes. Verùm ea dentes ostendit inuicem contiguos & latos tanquam hominis: caudam magnam, reliquo etiā corpore latiorem. corpus pelle nigra undique tectum, nisi quòd maculæ duæ magnæ candidæ utrinque supra medium oculi incipiunt, & retrò tendunt, &c. Nomina adscripta erant hæc: Germanicum, Braunfisch: Gallicum & Hispanicum Tinet: Anglicum, Hoze. ¶ Porrò cum nullum alium cetum dorso similiter gibbero & eleuato pictum descriptúmue nouerim, eundem hunc esse puto, qui à Balthici Oceani accolis Springwal ab agilitate uocatur: quem Olaus Magnus Orcam (perperam, ut puto) interpretatur. huic enim altum & latum supra dorsum mucronē eminere scribit:

ſcribit: atque ita depingit. (Springwal inquit, Noruegi uocant, quam alij Balænam, alij Orcam exiſtimant.) Pleræq; tamen ab eo poſitæ cetorum figuræ, non uerè nec ad uiuum factæ uidentur.

Balæna cum fuſcina, qua confixa capitur, &c.



BALAENA uulgò dicta. ſed cum fiſtula careat hæc belua (ut Rondeletius ſcribit) non Balæna uera, ſed Myſticetus Ariſtotelis, aut Muſculus Plinij uidetur. Plinius tamen Muſculũ beluam & piſcem Balænarum ducem, confundere uidetur. ¶ Fiſtula animantibus quibuſdam aquaticis, non ſolùm ad reijciendam aquam, ſed ad reſpirandum data eſt. cuius uice hæc bellua rimas ſeu foramina habet, quòd roſtro ſit non oblongo, ſed obtuſiore quàm cæteræ belluæ, Rondeletius. At qui cetum Britannicum deſcripſit, (cuius mox iconem ſubijciemus, non alium ab hoc Rondeletij ceto, quantum uideo. deſcriptiones enim conueniunt, cum aliâs, tum quod ad laminas in ore corneas, dentes nullos, &c. etſi icones ipſæ plurimùm diſsideant,) tribuit ei foramina duo magna in capite: per quæ, inquit, putatur belluam plurimam aquam ueluti per fiſtulas eiectaſſe. ¶ Orca cum in nullis ſcriptis, quod iam mihi ueniat in mentem, tradatur habere fiſtulam in fronte, mihi tam diu apud nonnullos regiones Italiæ peruulgata Balæna uidebitur, quoad totam rem meliùs inquiſiero, Gillius. *Myſticetus. Muſculus.*

ITAL. Balena, Valena.

HISPAN. Vallena.

GALL. Balene.

GERMAN. Ein Wal/Wallfiſch oder Waller/inſunderheit zů vnſeren zeyten genannt: wiewol man ſunſt alle groſſe meerfiſch/die jren aaten durch die lungen ziehend/Wallfiſch nennet.

BALAENAE uulgò dictæ icon alia, longè quidem diuerſa, quàm Rondeletius dedit: animalis uerò eiuſdem, ut facilè deſcriptionem utriuſque conferenti patebit. Item ex eo quòd Rondeletius reprehendit illum (Gillium) qui oculos bubulis non maiores ei tribuit: quod de hoc ipſo ceto Gillius ſcripſit.


Effigies ceti huius (quem Britannicum cognominare licet, quòd in Oceano Britannico noſtra memoria inuentus ſit) publicata eſt in charta typis excuſa, Londini primùm in Anglia, deinde in Italia: inde nos deſumpſimus, cum corporis eiuſdem ac partium deſcriptione huiuſmodi:

Apographum ex literis ad Polydorum Vergilium, ex urbe Tynemutho in partibus Angliæ Borealibus.

Proiecit in arenas apud Tynemuthum mare hoc noſtrum menſe Auguſto (anno Domini 1532.) mortuam beluam, molis & magnitudinis ingentiſsimæ: quæ iam magna ex parte diſcerpta eſt: remanet adhuc tamen quantum centum fermè ingentia plauſtra auehere uix poterunt. Aiunt qui primùm beluam uiderunt, & uti poterant diligenter perſcripſerunt, longitudinis illam fuiſſe


triginta ulnarum, hoc est, pedum nonaginta. A uentre ad spinam dorsi, quæ arenis profundè immersa iacet, spaciũ esse circiter octo aut nouem ulnarum: certum non habetur. nam 27. die Augusti ipse ibi affui, fœtente iam belua, ut uix ferri posset odor. Coniectant dorsum ipsius ad spacium trium ulnarum in arena immersum. nam quotidie alluitur & operitur fluctibus maris. Rictus oris sex ulnæ & dimidia. Mandibula longa septem ulnas cum dimidia, sicut quercus grandis est. Costas in lateribus triginta habet, magna ex parte longitudinis pedum unius & uiginti, circuitu unius pedis & dimidij. Tres uẽtres ueluti uastos specus: & triginta guttura, quorum quinque prægrandia sunt. Habet duas pinnas, utrãq; quindecim pedum in longitudine. uix poterant decem boues alteram earum abstrahere, *(trahendo è corpore auellere.)* Palato adhærebant quasi laminæ corneæ, una ex parte pilosę, qualem iam unam uides, supra mille: (non est fabula Polydore, sed res uerissima,) quanuis non omnes unius magnitudinis. Longitudo capitis à principio usque ad rictum, septem ulnę. De lingua uariatur. maior pars censet septem fuisse ulnarum longitudine, *(uiginti pedes latam, Gillius.)* Aiunt genitale masculum ei fuisse prodigiosę magnitudinis. Spacium inter oculos sex ulnę. Oculi & nares tanto corpori ualde impares, quales bobus esse solent, *(bubulis non maiores, Gillius.)* Cauda bifurcata & serrata, latitudine septem ulnarum. In capite duo magna foramina erant: per quæ putatur beluam, plurimam aquam ueluti per fistulas eiectasse. Nulli illi fuẽre dentes. unde colligitur non fuisse Balænam. nam Balænis aiunt maximos esse dentes, exceptis laminis aliquot corneis, quæ in ore huius piscis erant. Hucusque author epistolæ ad Polydorum Vergilium: ex qua etiam Gillius uidetur mutuatus in Aelianum suum transtulisse: sed quædam parum bene. Nares huic beluæ, non rectè forsan pictor addidit: cum foramina (ut dictum est) in capite habeat: quæ narium loco cetaceo generi data esse, testis est Aristoteles. ¶ Laminæ illæ corneæ, quibus os dentium loco exasperatur, quandã serræ speciem præ se ferunt: ut ab ea fortè Pristis appellari posit. nam & ingens & oblongo corpore belua Pristis est. alia quidẽ à Rondeletio exhibetur, & Plinius Oceano Indico Pristes attribuit.

Pristis.



GERM. Ein andere contrafactur des Walfischs/der in Welschen landen gmeinlich Balena genennt wirt/auß Engelland.

ORCA Rondeletij. Nomen (inquit) ei positum est à uasis olearij siue uinarij similitudine, quod tereti *(rotundo)* est & informi specie. Talis & huius beluæ est figura. nam toto corpore est ualde crasso ac rotundo, extremis nõ ualde prominentibus & tenuioribus. Rostro, fistula, pinnis & cauda Delphino similis: corpore uigesies *(quater aut quinquies, Bellonius in libro Gallico)* crassiore, potissimùm circa uentrem. Dentes habet ualde latos, in acutum desinentes, serratos. his Balænam persequitur, quam quum mordet, ueluti mugitum Tauri à Canibus comprehensi cogit edere. Quam ob causam nautæ qui piscatus causa in nouum Orbem nauigant, Barbaros rogant, uel (si liceat) imperant, ne Orcas lædant aut uenentur: quoniam Orcarum opera Balænas, Phocas, aliasq;



alíasq; beluas capiunt. Orcæ enim truculentis dentibus alias beluas impetentes, maris gurgites cogunt relinquere, & ad litora confugere, quas illic sagittis telisq; aliis interficiunt. Orcarum aduersus Balænas pugnam eleganter describit Plinius. Ab huius belluæ similitudine, puto prægrãdes Oceani naues, Ourchez uocari. Hæc ille. Orca à Strabone Græcè ὄρυξ dicta uidetur. In mari extero (inquit) cete & plura & maiora fiunt: circa Turditaniam uerò imprimis, ubi fluxus atq; refluxus augentur: (quæ causa nimirum & multitudinis & magnitudinis est, propter exercitationẽ), ut Oryges, Balænæ & Physeteres. Porrò Orcynus Græcorum aliud animal est, non propriè cetus, sed Thunnorum piscium generis. ¶ Gillius & Bellonius Capitoleum uulgo dictam beluam, Balænam potiùs quàm Orcam (contra Iouij sententiam) esse arbitrantur; Rondeletius uerò eandem nec Orcam, neq; Balænam, sed Physeterem. *Oryx.* *Capitoleus.*

Hyrcha Græcis, præsertim Aeolibus, similiter ut Latinis Orca, uinarium & salsamentarium uas significat: à cuius similitudine Græcè etiam ὕρχην hanc belluam uocare licebit. Suidas id genus uasis duas ansas (δύο ὦτα) habere scribit. Orcæ teretes sunt atque uniformi specie, unde & uasa dicta, Festus. De Orca ingenti in portu Ostiensi uisa & oppugnata à Claudio principe, apud Plinium leges. Tanta uerò cum sit in mediterraneo hæc bellua, multò maior in Oceano fuerit, quod uel Strabonis testimonio credẽdum est. Quamobrem Rondeletij potiùs Orcam, quàm Bellonij pro uera ueterum Orca admiserim, utpote multò maiorem. Etsi enim scribat Bellonius Orcam reliqua cetacea, quæ in Oceano Gallico appareant, præter Balænam, facilè excedere: non maiorem tamen se uidisse refert, quàm pedes octodecim (uel paulò plus) longam, crassam per medium decem & ampliùs: quæ mille libras pondo excesserit. Hæc (inquit) Delphino ac Tursioni ita similis est, ut non solùm Marsuini nomen sibi uulgò uendicet: sed etiam pro eo publicè exponatur. Cute quasi corio integitur, admodum glabra ac politissima, ad dorsum liuente, ad uentrem albicante. Rostro est simo, sursum repando, &c. Interiora omnia (dempto liene) Delphino & Tursioni similia habet. *Hyrcha.*

Vidi etiam (inquit idem Bellonius) numos Claudij Cæsaris, in quibus exprimitur Neptunus cum tridente insidens pisci Delphino simili: mihi tamẽ Orcam potiùs uoluisse repræsentare Claudius uidetur. is enim (teste Plinio) in portu Ostiæ Orcam expugnauit. *Talis numi effigiem suprà in Delphino posuimus.*

HISPANICE puto Tinet uocari, tanquam à tine, id est, solij forma. alij tamen Balænam ita interpretantur.

GALL. Santones Espaulars uocant, ab humerorum seu potiùs scapularum latitudine & crassitudine, Rondeletius. Bellonij Orca ad Oceanum Gallicum, similiter ut Delphinus & Phocæna, Marsuin uulgò uocatur: priuatim uerò à peritioribus Oudre, quod est, Vter, à crassa nimirum & informi utris specie.

GERMANICE Orcam Rondeletij interpretor, **ein Vasszwal/ein Zuberwal.** Bellonij uerò Orcam, quanquam similiter ferè utris aut uasis urinarij forma appareat, à similitudine quam cum Delphino & Phocæna habet, ijsdem nominibus appellabimus, expressa maioris differentia, **ein groß Meerschweyn/ein grosser Braunfisch/ein Walschweyn.** Vel ab utre facto nomine, **ein Vterwal/ ein Schlauchwal.** Olaus Magnus Orcam usitato Germanis Noruegis nomine **Springwal** interpretatur: id nomen sonat salientem cetum, à uelocitate: eamq; pingit alto quodam & lato supra dorsum eminente mucrone seu gibbero: unde hanc Balænam ueram Rondeletij esse conijcias, quam Gallicè Gibbar nominat, à gibbero & in tumorem eleuato dorso: qui piscis si agilis & uelox est, & Balænas persequitur, ut tradit Olaus, Balæna ipse non fuerit. *Springwal.*



Pistris aut Physeter, horribile genus cetorum, & ingens, ex capite multum aquæ in naues efflat, & aliquando submergit, Olaus Magnus in Tabulæ suæ explicatione: absurdissimè autem hunc cetum capite equino depinxit, &c.



Flator. PHYSETER (φυσητὴρ) Græco nomine uocatur, quasi Flator, hæc belua: quòd nimbosam quandam alluuiem aquarum efflando sua fistula emittat, adeò ut plerunque etiam alueos nauigãtium deprimat. Esse autem quẽ hîc proponimus uerum Physeterem, maximè indicat fistula, multò amplior quàm in cæteris, quàm notam, & totius beluæ figurã, ex ijs qui beluas uenantur, didici, Rondeletius. *Physalus.* Dicitur alio nomine etiam Physalus, φύσαλος, Aeliano & Oppiano. Sed alius est Rubri maris Physalus, pisciculus informis, non maior Gobio, &c. (eodemq; nomine Rondeletius Erucam marinam quandam nominat:) quem qui gustauerit, uentre intumescit, & ipse etiam cum primùm extra aquam est, inflatur. Physeter Aristoteli non animal, sed fistulam significat: qua aquam reijciunt Cete & Mollia: alio nomine μυκτὴρ. ¶ Maximum animal in Indico mari Pristis & Balæna est: in Gallico Oceano Physeter, ingentis columnæ modo se attollens, *Prestis.* altiorq; nauium uelis diluuiem quandam eructans, Plinius. Videtur & Prestis, eadem uel prorsus cognata Physeteri bellua. Vide mox in Viuella uel Serra.

Capitoleus. ITALICE. Capidolio, Rondeletius. Itali uulgò Capodoglio proferunt: aliqui Capitoleum scribũt. Is piscis Iouio Orca est, Gillio Balæna potius quàm Orca. Vide superiùs in Balæna uera.

HISPANICE Marsópa uocari quidam nobis retulit: ego id nomen Phocænæ deberi existimo: quam à Santonibus Marsupam uulgò nominari Cæsar Scaliger author est.


GALLICE. A nostris peis Mular, à Santonibus Sedenette, Rondeletius. ¶ Physeterem existimo esse, quem uulgò uocant Calderonem: quòd hunc ex omnibus beluis maximam diluuiem aquarum eructare dicunt. hunc quidam arbitrantur esse quem Massilienses uocant Mulassum, nondum à me uisum, Gillius. Bellonio Cetus, qui Calderonus uulgò dicatur, Pristes est.

GERMAN. F. Ein Sprützwal/ein Wetterwal.


ANGLI quidam eruditi Physeterem interpretantur a Whyrlepole, (alij scribunt Whirlepoole/alij Horlepole/) quòd lacũ (id est, mare & undas) uertat, excitatis uorticibus, uel quòd undas capite emittat & eiaculetur. Non ita pridem tres huius generis in Thamesi fluuio Angliæ captos esse, Ioan. Caius indicauit. ego Physeterem multò maiorem esse puto, quàm qui fluuios intrare posit, nisi prima ætate forsan. Physeterem nostri uocant a Whorpoul: qui licet portentosę magnitudinis, ad Balænæ tamẽ magnitudinẽ nunquam accedit. Huius generis quatuor aliquando uidi, quorum singuli tantum aquæ è fistulis capitum eiaculabantur, ut singulas naues aquarum copia in profundum submergere sufficerent, Guilielmus Turnerus.

Rostrum

Rostrum uel os à capite prominens, satis commodè exprimi uidetur: reliquum uerò corpus ad coniecturam à Rondeletio effictum.




Eiusdem animalis rostrum siue serra, seorsim.



INDI Cetaceum quendam piscem norunt (inquit Rondeletius) quem Viuellam nonnulli appellant, insuaui carne, cibo inutilē, mirabili forma, maximè ob rostrum: quod ualde longum est, osseum, utrinque aculeatum. eius aculei ualidi sunt, & Delphinorum dentibus similes, sed longiores. Os, cui infixi sunt, latum, tenue, cute aspera, cinerea. Hanc antiquorum Pristen esse opinor, πρίστην: (quo uocabulo Plinius etiam & Gaza usi sunt:) ἀπὸ τοῦ πρίειν, id est, à secando nominatum, ac si Latinè Sectorem aut Serram diceres, à rostro simili serræ utrinq; secanti: ut forsan idem sit, quem Plinius uno loco Serram uocauit. Hæc ille. Mihi Prestis eadem uel prorsus cognata Physeteri bellua, tum à nomine, tum ab ipsorum animalium natura petitis uerisimilibus argumentis uidetur. Scribitur à Græcis uariè, πρίστης, πρίσις, & πρῆστις. apud Latinos Pristes, Pristis, uel Pistris & Pistrix. Græcè πρῆστις (flectendum ut Paris, sed fœmin. genere) optimè uocabitur, à uerbo πρήθειν uel πρῆσαι: quod non solùm urere, sed etiam flare & spirare, sicut φυσᾶν, significat. quamobrem & fulminis genus physiologi Græci πρηστῆρας nuncupant. quod semper & præcedere, & comitari & sequi uentum Olympiodorus docet. quidã pro turbine & uento uehementiore hoc nomen usurpant. Dicit Nearchus, ὀφθῆναι ὕδωρ ἄνω φυσώμενον ἐκ τῆς θαλάσσης, οἷά περ ἐκ πρηστήρων βίᾳ ἀναφερόμενον, Arrianus de cetis loquens, &c. ¶ Plinium Serræ nomine aliud animal quàm Pristin Prestidém ue accepisse coniecto. Libro 9. enim cap. 2. de rerum uarietate loquens: Rerum quidem (inquit) non solùm animalium simulacra (in mari) esse, licet intelligere intuentibus gladium, uuam, serras. Mox autem sequenti capite: Plurima & maxima in Indico mari animalia, è quibus balenæ quaternûm iugerũ, Pristes ducenûm cubitorum. ¶ Video Rondeletium exhibuisse cetum rostro serra insigni, quem Pristin interpretatur. sed Pristin tale habere uel rostrum, uel partem aliam serræ similem, nullus authorum scripsit. De Serra etiam Plinij neque an cetus sit constat, (Pristin quidem Aristoteles cetum esse testatur:) neque an uel corpore toto, uel parte duntaxat aliqua serram referat. Scolopax Rondeletij radium caudã uersus planè serratum habet: eumq; ego potiùs Serram appellârim, quàm eiusdem Pristim, &c. Rondeletius rostrum in bellua quam pingit serræ figura esse scribit. Gillius uerò os ensiforme, in modum serræ dentatum, à fronte prominere. Lusitanus quidam uisa apud me icone, pesce Serra mihi appellabat: addebatq; spinam dorsi esse: quod non crediderim. alius Balænæ linguam nominabat. In Medera insula Noui Orbis aquaticæ serræ sunt, quibus in assamenta secantur ligna, Aloysius Cadamustus. Scio Aelianum, Oppianum & Suidam Physalum (id est Physeterem) & Prestin ceu diuersos pisces, simul inter cete


nominari, ego interim, ut suprà dixi, si animal non idem est, maximè tamen cognatum esse putare pergo. & fortè Physeter in Gallico Oceano, non alius quàm in Indico Prestis fuerit. Ad hæc è Balænarum genere Physetêras esse Rondeletius assentitur: quibus si Prestis etiam, ut mihi uidetur, affinis est, non erit cetus uel piscis ille, quem rostro oblongo serratoq; longè dissimilem Balænis pro Prestide pingit. ¶ Quoties Aratus κῆτος habet, à Cicerone semper uertitur Pistrix, Perionius. ¶ Bellonius Serræ quam exhibemus (ossis dico) substantiam per medium ferè cartilagineam esse scribit, & flexilem: unde nimirum piscem etiam ipsum cartilagineum esse conijcit, sed cetaceum, & Serræ nomine antiquis uocatum.

GERMAN. **Ein frömbder Walfisch oder sunst grosser fisch auß India: sol ein schnabel haben/ oder ein bein/ von der stirnen hinauß/ gleych einer sagen/ mit zänen an beeden seyten.** F. **Ein Sagfisch.**



SCOLOPENDRA (Σκολόπενδρα) cetacea (nam & insectum marinum eodem nomine est) nomen tulit à pedum multitudine. nam Scolopendras terrestres, Centipedes appellant. qui pedes dicuntur, appendices sunt, quibus tanquam remis corpus impellit. Meminit eius Aelianus, Rondeletius. Vide infrà Cetum barbatum, inter Cete ex Olai Magni tabula.

GERM. F. **Ein Walnassel.** nam & terrestre insectum uocant **ein Nassel.**



EFFIGIES Ceti cuiusdam ex Oceano Germanico, quam ab amico accepi, ad sceleton nimirum expressam, idq; capitis duntaxat, ut conijcio: reliquo corpore pro coniectura appicto, nō satis accuratè, ut suspicor: præsertim cum scissuræ post oculos tanquam branchiæ appareant, quibus ceti carent.

GERM. **Ein art der Walfischen auß dem Teütschen meer. Der kopff/ acht ich/ seye wol gemacht/ einem dürren nach: der übrig leyb bedunckt mich nit vast recht/ insunders auß dem daß er anzeigung der orwangen hat/ welche doch in den rechten Walfischen nit gefunden werdend.**


MACVLO



MACVLO, Anglicus cetus. Anno à nato Christo M. D. L V. autumnali tempore, Lynni (quod oppidum est Norfolciæ in Anglia portuosum) piscis hic maculosus rudi figura depictus (ut charta typis impressa per Angliam publicatus est) in siccum à piscatoribus deductus fuit, longus amplius pedes LX. carne pingui, clara & candicante, gustus suauitate ceruinam referente. Nomen nostrates nesciuere piscatores: nos Maculonem uocitemus, Io. Caius Anglus in epistola ad me. Branchiæ quidem, si rectè additæ sunt, piscem, non propriè cetũ esse ostendunt, quemadmodum & pinnarum figura situsq; & caudæ species. Propriè uerò dictum piscem ad tantam longitudinem peruenire miraculum est.

GERM. Ein wunderbarer fisch/im jar M. D. LV. in Engelland gefangen bey der statt Lynne/zů Herpstzeyt/lenger dann LX. schůch / den Engellandischen fischeren vnbekannt. mag ein Flåckfisch genennt werden.

SEQVVNTVR MONSTRA QVAEDAM CETACEA, BELluarum terrestrium aut hominis aliqua specie.



MONSTRVM Leoninum. Monstrum est id quod hîc exhibemus, (inquit Rondeletius,) & pefectum animal, partibus nullis ad natandum aptis præditum. Quamobrem cum dubitarem extitisset'ne reuera aliquando monstrum istud marinum, Gisbertus (*Horstius*) Germanus, (qui Romæ medicinam facit, uir proculdubio in rerum cognitione præcellens & minimè uanus) omni asseueratione affirmauit, certò se scire, non diu ante obitum Pontificis Pauli III. Centucellis captum in medio mari fuisse. Quare ex illius fide, quale fuerit hoc monstrum describere non dubitaui. Id (ut referebat) magnitudine & figura Leonis erat: quatuor pedes habebat, non mutilatos nec imperfectos ut Vitulus marinus, non membranis medijs iunctos, ueluti Fiber & Anas, sed perfectos, in ungues & digitos diuisos: caudam longam, tenuem, in pilos desinentem: aures ualde patentes, squamas in toto corpore. Non diu uixit proprio naturaliq; loco & alimento destitutum. Hæc quanuis bona fide mihi narrauit Gisbertus medicus, tamen existimo pro pictoris arbitrio quædam detracta, quædam addita fuisse: ut pedes longiores factos, quàm aquatilibus bestijs esse soleant, uel omissam membranam digitos coniungentem, aures patentiores contra aquatiliũ naturam: squamas præter ueritatem additas pro cute aspera & rugosa, quali cute pedes & alæ Testudinum marinarum conteguntur. neq; enim squamas habẽt quę pulmonibus spirant, & ossibus sustinentur. Hucusq; Rondeletius. Ad Castrum oppidum in mari Tyrrheno captus piscis est, Leonis forma, anno Domini M. CC. LXXXIIII. (*aliâs anno 1274. aliâs 1295. mense Februario, Seb. Francus. ego Martinum IIII. pontificem ad quem allatus est, electum inuenio anno 1281. & quinto deinde anno successisse ei Honorium V.*) is clamorẽ hominis ululatui similem edidit, & cum admiratione in urbem mis-

ſus eſt, ſpectaculi cauſa, ad Martinum IIII. Pontificem: Author innominatus, & Philippus Foreſtus Chronicorum libro 13.

GERM. Ein Meerwunder einem Löwen gleych/gefangen im meer das vnden an Italiam ſtoßt/im jar M. CC. LXXXIIII. hat gehület wie ein menſch/vnd iſt von wunders wägen gen Rom gebracht für den Bapſt Martinum den vierdten.

LEONINI monſtri hiſtoriæ ſubijcere libuit, eā quæ de ſimili ferè monſtro (utpote alcæa, hoc eſt, cauda ceu leonina uerberante) Hector Boëthius in Deſcriptione regni Scotiæ tradidit. Retulit nobis (inquit) Duncanus Campusbellus eques auratus, ex lacu quodam Argadiæ, (*quæ quidem regio lacus plures habet, dulcis an marinæ aquæ, neſcio*) cui Garloil nomen eſt, prodijſſe ſub aurorā ſolſtitij æſtiui anno partus uirginei M. D. X. animal quoddam uenatici Canis magnitudine, pedibus anſerinis, robora ingentia nullo negocio caudæ ictu proſternens: ac ſtatim pernici curſu uenatores impetens, tres tribus ictibus deieciſſe, reliquis in arbores euadentibus: nec diu cunctatum, protinus ſeſe in lacum recepiſſe. Magno (*Magnum*) malum regno portendere id monſtrum dum apparet, uolunt. nam & aliâs, ſed rarò, uiſum eſt.

MONSTRVM hoc marinum noſtra ætate in Nortuegia captum eſt, mari procelloſo. id quotquot uiderunt, ſtatim Monachi nomē impoſuerunt. ¶ Apparent interdum in æſtu Forthiæ, malo omine, ingentiq; hominum metu portenta quædam facie humana, cucullos ad modum monachorum, ut apparet, induta, ac umbilico tenus aqua extantia, Baſſinatis (*fortè* Waſſermane, *uel* Waſſermünch, *ut Germanus diceret*) uernacula lingua, Hector Boëthius in Deſcriptione regni Scotiæ.

GERM. Ein Meerwunder einem München geleych/gefundenn zů vnſeren zeyten in Nortwegen.





MONSTRVM aliud marinum, anno Domini 1531. in Polonia uiſum, Epiſcopi habitu.

GERMAN. Ein ander Meerwunder in Poland gefunden/im jar nach Chriſti geburt 1531.



MONSTRVM marinum ex tabula quadam excuſa in Germania olim. Viſum hoc aiunt eſſe Romæ in Ripa maiore, tertio die Nouembris, anni Salutis M. D. XXIII. magnitudine pueri quinquennis, ea omnino ſpecie qualis hîc exprimitur.

GERMAN. Ein Meerwurder zů Rom geſähen / im jar M. D. XXIII.



MONSTRVM marinum quod hîc pingimus, ſicubi extat, Pan uel Satyrus marinus, aut Ichthyocentaurus, aut Dæmon marinus appelletur. Iconem à pictore quodam olim accepi: qui talis monſtri ſceleton Antuerpiæ depictum ſe accepiſſe aiebat. Alius etiam retulit ſimile monſtrum aridum è Noruegia in Germaniam inferiorem aduectum, marem & fœminam. Fidem ei facere poſſunt ſimilium monſtrorum effigies, proximè à nobis exhibitæ. Hoc quoniam humana ſpecie ſupra lumbos & cornutum eſt, Pâna marinum, aut Satyrum marinum, quoniam ſimum quoque eſt, appellabimus. Pâna piſcem quendam cetaceum uocari, in eóque aſteritem lapidem inueniri, qui à Sole accendatur, & utilis ſit ad philtra, Aeſopus Mithridatis änagnoſta tradit, Suidas in ἰχθῦς. In mari circa Taprobanen inſulam cete quędam Satyrorum ſpeciem ſimilitudinémque præ ſe ferre tradunt, Aelianus. Eugenio quarto Pontifice apud urbem Sibinicum in Illyrico captus eſt marinus homo, qui ad mare puerum trahebat. Is à currentibus, qui rem aſpexerant, lapidibus fuſtibúsque uulneratus, in ſiccum retractus eſt. Huius effigies penè humana, niſi quòd cutis Anguillæ ſimilis erat, & in capite duo parua habebat cornua. Manus quoque duorum tantùm digitorum formam exprimebant. Pedes autem in duas ueluti caudas finiebantur: à quibus ad brachia alæ, ut in Veſpertilione, extendebantur, Baptiſta Fulgoſus. Plura leges in Hiſtoria Aquatilium noſtra in Tritone.

Pan uel Satyrus mar. Ichthyocentaurus. Dæmon mari.

GERMAN. F. Ein Meerteüfel.

SEQVVNTVR CETE QVAEDAM EX OLAI MAGNI SEptentrionalis Oceani Europæi in Tabula Descriptione.

ICONVM quas subijciemus fides penes Olaum authorem esto. nos enim eas omnes ex Tabula ipsius depingendas curauimus. Apparet autem eum, ex narratione nautarum, nõ ad uiuum, pleraque depinxisse. Vix probârim capita quorundam nimis ad terrestrium similitudinem efficta: ut neque pedes unguibus armatos, & fistulas binas (Rondeletius quidem Balænæ fistulam unicam tribuit) adeò prominentes, cum Balænarum, tum Pristis seu Physeteris, &c.

Harum belluarum nomina quædam confingemus, à similitudine terrestrium, ut Apri, Hyænæ, Monocerotis, Rhinocerotis, &c. Extare quidem in immensitate illa Oceani quàm plurimas diuersas & inusitatis formis belluas, quis dubitet? Et, si non temere est, quod uulgo dicitur: nomina etiam illa accolis Oceani Germanis & Gothis cognita, testari hoc possunt: qualia sunt, Wangwal/Andwal/Schwynwal/Rauẽwal/Wittewal/Schiltwal/Hanerkeit/Nonwarsrack/Trolwal/Springwal/Gerwal/Blotewal/Hill/Herill/Karckwal/Rußwal/Nachtwal/Nordwal/Wintinger/Fischskeeke/Schellewyncke/Rore/Rostinger/Schlichtback/ꝛc.

Volgend etliche Figuren auß der Tafel der beschreybung mittnächtischer landen des Olai Magni: wie wol vnd recht aber die selben contersfeetet syend/lassend wir den Olaum verantworten.



Balæna erecta grandem nauem submergens. Videntur & alia quædam Cete ex eâdem Tabula Balænis adnumeranda, quæ ipse simpliciter Cete nominat, cum præter magnitudinem Balænis præcipuè conuenientem, nullam in se corporis partem raram aut monstrosam habeant: ut sunt quæ sequuntur aliqua.



Cetus ingens, quem incolæ Faræ insulæ ichthyophagi, tempestatibus appulsum, unco comprehensum ferreo, securibus dissecant, & partiuntur inter se.


Nautæ



Nautæ in dorſa Cetorum, quæ inſulas putant, anchoras figentes, ſæpe periclitantur. Hos cetos Trolual *ſua lingua appellant, Germanicè* Teüfelwal.



Similis eſt & illorum icon apud eundem, capite, roſtro, dentibus, fiſtulis: quos montium inſtar grandes eſſe ſcribit, & naues euertere, niſi ſono tubarum aut miſsis in mare rotundis & uacuis uaſis abſterreantur. Idem in Balthico mari circa Balænam fieri aiunt.



ZIPHIVS (Ziphio ſimile, in libello Germanico) monſtrum marinum horribile, Phocam nigram degluticns. Monſtrum etiam aliud innominatum terribile Ziphio ad latus inſidiatur, ut Olai pictura repræſentat. Ziphij quidem nomen recentius eſt, non multò ante Alberti ſæcu

culum, ab Authore libri de nat. rerum uſurpatum: id an à Phyſetere corruptum atq; tranſpoſitum ſit, quærendum. Aries quidem ueterum & ingens eſt bellua, & ſimiliter Phocas appetit. ¶ Ex Teſtudine mar. finxerunt monſtrum, à quo Vitu'us mar. deuoretur, Rondeletius.

GERMAN. Zyffwal dici poterit: uel Sauffwal, à deglutiendo, quòd etiam magna animalia, ut Phocas, deuoret.

ROSMARI uulgò à quibuſdam dicti figura ab Olao Magno exhibita. Roſmarus (inquit) eſt bellua marina, ad magnitudinem Elephantis. Litorum montes ſcandit, & gramine paſcitur. Somni gratia dentibus ſe à rupe ſuſpendit, & adeò profundè dormit, ut piſcatores laqueis & funibus uinctum comprehendant. Sic ille.

Eiuſdem ceti pictura Argentinæ etiam in Curia ſpectatur, ſed in ea caput tantùm ad ſceleton ueri capitis factum audio, reliquum corpus ex coniectura aut narratione adiectum. Poſſunt in ſceletis, præſertim maiorum piſcium pinnæ, ad aliquam pedum unguiumq; ſpeciem, arte formari. Dentes quidem in Olai icone ſurſum tendentes, minùs placent, quàm qui in capite Argentinæ picto, (cum Romam ad Pontificem Leonem tale caput è Scandinauia mitteretur, ut audio,) deorſum è ſuperiore mandibula uergunt, ſicut in Elephantis, ſiue dentes ſiue cornua potiùs. ſic enim commodiùs à ſcopulis & rupibus ſe ſuſpendent. Author qui Chorographicam Moſchouiæ tabulam noſtra memoria ædidit, Mors hanc belluam nominat: & ſimiliter dentes exertos binos à ſuperiore mandibula deſcendẽtes ei appingit. Dentibus (inquit) ſuſpenſa, greſſum per altas rupes promouet in uerticem uſque, unde citiùs ſe demittit per ſubiectos campos graſſatura. Libet etiam uerſus Germanicos, qui in Curia Argentinæ leguntur ſuper huius monſtri effigie hîc adſcribere.

Rußor in Norweg neñt mã mich/
Cetus dentatus bin doch ich.
Mein weybe† Balena iſt genannt/
Im Orientiſchen meer bekannt:
Macht vngewitter groß im meer/
Schreckt Alexandrũ vnd ſeyn heer.
Dem kalten meer ſtreych ich nach/
Zũ ſtreyt vnd fechten iſt mir gach.
Mã findt vil tauſent meinr genoſſẽ/
Die ſo lãg zãn hand auß ď maßen:
Die ſind ij.iij.iiij.elen lang/
Vnd ſo dick wie ein zilig ſtang.
Da iſt ein fechten vnd ein reyſſen/
Mit den walfiſchẽ wir vns beyſſen.
Vnd all fiſch die wir kummen an/
Die mögen vor vns nit beſtan.
Doch hand mich etlich ſo getriben/
Sunder müßt weychen an den ſtaden/

† *Indocto alicui Cet⁹ mas uiſus eſt, Balæna fœmina: cum Cetus totius generis nomen ſit, Balæna ſpeciei in utroque ſexu.*

Icon hæc Argentinæ in Curia uiſitur, in panno expreſſa.



Daß ich im meer nit bin beliben:
Da nam ich mein tödtlichen ſchaden.

Zwentzig

Zwentzig acht schůch man mich außmaß/
Solt ich mein zeyt auß söllen läben/
Von Nidrosia der Bischoff hat
Bapst Leo meinen kopff geschickt
Zů Straßburg hat man den auch gsähen/
Vnd neunzehen jar vmb Wienacht zeyt/
Wiewol ein klein Rußor ich was.
Ich hett nichts vmb all walfisch gäben.
Mich stechen lassen an dem gstad:
Gen Rom/da mich manch mensch anblickt.
Tausent fünffhundert ists beschähen/
Mein starck gbissz hat mich gholfen nit.

A Germanis ad Oceanum, Noruegis & alijs, belluam hanc Rostinger appellari audio: ab alijs Rusôr: à quo fortè Rosmari uocabulum aliqui fecerunt: quanquam & Scythicum Morsz, literis transpositis accedit. ¶ Ceti quidam habent rictum oris dentatum prægrãdibus & longis dentibus, ita ut plerunq; inueniantur cubitales: aliquãdo duorum aut trium aut quatuor cubitorum. Inter cæteros longiùs prominent duo canini: & sunt subtus sicut cornua, instar dentium Elephantis & Apri, qui culmi uocantur, Albertus Magnus. Et rursus: Ceti hirsuti & alij longissimos habent culmos, & illis ad saxa in rupibus se suspendunt dormituri. ¶ Quòd si idem Elephas ueterum non est, rectè tamen, & magnitudinis ratione, quam parem Elephanto Olaus ei attribuit: & dentium siue cornuum quæ similia exerit, ac similiter, & ad eosdem usus, Elephantum hunc cetum appellabimus. ¶ Circa ostia Petzoræ fluuij (inquit Sigismundus Liber Baro in Commentarijs rerum Moscouiticarum) uaria magnaq; in Oceano dicuntur esse animalia. Inter alia autem animal quoddam magnitudine Bouis, quod accolæ Mors appellant. Breues huic, instar Castorũ, sunt pedes: pectore pro reliqui corporis proportione aliquanto altiore, latioreq;, dentibus superioribus duobus in longum prominentibus. Hoc animal sobolis ac quietis causa cum sui generis animalibus, Oceano relicto, gregatim montes petit: ubi antequam somno, quo natura profundiore opprimitur, se dederit, uigilem, gruum instar, ex suo numero constituit. qui si obdormiscat, aut fortè à uenatore occidatur, reliqua tum facilè capi possunt. sin mugitu, ut solet, signum dederit, mox reliquus grex excitatus, posterioribus pedibus dentibus admotis, summa celeritate, tanquã uehiculo, per montem delapsi, in Oceanum se præcipitant: ubi in supernatantibus glacierum frustis pro tempore etiam quiescere solent. Ea animalia uenatores, solos propter dentes insectantur: ex quibus Mosci, Tartari, & imprimis Turci, gladiorum & pugionum manubria affabre faciunt. Hæc ille. Coniecerit autem aliquis ex hac descriptione nonnihil huic ceto cum Hippopotamo cõmune esse: nempe uitã ambiguã, magnitudinẽ Bouis, pedes quaternos, eosq; breues, dentes eminẽtes: quæ omnia etiã, preter dentes, cũ Phoca ei cõueniunt, & insuper mugitus, & uita in mari, nõ in aqua dulci: & pectoris altitudo: (est enĩ Phocæ Oceani elatũ pectus, ut Rondeletius pingit, species à Phoca maris mediterranei diuersa, & multò nimirũ maior:) & q in glaciei frustis aliquantisper immoret. Considerandũ sanè diligenter est, ne quis cũ Phoca aut cognato ei animali quadrupede, cetũ quempiã longè diuersum, ingẽtem & depedẽ (qualis Rusor uel Rostinger uulgò dictus uidet) cõfundat. ¶ Est in Orchadibus (inquit Hector Boëthius in descriptione Scotiæ) ingens quidam, mole sua uel maximum equum excedens cetus, portentosa quadam somniculositate. Is in cotem aliquam aqua extantem exiliens, dentibus (quos maximos robustissimosq; habet) partem aliquam cotis extantem atq; asperam comprehendit, ac mox in grauissimum soluitur soporem. Tum nautæ, si qui fortè præteruecti pendentem eminus cernunt, appellentes, anchorã iaciunt, ualentissimo ad eum rudente religato, ac scapha ad beluam adnauigant, circa caudam eius cutem atq; carnem aliquantùm excauantes, quò firmiùs adligatus rudens mox salientem retinet. quo facto strepitum clamoremq; continuò nautæ omnes extollunt, lapidibus in eum plurimis coniectis. Tandem uix somno excitus, ut consueuit, mare saltu repetit. sed cum se impeditũ ac cõprehensum percipit, totis uiribus ac ingẽti impetu uincula rumpere nitit. Verùm quũ se frustra conari sentit, uictum fassus, ac uelut manus dans, cutem ob quam se peti nouit, exuit: ac mox & ipse quoque moribundus resupinat. Eum nautæ extractum pingui spoliãt, oleum inde conficientes. est enim ingenti quantitate. Cute ad retinacula utuntur: quippe cum fortissima sit, ac rumpi perdifficilis, nec longissimi attritu temporis deteratur.


Hippopotamus. Phoca.

Effigiem monstri Porco similis sequens pagina exhibet.


HOC monstrum marinum Olaus Porco simile esse ait, & apparuisse in mari iuxta Thylen insulam, (quæ supra Orchadas Septentrionem uersus sita est,) anno Domini M. D. XXXVII. Ego Hyænam uoco, à similitudine siue Suis, siue Hyænæ, quadrupedum. Auriculas equidem animali marino appictas, non laudo. rostrum quoque nimis porcinum uidetur, &c. Ingens esse scribit, & dentibus truculentis excelsisq;. nos à dentium figura sitúque Aprum nominauimus: sed cetaceum, ut à pisce eiusdem nominis discernatur.

Quærendum an eadem sit Herill Germanicè dicta bellua: qualis anno Salutis M. D. XXII. postridie paschatis, eiecta ad litus in Selandia, reperta est inter Vuikkam & locum (uel oppidulum) qui à diuo Vuerpio denominatur, longitudinis pedum LXXII. altitudinis uerò pedũ XIIII. interstitio ab oculis ad rictum pedum VII. de quo conciso dolia, quæ ab Harengis denominãt nostri, centum & quadraginta auecta sunt. iecur etiam dolia quinque repleuit. Capitis figura tan-

quam Apri fuit, corium munitum ueluti conchis pectinum.



GERM. Wo diser Walfisch nit ein Herill ist/von den Teutschen in Seeland vnnd anderschwo genannt/so mag er genamset werden ein Wal⁀äber/oder ein Schweynwal. Der nam Schweynwal sol sunst gebraucht werden vonn einem Walfisch/der auff xxx. klaffter lang vnd nit zeessen ist.



MONSTRVM hoc (inquit Olaus) maximum est, & cornibus, & uisu flammeo horrendum. Oculi circunferentia sedecim uel uiginti pedum mensuram continet. Caput (quadratum, Cardanus) in quatuor mucrones diuiditur. Barba prolixa est. Pars posterior parua existimatur. Nos Cetum barbatum appellauimus, &c. Quatuordecim cornibus radiatum caput apparet. cornua utrinque ab oculo incipiunt, & per occipitium transeunt: nescio quàm rectè. Albertus enim cetis nostrorum marium appendices quasdam esse scribit (circa oculos) ciliorum instar, corneas, octo ferè pedes longas, plus minùs, pro magnitudine beluæ, specie magnæ falcis fœnisecum, ducentas & quinquaginta super oculum unum, & totidem super alterum, ex lato in acutum desinentes, non rigidas, sed iacentes, & dispositas uersus tempora, ita ut ueluti os unum latum magni uanni instar efficiant, quo belua aduersus tempestates oculos muniens operiat. Oculi unius foueam homines quindecim, aliquando uiginti capere. ¶ De hoc Ceto sentit Rondeletius, ubi picturas *Scolopendra marina.* Tabulæ Olai reprehendens, scribit, Scolopendram cetaceam monstrosam ab eo pictam esse, quadrato capite, promissa barba. Mihi hac ratione non rectè à Rondeletio reprehendi uidetur, &c.

GERMAN. F. Ein Bartwal.

CETVM

CETVM Capillatum uel Crinitum hanc belluam nomino, cuius caput tantùm Olaus delineauit in Tabula.
GERM. F. Ein Haarwal.



Cetus iubatus Olai Magni.




Monoceros Olai Magni.



MONSTRVM hoc iubatum simul barbatumq́ in mari glaciali pingit Olaus, paulò infra Gruntlandiam, remotissimam ad Septentriones regionem: facie humana quodammodo. In explicatione quidem Tabulæ nusquam eius meminit: ut neque MONOCEROTIS illius, id est, Vnicornis: cuius caput in eadem Tabula exhibuit.

GERM. Zwey seltzame vnbekannte Meerwunder/söllend im Hochteutschen meer ettwan gesähen werden. Das mit dem horn auff dem kopff/so es natürlich also ist/sol billich ein Einhorn genennt werden.




MONSTRVM Rhinoceroti simile (inquit Olaus) naso & dorso acutis, deuorat Gambarum (*Astacum potiùs*) duodecim pedum.
GERMAN. F. Ein Naßwal/ein Spitzwal.



VACCAE marinæ (*aut potiùs Bouis marini cetacei*) caput, ut ipse nominat, in Oceano Septentrionali, pingente Olao, prominet huiusmodi. Plinius Cornutam inter belluas maris nominat, nec ullam eius descriptionem addit. Nos hāc Olai Vaccam sic nominare poterimus, neque enim cornutum alium piscem scriptores memorant, nisi Arietem.
GERM. F. Ein Meerochs/ein Meerkü.

HACTENVS ex Olai Magni Tabula animalium quidem in Oceano uerorum, & uiuentium: sed non satis ueras aut ad uiuum depictas, ut facilè suspicor, eicones aliquot exhibuimus. His fabulosa prorsus, Equi Neptunij effigies subiungatur, &c.



EQVVS fabulosus Neptuni pro ueterum pictorum arbitrio depictus. Neptunũ tridente insignem (inquit Bellonius) fingebãt ueteres à quibusdam ueluti Hippopotamis per aquas deduci præeuntibus Nereidibus. Horum autem Hippopotamorum ac Nereidum formam pro pictorum libidine in magnam spectantium admirationem sic commenti sunt, ut Hippocampi cuiusdam potiùs, quàm Hippopotami rationem habuisse uideantur.


GERM. Ein erdichtet Meer roſſz: auff welchem die alten Heidniſchen maaler den Neptunum / als ein gott deß meers / zů maalen pflägtend.

TESTVDINES AQVATICAS LIBVIT HOC LOCO POST Cete collocare, &c. Terrestrem inter Quadrupedes ouiparas ponimus: Lutariam post animalia fluuiatilia

TESTVDINVM genus omne unum in Ordinem referri facilè non potest. Nam quæ terrestris est, Aquatilibus adnumerari non debet. Et inter Aquatiles, quæ in dulcibus aquis degunt, non possunt cum marinis describi. Terrestris aquam non ingreditur: aquatiles omnes in terram exeunt, saltem propter partum, &c.

DE TESTVDINIBVS IN GENERE.

Testudinum differentiæ.



TESTVDINIS uocabulum uidetur ampliùs patêre Latinis, quàm Χελώνης Aristoteli. hic enim Χελώνην terrestrem & marinam tantùm facit: alias, Μῦδας appellat, à recto Μῦς. Archigenes ἀμύδα (si rectè scribitur) interpretatur Χελώνην λιμναίαν. apud Hesychium legitur, Ἐμὺς, ζῶον ἐν λίμνῃ καὶ ἐν πηγῇ γινόμενον: οἱ δὲ, Χελώνην τὴν ἔχουσαν οὐράν. *Mus mar.* Murem marinum ex Latinis Plinius tantùm dixit semel aut iterum, ubi Aristoteles Μῦν uel Μῦδας nominat, de Testudinibus tamen in dulci aqua degentibus loquens. Μῦς Oppiani, non Testudinum generis, sed piscium esse uidetur. Rondeletio uidetur ἐμὺς potiùs quàm μῦς legendum apud Aristotelem; uel utrunq; legi posse. (Vide inferiùs

ſeriùs in Teſtudine mar.) ¶ Mixobarbari quidam ſcriptores Tortucam & Tartarucam pro Teſtudine dicunt. ¶ Dubitant nonnulli ad quod Aquatilium genus Teſtudines referri debeant. Cortice teguntur Plinio: & Ariſtoteli quoque: ſicuti Lacertæ, Crocodili, & reliquæ quadrupedes quæ oua pariunt, & genus omne ſerpentum. Corticem hîc dicimus, quod ſimile uel ἀνάλογον ſquamæ ſit, Græci φολίδα. Idem Plinius Teſtudines alicubi inter Teſtacea poſuit. Et Ariſtoteles octauo hiſtoriæ: Exuunt (inquit) ſenectutem ea quibus cutis mollis, nec prædura & teſtacea quædam eſt, qualis Teſtudini (nam & Teſtudo inter cortice intecta enumeranda eſt, & Mus aquatilis:) ſed qualis Stellioni, Lacerto, & præcipuè Serpentibus eſt. Sed quanquam Teſtudines à teſta denominentur, & corticem eorum aliqui teſtam appellant, non tamen propriè dicta teſtata animalia ſunt: quæ omnia ſanguine carent, & teſtam figlinæ inſtar fragilem ſiliceám ue habent. Porrò genus animalium, quæ φολιδωτὰ Græci nominant, latiùs patet: cum & Serpentes qui pedibus carent, & Lacertos ac ſimiles Quadrupedes contineat. Diſtinguendum hîc etiam corticis uocabulum: quod Latini quidam aliquando pro Teſtudinis tegumento accipiunt: Gaza aliíq; eruditi recentiores, φολίδας ab Ariſtotele dictas, quæ ueluti ſquamæ ſunt, cortices uel corticem uocant. Ego proximum Teſtudinis genus aliud non inuenio, quàm ut ſit Quadrupes ouipara: quo genere Teſtudinum ſpecies omnes comprehenduntur. Rondeletius inter Cete adnumerat Teſtudines: ſed hoc marinis tantùm cõuenerit: quæ, ut ipſe inquit, mediæ ſunt magnitudinis inter Cete. Aut potiùs, ut mihi uidetur, ne marinæ quidem cete appellari debent, ſi propriè loquamur, utcunque grandes. nam ad eſſentiæ ac generis rationem magnitudo non eſt adferenda. Quòd ſi cete rectè definiuntur animalia aquatilia (amphibiá ue) ſpirãtia & uiuipara: (nam cete omnia tum intra ſe, tum foras, animal generant Ariſtoteli:) Teſtudo autem omnis ouipara ſit, cêtos eadem non erit. quanquam & Rana inter cartilaginea numeratur, ſola ex eis ouipara: cum reliquis tamen commune hoc habet, quòd omnia ouum concipiant. Si quis tamen propter magnitudinem Teſtudines marinas, non quidem cete, ſed cetaceas & κητώδεις appellare uelit, permittemus. Oppianus lib. I. Halieuticorum cum cete enumeraſſet, ſubdit: Cæterùm quædam è mari in litus exeunt, ut Anguilla interdum & ſcutata Teſtudo. neque hæc cete eſſe uult, ſed de amphibijs diuerſorum generum agere incipit. Quòd ſi naturæ rationem in eis ſpectemus, quoniam cum Serpentibus quædam communia habent, (lege mox in Italicis nominibus,) & prætereà pedes, Lacertis potiùs quàm Cetis cognati fuerint. nam & Lacerti ferè Serpentes uidentur, pedibus additis: & ſimiliter terreni aquatilesq; Lacerti reperiuntur. Sed peculiaris eſt eis latitudo corporis, & teſta à qua denominantur. ¶ Teſtudines omnes dentibus carent, &c. *Teſtudinum genus.*

ITAL. Gallana uel Galana, corrupto nimirum Græco nomine Chelone. Taurini Serpentem cuppariam uocant à cuppa, alij Itali Serpentem (Biſcam) ſcutellariam, à ſcutella. Serpentis quidem facies, ſibilus, oua, cutis, (φολίδες) cum iiſdem in Teſtudine affinitatem habent. ¶ Inuenio & hæc Italica: Teſtuma, Teſtudine, Teſtugine, Tartuca, Cuſuruma, Tartugella.


HISPAN. Calandra, Tortuga.

GALL. Tortue, Tortugue Monſpelij.

POLONICE Zolw.

GERMAN. Ein Schiltkrott: quòd ueluti buffo quidam ſcutatus ſit: ut Itali Serpentem ſcutellariam uocant. Tällerkrott/Gſchertzenfider.

TESTVDINVM MARINARVM GENERA DVO.



TESTVDO marina prima, quam corticatam (inquit Rondeletius) uocamus, ſiue corticoſam: quia cortice, id eſt, duro & cruſtoſo ac aſpero integumento operta ſit. Ea terreſtribus ac luta- I.


rijs similis est capite ac testa, sed maior: caput nunquam in testa condit, sed semper exertum habet: ac ceruicem tantùm pro arbitrio modò extendit, modò contrahit, &c. Capta est immanis in mari nostro, anno 1520. quæ bigis uix trahebatur, &c. Rondeletius. ¶ Χελώνη θαλαττία Græcis, et quanquam μῦς Aristoteli semper Testudinem in dulci aqua significet, Plinius tamen Murem marinum dixit. Et Eustathius: ὁ θαλάττιος μῦς (inquit) à uulgò perperam ὁμύδιον (malim cum tenui ὀμύδιον) uocatur. Nos de uocabulis Μῦς, Ἐμύς, Ἁμύς, multa protulimus in Commentario nostro De quadrupedibus ouiparis. Mus aquatilis Plinio, testudo lutaria est. Idem Murem marinum modò pro eadem Testudine lutaria, modò pro marina uertit. Legitur & Omys (ὠμύς) apud Aristotelem De partibus 3. 9. Omis marina apud Kiranidem legitur. quidam (inquit) ὠμίδια uocant: eò quòd in humeris magnam uim habeat, nam ὦμος est humerus. Inuenitur & Omidium, diminutiuè.

Mus mar.


Omys.

ITAL. HISPAN. GALL. Vide mox in secunda specie.

GERM. Ein Meerschiltkrott.



Testudinis (marinæ nimirum) hæc icon Venetijs effićta est: nulli illarum quas Rondeletius exhibet, similis. Dentibus quidem Testudines omnes carere Rondeletius docet: ut suspicer pictoris culpa non rectè dentes huic nostræ attributos. GERM. Ein andere figur einer Meerschiltkrott.



TESTV-


TESTVDO marina altera Rondeletij. Hanc (inquit) coriaceam appellamus, quòd integumentum habeat non tam cortici simile, quàm corio bubulo, duro nigroque, & iam concinnato ad calceos, equorúmque frenos, & sellas, cæteraque ornamenta conficienda. Eandem Mercurij Testudinem appello: quòd eam esse existimem, à cuius similitudine Mercurius musicum instrumentum à Gallis Luc uocatum excogitârit. Hæc fortè ab Aeliano Simia maris rubri appellatur. *II. Coriacea. Mercurij. Simia maris rubri.*

ITALICE, HISPANICE, GALLICE], ijsdem quibus Testudo simpliciter, nominibus appellatur: sed meliùs adijcietur differentia marinæ: sicut etiam primæ.

GERMANICE. Ein andere art der Meerschiltkrotten.

ORDO XIII. DE MOLLIBVS DICTIS IN MARI ANIMALIBVS: VT SVNT SEPIA, LOLIGO, POLYPI, LEPVS marinus, Vrticæ.

DE MOLLIBVS (ET ALIIS QVOQVE EXANGVIBVS) IN GENERE.



ANIMALIVM alia sanguine prædita sunt, ut omnia hucusque proposita Aquatilium genera. Alia exanguia, ut quæ deinceps sequuntur ex marinis Aquatilibus omnia. ea humore siue sanie quadam, qui sanguini proportione respondeat, nutriuntur. Sepiæ in mari, inquit Plinius, sanguinis uicem atramentum obtinet, Purpurarum generi infector ille succus. Sed sanguis, aut qui eius loco sit humor, corpore toto diffundi debet: non uno in loco seorsim esse, ut Sepiæ atramentum & succus ille preciosus in Purpuris. ¶ Exanguium plura sunt genera: primum, quæ Mollia appellamus: quæ foris carne molli obducta, solidum intus, modo sanguinei generis, continent. Secundum, quæ crustis tenuibus operiuntur: hoc est, quæ partem solidam foris, mollem carnosamque intus continent. durum illud eorum tegmen non fragile, sed collisile est: quale Cancrorum genus & Locustarum est. Tertium, quæ silicea testa conclusa muniuntur: hoc est, quibus pars carnea intus: solida foris, fragilis, non collisilis: quale genus Concharum & Ostrearum est. Quartum, insecta omnia, quorum multa sunt genera. ea incisuras parte sui uel supina, uel prona, uel utraque habent: nec osseum quicquam discretum aut carneum, sed quiddam inter hæc ipsa continent: quippe quæ corpore pariter intus forisque duro constent. Sed de alijs suo loco: nunc de Mollibus. *Exanguia. Mollia. Crustacea. Testacea. Insecta.*


Quæ nos Plinium secuti Mollia uocamus, Græci Μαλάκια appellant. foris enim, ut diximus, carne (tactu) molli obducuntur, tota ferè carnosa, & tactui cedentia: sine squamis, sine omni asperitate duritiéue cutis, instar humanæ. Ab his toto genere differunt pisces μαλακόδερμοι dicti, ut saxatiles, quorum mollis est caro: cum Mollium durissima sit, (tenax & difficilis concoctu.) Μαλακόδερμα, τά. Aristoteli De generatione animal. 1. 10. dicuntur oua Cartilagineorum & Viperarum, ubi Gaza non rectè uertit, Cute molli intecta, generant oua: & tanquam à nouo capite incepit, cùm præcedentibus cohæreant. ¶ Pisces propriè dicti omnes, sanguinei sunt, & branchias habent: Mollia uerò cùm utrisque careant, impropriè à Plinio inter pisces numerantur. ¶ Mollium (inquit Aristoteles) exteriores partes hæ sunt: primùm & anteriùs, pedes. deinceps his coniunctũ caput, postremò alueus siue sinus. πόδας, pedes (qui ab eodem πλεκτάναι etiam, & à Plinio brachia dicunt) octonos, binis acetabulorum ordinibus instructos habent, excepto genere uno Polyporum. caput inter pedes & uentrem. in superiore capitis parte, oculos: in inferiore uerò, atque in medio ipsorum pedum, os. in quo ossicula duo nigra, incurua, & Psittaci auis rostrum æmulantia, dentium uice extant. Inest etiam in ore caro quædam exigua, qua uice linguæ utuntur. lingua enim nullis hoc in genere data est. Habent & cerebrum, similiter ut sanguinea: cum reliqua exanguia eo careant. A capite sequens alueus uel sinus (τὸ κύτος) continet totum corpus & interiora. Hunc ambiunt pinnulæ. Postremò mollia fistulam ante alueum positam supra brachia (inferiore parte sub brachijs potiùs) gerunt, cauam: qua mare transmittunt, quantum suo admiserint alueo, quoties aliquid ore capiunt: eamque modò in dextram partem transferunt, modò in sinistram. hac eâdem fistula suum quoque atramentum fundere solent. Quod ad colorem, Mollia omnia subalbida sunt. Hæc ferè Saluianus de partibus Mollium externis obseruauit. De internis breuitatis causa nihil dicemus. ¶ Mare dum cibum capiunt, obiter ore admittunt, (non refrigerationis gratia, ut pisces suis branchijs:) idemque mox per fistulam ut cete reddunt. Aristoteles Polypum per appellatam fistulam (physeterem,) fœtum ædere tradit: quod & Rondeletius comprobat. ¶ Polypus & Sepia non sine ueneno, sed exiguo mordent, Oppiano teste. ¶ Aristoteles Mollibus omnibus τὸν θολόν, id est atramentum, tribuit: quod in metu effundũt, ut eo infuscata aqua abscondantur: id Sepiæ & Loligini nigrum est, Polypo purpurascit. hoc pro sanguine mollibus esse non re- *Mollia.*

ctè sensit Plinius. sanguinis enim loco humor seu uitalis succus is est, qui per totum corpus dispergitur. atramentum uerò excrementitius humor, continetur in quadam ueluti uesica, quam Græci μήκωνα, id est, papauer uocant. Alia uerò in eis pars est μύτις, mutis: quæ non excrementum continet, ut quidam putarunt: sed hepati respondet, non (ut Aristoteles existimabat) cordi.

Papauer. Mutis.

GERMAN. Kuttelfische. Vide inferiùs in Germanicis nominibus Loliginis & Polypi.

Sepiæ hæc icon est Venetijs facta. Rondeletius ei pedes octonos tribuit: nostra hæc plures habet, pictoris nimirum negligentia.



SEPIA, Σηπία, nomen apud Græcos tulit, quòd atramento, ueluti putrida quadam sanie, quam Græci σηπεδόνα uocant, abundet. Græcum nomen Latini retinuerunt. Sepium (Σήπιον) uocat Aristoteles, solidum quod intus est, nostri aurifabri Fischbein: Athenæus ὄστρακον ἐν τῷ νώτῳ, Columella Sepię testum. Atramentum in metu effundit: & sic infuscata aqua abscon ditur. Sepidium, Σηπίδιον, diminutiuum est.

Sepium.

Sepidium.

GRAECI hodie, ut audio, Calamariam uocant: quod nomen Lolligini magis conuenit, tribuiturque apud nonnullos.

ITAL. Vbique in Italia uetus nomen retinet, Matthiolus. Genuenses & alij quidam Sopi nominant: Veneti & Romani prisco nomine Sepiam, (Sepio, Saluianus.) Scoppa grammaticus Italus interpretatur la Seccia, Calamarro. Venetijs Seppa dicitur, alibi Scepa: uel Cepia, ut circa Ligusticum.

HISPAN. Xibia.

GALL. A nostris Sepio, à Gallis Seche (uel Secche) dicitur, Rondeletius. Seiches uocantur exiccatæ: recentes uerò nullius sunt precij in Oceano, Bellonius. Genuæ Sopi, ut & Masiliæ. Sunt qui Seiche uel Bouffron interpretentur, Sepiolam uerò Casseron. sed posterius hoc nomen Loligini paruæ debetur.

ANGLIS Sepia est a Cuttel/ Cuttle. quod nomen Germanicũ est, & propriè intestinum significat.

GERMANI superiores aliqui uocant ein Meerspinn, id est, Araneum marinum: quod nomen ad Pagurum potiùs retulerim. Marium accolæ mollia omnia uidentur Blackfisch appellare. Vide mox in Loligine minore. Nostræ quidem dialecto nomen Kuttelfisch ab Anglis sumptum, magis congruit.

SEPIA.



SEPIARVM oua seorsim hîc (inquit Rondeletius) qualia à mari reijciuntur, depingenda curauimus: ut melius intelligantur quæ de his ab Aristotele literis prodita sunt.


GALL. Nostri Racemum marinum uocant, à similitudine racemi uuæ uitis, Rondeletius. Alia est Vua Plinij inter zoophyta.

GERM. Rogen oder eyer von Kuttelfischen. F. Ein Meertraub.



SEPIOLAM hanc nomino, inquit Rondeletius: cuius nullam, quod sciam, mentionem fecerunt ueteres. corporis quidem forma Sepijs similior est, quàm Loliginibus uel Polypis. Sepię nascenti similis est: pollicis crassi magnitudinem non superat. Sepiaria uu'gò uocatur. colore est uario. Vêre maxima copia capitur cum reliquis piscibus: & quanuis suauissima, ob paruitatem negligitur. Ex Polyporum genere non est: & errant qui hunc Polypum paruum uariumque Aristotelis faciunt. ¶ Sepidium nomine diminutiuo Græco dixeris. Dorion Sapidia inter hepsetos, id est, pisciculos minutos elixari solitos, numerat.

GERMAN. Ein kleine art der Kuttelfischen/wirt nit über ein dicken thumen groß.



LOLIGO magna, τεῦθος, (penanflexum: reperitur & oxytonum, quod minùs placet,) Teuthus. Gaza Lolium uertit nouo uocabulo. Teuthis, τευθὶς, Loligo minor est. Plinius tum Teuthum, tum Teuthidem, Loliginem cõuertit. Non uerò magnitudine tantùm differunt: (nam etiam Teuthi quidam parui sunt, sui generis:) sed etiam figura. Pars enim Teuthorum quæ exit in acutum, latior est. præterea pinnulæ totam aluum (*totum alueum, Gaza*) ambiunt, quæ in Teuthide sunt minores, (*ἔλαττον Græcè, quod referendum uidetur potiùs ad τὸ ὀξὺ, quàm ad pinnas.*) Mollia quidem omnia τευθίδες uocantur apud Athenæum.

Loligo sic dicta est, quasi Voligo, quòd subuolat, Varro. sed hæc origo primam breuem requireret, quæ tamen produci solet, ab Horatio, Ouidio: & per l. duplex à Gaza alijsq; recentioribus ferè scribitur: doctiores plerique l. simplici scribunt. Vligines indocti quidam, ut Syluaticus, pro Loligines dicunt.

ITAL. Romanis ac Venetis (ut & Prouincialibus) Totena dicitur. alij Totano scribunt. Genuenses tamen & Massilienses Loliginem minorem, Totenam uocant. Rursus Italis (plerisque) Calamaro, Loligo minor est: Gallis autem Calamár, Loligo maior.

HISPANI Calamár, Lusitani Chocco uocitant.

GALL. Calamár nostri uocant, à thecæ scriptoriæ similitudine: siue quòd in ea reperiantur quę ad scribendum necessaria sunt, uidelicet atramentum & gladiolus, qui altera parte cultrum, altera calamum refert. Prouinciales Tothena corrupto nomine pro Teutho uocant. (*Vide paulò antè in Italicis nomenclaturis.*) Baionenses Cornet. Vide in Gallicis nominibus Loliginis minoris. Lollium Massilienses nuncupant, quasi Latinè, Gillius.

GERMAN. Sepias & Loligines Germani uno nomine uocant Blackfisch, ab humore atramento simili, quem habent loco sanguinis. eum enim humorem Germani Black appellant, Eberus & Peucerus. Anglis blak nigrum significat. Adamus Lonicerus Sepiam duntaxat Blackfisch appellari scribit. Quòd si generale nomen hoc ad Mollia faciamus, species sub eo contentas differentijs adiectis, Germanis nostris ita interpretabimur: Loligo maior, ein grosser langer Blackfisch. Loligo minor, ein kleiner langer Blackfisch. Sepia, ein breiter Blackfisch. Dise drey habend all kurtze füß/ ein großlachten leyb/könnend nit gon. Polypus, ein Blackfisch mit einem kleinen leyb/vnnd langen füssen/darauff er auch gon kan. Sepiam quidem Angli uocant Cuttel uel Cuttle: quòd carnis mollitie & substantiâ, intestina quadrupedum referat. inde genus omne Mollium Germanicè rectè nominabimus Cuttelfisch, (uocabulo nostræ dialecto magis conueniente, quàm Blackfisch,) & differentias præscriptas adijciemus. uel sic, Lolligo, ein Raankuttel: nam raan, gracile & oblongum nobis significat. Germani superiores Sepiam Meer spinn, id est, Araneam marinam nominant. quo nomine si quis pro genere uti uoluerit, utatur. mihi quidem non placet: quoniam alia quoque marina quædam animalia, præsertim crustata, araneæ nomine ueniunt. Quòd si quis commune Gallis, Hispanis & Italis Calamarij de Loligine nomen Germanicum facere uoluerit, & expresso magnitudinis discrimine, duo eius genera distinguere, sic efferat licebit: kleiner Schreybzeüg/ grosser Schreybzeüg.

Loliginis maioris hanc quoq; formam, etsi minus exquisitam quàm Rondeletij opinor, ut Venetijs olim mihi confecta est, addidi.



ANGLICE, Sleue, ut Ioannes Fauconerus me docuit. Posset etiam Blakefisshe (opinor) dici.

LOLIGO



LOLIGO minor, τευθίς. Plura leges superiùs annotata in Loligine magna.

ITAL. Romanis, Venetis ac Neapolitanis Calamaro, Genuensibus & Massiliensibus Totena, Bellonius. Vide suprà in Loligine magna.

GALL. Massiliensibus (ut & Genuensibus) Totena. ijs uerò qui Baionam incolũt, Cornet uel Corniche, Bellonius. At Rondeletius Baionenses (inquit) Cornetz & Corniches uocant, magnã Loliginem à parua distinguentes. Gallis, præsertim Santonibus, Casseron dicitur. à nostris (*circa Monspelium*) Glaugio, corrupta uoce, opinor, ex Gladiolo. quanquam Monspelienses nostri Calamar & Glaugio sæpe confundant. alij magnitudine distinguunt.

GERMAN. Ein kleiner langer Blackfisch. Quære suprà in Loligine magna.

DE POLYPIS IN GENERE.

POLYPI uocabulum Latini non habent, sed acceperunt à Græcis, Varro. Græci à pedũ multitudine nominarunt: cirros enim octonos habet, quibus ut pedibus ac manibus utitur: quare & pedes & brachia uocant. ¶ Polypus masc. genere efferri solet: Lucilius tamẽ apud Noniũ, etiã in fœminino ponit. Syllaba prima quanq; natura breuis, plerunq; producitur à Grecis, præsertim epicis, assumpto y. more Ionũ. Latini etiã producũt, ut Ouidius, Martialis, Horatius, alij. Inflexio eius apud Grecos usitatior est crescentibus obliquis, sicut in nomine πους unde componit: apud Latinos uerò parisyllaba. πολύπους paroxytonũ Atticũ est: πώλυπος uerò (uel πωλύπους) Doricũ & Aeolicum. cui & πώλυψ simile est: πούλυπος Ionicũ, (quanq; & hoc aliqui Atticũ faciunt:) aut πουλύπους. πους accusandi casum facit πόδα, cõposita ab eo in ουν tantùm, ut πολύπουν, Eustathio teste: sed πολύποδα quoq; reperiri author est Athenæus. πουλυπόδης, ὁ. Antiphili Byzantij est. πολυπόδιαι Aristoteli sunt parui & nuper prognati Polypi. ¶ Ἀνόστεος apud Hesiodũ, id est, exos, pro Polypo accipit, epitheton loco substantiui: Lacedæmonij tamen Polypũ substantiuè & simpliciter Ἀνόστεον uocant. Onos, id est, Asinus mar. quem quidã Polypũ dicunt, Kiranides. Alius, quod sciã, nemo Asini nomen Polypo attribuit. nos ὄνους, id est, Asinos Asellós ue sui generis pisces, nõ Mollia, suo loco dedimus. Pulpũ aliqui recentiores indoctè nominãt, uoce Italis uulgari ad Latinã terminationẽ deflexa. Albertus Multipedẽ nominat, Greco nomine simpliciter translato. Octapodia pro Polypis apud Psellũ legunt, diminutiuo nomine. ¶ Polypi proboscidibus carent, qua nota à Sepia Loliginéq; disiungunt. sed harũ defectũ natura pedum ad eosdẽ usus commodorũ longitudine pensauit. Supra uentriculũ uesiculã habent, & in ea atramentũ, sed nõ ita nigrũ ut in Sepijs & Loliginibus, uerùm purpurascẽs. Vesiculã hãc μήκωνα uocat Aristoteles, è qua atramentũ per fistulã effundit ante aluũ sitam. De partu eorũ per fistulã, fœtu, incubatione: & à partu debilitatione fœminę: à coitu uerò maris: uitæ breuitate, coloris mutatione: Brachia sua an arrodãt ipsi: Quòd in siccum exeuntes, oleam, ficum, & salsamenta appetentes: item de ingenio astutiáq; ipsorum, &c. copiosẽ in Historia Aquatilium scripsimus.

Genus. Prosodia. Inflexio. Orthographia. Ἀνόστεος. Onos. Pulpus. Multipes. Octapodium. Pedes. Atramentũ.

GRAECI uulgò Octapoda dicunt, quidam ineptiùs Catapoda.

ITAL. Vbiq; gentium ferè nomen retinet, Gillius. Polpo Romæ & alibi in Italia uocatur: à Venetis similiter uel Folpo. Genuæ Porpo.

HISPAN. Pulpo.

GALL. Nostri per syncopen Poulpe uocant, Galli Pourpe, (aliàs Poupe) Rondeletius. Galli Pourpre, Massilienses Secche poupe, Bellonius.

ANGLI qui Vectam insulã incolunt, uocant a Pour cuttel, ut Turnerus me docuit: alij quidam, ut à Io. Fauconero accepi, a Preke. Iidem Sepiã Cuttel uel Cuttle uocitant Germanico nomine intestinum significante. uidẽtur autem Malacia omnia Germanicè rectè posse uocari Kuttelfisch: ut si Polypum interpreteris, ein Kuttelfisch art.

GERM. F. Ein Vilfüß/ Polfisch uel Polkuttel, nomine composito à Polypo & Kuttel, quod est Sepia. nam & Massilienses Polypum nominant Secche poupe. Vel circunscribatur, Ein Blackfisch mit acht langen füssen/ vnd einem kleinen leyb.

Icon hæc nostra Polypum parte prona repræsentat: ea uerò quam Rondeletius dedit, partem quæ cirros continet supinam, geminis acetabulorum ordinibus eleganter exprimit.




POLYPVS quem hîc depingimus (inquit Rondeletius) omnium maximus est & notissimus, eius differentiæ duæ sunt, alter enim litoralis est, alter pelagicus, uita solùm, specie nullo modo dissidentes, &c.

ITAL. GALL. GERMANICE & ANGLICE nomina eadem omnia, quæ iam in Polypo simpliciter diximus, maximi differentia addita, ei conuenient. Ein grosser Polkuttel/ꝛc.

POLYPORVM genus secundum satis ex primo cognosci potest: hoc tantùm differens, quòd paruum uariumq́ est, ciboq́ ineptum. quare separatim non depinximus, Rondeletius.

POLYPVS



POLYPVS tertij generis est, qui dicitur diuersis nominibus (inquit Rondeletius) Eledona, Bolitęna, Ozolis, Ozæna, Osmylus. Plinius lib. 9. cap. 30. Ozænam à graui capitis odore dici tradit, ob hoc Murænis maximè eam consectantibus. ego uerò quòd eo sit odore, qui grauitatem capitis inducat, dictam fuisse puto. Aristoteles quidem Historiæ 4. 1. Eledonam & Bolitænam siue Ozolin, manifestè distinguit. At rei ipsius ueritas paulò aliter quàm Aristoteles Polyporũ genera partiri nos coëgit. cum enim eundem semper Polypum uiderim & odore esse graui, & longissima brachia habere, simplicemq; acetabulorum ordinem, non potui non existimare Bolitænam siue Ozolin siue Ozænam, ab odore nominatum, & Eledonam, eundem esse Polypũ. Hæc Rondeletius. ¶ ὀσμύλος paroxytonum, ὄζαινα & ὄζολις (Gaza Ossolem uertit) ab odore facta sunt nomina, sicut & à moscho recentioribus. Et fortè etiam βολίταινα ab eodem odore dicta fuerit. βόλιτον enim uel βόλβιτον Græci fimum bouis appellant: qui arefactus, præsertim in Sole, moschum subolet. Osmylium & Osmylidium diminutiua sunt. Legimus & Bolbotinen & Bolbidium, pro eodem pisce nimirum. & Polypodine Athenæo memorata, nisi Polypi genus secundum, par uum uariumq; est, Osmylus fortè fuerit, patronymico nomine fœminino, tanquam diminutiuo dicta. Athenæus quidem ab Eledona distinguit. Eledona Aristoteli à cæteris differt crurum prolixitate: & quod una ex Mollium numero simplicem acetabulorum ordinem agat, (*quod ei etiam quem exhibemus conuenit,*) non ut cætera duplicem. Reperitur autem uarijs modis scriptum, ἑλεδώνη, ἐλεδώνη, ἑλεδόνη, ἀελιδώνη. Suidas ἀπὸ τοῦ ἑαυτὴν ἕλειν deriuat, ac si ἑλεδόνη diceretur. ¶ Quis non miretur Polyporum uarietatem? nam horum alius tetram odoris fœditatem habet: alius nomine Osmylus bene olet, & nihil muscosius (*propiore moscho odore*) sensi. Muscum enim non leuiter, non modò uiuus, uerùm mortuus etiam olet. Is qui eum uel occultissimum fert, circunstantes suauissimè permulcet. In arcis ad imbuendas grato odore uestes reponitur, Gillius: qui hunc piscem à Græcis hodie Moschiten uocari tradit: Heledonam uerò ab ijsdem corruptè Halidonã, ut pisces duo diuersi sint, ita ut Aristoteles existimauit. Qua de re diligentiùs inquirent, uel hodie eruditi, uel olim posteri. Bellonius exhibitum à Rondeletio piscem Eledonam facit: Ozęnam uerò, quẽ Itali Moscarolum uocent, Polypo per omnia similem, &c.

Osmylus. *Ozæna.* *Ozolis.* *Bolitæna.* *Polypodine.* *Eledona.*

GRAECI hodie Moschiten appellant: aliqui, ni fallor, Gopos.


ITALI Moscarolum & Moscardinum, nonnulli Muguetinum, Bellonius. sed Muguetini nomen Gallicum potiùs uidetur. Ego Moscharolo Venetijs uocari didici, circa Genuam Muzaro.

GALL. Massilienses Muscum nominant, Gillius. Muguetinus, ut iam in Italicis dixi, Gallicum eiusdem piscis nomen uidetur.


GERMAN. F. Ein Bisemer/Bisemling/Bisemkuttel.

Nautilus Aristotelis: uel Polypus testa inclusus, prior.

Pronus. *Supinus.*




Eiuſdem teſta, acatij modo carinata, inquit Plinius, puppe inflexa, prora roſtrata.



Teſtam Nautili Bellonius huic ſimilem pinxit: & conditum in ea Polypum, extantibus cirris omnibus, multò (proportione teſtæ) longioribus, nempe triplo & ampliùs quàm Rondeletius pingit: ita ut terni eorum utrinque criſpati demittantur, bini in obliquum erigantur, nulla intermedia membrana. eam enim ueli loco ad planam teſtæ extremitatem ſiue proram erexit. Oppianus binos pedes erigi ait, interq́; eos tenuem membranam, ueli inſtar. binos uerò utrinque demitti, gubernaculis (οἰήκεσσι) ſimiles. Sed Bellonij icon, & quam ex Anglia accepi, ternos utrinque demittit. uidentur autem remis, non gubernaculo, comparandi ij. Plinius ſolus cauda media ut gubernaculo hunc piſcem uti ſcribit, neſcio quàm rectè. quæ enim pars caudæ nomine in Polypo appellari poſſit, & extra teſtam emitti, non uideo.

Nautili à Bellonio exhibita icon.



NAVTILVS, uel Nauticus, uel Ouum Polypi, (Ναυτίλος, Ναυτικός, ᾠὸν πολύποδος:) uocatur Polypi ſpecies. eius teſta Pectinis teſtæ ſimilis eſt, cauæ, non cohærenti uel adnatæ. ipſe paruus eſt, & facie ſimilis Bolitænæ. Altera ſpecies Cochleæ modo teſta munitur, quam nunquã deſerit, ſed brachia duntaxat interdum exerit, Ariſtoteles. Apud Plinium inter huius piſcis nomina pro Pompilo, legendum eſt Polypi ouum, ex Ariſtotele. Inter præcipua miracula eſt (inquit Plinius) qui uocatur Nautilus. Supinus in ſumma æquorum peruenit, ita ſe paulatim ſubrigens, ut emiſſa omni per fiſtulam aqua, uelut exoneratus ſentina, facilè nauiget. Poſteà duo prima brachia retorquens, membranam inter illa miræ tenuitatis extendit, qua uelificante in auras cæteris ſubremigans brachijs, media cauda ut gubernaculo ſe regit. Ita uadit alto Liburnicarum gaudens imagine: &, ſi quid pauoris interueniat, hauſta ſe mergens aqua. ¶ Gaza Nautilum, uertit Nautam. nec rectè tria huiuſmodi Polyporum genera facit, cum ex recitatis uerbis duo tantùm ab eo memorari appareat. ¶ Plinius cùm de Nautilo paulò antè dixiſſet, (ex Ariſtotele:) mox tanquam de altera ſpecie: Nauigeram ſimilitudinem (inquit) & aliam in Propontide ſibi uiſam prodidit Mutianus: Concham eſſe acatij modo carinatam, inflexa puppe, prora roſtrata. in hanc condi Nauplium, animal Sepiæ ſimile, ludendi ſocietate ſola: duobus hoc fieri generibus. Tranquillo enim uectorem demiſsis palmulis ferire, ut remis: ſi uerò flatus inuitent, eaſdem in uſu gubernaculi porrigi, pandiq́; concharum ſinus auræ. Huius uoluptatem eſſe ut ferat, illius ut regat, &c. Mihi Nauplius à Plinio Mutiani uerbis deſcriptus, non alius quàm Nautilus proximè ex Ariſtotele ab eo memoratus uidetur. ¶ Si non eædem, at certè ſimiliter nauigare uidentur conchæ, quæ Veneriæ dicuntur, de quibus Plinius: Nauigant Veneriæ: præbentesq́; concauam ſui partem, & auræ opponentes, per ſumma æquorum uelificant. ¶ Rondeletius reprehendit Bellonium, qui Conchã

Nauplius.


Margari-

Margaritiferam uulgò dictam, secundam Nautili speciem esse putârit.

ITAL. Nautilum uulgus Neapolitanum Muscardinum & Muscarolum nominat; quod etiam nomen Osmylo commune est, Bellonius.


GERMAN. Ein Farkuttel / oder Schiffkuttel: ut simul è mollium genere eum esse, simul & nautam, indicetur. Reperitur quidem in Oceano Britannico quoque, unde eius picturam Io. Fauconerus medicus olim ad me dedit, ANGLICVM eius nomen ignorare se confessus.

Leporis marini prima species Rondel.



EIVSDEM *species secunda, substantia, atramento, partibus internis, superiori similis est, differt autem partibus externis, &c.*

GERMAN. F. Ein andere art der Ghifftkuttel.



LEPVS Marinus (λαγὼς θαλάσσιος) è Molliũ numero est, quanquã sanguis eius (quo Mollia carent) inter remedia ab Archigene, Plinio et Marcello nominatur ꝓ atramẽto forte. Is (inquit Rondeletius) hactenus à paucis cognitus fuit, tum ob raritatem, tum ob uariam à ueteribus traditã eius descriptionẽ. Plinius offam informem uocat. Aelianus Cochleæ exenteratę similem facit, Dioscorides Loligini paruæ. Sunt qui (ut Albertus) Gronaut uulgò dictum, Leporem marinum esse putent (quem pisce Rondeletius Lyrã facit:) Piscatores nostri eum qui Phωlis à nobis existimatur, Leporis nomine uendunt: alij Liparim esse credunt. Quæ omnia unica ratione falsa esse conuincuntur. nam modò nominati pisces frequentissimè mensis apponuntur, ijsque sine ullo periculo uesci omnibus licet: cùm ueterum omnium testimonio Lepus marinus maximè sit uenenatus. Hæc ille. Germani uulgò Orbem marin. uocant Seehaß, id est, Leporem marinum. uidetur autem is Lepus marinus Apuleij, ut supra dixi inter Orbes. Huius genera aliquot reperimus: quę causa esse potuit cur diuersæ ab authoribus traditæ sint eius descriptiones. Primum genus, quod hîc exhibemus, maximè letale est, ex Mollium genere, Cochleæ exenteratæ ualde simile, maximè posteriore corporis parte, &c. Rondeletius.


HISPAN. Liebre de la mar: quod an uulgò in usu sit de hoc pisce, an ab erudito aliquo positum, ignoro.

GALLI circa Monspeliũ Imbriago uocant, *(ut Mullum imberbem quoque, ab insigni rubore,)* Rond.

GERMAN. Ein Ghifftkuttel / ein Rotkuttel / ein kleiner ghifftiger Kuttelfisch.

Pronus. *Supinus.*





EIVSDEM species tertia. Hoc genus (inquit Rondeletius) præcedentibus substantiâ, uiribus & facultatibus simile est. Hîc partem pronam & supinam repræsentamus. Quod in partis supinæ, ferè medio, uides, est os; supraposita ori pars, alueus; qualis in sepijs, oui figurâ, sed in ambi

tu crenatus. Ori subiecta pars, membrana est tenuis, carnosa, magis expansa in rotundum: cuius ora fimbriata est, fimbriæ nigræ sunt, &c. Intus cerebri nigri parum est, gulam excipit uentriculus. ex quo oritur intestinum conuolutum. In medio substantia quędam est fungosa, succum fuscũ continens: fortasse μήκων cum attramento suo, (*Hæc ad Bellonij Leporem accedunt.*) Toto corpore est splendido: crystallum, uel pituitæ massam concretam congelatamq; esse dicas, &c. Iisdem uiribus cum primo, sed imbecillioribus eũ esse cẽseo. hic in alto mari, ille in cœnosis locis maris, stagnísue lutulentis degit.

GERMAN. F. Das dritt gschlecht der Schiffkuttelн.

BELLONII Lepus marinus ab ijs, quos Rondeletius exhibet, omnibus diuersus uidetur, nisi cum postremo conueniat. Ego (inquit) ut liberè quod de hoc pisce comperi affirmem, dicam Leporem marinum, animal paruum esse: inter Loligines, Lollios aut Sepias, nonnunquam etiam unà cum Apuis capi solitum: odore tetro, nullam aliam habẽs formam, quàm (ut scribit Plinius) offæ cuiusdam informis: cuius inter Cyclades magna est copia. Fuluũ Leporis terrestris colorem imitatur. Pulmonis mar. more per mare diuagatur, tametsi pĩnis careat. Pellucidum habet corpus, oui anserini crassitiem non excedens Gibba est illi forma parte externa, qua etiam glaber est. Conuexam internam partem ostendit: qua eàdem parte nerui permulti, recti atq; obliqui apparent: quibus eo modo ferè striatus est, ut cõuexa fungi pars: ijsdemq; adstrictum corpus diffundit, diffusum uerò contrahit. sese enim astringendo aquã percutit, ut in ipsa natatione fungi figurã referat. (*Inde cõijcio eũdem Venetijs Fongo marino uocari. hunc.n. Alunnus Italus tradit, esse materiam quandam, (ueluti) è spuma marina coagulatam: quæ quidem uiuat, moueatur, & sentiat: sed corpus membris distinctum non habeat.*) Septem habet appendices, innumeris promuscidibus stipatas, ex Indico in cyaneum uergentes: quibus sugendo alimentum corpori suggerit. appendicum autem substantia fungosa est. Cæterum ex aqua emergens, suam figuram amittit, & in seipsum concidit, ut Pulmo marin. quapropter in uase aquam habente hunc contemplari oportet. Tota corporis substantia mucosa est, ac ueluti cartilaginosa. Os ad cirrorum radices in concaua parte situm habet. Linguam demorsus uellicat, ut Ari radix, paulò tamen remissius. Quinetiam in tenuia frusta discissus, & in mare coniectus, uiuit tamen ac mouetur. Marinam Squillam si quando suis cirris contigerit, eam non secus atq; Vrtica marina retinet. Liberè uagatur in mari, nullisq; flatibus aut procellis ad litus eijci potest. Hæc Bellonius. Pulmo marinus Bellonij plurima habet communia cum Lepore marino, ut species unius generis uideãtur. Pulmo quidem Bellonij à Gallis uulgò obscœna uoce Pota marina dicitur Rondeletius non Pulmonem marinum, sed Vrticæ genus hoc facit. (Germanicè honestius dicetur Meerschaam.) Aliqui Meerschum, ut audio, uocitant, hoc est, Spumã maris. edendo esse negant, ferri in summa aqua. radijs ab uno quodam cẽtro striatam esse: colore candido. nec uiuere extra aquam. (Holothurij etiã Rondeletij prima species, non minus ingratũ odorem redolet, quàm Lepus marinus.) Lepus marinus ueterum, massa quædam siue offa carnea informis, Rondeletio teste, ne oculos quidem habet. Idem uidetur animal, quod Albertus Magnus sine nomine describit, his uerbis: Animal quoddam abundat in maribus Germanię & Flandrię, oui albo substantia simile, figura hemisphærij: in extremis tenue, & in medio circa polum sui hemisphærij substantiæ est crassioris: ubi etiam lucent duo quasi oculi (*Non oculos dicit, sed quasi oculos*) magni, intra superficiem sphæræ cõtenti. Membrum in eo nullum est distinctum. Extra aquam immobile est, & omnino non diffunditur, amissa figura sua, sicut album oui, & concidit totũ. Rursus aquæ immissum, paulò pòst recipit figuram suam, & mouetur (sicut antè) motu dilatationis & constrictionis. Eiusdem & alibi meminit Albertus: ubi de Spongijs loquens, hoc animal esse Aplysian putat, imperite. Aplysię enim hærent nimirum ut reliquæ Spongiæ, nõ soluti errant. Hoc idẽ alibi uocat animal phlegmaticum, phlegmati uiscoso, & albumini oui, omnino simile. Phlegma quidem & mucũ pituitosum Germani inferiores uocãt Schnot, (nostri Schnuder,) unde hoc animal Schnottolf appellatur. quod nomen tamen etiam alijs quibusdam pituitosis & mucosis piscibus attribuitur. (nam Seehaß, id est, Lepus marinus Germanorum [alius quàm Græcorum & Latinorum] duorum aut trium, ni fallor, generum reperitur, quibus communis est figura orbicularis.) est & alius piscis oblongus, eodem nomine. De quibus omnibus nos post Orbes Rondeletij scripsimus.

Mustelæ Musteli'ue marini genus, nomine tantùm cõsyderato, uideri poterat animal, quòd Seequapp nuncupant maris accolæ Saxones. ijsdem enim uocabulũ Quapp (& Alquapp) Mustelam fl. nostram significat. sed audio animal esse marinum, coloris flaui, oui propè uitello simili substantia, glabra, molli, & quæ ictibus cedat, tenui, & instar oui in aquam effusi: moueri, contrahi, dilatari, instrumenta corporis nulla habere. eximi ab aqua, nisi aliquo uase excipiatur, non posse: exemptum protinus motu destitui. Hic fortè Lepus marinus Bellonij fuerit. Germanicè nominari poterit Gälber Meerschum, à flauescente colore. nam superiùs descriptum cognatum ei animal, colore albo est. Licebit & Meerschwum, id est, Fungum marinum nominari, à substantia fungosa & molli: & quia conuexa etiam siue interna eius pars fungi modo striata est, & in natatione fungi figuram refert, ut de suo Lepore marin. Bellonius scribit. Quòd si rectè Leporibus adnumerari poterit hoc animal Seequapp dictũ, id est, Rubeta marina: (Saxones enim et Rubetã, et Mustelã fl. Quapp uocant:) alterum etiam illi maximè cognatum, sed albi coloris, quòd Meerschum nomina-

Italicè.

Pulmo mar.

Vrtica.

Holothuriũ.

Albertus Magnus.

Seehaß.

seequapp.

Meerschwũ.

nominauimus, id est, Spumã marinam, Leporum aliquod genus fuerit. Rubetæ quidem nomen uel à ueneni, uel alia similitudine indi potuit. Hæc pluribus exposui, ut qui non procul Oceano habitant eruditi, hæc animalia cum ueterum atque recentiorum scriptis conferant studiosiùs: & ne Leporis, Pulmonis ac Vrticæ marinæ historiæ confundantur, caueant. ¶ Pharmacopolæ aliqui maris spumam appellant materiam quandã concretam, intus lanosam & tactu urentẽ: quam ueterum Alcyonium esse Brasauolus coniijcit. Lyram piscem Rondeletij, uulgò Gallis Gronaut (alijs Gornart,) dictum, aliqui Leporem marinum esse putant, ut Albertus: Germani quidam melius Seehan, id est, Gallum marinum, appellant.

Seehan.

APVLEIVS in Apologetico, Leporem marinum putat esse animal, cætera exosse: sed quod duodecim numero ossa ad similitudinem talorum suillorum in uentre connexa & catenata gerat. An propriè tamẽ Lepus marinus hoc animal uocari debeat, dubitat.

Lep. marin. Apuleij.

Lepus dirum & uenenatum animal, in nostro mari offa informis, colore tantùm Lepori similis: in Indis & magnitudine & pilo, duriore tantùm: nec uiuus ibi capitur, Plinius.

Indicus.

DE VRTICIS IN GENERE: ET PRIMVM AD QVOD genus animalium referri possint.

VRTICAS tam eas quæ saxis hærent, quàm quæ solutæ saxis errant, in animalium numero Aristoteles recenset. Sentit enim Vrtica (inquit) & manum admota corripit, adhærescitque perinde ac Polypus suis brachijs, ita ut caro intumescat: os in medio corpore habet: & de saxo, qua si de testa uiuit: & præternatantes pisciculos excipit retinetque, deuoratque in hunc modum quæcunque nacta est esculenta. Genus alterum è saxis soluitur, & Echinos Pectunculosque, quos offenderit, uorat. Sic ille. Cum igitur Vrticæ (inquit Rondeletius) frondem suam, quę pedum uice est, modò dilatent, modò contrahant: & ore cibum accipiant, ceu tactu gustatuque præditæ, duobus ad uitam (animalis) necessarijs sensibus, non inter Zoophyta, sed inter animalia non omnino perfecta eas numerabimus. Polypis autem & Leporibus mar. subiungimus, quòd ex mollium sint genere: quòd etiam modò fronde expansa Polyporum instar pedes multos habere uideantur: modò fronde contracta, massa tantũ carnosa, informi (ueluti Lepores marini) constare uideantur. Hæc Rondeletius. ¶ Equidem & his inesse sensum arbitror, quæ nec animaliũ, neque fruticum, sed tertiam ex utroque naturam habent, Vrticis dico & Spongijs, Plinius. hinc est nimirum quòd pediculos earum, frondes quàm cirros appellare maluit. Aristoteles etiam De partib. animalium 4. 5. Quas (inquit) Vrticas appellant, non testa operiuntur, sed exclusæ omnino sunt ijs quæ in genera diuisimus. Ancipiti natura hoc genus est, ambigens & plantæ & animali. absolui enim & escam petere nonnullas, & sentire occurrentia posse, atque etiam asperitate corporis uti ad se tuẽdum, animalis est. at uerò quòd imperfectum sit, & saxis celeriter adhæreat, nec aliquid excremẽti emittat (emittere uideatur) manifestè, quanquã os habeat, plantarum generi simile est. Hæc ille. Nos de Spongijs aliàs diximus, nullum eis sensum inesse, ideoque Zoophytis inferiores haberi: Vrticæ uerò cùm & sentiant, & insuper eorum quæ Mollia uocant in mari animalium naturam præ se ferãt, Zoophytis superiores perfectioresque existimari debent, quanquam in suo etiam Mollium genere imperfectæ. Idem Aristoteles Historiæ 8. 2. uidetur Vrticam Testaceis adnumerare: nam de Testaceorum uictu agens, inter cætera tradit Vrticam, esse ueluti inclusam Ostrei carnem: quę testam non habeat, sed nuda sit: pro testa autem (*ab altera parte, ut & Patella*) utatur saxo cui adhæret.

Vrticas animalia esse, sed imperfectiora.
Frõs earum.
Mollia esse.
Zoophyta esse.
Zoophytis perfectiores.
Mollia imperfecta.
Testacea sine testa.

Hinc aliquis fortè inter Mollia & Testata Vrticas ambigere coniecerit: illas præcipuè quæ saxis semper hærent: nam semper solutas, Mollia semper dicemus: ut rursus in earum medio ponemus illas quæ modò adhærent, modò solutæ uagantur.

Ambiguæ inter Mollia et Testata naturæ.

Qui Vrticas cum Vertibulis siue Holothurijs & Tethyis confundunt, ex Historia nostra redargui possunt.

Ἀκαλῆφαι Græcis communiter, Atticè Κνίδαι, dicuntur tum herbæ, tum animalia marina: quæ Latinis etiam communi nomine Vrticæ appellantur. eâdem nominis causa, quoniàm uredinem & pruritum tactu immittant. Ἀκαλήφης nomen Grammatici Gręci deriuant, παρὰ τὸ μὴ ἔχειν καλὴν ἁφήν: uel per antiphrasin παρὰ ἔχειν ἀκαλὴν ἤτοι ἁπαλὴν τὴν ἁφήν. Κνίδης uerò παρὰ τὸ κνίζειν. Μητρίδια etiã, id est, Matriculę, dicũtur Vrticę mar. ab Aristoph. fortè ab aliqua similitudine figurę πρὸς τὴν μήτραν ἢ γυναικεῖον αἰδοῖον. ¶ Caro marina apud Trotulam, quantum coniectura assequor, Vrtica est.

Ἀκαλῆφη κνίδη.
Μητρίδιον.

GRAECVM uulgus quum terrestres urticas Zuchindas uocet, marinas tamen Colycenas nominat, Bellonius. Græci hac ætate Colizanam uocant, quòd (*colis, id est*) pedunculis suis firmiter Polyporum more adhærescit, Gillius. Rondeletius Colycęnam (per æ diphthong. in penultima) uocari scribit, non quamuis, sed primam duntaxat speciem Vrticarum. Colybdænam quidem aliqui ueterum pro pudendo mar. interpretantur.

ITALORVM multi antiquo nomine Vrticam appellant: alij Flammam maris.

GALL. Normanni Cul d'Asne uocant, Bellonius. sed Rondeletius priuatim primã tantùm speciem sic uocari docet: quã Massilienses Vrtigo nominant: quòd nomẽ ceu generale melius usurpabitur. Tertiã quoque speciẽ Gallicè quidã Posterol uocant, quòd contracta podicẽ referat, &c.

GERMANICE qiudam interpretantur Seheflam/ Mehrflam. Licebit etiam Seenessel appellare.

VRTICARVM DIVISIO EX RONDELETII SENTENTIA: cui conficta singularum Germanica nomina addidimus.

- Vrticarum aliæ
  - Semper adhærent, Klâbneßlen
    - Saxis, Steinnessel: ut
      - Vrtica parua, Cul d'Asne Normãnis. Simpliciter ein Seenessel/ oder ein kleine Seenessel. Editur. *
        - * Paruarũ autem alia est
          - Cærulea.
          - Viridis.
          - Subnigra, sed notata pũctis, uel
            - cæruleis
            - flauis
            - nigris
      - Cinerea: cirris multis semper explicatis: carnis parum habet. ein âschfarbe Seenessel.
    - Testis alienis, præsertim Purpuris & buccinis: species innominata. ein Schnecknessel. non editur.
  - Pro arbitrio hærent, aut solutæ uagantur: ut rubra Vrtica: ein rote Seenessel.
  - Semper solutę liberęq; sunt eæ, quas Galli uulgò Potes appellant, Albertus Stincos. Ein Meerscham/ ein Meerhût. Ex his pedes siue brachia habet
    - Species una, quatuor.
    - Altera, octo: Polypi brachijs nõ ualde dissimilia.


Vrtica parua Rondeletij.


VRTICA prima seu parua Rondeletij. Nucis iuglandis (inquit) magnitudinem uix superat, ob id parua à nobis dicitur. Harum aliæ uirides sunt, aliæ ceruleæ: aliæ subnigrę, sed punctis aliquot cęruleis, uel flauis, uel rubris notatæ. In Oceani saxis frequentes sunt, apud Santones ac Burdegalenses in delicijs. ¶ Scopulis litoralibus tam pertinaciter inhæret, ut nisi primo impetu diuellatur, uix postea, nisi in frusta cõcisa dirimi possit, adeò suas trichas arctissimè contrahit, Bellonius.

GRAECIS uulgò Colycæna. Vide superius in Vrticis in genere.

GALL. Massilienses Vrtigo uocant, Rondeletius. Normanni Cul d'Asne, (id est, Podicem asini,) à cirrorum contractione atq; explicatione, Bellonius.

GERMAN. Ein kleine Seenessel oder Seeflam. ein Arßnessel. ein kleine Steinnessel/ von farben grũn/ oder blaw/ oder schwartzlecht.

Eiusdem alia eicon à Bellonio proposita dupliciter: maior explicatam Vrticam, minor contractam repræsentat.





Vrtica cinerea.

VRTICA II. siue cinerea Rondeletij. Cinerei (inquit) coloris est, tenuis admodum, quia frondem magnam siue cirros multos habet, carnis parum. In saxorum rimis uiuit. comã semper explicatam habet, nec unquam contrahit, à saxo euelli nequit.


GERMAN. Ein äschfarbe kleine Seenessel/oder Steinnessel: mag vom̃ felsen nit gãtz gezogen werden. hatt jr haar oder flam̃en allwegen außgespꝛeitet/ niemar zůsamen gezogen.



VRTICA III. siue rubra purpureáue Rõdeletij. Primæ (inquit) similis est, nisi quòd frondem & longiorem & copiosiorem habet. Saxis aliquando hæret, aliquando soluta uagatur. esculenta est, sed durior quàm prima.

GALL. Nostri ob colorẽ purpureum siue phœniceum, Rosam appellant. alij Posterol, quòd contracta recti intestini extremum cum musculo sphinctere, siue podicem referat. alij Pousse pie Britãnorũ: alij Cul de cheual. ¶ Bellonius Pollicipedes, (quod nomen ipse fingit à uulgari Poulsepieds,) nominari tradit eos, quos Rondeletius Balanos facit: quòd pollicum in pedibus similitudinem habeant, racematim Oceani cautibus adhærentes, & cætera.


GERMAN. Ein roote Seenessel/mag von der farb ein Meer-roose genamset werden. Ein roote grosse Arßnessel. ist nitt allwägen an die felßen gehefft wie die zwo vorgemelten/ sunder fart auch ledig vmbhin im̃ wasser jre speyß zů sůchen. so sy das haar zůsamen zeücht/ so hat sy ein gstalt deß hinderen/ wie auch die erst.



VRTICA IIII. Rondeletij. Hæc (inquit) instar Holothuriorum testis alienis adnascitur, & maximè Purpuris. Pars exterior dura est, & rigidiuscula, spissiorꝙ quàm in alijs Vrticis.

Cirros breuissimos in ambitu habet. ex interioribus eius partibus filum longum deducitur, purpureo colore tam iucundo tamq; florido infectum, ut cum precioso illo Purpurę succo certet. Carne est duriore, eamq; ob causam à nostris reijcitur.

GERM. F. Ein Schnecknessel/klåbt oder wachßt allwåg an ettlicher Meerschneckē schalen/ sunderlich der Purperschnecken: wirt von wågen deß herten fleischs zů der speyß verworffen.




VRTICA V. Rondeletij, semper soluta, ut etiam sexta. Huius (inquit) pars una, ueluti fungosa quædam massa, rotunda, caua, in medio perforata, purpurea ueluti fasciola ambiente, pileum planè refert. altera parte Polyporum pedibus similis est, octo enim pedes habet crassiusculos, extremis partibus quadratos, in acutum desinentes. Nullas interiores partes distinctas habet. Corpore est adeò pellucido & splendido, ut oculos offendat & hebetet. Circa Magalonam plurimæ reperiuntur, maximè æstate: quæ tum dissoluuntur & in liquorem abeunt, diffluuntq; glaciei modo, si diutius manibus tractes. Ad eam magnitudinem accrescūt, ut pileos, quibus uiatores uti solent, superent. Pruritum & uredinem in manibus oculisq; mouent. ¶ Bellonius Pulmonē marinum hunc faciens (quam eius, similiterq; Gillij et Massarij sententiam Rondeletius reprehendit:) Huius, inquit, ea est natura, ut mari commoto, deorsum ad imum feratur: pacato uerò ac bene tranquillo, passim solutus diuagetur. Gibbam habet instar dimidiatæ sphærę figuram, glabram pollicis crassitudine: cuius pars interna neruis rectis à medio incipiētibus, quasi strijs fului coloris in gyrum radiatur, quibus se diffundit ac constringit. qua corporis commotione aquam concutit, & nunc in pronum, nunc in supinum effertur. Pinnarum uice fibris tenuibus atq; ægrè conspicuis in orbem communitur, ut Lepus marinus. Cruciformes quoq; cirros, striatos, crassos, in modum stellæ radiatos, numero quaternos, (*talis est sexta Rondeletij Vrtica, huic cognata,*) parte interna natationi accommodatos habet: quos ut exactè conspicias, erit in lebetem aquæ synçerioris conijciendus, &c. Cum in mari diuagatur, grandis uidetur quasi pituitæ globus: qui unicum tantùm colorem referret, nisi rubris illis quatuor circulis sugillaretur, & ea cruce, qua interna pars striata est, distingueretur. Eum si in frusta discissum, in mare reieceris, uiuere nihilominus ac moueri cō peries: extra mare autem exanimis apparet. Emortuus in alto mari, fluctibus expuitur in litus, trā sparentis glaciei similis. Hæc ille.

GRAECVM uulgus Mogni uocant hoc animal, quòd partibus uerendis admotum, pruritum ac Venerem, imò etiam ampullas excitet, Bellonius.

ITALI uoce obscœna Potam marinam, Bellonius. Ligures Capello di mare, quasi dicas Pileum marinum, à figura, Rondeletius.

GALL. Vrticæ solutæ, hæc & sexta, uulgari lingua Potes nuncupantur. Hęc priuatim à Massiliensibus Capeau carnu, id est, Pileus carnosus, à figura, Rondeletius.

GERMANICE dici potest Meerschaam/Meerhůt. Oceani accolę multi, ni fallor, Meerschaum appellant: & Seequapp/& Schnottolff: quod postremum etiam pisci cuidam attribuitur. Nos de his nominibus plura in Lepore mar. scripsimus in Historia nostra, dubitādo an ad Leporem, uel Vrticam uel Pulmonem potiùs referri deberent: sed uidētur ad Vrticas potiùs pertinere. Lepus quidem marinus Bellonij, plurima cum Pulmone eius mar. communia habet, ut species duæ unius generis uideantur. Ein art der Seenessel mit viij. füssen/klåbt niemar an/ ist allwåg ledig.





VRTICA VI. Rondel. altera species semper solutę. Supradictę (inquit) substantia, uita, uiribus, similis est. Quatuor duntaxat pedes habet, seu frondes potiùs, longiores quàm ullæ aliæ Vrticæ: quæ satis aptè folijs acanthi comparari possunt. In altera parte lineas aliquas habet stellatim dispositas. ¶ Frondes huius Vrticæ uidentur pennas referre; sed alia est Penna marina, quã inter Zoophyta dabimus. ¶ Reprehendit Rondeletius illos, qui hanc & superiorem Vrticam, pro Pulmonibus marinis usurpant.

ITAL. ET GALL. Pota marina, ut superior quoq;.

GERMAN. Ein andere art der nächstgemelten Seenessel/mit iiij. füssen.

Vrticarum species duæ, quas in Italia pictas à Cor. Sittardo accepi: quarum altera (rotundior) uidetur species prima esse ex illis quas exhibuimus. altera an Vrticarum generis sit, quærendum.





ORDO XIIII. DE CRVSTATIS SEV CRVSTA TENVI CONTECTIS IN MARI ANIMALIBVS: VT SVNT CANCRI, Cancelli, Locustæ, Squillæ.

DE CRVSTACEIS IN GENERE.



ANIMALIVM Exanguium differentias exposuimus suprà, initio præcedentis ordinis de Mollibus: quod primum in mari Exanguium genus est. Secundum, de quo nunc agendum, Crustata à Plinio dicta, uel Crustis intecta: à Græcis μαλακόστρακα, id est, molli testa operta. tegmentũ enim non æquè durum densumq; habent ac ὀστρακόδερμα, quæ ostraco, id est, testa dura siliceaq; integuntur. Hæc partem solidam foris, mollem carnosamq; intus continent. Solidum illud fragile, non collisile est. ¶ Huius generis species uariæ sunt, quę magnitudine, specie, figura, asperitate, læuitate, nec nõ uita distinguuntur. ¶ Crustatis inest salsus succus, suntq; omnia duræ carnis, & concoctu difficilia: multumq; nutriunt, prius in aqua dulci elixa. Caro eorum, quemadmodum & Ostreorum, uentrem sistit, quando in aqua prius elixa succum salsum deposuerint. ¶ Cancri nomen ueteres aliter atque aliter usurparunt. Plinius pro genere sic usus est; Cancrorum genera (inquit) Carabi, Astaci, Mææ, Pagu *Cancer.*


ri, Heracleotici, Leones, & alia ignobiliora. Aristoteles eos tantū Cancros (καρκίνους) uocat, quib. *Cauda.* rotundū est corpus, quibusq; cauda deest, ut ipse ait. Reuera tamē Cancri omnes caudā habēt, sed corpori applicatam: quam nō extendunt nisi fœminæ, cum eam partem ouorum copia distentam habent. Componitur autem Cancrorum cauda ex quinq; tabellis, (sic appellamus quas Aristoteles πλάκας, crustas sectas & congestas:) sed hæ in acutum desinunt, non in pinnas, ut in Locustis. quia Cancri cauda non natant: uerùm in ea oua deponunt & conseruant. in eâdem est excrementorum exitus. At Locustæ natant, caudæ, ut palmulis innitentes. Cancri terrenam potiùs uitam agunt (*in mari reptantes, potiùs quàm natantes*) cauernasq; subeunt. Squilla lata quidem pedes habet & graditur: cauda tamen non caret. item Cancellus purpurarum, buccinorum & cochlearum testas subit, illicq; deget, nihilominus tamen caudam longam habet & extentam. Quare rectiùs dicemus Cancros caudam habere: sed corpori appressam, ne ingressum impediat. Hæc ferè Rondeletius. *Refrigeratio Crustatorū.* ¶ Calor natiuus Crustatorum recreatur ambiente aqua: quam quidem etiam necessariò, non refrigerationis causa, dum cibum captum, ore admittunt: eandemq; mox reddunt, ne in uentrem illabatur, *Δασεῖα.* παρὰ τὰ δάσεα. Vocat autem δάσεα Aristoteles, alibi βραγχιοειδέα in Crustatis, partes *Βραγχιοειδέα.* illas circa os hirsutas & frequentes, quas celeriter mouent. iuxta has foramina quædam, ut Bello- *Ordinis ratio* nius scribit, aquam emittunt. Plura leges in Historia nostra, in Astaco fl. B. ¶ In Crustatis proponendis, hunc ordinem sequi placuit: ut primū locū obtinerēt rotundiores et Cancri priuatim dicti, eisq; similes, καρκινοειδεῖς, deinde oblōgi, interq; hos primū Carabi, & similes, ab Aristotele καραβοειδεῖς dicti, forcipibus insignes: tum quæ illis carent, Squillæ. Cancellum siue Scyllarum, ceu ambiguæ inter Cancros & Carabos eisq; similia naturæ, medio inter utraq; loco posuimus. ¶ Cancro- *Cancrorū genera.* rum genus (inquit Aristoteles) multiplex est, nec facilè enumerandum: maximum, quas Mæas appellant. Secundum Paguri, & quos Heracleoticos uocant. Tertium fluuiatiles. cęteri minutiores, & nullis penè nominibus annotati. Et genus Cancrorum litorale Phœnice fert, tantæ uelocitatis, ut eos consequi facile non sit: unde ἱππεῖς, hoc est, Equites appellant. Genus item aliud est, quod *Differentiæ.* magnitudine Cancrum non excedit, facie Astacis simile. Hæc ille. Nos plura genera numerabimus, (inquit Rondeletius:) quæ inter se differunt magnitudine, colore, pedum longitudine: & oculorum situ, quòd ij uel contingant se ferè, uel magno interuallo à se disiungantur. Omnibus pedes sunt deni cum chelis: cornua tenuia, parua & pauca. Corporis totius alueum atq; caput indiscretum omnes habent. Quam nos caudam appellauimus, Aristoteles ἐπικάλυμμα πτυχῶδες uocat. Per transuersum & in latus progredi uidentur, in pauore etiam retrorsum pari uelocitate redeūt.

Cancri nomen Plinio, ut dixi, & recentioribus quibusdam, ad Crustata omnia extenditur. Aristoteli speciem tantùm rotundorum significat. Iam uerò rursus in hac ipsa specie, quidam simpliciter Cancri dici uidentur: alij cum epitheto aliquo, ut Heracleotici: alij peculiari quodam nomine, ut Paguri, Maiæ. Paguros tamen recentiores quidam Græci pro Cancris promiscuè accipiūt: sicut & Palladius.


ITALI Cancros uulgò mutatis & inuersis literis Grancos uocant, tam fluuiales, quàm marinos, Platina.

GERM. Nos Cancros (ut communiùs accipiam Cancri nomen pro quouis malacostraco) Locustarios, Καραβοειδεῖς, nominare possumus lange Krebs/ uel simpliciter Krebs. Angli Creuise dicūt Astacum tum mar. tum fluuiatilem: Hollandi aliiq; inferiores Germani Kreeft uel Creeft. alterum uerò genus quod Cancrarium propriè appellatur, kurtze Krebs/ runde Krebs: uel uno uocabulo Täschenkrebs/ à similitudine marsupij subrotundi: uel Meerspinnen/ id est, Araneos mar. quanquam & Sepiam aliqui sic uocāt ineptiùs. Vel Krabbe/ Krab/ Krabe/ Seekrabbe: quo nomine Angli, Germaniq; ad Oceanum, (ut Galli etiam aliqui Chabre uel Crape) priuatim Pagurum uocitant.

Iconem hanc in Italia nactus sum, persimilem illi quam Bellonius exhibuit.



Hanc Rondeletius posuit, primùm lib. 18. cap. 21. deinde Tomo 2. in libro de piscibus stagni marini, cap. 12. utrobiq; Cancri anonymi nomine.



CANCER simpliciter & generis nomine dictus, cum sit species quædam infima, anonymus à Rondeletio cognominatur. Hoc (inquit) frequentius in Gallia Narbonensi uescimur. nascitur

ſcitur in ſtagnis marinis, inter fluuiatilem & marinum medius: quo in fluuiatilium penuria aduerſus Canis rab. morſum utendum cenſeo. ¶ Idem uidetur, qui à Bellonio ſimpliciter Cancer marinus (Καρκίνος θαλάττιος) nominatur. Hos Cancros (inquit) à Paguris eiuſdem magnitudinis (cum quibus ſæpe ab ichthyopolis permiſcentur) ipſa glabritie primùm diſcernere oportet. Paguri præterea tibias habent hirtas, et brachia grandibus forcipibus uallata, atque (*quæ*) in nigrum colorem abeunt, in extremo liuent. Cancri omnino glabri ſunt, eorumque anterior corporis pars, poſteriore latior eſt. Hæc ille. Videtur autem ſpecies hæc ſemper minor eſſe Paguris.

ITAL. Venetis Granceolo dicitur. Ferrariæ mas Granzo, fœmina Grancella, Bellonius. In hoc genere (inquit idem) Veneti Mazanetas (*Infrà etiam Cancrum paruum latipedem, Mazenetam ab Italis uocari ſcribit*) nominant, Molecis ſimiles. hos mares eſſe, molleſcere, ac uernationem exuere ferunt: illas fœminas putant, & perenni contegi cruſta. ¶ Maia etiam Italis Granceola dicitur: & ne quis confundat cauendum.


GALL. A noſtris generis nomine Cancre appellatur, Rondeletius.

GERM. Ein art der Meerkrabben. F. ein Minderkrabb/ iſt kleiner dann die rechten Meerkrabben.



CANCER Heracleotic. (Καρκίνος ἡρακλεωτικός), Rõd. cognominatus inquit, ab Heraclea illuſtri urbe ad Pontũ Euxinũ, potiùs quã ulla alia, plures enim alibi Heracleæ fuerunt. Paguro tã ſimilis eſt, ut uix diſcernas, ueruntamen ſpecie differt. Colore eſt fuſco, &c. rarior in noſtro mari. ¶ Heracl. Cãcer (inquit Scaliger) grandiſsimus eſt in genere Pagurorum, cruribus breuibus, forcipibus admodum ualidis: quem pro Vrſo Rondeletius pinxit. Heracleoticus uerò ipſius, parua Maia omnino eſt, ſiue adhuc adoleſcens, ſiue adulta in ſua ſpecie: nihil enim refert, &c. Plura leges exercitationum eius De ſubtilitate 245. 2.


GERM. Ein gſchlecht der Meerkrabben/ oder Meertäſchen.



CANCER Heracleoticus Bellonij. nam Rondeletij hoc nomine Cancrum iam proximè exhibuimus. Cum Heracleas urbes (inquit) uiderem adiacentes litori, unam Ponti, alteram Propontidis, ab eis id Cancri genus denominatum eſſe, facile mihi perſuaſi. Plurimus eſt in Siciliæ litore, quanquam & Romæ aliquando uenditur. Multi Gallum marinum ea tantùm ratione uocant, quòd eius brachia uideant in criſtæ Galli modum tornata eſſe. Hæc ille. Rondeletius hunc Vrſum ueterum facit, & iconem ab hac nonnihil diuerſam ponit. Vide paulò poſt.

GALL. Migrane, id eſt, Malum Punicum uulgò uocant circa Monſpelium, à figura & colore ualde ſimili.

GERM. Ein andere art der Meerkrabben: etlich nennẽd die ein Seehanẽ/ von der ſchären geſtalt: etlich ein Granatöpfel/ von der geſtalt vnd farb.



RVRSVS Galli mar. uulgò dicti, (quem Cancrum Heracleoticum Bellonius facit,) qualem olim ex Italia Corn. Sittardus nobis attulit, alia eicon.

GERMAN. Neben der selbig Meerkrabb/auff ein andere weyß gecontrafeet.


Eiusdem Cancri icones alias duas aliter expressas, proximè retrò posuimus.



VRSVS (uel Vrsa, ἄρκτος ἡ.) Rondeletij: idem qui Cancer Heracleoticus Bellonij (& Scaligeri: Vide superius) proximè exhibitus: quo cum plura leges. Vrsi nomen (inquit) non à forma impositum est, ut Locustis: sed ab actionib. moribusq́, ut Lupo, Cinædo. ¶ Bellonius Vrsum seu Vrsam facit, quã Rondeletius Squillarum generis esse ostendit, & latam cognominat: quam nos etiam ex Italia olim Vrsi nomine à uiro quodam erudito missam accepimus. Crediderunt nimirum hunc esse Vrsum aliqui à corporis forma: quæ crassa ei & recurta est, sicut terrestri. & quia genus alterum per omnia huic simile, Ligures uulgò Vrsetam appellant: quæ an eadem sit Squillæ cælatæ Rondeletij, quærendum. Vide infra inter Squillas.


GERMAN. dici poterit ein Bärenkrabb: uel alijs nominibus in Cãcro Heracleotico Bellonij iam positis. [Bellonij uerò Vrsa, ein Bärenkrebs. hic enim longus & caudatus est, ille rotundus.] Ein andere contrafectung deß nächstgemelten Seekrabben.

Icon Paguri ueluti in dorso iacentis, expressa Venetijs: similis à Bellonio exhibitæ.



PAGVRVS

Eiuſdem alia quam Rondeletius pro Maia dedit effigies. Nos proximè Maiam aliam dabimus.



PAGVRVS (πάγουρος) genus eſt Cancri Heſychio. Recētiores Græci plerinq; Pagurū pro Cancro ſimpliciter & in genere uſurpant. ſic Pagurum fluuiatilem dixit author Euporiſtωn, quæ inter notha Galeni ſunt. Idem à Palladio Cancer marinus uocatur. παγούρους, τοὺς παρ' ἡμῖν καράβους, Scholiaſtes in Equit. Ariſtophanis. Biſas, Pagurus eſt marinus, qui uocatur Carabus, Kiranides. Vocatur autem à Græcis Pagurus, παρὰ τὸ ἐν τοῖς πάγοις ὀρούειν καὶ ὁρμᾶν: ἢ παρὰ τὸ τοὺς πάγους οὐρεῖν καὶ φυλάττειν. ſolet enim ἐν πάγοις, hoc eſt, aſperis & petroſis locis uerſari. Prima huius nominis ſyllaba Oppiano & Nicandro corripitur. Latinum nomen non inuenit. Græco uſi ſunt Plinius et Gaza. Heracleotici ſuprà dicti his omnino cognati uidentur. ¶ Pagurum eundem quem Bellonius pingit Cancrum, in Italia ab eruditis nominari audiui. nec alium ad me pictum Fracaſtorius dedit. de eodem etiam Gillius ſenſit. Atteſtantur & nomina, tū alia quę Bellonius recenſet: tum Porri uel Pori nomen uſitatum Italis per ſyncopen à Paguro cōtractum uidetur. quanquam hoc nomen Rondeletius ſuæ Maiæ attribuit, Porroni quidem ille, non Porri ſcribens. ¶ Negat Rondeletius (inquit Scaliger, nomen quidem eius ſupprimens) Maiam eſſe Cancrum illum longiorem, horridum: propterea quòd Maia ſit Cancrorum maxima. At, inquit, hæc quam Prouincia Squinado uocat, nō eſt maxima. Maximum enim fert Oceanus Cancrum, Squinado quadruplo maiorem. Vbi non animaduertit Ariſtotelem de ſuis Paguris atq; Maijs ſcribere, non de Oceanicis. Quippe etiam Rhombi noſtrates parui, Oceanici decuplo ampliores. At in toto Aegæo, Ionio, Adriatico Granceolæ (ſic enim dicuntur ab illis Maiæ) ſunt omnium maximę Cancrorum. Hæc ille. Idem Scaliger: Pagurorum (inquit) duas noui differentias. alter & orbiculatior, & fuſcior, & maior. Alter eſt quadratior et minor, colore dilutiore, ac penè pallida uiriditate. Poreſſas hos uocat Venetus. ¶ Pagrum piſcem (φάγρον) per imperitiam cum Paguro cancro facilè confuderit aliquis. ¶ Paguri quando à Cancris ſimpliciter dictis diſcernantur, ſuprà expoſitū eſt in Cancro ſimpliciter uocato. *Biſas.* *Species*

GRAECI hodie ubiq; uetus Paguri nomen retinent.

ITAL. Cancer hic (inquit Rondeletius) à nonnullis Carabo dicitur, ab alijs Porroni, à Venetis Granci porroni (al'. Granci porri,) ab alijs Cancharo de Barbarie, Rondeletius. Venetijs Poreſſa, Scaliger.

HISPAN. Luſitani Aranha (ut audio) nuncupant.

GALLI un Chabre uel Crape nominant, Normanni à rubro uel ruffo, quem eius teſta præ ſe fert, colore, un Rouſſeau appellant. alij quod coctus in paſtilli modum pulmentū ferat, un Tourteau. Maſsilienſes Carbaſſe & Fagule, Bellonius. Noſtris eſt anonymus: quia rariſsimè in noſtro litore capitur, Rondeletius.


ANGLI A Punger.

GERM. Krabbe/Seekrabbe. Eadem quidem nomina quæ Cancro ſimpliciter, Paguro etiam alijsq; ſpeciebus, magnitudinis aut alia quapiam differentia ſimul expreſſa, conuenient.

MAEAE (Μαῖαι) Cancri dicuntur ab Ariſtotele, à Gaza Maiæ, fortaſſe à magnitudine. nam Μαῖα quæ amitam ſignificat & nutricem, aliquando etiam pro grandiore natu ſumebatur, Rondeletius.


Maiæ, quia maximè Cancrorum, ita quaſi obſtetrices appellantur: quæ cum Pagurorum paruitate, tanquam cum infantibus comparentur, Scaliger. Maſſarius in nono Plinij Mæa potiùs Græco nomine ſcribendum ait, ut codices antiqui habent: quàm Maia, ut Gaza uertit, quaſi ita apud Plinium legerit. Ariſtoteles Mææ crura tenuia tribuit: non etiam parua ſeu breuia, ut Rondeletius ſcribit: nam Heracleoticis cancris mox eadem parua eſſe ſubijcit. item oculos parum inuicem diſtantes. ¶ Cancrum illum, quem repræſentamus Maiam eſſe, Iouio, Gillio, & Bellonio cō

Iconem hanc pro Maia fœmina Venetijs pictam accepi: illi quam Bellonius dedit picturæ similem.



Eiusdem

Eiuſdem alia imago à Rondeletio accuratiùs expreſſa, & maſculi forſitan in hoc genere.



uenit, quibus contradicit Rondeletius. Lege ſuperiùs in Paguro. Ego pleroſq; in Italia eruditos hanc Maiam facere animaduerti: & ſimilem illi quam poſui iconem, Maiæ nomine ab Hieronymo Fracaſtorio accepi, ſed magis pyramidata parte anteriore, &c. & ſanè ut in Paguris anterior pars latior eſt, ſic in Mæis poſterior. Maiæ corporis figura, inquit Gillius, poſterior rotundior eſt, anterior pyramidatior. extremæ partes aculeorum ſerie circunuallantur: quorum duo ex fronte tanquã cornua eminent. cru a quibuſdã ſpinulis horrent. Longè omnium maximum (inquit Scaliger) Cancrorũ genus eſt Maia: tota cuppa aſperũ, cuſpidata fronte horridum, prælongis cruribus, exilibus, ac propterea imbecillis. ¶ Rondeletij Cancer Heracleoticus, omnino parua Maia eſt, ſiue adhuc adoleſcens, ſiue adulta in ſua ſpecie, Idem Scaliger. De hac fortè ſenſerit Gillius, paruum genus Maiæ Maſsiliæ inueniri ſcribens, ut corpore multò minore, ita pedibus multò longioribus. *Maia parua*

ITALICE. Granceola, corrupto nimirum nomine à Cancro. Vulgò Cancreolas cognominãt, Maſſarius. Sed Cancrum marinum etiam paruum uel ſimpliciter dictum, Venetijs Granceolum nominari Bellonius tradit: uideturq; ei nomen hoc ceu diminutiuum meliùs quadrare. Veneti ac Genuenſes à ſpeculis, in Maiarum corticibus elegãter incluſis, Specchio, hoc eſt, ſpeculum dicunt: (Romanum uulgus Grancitellas:) ſupinam enim ſi contempleris, tria parte anteriore breuia ſpecula ab ipſius cruſtæ tegmine continuata cernes, inter quæ prætenturæ duæ deliteſcũt, Bellonius. Iouius aliquos Maiarum rotundioribus teſtis ſpecula ad elegantiam includere ſolere tradit.

HISPAN. Chabro, Rondeletius. id ad Germanicum Crabe accedit. Luſitanice Cangreia, uel Cangreiola, uel Centola, ut audio.


GALLICVM uulgus ob ſimilitudinem quam cum Araneo habet, Iraigne de mer. *(Eſt & Araneus, Cancellus quidam, de quo infrà.)* Maſsilienſes ab aculeis infinitis, quibus in tergore more Locuſtæ horret, & uillis quibus undiq; eſt circunſeptus, Squinaude (*Squinadam Gillius: nimirum quaſi Echinatam*) uocant, ad pectinem, ad quem linum attenuatur, alludentes, Bellonius. In Prouincia Squinado uocatur, ab alijs Gritta (Bellonio Cancer latipes Maſsiliæ Gritta dicitur,) Squaranchon, Grampella.

ANGLI A Fryll: quanquam idem nomen etiam Pectinum generi cuidam aculeato tribui inuenio.

GERM. Ein groſſer Seekrabbe/mit langen dünnen füſſen/voll raucher ſpitzẽ. ein groſſe Meerſpinnen art/ die gróſte vnder den Krabben. mag ein Vrkrabb / Hechelkrabb/ oder Spiegelkrabb genẽt werden.

CANCER Latipes Bellonij: quem Græcè Platypun, uel Platypoda cognomines licet. Paruus quidam (inquit) & ignobilis Cancer apud nos frequentiſsimus eſt, nomine tamen caret ob uilitatem. Paruus eſt, nucis iuglandis magnitudine, aliquãdo paulò maiore, &c. Pedum

postremus & minimus (utrinque præter ali rum Cancrorũ naturam, unde Latipedem cognominauimus) in latitudinem desinit osseam. E frõte extant cornicula quatuor. Cum maris purgamentis in litus eijcitur, & cum piscibus alijs sagena capitur: neglectusque in litore relinquitur. unde magna celeritate regreditur in mare, beneficio latitudinis postremorũ pedum. ¶ Carcinus paruus aut Cancellus (inquit Bellonius) inter pisciculos reperitur: qui pedes extimos latiusculos habet, (quibus ad natandum ceu pinnulis aut remis utitur:) & hac nota tantùm à Cancro marino differt. ¶ Alios etiam Carcinis aliquo pacto similes, Romani rustici frequenter cum Tellinis & Conchulis diuendunt. qui tamen Carcinis multò maiores *(fortè minores)* sunt, &c. hi quoque nouissimos pedes in extremo latos habent. eorum magnitudo pollice operiri potest: uiuaces tamen admodum sunt: Nautæ crudos cum pane edunt, &c. ¶ De huiusmodi Cancris (inquit Rondeletius) locutum puto Aristotelem, ubi scribit: Parui Cancri qui capiuntur inter paruos pisciculos, postremos pedes habent latos, ut ad natandum sint utiles, & pinnarum uel palmularum uice. ¶ Quærendum an hic Cancer sit, quem Cursorem cognominant. Bellon. Cursores cãcros, eosdẽ Equitibus facit, nescio quã rectè. Aristoteles diuersis in locis, nominibus quoque diuersis eos commemorat. Cursores enim esse arbitror, quamuis ipse non nominat, Latipedes illos quorum meminit De partibus animalium lib. 4. c. 8. Equitum uerò mentionem facit Historiæ 4. 2. Genus est quoddam Cancrorum (inquit) in litoribus Phœniciæ, tantæ uelocitatis, ut uix quisquã consequi possit: unde ἵππεις, id est, Equites appellantur. ijs nihil ferè intus propter inopiam pabuli est. Δρόμων est paruus Cancer, Hesychius. Cancri δρομίαι (inquit Aelianus) longè lateque uagantur. modò circum litora errant, ubi & nati sunt: modò longiùs proficiscũtur: & uel in loca saxosa, uel cœnosa, cibum perquirentes, sæpe perueniunt. Bellonius in Singularibus scribit hos Cancros non multò maiores esse castanea.



Alius latipes


Cursores.

Equites.

ITAL. Romæ Grancetto uocant, (forma diminutiua nimirum à Cancro.) Veneti ac Ferrarienses Mazenetam, *(Hoc nomen etiam simpliciter Cancro marino paruo attribuunt, ut suprà dictum est,)* Bellonius.


GALL. Massilienses Grittam genuina uoce nominãt, Bellonius. Sed Maia etiam in Prouincia aliquibus Gritta uocatur.

GERM. F. Ein breitfüß/ Ein Leuffer/ Ein kleiner Meerkrabb/ hat die ij. letsten füß breitlacht/ laufft schnell.



CANCER Flauus siue Vndulatus Rondeletij. Cancer hic (inquit) inter anonymos & ignobiles magnus est, Cancris stagni marini uel fluuiatilibus æqualis. Flauum à colore nominauimus: Vndulatum à lineis quæ in prona parte sunt sinuosæ undarum modo, non aliter quàm in camelo to uulgò nuncupato. Capitur circa Antipolim & Lerinum insulam, nec uspiam similes uidi. Caudam extentam depinximus, &c.


GERM. F. Ein Schamlot krabb/ ein gälber Meerkrabb.



CANCER Varius siue Marmoratus Rondeletio dictus. Hoc Cãcri genus (inquit) in saxorum cauernulis degit, non alibi quàm in Agathensis litoris scopulis à me uisum. Testa est læui ac perpolita, duriore quã in cæteris. coloribus maculisque uarijs (uiridibus, cœruleis, albis, nigris, cinereis,) conspersa, marmor uarium siue iaspidem pulchrè referente. Hæ maculæ in mortuo maiori ex parte euanescunt, quod si in Sole


Sole exiccetur, totus fit flauus.

GERMAN. Ein Punterkrabbe/hat ein glatte glitzerende ſchalē/mit mancherley flecken beſprēgt/ grün/blaw/weyß/ſchwartz/äſchfarb/dieweyl ſy läbē: wie ein ſchöner gefleckter mar mel oder iaſp. ein Marmelkrabb.




CANCER Brachychelus Rondeletij. Cancer hic (inquit) alibi rariſsimus, in Lerino inſula frequens, ex rubro nigricat, paruus. eius corpus poſteriore parte, contrà quàm in cæteris, latius eſt, anteriore acutius. Chelas duas habet ualde breues, & tenues; unde βραχυχήλου nomen de dimus, &c. ¶ Hic Cancer an Eques ueterum ſit conſiderandum. longiſsima quidem pro reliqui corporis magnitudine crura, ſublimem ipſum, ἔποχον, & ueluti equitem oſtendunt: & chelarũ bre uitas nihil celeritati ingreſſus officere uidetur. De Equite quidē cancro plura ſcripſi ſuprà in Can cro latipede ſiue dromia: quem ad celeritatem nõ quidem pedum longitudo, ſed poſteriorum (opinor) latitudo promouet: ſicut & in mari ad natationem. *Eques.*


GERM. Ein kleine art der Meerkrabben/mit kurtzen ſchären/langen füſſen: vnd dem leyb hinden breit/vornen geſpitzt.



CANCRI Quædam ſpecies, cuius picturam Io. Kentmãnus medicus ad me dedit. Eum Macrochelum uel Leptochelum cognominare licebit, quòd inter Cancros longiſsimæ ei tenuiſsimæq́ ſint chelæ.

GERMAN. Ein Meerkrabbe mit gar lãgen vnd tünnen ſchären.






CANCRI Hirſuti Rondeletij. Paruorum (inquit) Cancrorum qui hirſuti ſunt, differentias tres obſeruaui. Prima eſt eorum qui chelas aculeatas habent, & in extremo nigreſcentes. Cornicula duo: quæ ſequuntur utrinque partes, ſerratæ ſunt. In teſta media cordis humanę figura expreſſa cernitur. Chelis pedibusq́ omnibus hirti ſunt. Huic generi ſimile aliud eſt ęquè hirſutum: ſed minus, & chelarum extrema nigricantia non habet. Tertia differentia eorum eſt, qui ſecundis ita ſimiles ſunt, ut eoſdem cum ijs planè eſſe diceres, dempta ſola magnitudine: quare horũ pictura ſeparata nihil opus fuit. Tria hæc genera cum reliquis piſcibus euerruntur, & ob exiguitatem prorſus negliguntur.

(margin numbers: 1. 2. 3.)

GERM. Kleine vnd harechte (beſunder an füſſen) Meerkrabben.




CANCRIS Hirſutis Rondeletij adnumerandus uidetur ille, quem Lupum marinum uulgò Romæ, alij Somniolo uocant: quòd eius cruſta in puluerem redacta ſomnum inducat, alijs Papilla piloſa uel Caſtrangiolo dicitur. Huius iconem à Cor. Sittardo miſſam appoſui.

GERM. F. Ein Schläffer: dann ſein ſchal zů puluer geſtoſſen/ ſoll ſchlaffen machen. Ein andere art der (kleinen) harechten Meerkrabben.



CANCER hic corporis trunco (inquit Rondeletius) cordis figuram omnino refert, cum pelagicis piſcibus pana gro extrahi ſolitus: ſed raró, propter paruitatē enim è retium maculis facilè elabitur.

GERMAN. F. Ein Hertzkrabble.




CANCER qui ab ITALIS uulgò Folia uel Folca (circa Romam præſertim, ni fallor) nominatur. eius effigiem ut à Cor. Sittardo meo felicis memoriæ accepi, poſui. Folca dicta (addebat is) parum à Maijs differt, niſi quòd aſperitatem in teſta tomentoſam habet. ¶ Quòd ſi pictura bene ſe habet, ut puto, leptochelum hunc Cancrum, à chelarum exilitate cognominaueris.

GERM. Ein beſunderer Meerkrabb/ in Italia bekañt/ mit gar kleinen ſchåren.



ARANEA Cruſtata Rondeletij: de qua ſenſiſſe putat Ariſtotelem, cum ſcribit: Cancellus forma ſimilis eſt araneis, niſi quòd partem capiti & pectore ſubiectam araneo maiorem habeat. Sed forſan terreſtri araneę Ariſtoteles cācellum comparauerit. inter cruſtata enim alibi nuſquam araneum numerat, ut neq; alius ueterum. Interim tamen hunc quem Rondeletius exhibet, ſic nominari propter formę ſimilitudinem nihil prohibet: imò multò magis propter paruitatē hunc ita uocari cōuenit, quàm paguros uel maiores cancros, quos Meerſpinnen, id eſt, Araneos marinos Germani uocant: ad quorum differentiā, diminutiuo nomine araneum iſtum Meerſpinnle, appellabimus. Araneum marinum in Friſia uidi ita ſimilem domeſtico, ut ſola magnitudine à terreſtre differret, Turnerus.



CANCER paruus (Καρκίνος μικρός) ſemper in alienis teſtis hoſpitari ſolet, non tamen quibuslibet: ſed præcipuè in Mitulis gurgitum, Pinnis, Pectinibus atq; Oſtreis. Piſcatores putant Cancros unà cum illis, quorū teſtam inhabitant, naſci: Rondeletius ex coitu procreari oſtēdit. Dicā (inquit idem) quod ſæpiſsime uidi. Cancri parui qui in Oſtreis reperiuntur, minores ſunt, paruę ſcilicet fabæ magnitudine, toto corpore candidi, præterquā in pronæ cruſtæ medio quod rubeſcit. Qui uerò in Pinnis reperiūtur, maiores ſunt, & magis rubri quā albi: alioqui chelis, pedibus, toto deniq; corpore tum inter ſe, tum alijs omnibus cancris ſimiles.

Pinnoteres. pinnophylax ¶ Cancer paruus cum Pinnam ſubit, priuatim Pinnoteres aut Pinnophylax, ut Oppiano in carmine, (Πιννοτήρης, Πιννοφύλαξ) uocatur, quòd ſeruet cuſtodiatq; Pinnam. eſt autem Pinnoteres, maſculinum primæ inflexionis, ut Anchiſes. Minùs probo quòd à recentioribus quibuſdā Pinnother ſcribitur. apud Ariſtotelem de Hiſt. 5. 15. Πιννοθῆραι multitudinis numero legitur, tanquam à recto Πιννοθήρας ὁ, ac ſi Pinnæ uenatorem dicas: quoniam in Pinna in ſuum illiusq; commodū piſciculos uenari ſoleat. ſic enim quidam putarunt: quos redarguit Rondeletius. Pinnæ enim aqua tantùm & luto uiuunt, non piſciculorum carne ut cruſtata omnia. Nunquam naſcitur Pinna (inquit Plinius) ſine comite: quem Pinnoterem uocant, alij Pinnophylacem. is eſt Squilla parua, *Squilla parua.* alibi Cācer dapis affectator. Sic ille. Sic aūt accipi debent eius uerba, ut Pīnoterę duo intelligātur, unus Squilla parua, καρίδιον Ariſtoteli: alius uerò Cancer paruus. nam quia hęc etiam (Squilla parua) in Pinnis reperitur, aliqui fortè confundunt. Cicero quidem ea Squillæ paruæ in Pinna attri-*Cancri parui cur in alienis teſtis degant.* buit, quæ Græci Cancro paruo. ¶ Inueniuntur autem hi Cancri in alienis teſtis, non quòd in ijs nati ſint, nec aliqua ſocietate aut uictus communis ratione, ut diximus: ſed quia molliore teſta tecti ſunt, & ideo iniurijs magis opportuni, Concharum caua ſubeunt, ut illic tanquam in ſpecubus & antris


& antris tutiùs degant. Quare non solùm in testis, (inquit Rondeletius,) sed etiã in Spongiarum cauernulis, in saxorum rimis, in externis testarum, quibus Ostrea tecta sunt, cauis sæpissime Cancros paruos reperi. ¶ Alius quàm hic est Cancellus siue Scyllarus, qui corpore oblongo Locustis non Cancris similis est, & inanes tantùm turbinatasq; testas subit: de quo proximè agemus. *Cancellus.*

GERMAN. hic Cancer paruus uocari poterit **ein kleiner Meerkrabb: ein Meerspinnle/ wonet iñ Schneckenschalen im̃ meer inn den schalen etlicher låbenden Schnecken oder Muscheln. ein Muschelgast.** Cancellus uerò, de quo mox dicetur, uoce diminutiua **ein Meerkrable**: ut eadem sit horum nominum ratio ac differentia in sermone nostro, quę Græcis inter καρκίνον μικρὸν & καρκίνιον, id est, Cancrum paruum et Cancellum. Vel potiùs Cancer ille paruus utroq; modo ex iam dictis Germanicè appelletur: Cancellus uerò **ein Meerkrebßle**, ut non solùm paruitas eius, sed etiam corporis figura oblongior, qua Astacum refert, simul indicetur.


Cancellus in testa. *Cancellus nudus.* *Testa uacua, quæ Neritæ uideri potest, quòd Buccino similis sit, ampla tamẽ, &c.*



Cancelli in Buccino effigies: quam olim Cor. Sittard. mihi communicauit.



Scyllarus siue Cancellus in Nerite concha, Venetijs ad me missus.



Cancellus alius oblongus, Astaco fl. similis, quem et ipsum Sittardus misit: referendus ad tertiũ genus Cãcelli à Rond. memorati.



CANCELLVS, Aristoteli καρκίνιον τὸ: Oppiano, Aeliano, Galeno, καρκινὰς ἡ. differt à Cancro paruo, quem proximè retrò dedimus: quòd ille reuera Cancris specie similis sit: hic uerò Locustis teste Aristotele. Inest quidem in eo, Rondeletio authore, quod & Locustis & Cancris simile sit: quare hoc etiam loco ceu inter utrosque medium reposuimus. Aristoteles alicubi inter Crustata & Testacea eum ambigere scribit: quòd & Locustis cognatus sit suo corpore: et testas in

grediatur. uerùm cum alienas ingrediatur testas, (uacuas duntaxat,) inter Testacea rectè censeri non potest. quin & Spongias aliquando subit, si quando foramẽ in eis capax nanciscatur. ¶ Cancellus (inquit Aristoteles, à quo etiam forma eius diligentissimè describitur) initio gignitur ex terra & limo, deinde in uacuas testas ingreditur: ubi cum accreuerit, in ampliorem testã subit, uidelicet aut Neritæ, aut Turbinis, & aliorum huiusmodi: sæpe etiam parua Buccina: ingressusq; eam circunfert: ibidem nutritur & augetur: deinde capaciorem petit. ¶ Idẽ philosophus species Cancelli duas statuit: unum in Turbinibus, longiorem: alterum in Neritis Conchisq;, breuiorẽ, & cætera ferè similem, sed dextro pede paruo, sinistro magno: qui priuatim Scyllarus (Σκύλλαρος ὁ.) dicatur. At Rondeletius: Liberè (inquit) dicam, quod diu multumq; obseruaui. sola corporis longitudine duo hæc Cancellorum genera differre puto: ut Cancellus Turbinatorum hospes longior sit: Neritarum breuior: quia Neritarum testa est læuis, ampla & rotunda. Quantum ad pedum bisulcorum longitudinem attinet, in omnibus Cancellis, quos plurimos uidi, semper sinistrum pedem crassiorẽ dextro perspexi, quod non fortuitò, sed certa ratione mihi uidetur contingere. cum enim uiuant in testa circa corporis medium complicati, quantum dextræ parti compressæ alimenti incrementiq; decedit, tantum sinistræ liberiori & laxiori accrescit. Præterea uidetur Aristoteles tertium genus constituere, cum dicit: Sunt inter Cochleas quæ intra se bestiolas habeant Astacis paruis similes, qui uel in fluminibus gignuntur: sed differunt, quòd præmollem intra suam testam carunculam habeant. ¶ Cancros paruos cum Cancellis aliqui confundunt. uidetur quidem etiam Plinius confudisse: et Aristoteles semel alicubi Cancellum pro Cancro paruo impropriè posuit. Hermolaus Barbarus Cancellum cum Squilla parua confundit. Nos Pinnoteren duplicem esse monuimus, unum Cancri exigui specie: alterum Καρίδιον, id est, Squillã paruam. Non cancer paruus solùm, ut Aristoteles tradit: sed Cancellus quoq; in Spongiarum cauernulis latet & uiuit. Plura lege mox in Gallicis nominibus.

Species duæ Aristoteli. *Scyllarus.* *Species tertia*

ITAL. Ligures Brancha uocant, uel Branchna, Rondel. HISPANI, ut audio, Cangréio.

GALL. Prouinciales Bious Cambus. nostri Bernard l' ermite. eremitam quidem, quòd alios fugiens, in testa perinde ac in solitudine uiuat. Bernardum autem, quòd plebs nostra Bernardos, etiam uulgari prouerbio, fatuos esse dictitet: fatuumq; esse Cancellum, qui crusta tectus, chelas habens, quę ad uitam tuendam satis esse possent, alienas domos quęrat, in quibus latens uiuat. Quòd si non hæc solùm, sed posteriores etiam Cancelli partes spectaueris, prudentem esse iudicaueris, qui nudas & iniuriæ ualde opportunas partes, dura & firma testa muniat.

GERMANICE uocari poterit Ein kleiner Meerkrebs / Meerkrebßle. ein Einsidler. Süch im nächstgemelten kleinen Meerkrabben.

Auena.

CANCER Paruus quidam rarus: quem Sebastianus Buotzius Argentinensis medicus excellens, mihi olim ostẽdit. Auenã nominari uulgò addebat, si satis memini, ceu usitato circa Monspelium uocabulo. Scaliger tamen Squillam marinam à Vasconibus Ciuadam uocari ait, id est, Auenã: pugillatim enim (inquit) deuorant, sicut auenam ueterinæ. ¶ Partes eius omnes perexiles erant: caput ut in locustario genere prominẽs. cauda breuis & ad uentrem reflexa, ut in Cancris propriè dictis: ita ut ambigere inter hæc genera uideatur, sicut & Cancellus priuatim dictus. Pedes forcipati omnes, nõ chelę tantùm: si pictor rectè expressit, ut arbitror.



GALL. Auena fortè Monspelij. Vide in præcedentibus.


GERMAN. Ein besunderer kleiner seltzammer Meerkrebs/ hat das vorderteil wie die Lobster oder Krebs: den schwantz aber zum teil wie die Krabben: die füß alle geschäret.

ASTACVS, Ἀστακὸς communiter Græcis, Attice ὄστακός. Gaza Gammarum conuertit, uulgi nimirum Italici appellationem secutus, cum Græcam retinere præstitisset. nam Gammarus ueteribus Romanis, Athenęo teste, Squillæ speciem significauit. Hesychius Cãmaros, Squillas rubras interpretatur. ¶ Elephantus Plinio dictus, à magnitudine opinor pedum ac brachiorum, non alius quàm Astacus uidetur, Rondeletius. Elephanti Locustarum generis, nigri, pedibus quaternis, bisulcis: præterea brachia duo, binis articulis, singulis forficulis denticulatis, Plinius. Bellonius Astacum adultum duntaxat, Elephantum Plinij esse putat. nam Astaci (inquit) quantò maiores exeunt, eò nigriores euadunt. Eundem à Græcis scriptoribus, præsertim Aeliano, Leonem dictum conijcit. Rondeletius diuersum quidem Leonem exhibet ac describit. appa ret tamen eum non contradicere, quin idem sit Aeliani Leo, & Plinij Elephantus: Plinij uerò Leonem & Elephantum diuersos esse liquidò ostendit.

GRAECI & accolæ Adriatici maris, etiamnum nomen antiquum retinuerunt. Constantinopoli Liczuda uel Lichuda uocant.

ITALICE Romæ Gammaro uel Cambaro (Gambaro) di mare. nam fluuiatilem Astacum simpliciter Gambaro nominant. Venetijs Astase uel Astese, Genuæ Lumbardo. ¶ Illyrici, Larantola. HISPANI Camarón.


Forma hæc Aſtaci eſt, quem Venetijs Aſteſe uocant, ubi & depicta eſt: ſed minus accuratè, ut apparet, quàm à Rondeletio.



GALLI & Normani Homar, Maſsilienſes Ligumbault: circa Monſpelium Langrout ule Eſcreuice de mer. ¶ Maſsilienſes & Leonem & Aſtacũ, ex Plinio diuerſos piſces, uno eodemq; nomine Ligombaudos nominant, Gillius.

GERMANICE Humer/ein Meerkrebs.

ANGLICE A Creuyſe of the ſea.



LOCVSTA Marina, κάραβος, καραβίς. Aliqui γραψαῖον uocant: Archeſtratus etiam Aſtacum. nos alium Aſtacum priuatim ſic dictum dedimus. Locuſtarum marinarum ſpecies eſſe plures ex Ariſtotelis quarto de partibus animalium apparet. Idem Ariſtoteles quæcunq; ex cruſtatis oblongiora ſunt καραβοειδῆ nominat, Gaza uertit locuſtacea: ut rotunda cancros, uel cancrarij generis.

GRAECI nunc etiam Cárabon nominant.


ITALI Locuſta. Ligures Alagouſta, alij Lanchrina.

HISPANI Loguſta.

GALL. Maſsilienſes Langouſte.

ANGLI Lopſter/Lopſtar. Eliota Anglus diuerſis locis Aſtacum, Locuſtam & Leonem interpretatur a Lopſter. Io. Caius Creuiſe Anglorum, Locuſtã eſſe, indicauit. At Guil. Turnerus in epiſtola ad me: Locuſtam mar. (inquit) nuſquam audiui uocatam a See creuis, ſed perpetuò a Lobſter. Eſt & alius huius generis piſcis in Northumbrico mari nuſquam uiſus, ſed in Occiduo frequens, qui uocatur a Longoiſter. is cornicula habet cubito ſubinde longiora.

GERMANICE F. Ein Meerkrebs oder Humer art.




ASTACI MARINI Quem Humer uocant Germani, ex Deſcriptione Septentrionalium regionum Olai Magni, effigies. Ingẽtem eſſe ſcribit, (inter Orchades & Hebrides inſulas,) & tam ualidum ut hominem natantem chelis apprehenſum ſuffocet. Sed non probo, quòd pedes omnes biſulcos pinxit: & caudam tabellis tam multis conſtruxit, &c.

CHELA ASTACI *Marini ex Oceano.*


IN EADEM tabula Magnus depingit Aſtacum XII. pedum, qui deuoratur à monſtro marino ſimili rhinoceroti; cuius rei typum requires ſuprà inter Cete ex Tabula Olai.

ASTACVS paruus marinus, ſui generis. ſemper enim paruus eſt, nec unquam fere magnitudinē picturæ noſtræ ſuperat, Rondeletius.

GERMAN. F. Ein kleiner Humer/ ein kleiner Meerkrebs.



LEO Rondeletij. Plinius Leonem nominat tantùm inter Cancrorum genera cum Carabis, Aſtacis, Mæis, &c. Diphilus A-



ſtaco. ¶ Λέων à Græcis dicitur, Latinis Leo, à colore flauo, ut arbitror, quo coloratus eſt dum uiuit, & è mari captus educitur; & quòd hirſutus ſit. Aſtaco corporis ſpecie affinis eſt, ſed brachia lõgiora habet, &c. Rondeletius.

GERM. F. Ein Löw / ein Löwkrebs.

DE SQVILLIS IN GENERE.

Καρίδες. ΚΑΡΙ´ΔΩΝ genus tertium poſt Locuſtam & Aſtacum ab Ariſtotele numeratur. Gaza cum Cicerone & Plinio Squillas conuertit. Cicero Squillam paruam uocat τὸ καρίδιον Ariſtotelis. Plinius lib. 11. Cruſta fragili (inquit) incluſis rigẽtes oculi: Locuſtis Squilliſq; magna ex parte ſub eodem munimento præduri eminent. Et lib. 9. Coëunt Locuſtæ, Squillæ, Cancri ore. Athenæus author eſt à Sophrone Κουρίδας dictas, à Simonide & Epicharmo Κωρίδας. Idem tradit Καρίδας à capitis magnitudine nuncupatas: quòd maximam eorum corporis partem caput occupet. Quod etymum (inquit Rondeletius) ſi uerum eſt, non poſſum non mirari Galenum: qui libr. 8. De uſu partium Malacoſtraca omnia capite truncârit, &c. ¶ Prima in Καρὶς ſemper producitur: ultima uerò recti, quæ iôta habet, quod in obliquis penultimam conſtituit, plerunq; quidem producitur, & circunflectitur: rariùs corripitur & acuitur. Nomina quidem in ις oxytona biſſyllaba, quorum penultima natura longa eſt, iota producere ſolẽt, ut κρηπίς: excipitur Τευθίς, & alia fortè pauca per ίδος declinata: in ιος enim longa ſunt omnia. Hoc cum ita ſit, mireris quòd in ſoluta oratione, iota huius nominis Καρὶς nunquam circunflexum reperiatur. A Κάρη quod eſt caput, ita ſit Καρὶς: ut à βολή, γραφή, βολίς, γραφίς. Quid ſi Καρίδες dictæ ſint, quaſi Ἀκρίδες, id eſt, Locuſtę: nã & Galli quidam Saulterelles uocant, quoniam ſaliant Locuſtarum more, aut quaſi Καραβίδες, propter aliquam cum Locuſtis cruſtatis ſimilitudinẽ, caudas enim ferè ſimiliter habent: & Bellonius Squillas Locuſtarij generis eſſe tradit. ¶ Colybdænæ nomine aliqui pudendum marinum intelligunt: uel Squillam, Athenæus. ¶ Hoc Squillis proprium eſt, chelis carere: harum autem uice brachia maiora pedibus habere, Rondeletius. Aculeos in cauda habent minores omnes puto: maiores, ut Lata et Cęlata Rondeletij, non item. Squillarũ tres ſpecies conſtituit Ariſtoteles: Gibbas, Crangones, & Paruas quæ nunquam maiores fiunt. Nos (inquit Rondeletius) ſpecies alias tres addimus: nempe Squillam latam, & aliam quæ cælata eſt & glabra: & Mantin à nobis dictam. ¶ Gibbæ quidem præ cæteris Squillarum nomine ſimpliciter interdum intelligi mihi uidentur. nam & magnitudine ferè mediocres ſunt inter maiores minoreſq;: & Venetijs hodieq; ſimpliciter Squillæ dicuntur, & à Græcis hodie Carides, (uel Caramidia.) Scaliger tamen Squillam minimam ab Adriaticis generis nomine uocari ſcribit.

Margin: Κουρίδες. Κωρίδες. *Proſodia.* *Colybdæna.* *Chelis caret.* *Species ſex.* *Gibbæ.* *Squilla minima.*

GRAECIS ueteribus Καρίδες dicuntur Squillarum ſpecies proximè enumeratæ, ceu generis nomine. at hodie uulgò Gibbas priuatim Caridas ſeu Caramidia uocant, ut diximus.

ITALICE Squille uel Schille (Veneti quidẽ Gibbas priuatim ita nuncupant) dici poſſunt ſpecies Squillarum omnes.

GALL. ſimiliter omnes Squille dici poterunt: etſi Burdegalẽſes Crangis peculiare hoc nomen faciant.

GERMANICE Squillas omnes Meerkrebßlin rectè appellabimus: ſiue ſimpliciter: ſiue cum differentia ſunder ſchären, id eſt, ſine forcipibus. Germani ad Oceanum Squillæ ſpeciem quandam paruam uocant Garnart / Gernard / (Gornard uerò piſcis eſt lyriformis,) Gernier / Garnole / Gibbam ut puto. licebit autem hoc unius ſpeciei nomẽ (à Gammaro fortè corruptum) uſurpare pro genere, ſpecies uerò indicare adiectis differentijs.

ANGL. Eliota Anglus Squillã interpretatur a Schrympe. ego ab Anglis accepi Schrimpe ſpeci-

pe ſpeciem eſſe Squillæ uel Cammari maiorem: & aliam minorem uocari a Pran: aut fortè cōtrà. non enim ſatis memini.

Squillarum generis diuiſio, ſecundum Cæſarem Scaligerum.


Squillarum aliæ ſunt
- Maiores
  - Vrſa, magnitudine Aſtaci.
  - Crange: magnitudine tantùm à ſuperiore differens, & lineamentis quibuſdam, quibus teſſellatę lamellę pictę ſunt. [Hæc puto Rondeletij Squilla cælata eſt. nam aliam fecit Crangen.]
- Minores, gibbę omnes, uix alio quàm magnitudine differentes: Locuſtæ ſimiliores ſi frontis ſpectes cuſpidem, quàm ſupradictis Squillis. Omnibus pinnata cauda pinnis latis, dempta media acuta.

  Ex his minoribus
  1. Maxima eſt in Oceano Gallico, [circa Vaſconiam. Crangon puto Rōdeletij.]
  2. Minima, Vaſconibus Ciuada: è Garumna excipitur caniſtris. hæc etiam in mari agitat, nec rubeſcit cocta. ab Adriaticis generis nomine dicitur.
  3. Mediæ magnitudinis, Gambarellus appellatus ab Iſtris; [Simpliciter Gibba alijs.]

  Itali quidam, etiam minimam Gambarellum uocant.

¶ Præter has eſt Squilla mantis Rondeletij. Item καρίδιον, id eſt, Squillula conchas quaſdam inhabitare ſolita: de qua ſuprà inter Cancellos diximus.


Squilla lata Rondeletij.



SQVILLA lata Rondeletij. Latam (inquit) cognominamus ut ab alijs diſtinguatur: nec id ſine exemplo. nam Archeſtratus (authore Athenæo) πλατείας καρίδας appellauit: quanquam is Locuſtas, Aſtacos & Carides confundere uidetur. [*Ariſtophanes in Teſmophoriazuſis, non Archeſtratus, apud Athenæum, πλατειῶν καριδίων, id eſt, Squillarum latarum meminit: quo nomine de Aſtacis eum ſentire Athenæus libro 3. conijcit.*] Locuſtarum eſt magnitudine, ſed latior multò & magis depreſſo corpore hirtoq́. Quòd ſi quis eam ob ſimilem corporis ſpeciem, cum Locuſtis potiùs quā cum Squillis annumerandam cenſeat, uel hoc uno refelli poterit, quòd Locuſtis pedes ultimi in forfices terminantur: quos chelas uocant, quibus Squillæ carent, authore Ariſtotele. Hæc ille. ¶ Bellonius hanc Ariſtotelis ἄρκτον, id eſt, Vrſam facit. Terreſtris (inquit) Vrſi in morem craſſo ac recurto eſt corpore, eiusq́ colorem habet, unde illi nomen. Hanc eius ſententiam Rondeletius explodit: & alium ipſe Vrſum Cancris, non Squillis cognatum, exhibet. Sed Vrſum Rondeletij Scaliger Cancrum Heracleoticum eſſe aſſerit. Squillarum maxima (inquit idem Scaliger) Aſtacum æquat magnitudine, alicubi etiam ſuperat: uulgari Gammaro (*fluuiatili nimirum ſiue Gammaro ſiue Aſtaco*) ſimilis, certis tamen ab eo notis diſcreta. Vrſa hæc eſt Ariſtotelis. ubi enim porrecta iacet, Vrſi corium extenſum repræſentat. Ariſtoteles cum ei & Locuſtis pariendi tempus idem aſsignat, Locuſtaceis eam annumerat, (*annumerare uidetur,*) ſub Squillæ quidem nomine eam non nouit. *Vrſa.* *Cācer Heracleoticus.*


ITAL. Siculum ac Neapolitanum uulgus Maſſacara nominat, Bellonius. Meſſacara dicitur à Neapolitanis & Meſſanenſibus, ut idem in Singularibus ſcribit. Mihi hoc nomen deprauatum uidetur, ueluti à Græco, μείζων ἢ μάσσων καρίς, hoc eſt, maior Squilla. A Liguribus Orchetta uocatur Rondeletio teſte: ſiue tanquam Arcetta, à Græco Arcos, quod eſt Vrſus: ſiue potiùs ab Vrſeta corruptum. Vrſetam enim Ligures generis huius ſpeciem minorē, per omnia huic ſimilem (Bellonio teſte) appellant. Romæ etiam utranq; ſpeciem nomine uno Mazzacara uocari audio.

Eiusdem pictura alia, quam Romæ depictam Vrsi nomine, Corn. Sittardus nobis donauit.



GALL. Nostris litoribus incognita est, & ob id anonymos, Rondeletius.
GERMANICA nomina fingo, ab Vrso quadrupede: **ein Bär/Meerbär/Bärenkrebs.**

Vrsa minor. Cicada mar. SQVILLA cælata Rondeletij, Vrsa minor Bellonij. Quam hîc proponimus (inquit Rondeletius) nostri Cicadam mar. uocant. alij Cicadam mar. (*Aeliani*) eam esse opinantur, quam nos Mantin nominamus. Eã quidẽ de qua nunc agimus Cicadã potiore ratione nominandã esse censuimus, ob maiorem cum Cicadis terrestribus similitudinem: Squillam uerò, tum quòd supra dictę similis sit, tum quòd brachia priora indiuisa habeat. qua nota Squillas à Locustis & Cancris secerni diximus. Cælatam uerò, ut ab alijs internoscatur. nam quinq; tabellis constat, & dorso, egregio naturæ artificio uariè cælatis et sculptis. Tota rubet, idq; magis quàm ullũ aliud crustatum, siue cruda, siue cocta. *Cammarus. Gammarus.* Hanc Squillæ speciem esse puto, quam antiqui Cammarum (Latinè quidam etiã Gammarũ uocauerũt, authoribus Athenæo, Plinio, Columella. Hæc Rondelet. A Græcis κάμμαρος uel καμμαρὶς scribitur; de quo plura Rondeletius in historia Astaci scripsit: & nos in eiusdem



eiuſdem & Squillæ huius hiſtoria. ¶ Minor Arctos per omnia maiori reſpondet, Bellonius. ¶ Cæſar Scaliger Cicadam marinam eam eſſe putat, quæ etiam uulgò à piſcatoribus (*Vaſconum*) ſic appelletur: ſentiens omnino, ut coniicio, de illa quæ Mantis Rondeletij eſt: quam Bellonius Maſsilię & Genuæ Cicadã mar. uocari tradit. ego huic ſententię uel hanc ob cauſam magis faueo, ne Squillæ id genus alio antiquo nomine careat, & fingendum ſit nouum quod Rondeletius fecit. Aelianus certè cum Romę uixerit, & harum quidem rerum ſtudioſus, non potuit ignorare Cammaros Romæ uulgò dictos, è genere Squillarum, ut Athenæus lib. 7. ſcribit: quod ſi eoſdem Cicadas marinas putaſſet, non tacuiſſet opinor, præſertim cum alius nemo hoc nomine ſit uſus. Scaliger hanc Ariſtotelis Crangen facit: Rondeletius aliam. *Crange.*

ITAL. Mazzacara Romæ uocatur, ut audio, hæc etiam, ut ſuperior. Ligures Vrſetam appellant. Vide ſuperiùs in Squilla lata.

GALLI circa Monſpelium Cicadam marinam. Maſsilienſes, ut & Genuenſes, Rondeletij Mantin, ſic uocant: &, ni fallor, etiam Vaſcones.

GERMANICE appellare licebit iiſdẽ nominibus, quibus & Vrſam maiorẽ, hoc eſt, Squillam latam proximè dictam, magnitudinis tantùm differẽtia expreſſa: Ein kleiner Meerbär: ein rootes Meerbärlin: uel priuatim ein Puntergernier, id eſt, Squilla uaria.

Crangon Rondeletij.




CRANGONES (Κράγγονες, αἱ) leguntur apud Ariſtotelem Hiſtoriæ 4. 2. deinde bis, Crange, ἡ Κράγγη, quod magis placet: quanquam Gaza in omnibus his locis uertit Crangînes, ut Delphînes. Κραγὼν oxytonum pro ſpecie Squillæ apud Heſychium legitur gamma ſimplici, mallem duplici. ¶ Eſt hæc Squilla (inquit Rondeletius) palmi maioris longitudine. Cruſta contegitur tenui, læui, candida, nonnunquam ex albo parum rubeſcente. Pedũ alij in calcar terminantur indiuiſi, alij parum diuiſi ſunt, &c. Exhibitum quidem à nobis animal, omnino Squillarum generis eſſe apparet. nos Squillam Crangonẽ eſſe coniicimus, propter Ariſtotelis uerba hæc: Squilla gibba caudam habet & pinnas quatuor: quas & Crange in utraq; caudæ parte habet. earum medium in utriſq; ſpinoſum eſt, ſiue aculeatum: ſed in crangone latum, in gibba acutum. Hæc ille. *Crange.*

ITALICE. Gambaro di mare: à nonnullis Camarugia & Parnochia dicitur, Rondeletius. Sparnochia, Bellonius. aliqui Spernotza ſcribũt, aut ac ſi ita ſcriberetur, proferunt. Squillas Romani hodie Cammerugias (Gammaruſios, Niphus) & Pernocias uocant, Iouius. Itali quidam mihi Vallopa nominarunt, neſcio quàm rectè: cum alij idem nomen ad Mantin Rondeletij retulerint. ¶ Scaliger quidem Squillam cælatam Rondeletij ſiue Vrſam minorem, Crangen facit. hanc uerò Rondeletij Crangen uidetur inter Squillas minores collocare, quæ in Oceano Gallico maxima naſcatur.

GALL. A noſtris Caramote, (*ut parua Squilla Caramot:*) ab alijs Longouſtin, à Burdegalenſibus ſeruata ueteri appellatione Squilles dicuntur, Rondeletius.

GERM. Ein besundere art der kleinen Meerkrebsen/die man Gernier nenet/ söllend im Teütschē meer zimlich groß werden: an ð farb weyß oder weyß root.

Squilla Gibba Rondeletij.



Iconē hanc eiusdem, ni fallor, Squillæ, Venetijs accepi: picturam minorem esse voluissem, & caudam minùs directam, ut cognomini responderet. Sed diligentius considerari debet. nam Rondeletius Gibbæ suæ pedes omnes in summo diuisos facit: hæc suis pedibus ad Crangonem propiùs accedit.



Eiusdem alia icon à Cor. Sittard. ad nos missa.



SQVILLAE Gibbæ, ut rectè Gaza interpretatur: Græcis Καρίδες κυφαί: ſuo gibbo (caudæ initio in tumorem ſe erigente) facilè ſe produnt. Viuæ colore ſunt fuſco, minusq́ albo quã Crangones, coctę rubeſcunt. Verè quidem has Ariſtotelis gibbas eſſe, cõuincit etiam medius inter caudę pinnas aculeus, acutior & anguſtior quàm in Crangone. item magnitudo, qua paruas Squillas ſuperat, à quibus etiam cornu frontis diſcernitur, Rondeletius. Squillæ gibbæ ab authoribus aliquando ſimpliciter Squillæ dictæ mihi uidẽtur. uide ſuprà De Squillis in genere. *Squillæ ſimpliciter.* Cæſar Scaliger Squillarũ minorũ ſpecies tres facit, omnes gibbas. uide ſuperiùs in Tabula diuiſionis Squillarum de ſententia Scaligeri . mihi quidem ueteres Gibbarum nomine ſpeciem unam κατ' ἐξοχὴν intellexiſſe uidentur: cui Scaliger inter minores mediam magnitudinem aſsignat. ¶ Quomodo Squillæ exiguæ fortiſsimum hoſtem in eas graſſantem Lupum piſcem dolo perimant, Oppianus canit: nempe quòd deuoratę ab eo, acuto frontis cornu medium palatum ita uulnerent, ut etiamſi initio id negligat Lupus, tandem tamen moriatur. ſed cum Squillæ minimæ cornu careant, à gibbis hoc fieri intelligendum eſt: quod Rondeletius obſeruauit.

GRAECVM uulgus Caridas & Caranidia uocat, Bellonius. ſed Aſtacus fl. etiam, ut idem alibi ſcribit, à uulgò Græco Caranis uel Caranidia dicitur.

ITAL. Romani à gambis, id eſt, tibijs, quòd ijs multiplicibus conſtent, Gambarellas uocant, (*aut fortè quaſi Cammarellas.*) Veneti uulgò Squillas, Bellonius. Marini minutiores Gammaruli, ut ita dicam, quos uulgò Gambarelli & Gambaruſoli appellamus, non ſunt Cancelli Ariſtotelis, ut quidam arbitrantur, ſed Squillæ paruæ Ariſtotelis, ſiquidem ij qui in hoc genere nunquam rufeſcunt, (*de gibbis ſentit,*) Venetis alijsq́ quàm plurimis populis, proprium adhuc Squillę retinent nomen. uulgò enim Schille dicuntur, Matthiolus Senenſis. Romæ tũ gibbas tum paruas Squillas, uulgò Gambarellas uocari, author eſt Bellonius.

HISPAN. In Hiſpania, præſertimq́ in Cantabria, omnes hi Gammaruli, *Squillæ tum gibbæ, tum paruæ,*) Squillæ nulla differentia uocitantur, Matthiolus Senenſis. Luſitani, ut audio, Squillam gibbam uocant Camaran de Lysboa.

GALL. A noſtris (inquit Rondeletius) Caramot nuncupatur, ad diſcrimen Crangonis quã Caramote appellant. A Santonibus De la ſantè, quòd ægris plurimum ſoleant apponere. Sic ille. Armorici (inquit Bellonius) des Saulterelles uocitant. ſaliunt enim Locuſtarum more. Maſsilienſes uulgò Carambotos, quaſi à Caride deducto nomine. Qui uerò Galli litus Oceani incolunt etiam à ſaltatione nominant Cheurettes, quaſi Capreolas dicerent. Pariſienſes corruptè des Gueruettes, (*fortè Guernettes, ut nomen id à Germanico Gernart deductum ſit,*) Rothomagenſes Salicoquas, uel Salcoquas nominant: quarum quę uaginis adhuc incluſę ſunt, Bouquetæ: ijs autem exutę des Creuettes appellantur. Hæc Bellonius. In Neuſtria Bouquet, hoc eſt, Hirculum uocant, ſi bene intrrpretor. Rupellæ quidẽ Cheurette, id eſt, Hœdus dicitur. ſalit enim, non incedit, nec repit.


GERM. F. **Ein Springkrebßle/Seegitzle/Meergeiß/Böckle.** uel à gibbo **ein Högerling/ein Hogergernier.**



Squilla parua Rondeletij.

SQVILLA Parua, (Καρὶς μικρὰ, Ariſtoteli Καρίδων γένος μικρὸν,) ſpeciei, non ætatis nomen eſt. nunquam enim maior efficitur. Κουρίδες, καρίδες: ἃ (fortè ὧν) τὰς μικρὰς, ἐγχλώρους: τὰς δὲ ἐρυθρὰς, καμμάρους (addo καλοῦσιν,) Heſychius. hoc eſt, Curides ſiue Carides, Squillę ſunt: in quarum genere rubras, Cammaros uocant: paruas autem, Enchloros: à colore nimirum, quem eis uiuis obſcurum Rondeletius tribuit, Bellonius ſubfuluum. *Enchlori.* χλωρὸς quidem modò uiridem, modò luteum colorem Græcis ſignificat. *Color.* Eædem & Χλωροκυρτίδες fuerint: ſic enim apud eundem He-

Eiuſdem, ut reor, icon alia, Venetijs olim mihi facta.



ſychium legitur pro genere Squillarum. malim χλωροκαρίδες: niſi à cyrtis ſeu naſsis quibus capiantur, Chlorocyrtides dicere malis. *Chlorocarides.* è Garumna quidem caniſtris excipiuntur. Nec aliæ Μελικαρίδες nominatæ in ſympoſio quodam apud Athenæum, his uerbis: Ξανθαὶ Μελικαρίδες αἱ κοῦφαι. nã & flauus color eis conuenit, & leuitas utpote minimis. *Melicarides* à melle autem denominantur, quoniam carne dulciſsima ſunt. & (ut Rondeletius teſtatur) ob nimiam dulcedinem quibuſdam faſtidio: uix enim ullum aliud cibi genus his dulcius guſtaueris. ¶ Bellonius Squillam paruam Ariſtotelis, fluuiatilem cognominat: *Squilla fl.* marinæ per omnia ſimilem, niſi quòd multò minor eſt. Longiſsimo, inquit, à mari interuallo proueniunt hæ Squillę: quod argumentum eſt eas originem à mari minimè traxiſſe. Flumina noſtra has delicias non alunt, (*ſed Italiæ quædam, ni fallor: Scaliger è Garumna caniſtris exci-*

pi scribit, sed agitare etiam in mari.) At Rondeletius, Hyeme (inquit) in stagnis marinis capiuntur, & in magnorum fluuiorum ostijs, è mari etiam extrahi sæpe uidi, ne quis ob carnis succum dulcissimum, in dulci aqua gigni tantùm existimet. in stagnis quidem marinis frequentiores multò sunt quàm in mari. Sic ille. Aristobulus tradit in Indum flumen Squillas paruas usque ad montem ascendere, magnas uerò usque ad Indi & Acesinæ ostia. Tarentinus etiam Squillas fluuiatiles nominat, & Nebrissensis. ¶ Ceterùm ut suprà docuimus aliud esse Καρκίνιον, id est, Cancellum, aliud Καρκίνον μικρὸν: ita hîc etiam aliud uidetur esse Καρὶς μικρά, id est, Squilla parua: aliud Καρίδιον, quod, si libet, Squillulam Latinè dicamus. Ostendimus enim Pinnoteren, modò Cancrum paruum esse, modò Caridion, ex Aristotelis sententia: Plinius & Gaza Squillam paruam interpretantur. sed uerisimile est, genus id peculiare esse, à Squilla parua de qua hîc agimus, diuersum: quod idcirco Pinnæ hospitium requirat, quoniam per se uiuere tutò aut commodè non possit, sicut & Cancer paruus: quoniam is molliore testa tectus, iniurijs magis opportunus est. Idem Gaza Scyllarum etiam (qui Cancellus est, præcipuè in Nerite.) Squillam paruam interpretatur, tria (ut apparet) diuersa animalia, uno nomine confundens.

Καρίδιον.


Scyllarus.

Magnitudo & partes.

Squilla parua (inquit Rondeletius) digiti minimi est magnitudine: capite pro corpusculi magnitudine crasso & lato: sine cornu, quo à Gibba differt: alioqui cauda tenui, paruo gibbo, oris appendicibus, caudæ pinnis, internis partibus, Gibbæ persimilis. punctis aliquot uariatur. colore est dum uiuit obscuro: cocta, tota rubescit. Sic ille. Bellonius quoque coctam ruffescere scribit, Scaliger negat: & fortè in Oceano si non alia species talia tamen qualitas aut natura Squillæ minimæ fuerit. Scaliger quidem de illis quæ in Gallico Oceano sunt præcipuè loqui uidetur.

Coctæ color.

Imago hæc Venetijs picta, Mantin Rondel. minus acuratè, quã ab ipso exhibita, repræsentat.



ITAL. Gambarellã uulgò uocant Romani, aliqui Gamba rozolam: nomine fortasse à Gambaro (*Gammaro*) detorto. Quære superiùs in Squilla gibba.

HISPAN. Lusitanis Camaran de Villa franca. Vide suprà in Squilla gibba.

GALL. Circa Monspelium Ciuade uocant, Rondeletio teste. Vascones etiam (inquit Scaliger) Ciuadam nominant, ob exiguitatẽ, id est, Auenam. pugillatim enim deuorant, sicut auenam ueterinæ. Aliqui Cancellum quendam, proximè ante Locustam superiùs nobis descriptũ, uulgò (ni fallor) Auenam uocitant.

GERMANICE appelletur **Ein Zwergkrebßlin/ein kleiner Gernier**. Gedani in ora Germaniæ audio Squillas quasdam cochlearibus edi, integras, quòd crustam duram non habeant. has minimas esse puto, quas Rondeletius etiam cum crusta & pedibus integras frigi tradit.

MANTIS à Rondeletio dicta nouo nomine. Crustatũ hoc (inquit) ad nullũ aliud quã Squillarum genus referre possum. chelis enim caret, quibus à Locusta et Astaco distinguitur. aculeos in cauda habet, Squillarũ modo: corporis specie Squillis simili, longa, quo à Cancris differt. Ex ueteribus quidem nullus, quod sciam, eius meminit. Nos Μάντιν appellauimus à bestiolæ similitudine, quæ est ex Locustarum terrestrium genere. Eam bestiolam nostri Preguedious, id est, Precantem Deum appellant, quòd semper ueluti manus iunctas teneat. Preterea corpore est ualde tenui & macilento, ut qui assiduis ieiunijs sese cõficiunt. Eandem bestiolam diuinare uulgus ait: captã enim pueri nostri interrogant, qua sit Romam, uel Compostellam ad D. Iacobum proficiscendum. ea, perinde ac si intelligeret, altero brachio extento iter monstrat. Ab huius igitur bestiolæ diuinantis similitudine, Squillæ hanc speciem Μάντιν nominauimus. nam utraque corpore est longo, gracili, circa caudam latiore: brachia duo prima, longa admodum. Sic ille. Μάντιν quidem hanc ipsam bestiolam terrestrem, etiam ueteres appellarũt. ¶ Nonnulli Cicadam marinam (Aeliani) hanc esse uoluerunt. nos potiùs Squillam cælatam nostram, cui maior est cum Cicada terrestri similitudo, Cicadam nominauimus, Rondeletius.

Mantis Locusta.

Cicada mar.

Nos

Nos cum Gillio, Bellonio, aliſsq; uiris doctis, Cicadam Aeliani hanc ipſam facimus: cui ſententiæ plura uulgaria gentiũ nomina aſtipulantur. Vide ſuprà in Squilla cælata. τέτλιγας ὀπτὺς cum alijs aquatilibus, Anaxandrides apud Atheneũ nominat. Bellonius hanc Speuſippi Nympham eſſe ſuſpicatur, nullo quidem ualido argumento. ſemel enim tantùm Nymphæ nomen duntaxat apud Athenæum legitur, Speuſippo inuicem comparante Aſtacum, Nympham, Vrſam, Cancrum, Pagurum.

ITAL. Romani & Genuenſes Cicadam marinam uocant. quæ autem Venetijs Cicadę nomine diuenditur, ea quidem adulterina eſt. Quanquam autem Cicadæ ut plurimùm ſuo nomine à piſcatoribus Romanis uocentur, tamen in earum applicatione Parnochijs abutuntur. etenim Parnochiæ Cicadis ſapidiores ſunt, cariusq; diuenduntur, Bellonius. Aliqui Vallopa, ni fallor: Rondeletius quidem hoc nomen Crangoni ſuæ adſcribit.

GALL. Maſsilię Cigale de mar. & ſimiliter (ni fallor) etiam Vaſcones. Circa Monſpelium uerò Squillam cælatam Rondeletij, uocant Cicadam marinam.

GERMAN. Ein bſundere art der Gerniern / hat etwas gleychnuß mitt einem Höwſtöffel / mit den vordern langen füſſen / auch mit dem langen vnd ranen leyb. mag ein Meerſtöffel genañſet werden.

HACTENVS propoſuimus Cruſtatorum genera tria, Cancros, Locuſtas, Squillas, & quæ propter naturæ cognationem ad ea referuntur. Rondeletius quidem Pulicem quoq; & Pediculum marinos, quòd tenui cruſta integantur, Malacoſtracorum generi adnumerauit. nobis hæc animalcula, (ſicut & Erucam mar. quæ & ipſa tenui cruſta tegitur,) ad Inſecta potiùs referre libuit, quoniam forma eorum tota à cruſtatis plurimùm differre uideatur, magisq; ad Inſecta accedere. ¶ Idem Rondeletius Echinos cruſtaceis adnumerat, potiùs quàm teſtaceis ut Ariſtoteles. uide infrà Ordine ſequẽti, ubi de Echinis in genere dicetur. ¶ Stellas Cruſtaceis ſolus Aelianus adnumerauit: nos poſtremo inter Teſtacea loco de Stellis agemus; ubi etiam huius rei rationem reddemus. *Pulex mar. Pediculus marinus. Eruca mar. Echini.*

ORDO XV. DE ANIMALIBVS TESTACEIS, VT SVNT PATELLAE ET OMNE GENVS CONCHARVM, MVRICES, STROMBI, VENEREAE, Cochleæ, Vmbilici, Balani. Item Stellæ, Tethya, Echini.

DE TESTACEIS IN GENERE.

DE TESTACEIS alijsq; exanguibus animalium diximus nonnihil ſuprà, principio Ordinis XIII. ¶ Animalia marina teſtis duris concluſa, ὀστρακόδερμα à Græcis dicũtur, per analogiam: quoniam operimentum corporis ipſorum, quod cutis in alijs animalibus dicitur, in his oſtraco, id eſt, teſtę aut lapidi ſimile eſt, ut ſcribit Galenus. In ijs (inquit Rondeletius) tanta naturæ ludentis uarietas eſt, tot colorum differentiæ, tot figuræ, ut uix numerari poſsint. Vocantur à Græcis quæ duro ſilicioq; tegmine fragili, non colliſili muniuntur, partem uerò intus mollem continent, uniuerſè quidem ὀστρακόδερμα atque ὄστρεα. Ariſtoteles: ἄλλο δὲ γένος ἐστὶ τὸ τῶν ὀστρακοδέρμων, ὃ καλεῖται ὄστρεον. Latini Oſtreorum nomẽ retinuerunt, Oſtreas etiam dicunt: ¶ Oſtrea genere neutro apud Græcos Latinosq; dicuntur, tũ de ſpecie peculiari, tum in genere de oſtracodermis ſeu teſtatis omnibus. Oſtreæ uerò fœminino genere Latinis tantùm, de ſpecie una. Græcis quidem ὄστρεον per e. breue, & ὄστρειον per diphthongum, diuerſas plerunq; ſignificationes habent: (hoc enĩ adiectiuè idem quod teſtatum omne ſeu oſtracódermon ſignificat, illud ſpeciem peculiarem, Galeno teſte:) aliquando tamẽ promiſcuè ponuntur. Veteres oſtrea per ει dicebant: recentiores per ε. Plato dixit ὀστρεῖνα, τά. ¶ Concha quoq; et pro teſta omni, & pro teſta læui ſiue æquabiliter rugata ſumitur, Rondeletius. Sæpius quidem ad biualuia contrahi Conchæ uocabulum ſolet. ¶ Conchylium apud ueteres Latinos ac Græcos nomen eſt Conchis omnibus commune, & per excellentiam aliquando pro Purpura ponitur. ¶ Omnia generatim à Latinis Teſtæ dicuntur, à duritie operimenti: & Teſtacea, Rondeletius. Teſta quidem propriè ipſum oſtracum ſiue operimentum dicitur: per ſynecdochen tamen pro toto accipi poteſt, præſertim in carmine. Sed non omne mare eſt generoſæ fertile teſtæ, Horatius 2. Serm. Tum Teſtulæ uel Conchæ, quaſi ſedes in ſingulis ſubiectæ ſeminibus adobruuntur, Columella. Inſectorum omnium, & quibus teſtacea operimenta, oculi mouentur, Plinius. *Concha. Conchylium. Teſtæ. Teſtacea.*

Ex his alia ab alijs teſtæ duritia ſuperantur: ut Stellæ, Pulmones, Holothuria, Echini (omnia enim iſta Oſtracodermis ſubijcit Ariſtoteles) longè minus dura teſta conteguntur, quàm Purpurę & Buccina: imò Holothuria & ſimilia, non tam teſta quàm corio duro integi uidetur, & uix propriè teſtacea dici. ¶ Alia undiq; duabus teſtis circunteguntur, ut interioris teſtæ nihil cerni poſ- *Differentiæ. Teſtæ duritas. Contectio.*

sit, δίθυρα uel δίπτυχα uocant: ut Ostrea, Tellinæ, Pectines, Mytuli, Pinnæ, Pernæ, (Chamę, Dactyli.) Biualuibus ualua uel utraq;, uel altera tantùm conuexa est. Aristoteles Biualuium quædam anaptycha cognominat, ut Pectunculos & Mytulos, quæ ab una tantùm parte claudi reserariq; solent: alia utrobiq; similiter claudi scribit, ut Vngues, quos utroq; latere connexos esse scribit: cùm contrà semper altera parte solutos uideas, Rondeletio teste, neq; in eis aut uinculi aut articulationis ullum uestigium. Alia altera tantùm parte testam habent, alteri parti testæ loco est scopuli pars cui hæret, ut Lepas, Auris marina. ἐπιπλάζοντα dicuntur Aristoteli quæ summis petris adhærent: ut prædicta, item Nerites, Aporrhais. Chamæ & Dactyli utrisq; extremis non integuntur, per quæ caput & posteriorem partem exerunt. [*Atqui Chamas ab initio libri de Turbinatis simpliciter undique duabus testis contegi scribit. An Chamas dicemus semper quidem hiare, unde & nomen eis factum: sed aliâs exerere partem aliquam: aliâs nullam, & tunc prorsus clausas apparere? & similiter fortè etiam Dactylos. Hoc illis qui ad maria habitant, discutiendum relinquimus.*] Rursus eorum quę undiq; integuntur, sunt quæ testa continua penitus inclusa sint, ut nulla ex parte carnem detectam habeant: ueluti Holothuria, Tethya, Echini. Alia similiter testa continua inclusa, nulla ex parte conspiciuntur, dempto capite, quod tamē semp operculo tegitur, ut Purpura, Buccina, Cochleæ: deniq; turbinata omnia. Alia testa undique conglobata quidem, non tamen turbinata, nec in gyrum conclusa sunt, quæ rimam habent sine operculo: ut Conchę Venereæ, quæ uulgò Porcellanæ uocantur. ¶ Alia unica Concha constant, ut Lepades: alia duabus, ut Mytuli. ¶ Testarum aliæ læues, ut Vnguium, Mytulorum. aliæ asperæ, ut Purpurarum, Buccinorum, Ostreorum. Harum rursus permagna est in asperitate uarietas. Sunt quædam pectinatim diuisa uel striata. Labris alia tenuibus, alia crassis. ¶ Colore etiā distinguuntur: quod hæc unius coloris sit, ut Mytulorum testa nigra est: aliæ flauæ, aliæ rubræ sunt, aliæ uarijs coloribus depictæ. ¶ Differunt & motione. nam quædam in stabili sede manent: ut pholades, quæq; in saxorum cauis & alijs in locis degunt, ut Ostrea, Pinnæ. Mouentur Purpuræ & Turbinata: & Chamæ læues, quas in gyrum uerti in aqua uidimus. Quædam in uado soluta degunt, alia scopulis affixa sunt. Mobilia modicè, plures partes habent, quàm immobilia: quanquam utraq; paucis constent partibus. Mouentur autē (præcipuè turbinata) parte dextra, non ad clauiculam, sed in aduersum. ¶ Differunt etiam testarum adhæsione. etenim alia uinculis ualidioribus alligantur testis: ut Mytuli, Pinnæ, Vngues. Quæ uerò in turbinatis testis sunt, nullo eis uinculo annexa sunt: sed posterior tantùm pars circa testæ uolumen clauiculatim intorquetur. ¶ Sunt & aliæ (inquit Rondeletius) ferè infinitę ostracodermorum differentiæ, quemadmodum ipsa infinita ferè sunt: quæ ex singulorum historia petendæ sunt. ¶ In Concharum genere (inquit Plinius) magna ludentis naturę est uarietas: tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, læuibus, rugatis, denticulatis, striatis: uertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato: iam distinctione uirgulata, crinita, canaliculatim, (*aliâs cuniculatim,*) pectinatim, imbricatim undata, cancellatim reticulata: in obliquum, in rectum expansa, densata, porrecta, sinuata: breui nodo ligatis, toto latere connexis, ad plausum aptis, (*aliâs apertis,*) ad buccinam recuruis.

Cōcha j. uel ij

Læuitas, asperitas.

Color.

Motio.

Adhæsio.


Cōmunia eis. His quædam in uniuersum communia sunt, ut testa intus æqualis & læuis. operimentum carnis tenue. sensus saporū & odorū. Omnib. etiam in medio aliquid cordis loco habetur, ut et Crustatis, Bellonius. Omnia μήκωνα habent, sed non loco eodem, neq; æqualem, neq; ex æquo manifestum, Rondeletius. ¶ Omne testatorum genus plantis simile est, respectu gradientium animalium. Nullum in eis sexus discrimen, nec exploratum est an ortus eorum per coitum sit: Cochleas tantùm coire perspicuum est. Sed quanquam nullum eorum coitum uel partum uidemus, grauida tamen dicuntur: & uerno tempore autumnoq; ouorum quædam rudimēta habere cernuntur: quo tempore cibis gratiora sunt ac delicatiora. Caro non æquè omnium esculenta est: & excrementum, (quod papauer uocant) quibusdam cibo idoneum, alijs multò minus. ¶ Nautilorū genera duo, quanquam conchis indita, ad Ordinem Mollium retulimus. quòd si quis ad Testata etiam referre uelit, post Pectinem ponat. huic enim Nautili testam similem facit Aristoteles: quam tamen Rondeletius simplicem esse coniicit, non duplicem, quòd eam aqua modò impleat, modò uacuet. Est & Polypi species, in testa cochleæ simili, cui adhæret: Nautilus non adhæret. ¶ Testacea omnia Angli communi uocabulo uocāt Shelfisch, nos Schalfisch proferemus, uel Schellfisch. sed priori nomine uti præstiterit ad uitandam homonymiam: quoniam Aselli quoq; species quędam Schellfisch dicitur inferioribus Germanis à Scaldi fl. Muscheln quidem Germanicum nomen, Mosseln Flandricum, Conchas omne genus significat, sed præcipuè biualues: & uidetur ea uox à Musculis facta, specie una concharum. Cochleas & turbinata, Schnecken appellant, & Kinckhorn. Schal Germanis testam sonat, siue simplicem, siue ex binis ualuis alteram. ¶ Hęc in genere de Testatis: nam de Turbinatis priuatim plura dicemus infrà. Nunc singula, & primum uniualuia, utpote simpliciora in hoc genere, proponamus.

Coitus.


DE CON-

DE CONCHIS VNIVALVIBVS, GRAECI MONOTHYRA uocant: ut ſunt, Lepas, & Auris mar.

Infra A. proximè eſt Echinus paruus.
Iuxta B. Vrtica cinerea.
Iuxta C. Lepas maior adhærens, è regione.
Supra D. Lepas inuerſa.
Supra E. Lepas parua.



Alia Lepadis icon, Venetijs expreſſa.



LEPAS Græcorum (λεπὰς ἡ.) à Gaza conuertitur Patella, à uaſis eſcarij ſimilitudine. Lopas à Plauto dicitur (in Paraſito medico, citante Nonio) niſi locus mendoſus ſit. Diphilus Lepadis ſpecies duas facit, unam minorem, alteram maiorem oſtreis ſimilem. Minor (inquit Rondeletius) è cuius libris picturã utriuſqꝫ exhibuimus, ſemper parua manet: nec unquam ad alterius etiam mediocris magnitudinem accedit. Eſt inſuper Patella fera: de qua mox ſeorſim dicemus. Item Patella rubri maris. Ea (inquit Bellonius) tabellis corneis numero octonis, tranſuerſis, loricę modo contegitur, atqꝫ undecunque cartilagine obſepta eſt: multis ſpinulis horrida, ijs perſimilibus, quæ in Stellis marinis uiſuntur. Seſquidigitum lata, ternos longa. Eſtur cocta, ut Patella uulgaris. ¶ Omnes uniualues ſunt: parte inferiore caro nuda cautibus adhæreſcit, et difficulter auellitur: unde & prouerbium natum eſt, ὥσπερ λεπὰς προσίσχεται, Ariſtophani uſurpatum: Hoc eſt, Lepadis uel Patellæ inſtar adhæret: pro eo quod eſt, tenaciter & omni ſtudio alicui rei deditus eſt, & immoratur aſsiduè.

Patella. Lopas.

Rubri maris Patella.

Prouerbiũ.

GRAECORVM uulgus hodie Petaglida appellat.

ITAL. Veneti parum mutato nomine Pantalena, Rondeletius; uel Petalide, Bellonius. Ligures & Maſsilienſes etiam hac ætate Patellas uocant, Gillius.

HISPANIS Almeia dicitur: Luſitanis Bregigam.

GALL. Lapedo à Maſsilienſibus & à noſtris (circa Monſpelium) uocatur, Rondeletius. Ligures & Maſsilienſes hodieqꝫ Patellas uocãt, Gillius. Maſsilienſes Lepada nominant: Galli apud Deppam, Berdinum, (Normani Berdin & Berlin, Rondeletius;) alibi Oeil de bouc, id eſt, Hirci oculum, Bellonius.

ANGLICE A Lympyne uel a Lempet.


GERMANICE Bocksaug, id eſt, Hirci oculum appellare poterimus. nam & Galli ſua lingua ſic uocant: uel, Einſchale, id eſt, Vniualuem. Ein Muſcheln art/an dem oberen halb teil mit einer ſchalen bedeckt: vnden bloß/an ein felſen gehefft.

AVRIS Marina, (θαλάττιον οὖς,) quæ & λεπὰς ἀγρία (id eſt, Patella fera) ab Ariſtotele dicitur, non ſatis rectè à recentioribus quibuſdam Patella maior uocatur. Quum enim maior dicitur, magnitudine tantùm à minore Lepade iam deſcripta differre intelligitur. at magnitudine ſolùm non differunt, ſed etiam forma. Hoc tantùm utriſqꝫ commune eſt, quòd unica teſta conſtant, carnoſa parte ſaxis affixa, differt etiam excrementi meatu. parte enim ima teſtæ, quà foramen habetur, Ariſtotele teſte, excrementũ egeritur. Falluntur qui Aporrhaidem putant. ea enim Mu-


Patella fera

Aporrhais.

Icon à Rondeletio posita.



Alia eiusdem, ut uidetur, animantis, quam Bellonius dedit: etsi diuersa appareat, cum aliâs, tum quòd foramina plura quinis Rondeletius ostendat, &c.



ricum potiùs generis uidetur, Rondeletius. Nicandri Scholiastes Tethea(τήθη) interpretatur Patellas feras: quæ nos (inquit) ὠτία, Aristoteles autem ὄσρεα. Sed ὄσρεον nomen ad omnia testacea pertinet, & Tethea propriè dicta speciem à Patellis feris diuersam constituunt. Zoophytorum generis Patella hæc uidetur: à quo tamen diuersum Zoophytum, & ab animaliũ natura remotius Marinæ auris nomine Bellonius nuncupat, nulla eius icone expressa; quod an Escharæ Rondeletij cognatum sit, inquirendum. ¶ Testa Auris mar. caua est, argenti uel unionum colore: foris gibba, lineis multis depicta. parte una cochlearum modo clauiculatim contorta, à qua foramina incipiunt, initio parua, quæ deinde magis ac magis augẽtur, Rondeletius. Concha eius aurificum officinas illustres reddit. eam enim pellucidam ac perpolitam in tenues laminas dissecant, ut inde elegantissima uasa incrustent, Bellonius.

GERMANICVM nomen fingatur, Ein wildes Bocksaug/ ein grosse art der Einschalen/. 2c


DE CONCHIS BIVALVIBVS, GRAECI DITHYRA VOCANT: NEMPE Ostreis, priuatim dictis, Musculis & similibus, Tellinis, Chamis, ac similibus Pectinibus & similibus, Conchis diuersis, Pinnis, Vnguibus.


Conchæ nomen commune est ad omnia Malacostraca: contrahi uerò plerunque ad Biualuia solet: quæ omnia ferè à Germanis communi nomine Muscheln *appellantur. Vide infrà in Pectine.*

OSTREA uocãtur ab antiquis ostracoderma omnia, ut iam diximus in mentione eorũ uniuersali: priuatim uerò species una biualuium, quam nunc proponemus.

¶. ico-

A. B. *Caramis.*





A. iconem Rondeletius exhibuit: cui nos adiunximus B. oſtrei Venetijs expreſsi effigiem.

OSTREA (priuatim dicta) Pelagia uel marina (uel ſimpliciter Oſtrea) dicimus, quæ neq; in ſtagnis, neq; in fluuiorum oſtijs, ſed procul ab aquis dulcibus inueniuntur: in Oceano maiora, quàm mediterraneo mari: Indis pedalia, aliquando multa ſimul connexa, & ſu pra ſeſe poſita. teſtæ foris ſordidæ & luto obductæ, cruſtis multis ſiue laminis conſtant, intus læues & albæ. Circa Monſpelium pallida ſunt teſta, alibi colore differunt. Variant coloribus (ait Plinius,) rufa in Hiſpania, fuſca in Illyrico, nigra & carne & teſta Circeis.

GRAECI uulgò ὀσρίδια nominant; Pſellus Oſtridia interprete Valla.

ITAL. Oſtreghe.


GALL. Des Huiſtres, Ouitres, Oeſtres: Ittre alle calle. Maſsilięſibus Hoſties; circa Monſpelium, Peires Oſtres.

HISPAN. Oſtia de la mar.

ANGLI An Oyſter.

GERMANI ad Oceanum, ut Flandri, &c. Een Oeſtre/Oſter.

LIMNOSTREA (λιμνόσρεα) ab Ariſtotele dicta in ſtagnis marinis, & in aquis ex marina dulciq; commiſtis procreantur: atque illic primùm naſcuntur ubi cœnum eſt. Gaza ſimpliciter Oſtrea uel Oſtreas conuertit, cum ſtagnorum Oſtrea dicere debuiſſet. Ineſt in eis humor quidã candidus, quē lac appellat Plinius. Notandũ hoc, Oſtrea marina, teſta quidem longè maiora eſſe ijs, quæ in dulcibus aquis reperiuntur: carne uerò interna, minora.



ITALI, GALLI, alijq; non alijs nimirum nominibus quàm Oſtrea ſimpliciter nuncupant. Athenæus Oſtrea in fluuijs, & ſtagnis, & in mari gigni ſcribit. In Lemano quidem lacu Oſtrea paſsibus ferè ducentis à ripa capiuntur, quæ uulgò Quaras uocant, à Mytulis quantitate & qualitate diuerſa.

GERM. Ein gſchlecht der Oeſtern/ inn den ſehen deß meers/ welche von ſüſſem vnd geſaltznem waſſer vermiſcht ſind: an den ſchalen kleiner/am fleiſch aber gröſſer dann die Meeroeſtern die im lautern meer ſind.

OSTREA quædam in mari prope Monſpelium capiuntur: quæ teſta conſtant pellucida, partibus quibuſdam flaueſcēte, alijs purpuraſcente, foris crinita & criſpa, intus ſplendida, læuiſsima, candidiſsima. Caro ſalſa, amara atq; inſuauis eſt. Hanc Oſtreorum ſpeciem eſſe puto ſimilem ijs, quę tradit Plinius (lib. 23. cap. 6.) gigni in petroſis, carentibusq; aquarum dulcium aduentu. uel potiùs Oſtrea illa ἄγρια, id eſt, ſylueſtria, quæ Athenæus ſcribit eſſe multi alimenti, ſed uirus olentia, & ori ingrata, Rōdeletius.



GALL. Circa Monſpelium Scandebec uocantur, propterea quòd ſapore ſunt acri. ob id delicatorum labra nimiùm calefaciunt et ulcerant. nam Scandebec idem eſt quod roſtrum urēs.

GERMAN. Ein andere art ď Oſtern / die mã zů Mom


pelier nennet Scandebec / von wägen jrer schärpffe vnd rässe/mögend in Teütsch Brenner oder Brennling genent werden.

Gaidaropoda à Bellonio exhibita.



SPHONDYLI uel Spondyli ex Ostreorum genere sunt illa, quæ hodie à Græcis uulgò Gaideropa, seu potiùs Gaideropoda uocãtur, hoc est, Asini pedes: (aut etiam Acynopoda, ut Bellonius scribit:) ob magnam similitudinem quam cũ Asini ungula habent. Gaidaron enim hodie Asinũ uocant. Athenæus Trachelos ab asperitate, mea quidẽ sententia (inquit Rõdeletius) appellauit. Plinius Spondylum in catalogo piscium nominat duntaxat. Videtur autem hoc nomen factum huic ostreorum generi, quòd firmior in eo (inquit Rondeletius) & magis exquisita testarum articulatio, quàm in ullo alio ostracodermorum genere appareat, uertebrarum spinæ modo firmissimè articulata. Vertebras autem Græci Spondylos dicunt. Galeni interpres pro Spondylis ostreis, Vertebras conuertit. nos Plinij & Macrobij exemplo Græcum nomen potiùs retinebimus. ¶ Saxis adnascitur Sphondylus, (rarus & minor in in Gallico mari,) quibus ita hæret, ut non nisi malleo, aut fracta

Alia eiusdem icon è Rondeletij libris.



saxi parte auellatur. Testa duplici constat, intus caua & leui, foris scabra, &c.

GERM. dici potest Eselshüb, ab ungulę asininæ similitudine; uel Steinoestren, id est, Ostreum saxatile, quòd saxis hæreat.



MVSCVLVS simpliciter, uel minor: Plinio Myia, (id est, Musca) aliâs Mysca uel Myscus, ut Rondelet. annotat. Vniones reperiri solebant in Conchis quas myas appellant, Plinius 9. 35. Aliqui Myias cum yi diphthongo scribunt, & Muscas interpretantur, quod equidẽ non probârim: quoniam ea uox Græca est, & Græcorum nemo sic usurpauit. Athenæus enim Myas de paruis musculis fœminino quidẽ genere extulit, sed sine diphthongo, inflexione tertia, quare & Myiscam proferentibus non assenserim. Μῦες an dicti παρὰ τὸ μύειν; συμφυὲς δὲ μῦς: μονοφυὲς δὲ σωλὼ, Atheneus ex Aristotele: an quòd muris quadrupede instar quodammodo hirsuti sint? Aristoteles historiæ 5. 15. Cancros colore albido plurimos in Mytulis foliatis innasci scribit, sic enim Gaza conuertit, ubi Græcè legitur, ἐν τοῖς μυσὶ τοῖς πυελώδεσι. à figura nimirum, non quidem folij seu labri, cuius fundum æquale & planum est; sed aliorum uasorũ quæ inæquale fundum & in medio profundius habent, oblongiore figura: ut μύες πυελώδεις maiores potiùs Musculi quàm minores sint, &c. ¶ Græci hodie Midia uocant, Rondeletius; melius Mydia, Gillius Musculos & Cuniculos Venetijs dictos, à Græcis hodie Mydia nominari tradit.

ITAL. Musculos paruos & rotundos Veneti Conchole uocant, Rondeletius. Videtur & Cuniculi nomen Italicum & Gozonelli, à Conchula fortè detortum.


GALLI Moules. nostri (*circa Monspelium*) Mousches de mar.

GERM. F. Mießmuscheln oder Harmuscheln: kleine runde schwartze Müschele.

MYTVLVS,

Bellonius huic perſimilem ſuum Mytulum pingit, cum Cancello intrà ualuas apparente: cum nomina & reliquam deſcriptionem, Mytulo minori conuenientia, ponat.

MYTVLVS, ſeu Muſculus maior, Myax Dioſcoridis, à Rondeletio exhibitus.



ITAL. Cum Græcis hominibus eos, quos uulgò Veneti uocant Muſculos & Cuniculos, oſtenderē, dixerunt eſſe Mydía, hoc eſt, Muſculos, Gillius. Conchas illas quas Rhomboides Rondeletius cognominat, Veneti Muſſoli nominant: hoc eſt, Muſculos aut Mytulos ſunt enim his ſatis ſimiles, teſte Bellonio. Mutilum Aggregator uulgò Venetijs ait Gozonello dici: quod nomen idem forſitan fuerit cũ Gillij Cuniculo concha. Mexilam LVSITANI uocant.

GALL. Mytulos noſtri (*circa Monſpeliũ*) Muſcles uocant, & Conſalmes de mar, ad differentiam fluuiatilium uel paluſtrium Mytulorum, quibus figura tantùm ſimiles ſunt, Rondeletius.

GERMANICVM nomen Muſcheln, à Muſculo Latinorum factum uideri poteſt: ſed ad cõchas biualues omnes extenditur. quamobrem circumloquemur, ita ut Mytilum ſiue Muſculum maiorem nominemus Kleine ſchwartze Muſcheln. minorem uerò Mieſzmuſcheln/ Haarmuſcheln/ à muſco. quoniam, ut ſcribit Rondeletius, teſta eorum ferè ſemper uel muſco uel lanugine obducitur.

ANGLI Muſcle non communiter ut nos Concham omnem biualuem, ſed propriè & peculiariter paruam hanc nigricantem appellant; & Germani etiam Oceani accolæ Möſcheln/ ut audio, priuatim uocant Muſculos.






GENERA Concharum duo, quas Veneti uulgò Muſculos nominant. alterum muſco prorſus hirſutum eſt. Ea Venetijs mihi olim depicta ſunt: & forſan rotundiora pingi debuerant. Maſſarius Myas, interpretatur Mytulos: quos nunc (inquit) Muſculos appellant. Huic proximum genus eſt, quas Myias (hoc eſt, Muſcas) uocant. differunt à Mytulo rotunditate, minores aliquanto atq; hirtæ, tenuioribus teſtis.

GERM. Zwey andere gemäl der Meermuſcheln/ welcher das ein gar voll mieß iſt.

CONCHA Rhomboides, uel Muſculus ſtriatus Rondeletij. Hanc (inquit) falsò quidam Balanum uocant: (*Bellonium notat.*) nam nihil ſimilitudinis cũ quernis glandibus habet: neq; in ſaxorum rimis naſcitur, &c. Opinionem etiam eorum qui Spondylum appellant, ſatis ipſe teſtarum cõnexus refellit. Nullũ equidem apud ueteres nomen eius reperi: quare Muſculum ſtriatum rectè dici poſſe puto, quòd teſta ſit Muſculorum marinorum teſtæ ſimili, &c. Concha tota nigricat, rara eſt, & in alto mari degit.



Balanus non eſt.

Neq; Spõdylus.


GRAECI uulgò Calagnone uocant.

ITAL. Veneti Muſſolo, quaſi Mytulum: cui ſatis ſimilis eſt.

GALL. Apud noſtros (circa Monſpelium) nomine caret.

GERMANICE circumſcribere licebit: Ein langlechte Streim‸muſchel/ ſchwartz: ligt im̃ tieffen meer.

EIVSDEM cum ſuperiore generis hanc quoq; Concham eſſe putat, Venetijs depictam.



GERM. Ein andere Muſcheln art/ der nächſt obgeſetzten änlich.



PHOLADES Conchæ, φωλάδες Athenæo, apud Hesychiũ φωλαΐδες. Vidi huiusmodi Conchas (inquit Rondeletius) in portu Veneris. Missum est ad me alio ex litore saxum, cuius partem hîc expresi, in quo nullæ rimæ, nullæ cauernæ, sed foramina tantùm apparebant tam exigua ut uix acum admitterent. Eo igitur ictibus multis confracto, cauitates internæ multæ erant, uario situ & diuersę magnitudinis: in quibus Conchas istas reperi, quas cum saxo depictas exhibeo, quarum figuram diutius contemplatus, antiquorum Balanos non esse iudico, sed Pholades. quadrat enim primùm nominis ratio. nam ut φωλάδες dicuntur feræ, quæ in lustris degunt, ἀπὸ τοῦ φωλεύειν, quod latêre significat: ita nihil in marinis rebus reperias, quod penitus in saxo lateat, sicuti Conchæ quas proponimus. Deinde notæ Athenæi (qui solus opinor earum meminit) his proprię sunt. nam uirus olent, & mali succi sunt. Hæc ille. Et alibi de alio quodam genere Conchæ scribens: Conchula (inquit) uaria quædam reperitur frequens, haud procul à Narbone, tota luto obsita, uocaturq́ illis Pholado, quasi φωλάδα dicas. nam Conchæ istæ in luto latentes degunt, sæpius ad pedem unum depressæ, &c. Earum iconem dabimus infrà post Chamas. Bellonius Pholades Patellis congeneres esse putat, nescio qua ratione.

Balani.

GERMANICE Conchas illas quæ in saxis latitant hîc depictæ, **Steinmuscheln** appellabimus: quæ uerò in luto, inferiùs exhibendas, **Mürmuscheln.**

DE TELLINIS IN GENERE.


TELLINAE, τελλῖναι, nomen Græcum retinuerunt Latini. Athenęus tamen à Romanis sua ætate Tellinam, μύτλον uocatam fuisse scripsit, quo Loco Hermolaus μύτιλον legendum putat, ut Mytilus & Tellina idem sint, Rondeletius. Atqui Hermolaus: Qui Tellinas (inquit) interpretãtur in Martiali poëta Mitulos, impropriè locutos arbitror: cũ aliud genus esse Mitulos, aliud Tellinas, Dioscoridis authoritate constet. ¶ Aristophanes grammaticus Tellinas dicit Patellis similes esse, eisdemq́ pueros pro cornibus (uide in Tellina altera) uti solitos fuisse: à quibus longè diuersæ Sole clariùs uidentur eæ, quæ uulgò Tellinæ nuncupãtur, Gillius. Ego Rondeletij & Bellonij sententiæ subscribo, qui Tellinas faciunt, quas & Galli Narbonenses & Romani etiamnum sic uocant. ¶ Tellinæ alio nomine Xiphydria, ξιφύδρια, (aliâs Sciphydria, σκιφύδρια) dicuntur apud Oribasium, nescio quã ob causam. ¶ Sunt qui Tellinas et Crenia, id est, Pectunculos, idem esse iudicent, à celeritate crescendi nominatas: ὅτι τάχιστα γίνονται τέλειαι, hoc est, ocyssimè perficiuntur: quod Aristoteles tam Pectunculis quàm Purpuris tribuit commune. anno enim magnitudinem totã implent. Plinius certè medicinas, quę à Dioscoride de Tellinis redduntur, ad uerbum ferè Pectunculis (*quos à Pectinibus distinguit*) adscripsit, Hermolaus. Obseruauit hæc eadem Massarius: & Hippocratem quoque Tellinas à Pectunculis distinguere addit.

μύτλος. *Xiphydria.* *Sciphydria.* *Pectunculi.*

¶ Tellinarum genera duo Diphilus facit. Tellinæ (inquit) in Canopico ostio & sub Nili inundationem, abundant: quarum quæ tenuiores sunt, regiæ (βασιλικαὶ) uocatæ, aluum cient, uentriculo graues non sunt, præterea bene nutriunt: fluuiatiles autem dulciores sunt. Nos (inquit Rondeletius) in Agathensi sinu differentias duas inuenimus: unam earum quæ minores sunt: alteram earum quæ maiores, & rufi coloris.

Genera duo. *Basilicæ.* *Fluuiatiles.*

GERM. **Ein gar kleine art der Muscheln/mit zwo schalen bedeckt: die sind ein anderen gleych/glatt/starck/zimlich dick/ringßweyß mit zänlinen/darumb sy fast wol beschliessend. mögend Tellmuscheln genañt werden.**



TELLINARUM prima siue minor species Rondeletio, duplici constat testa, utrâq; simili, læui, ualida & satis spissa, in ambitu serrata; qua de causa ad unguem coniunctæ sunt. ¶ Concharum omniũ minima hæc est: & à Romanis Tellina regia uocatur, Bellonius. hinc Basilica Diphili uideri posset: Vide mox in secũda specie,

Basilica.

ſpecie. ¶ Romæ circunferuntur puſillæ quædam Conchulæ, quas qui uendunt Tellinas prædicant. Hæ uulgaribus Conchis minores & læuiores ſunt, & candidæ, nec ſtriatæ, Hermolaus. In arena uiuunt: & niſi priuſquam coquantur diutius in aqua agitentur, ut arenulæ excidāt, ueſcentibus moleſtæ ſunt, Rondeletius.

GRAECI hodie, ut Lesbi incolæ, Chinades uocant, Bellonius.

ITAL. Tellina Venetis, Romanis Tellina regia dicitur: Anconitanis Calcinello, idq́ ad diſcrimen alterius Conchæ, quæ ab ijs Chalcene appellatur, Bellonius. Veneti piſcatores à capparis ſimilitudine Capparoculas (*ſiue Capparolas, Rondelet.*) appellant, Hermolaus.

GALL. Noſtri, ut Romani, Tellinas uocant, Rondeletius. Galli (Normani, Rondeletius) Flion, Bellonius.

GERM. Das erſt vnd kleiner geſchlecht der Tellmuſcheln/ ꝛc. Sůch nächſt hinderſich.

TELLINARVM genus alterum (inquit Rondeletius) in litore Agathenſi ad oſtium Eraris fluminis inueni, ſuperiori ſimile, niſi quòd teſta ſit maiore, tenuiore, minusq́ ſpiſſa, & ex rubro flaueſcente: parte qua teſtæ colligantur in acutiorem angulum deſinente. Hanc Tellinam eſſe puto, quam Βασιλικὼ, id eſt, regiam appellat Diphilus: uel fluuiatilem, quia nō niſi in fluminis oſtio reperi, Rondeletius. Atqui Diphilus, cuius uerba recitauimus, marinas & tenuiores, Baſilicas nominat. Forſan autem regiæ dictæ fuerint, nō ut alia quædam à magnitudine in ſuo genere: ſed quia guſtui gratæ ſint, & mirum in modum expetantur, Bellonio teſte qui Tellinæ regiæ nomen Romæ etiamnum in uſu eſſe ſcribit. ¶ Quemadmodū Athenæus ſcribit pueros Lepadibus & Tellinis in os ſumptis ludere, tubæ ſonum imitantes: ita etiam hodie noſtri Tellinæ teſta altera dentibus admota, diductis labris ſonos eoſdem edunt, Rondeletius.

GERM. F. Die ander art der Tellmuſcheln: hat ein tünnere vnd gälroote ſchalen/ ꝛc.

TELLINAM Tertij generis eā meritò eſſe dicemus, quæ figurâ ſuperioribus Tellinis tam ſimilis eſt, ut inter Tellinas numerandam eſſe, nemo negare poſsit. his tantùm differt: Colore eſt candido, teſta perſpicua & pellucida, ex additamentis multis conflata, intus læuiſsima. Tenuis eſt admodum, & ambitu magis rotundato.

GERM. F. Das drit gſchlecht ď Tellmuſcheln/ weyß vnd durchſcheynend/ tūn vnd etwas ründer vm̄ſich.

A. B.





Has Concharum icones Venetijs accepi, quas puto Tellinarum generis eſſe: & magis quidē illam quæ A. literæ ſubijcitur: quamuis eam aliqui pro Conchæ peloridis ſpecie accipiant. Alterā, ſub litera B. Veneti Peuerazam à pipere cognominant.

GERM. Mich beduncket das auch diſe zwo figurē zů den obgenañten Tellm̄uſcheln dienend/ ſunderlich die vnder dem bůchſtabē A. Die ander neñet man zů Venedig Peueraza/ das iſt/ Pfeffermüſchele.

CHAME uel Chama læuis. Χήμη λεία.

Similis hæc eſt (inquit Rondeletius) Conchis læuibus, quæ galades dicuntur: ſed fragilior eſt, cum uel digitorum compreſſu facilè frangatur, quod Conchis & Pectinibus non euenit. Intus & foris candidiſsima eſt.



Chamæ omnes nominatæ ſunt ἀπὸ τοῦ κεχηνέναι, id eſt, ab hiando: unde Gaza hiatulas conuertit: ſed quoniam eodem nomine Channas etiā piſces interpretantur, pręſtiterit retinere Græcum.

Chamas eaſdem eſſe cum læuibus Conchis, quæ Galades dicuntur, falſum eſt. nam Ariſtoteles Chamas à Conchis diuerſas ſentit, Rondeletius. At Ariſtotelem aliquis dixerit Conchas à Chamis diſtinxiſſe quidem, ſed ſpecie potius quàm genere: & nihil


prohibere idem nomen tum generi toti, tum speciei sub eo uni attribui: ut inualidum hoc Rondeletij argumentum sit. ¶ Conchas rotundiores esse Chamis solere, neq; hiare, Rondeletius scribit.

ITALI quidam Caparozas uel Caparozolas uocant, Bellonius. Vide inferiùs in Conchula rugata. ¶ In Chamis nominandis (inquit idem) uulgus Gallicum cum Italico conuenit. Siquidem nostri, maiores Chamas, des Flammes: minores uerò, des Flammettes nominant: quòd cum iure incoctę, nō secus ac piper fauces & os inflammare soleant. Italicum uulgus maiores Chamas, Peuerazas, quasi Piperatas, nominat: minores uerò, Peueronos, quòd piper haud tantopere redoleant. (*Rondeletius Conchulas rugatas suas, à Venetis Piueronos dici scribit.*) Sic ille. Et rursus: Chamam piperatam (maiorem) Veneti Beueraza uel Peueraza uocant: Anconitani uerò & Rauennates Chalena uel Chalcena, nomine à Chamula detorto: (*Vide ne potiùs à calce, ut & Calcinella Venetijs.*) Palustris est, & in cœno degit. Minores Biueroni dicuntur: uel quòd ob piperis saporem sitim excitent: uel quòd perpetuò bibant, neq; diu sine aqua seruari possint: atq; in forum allatæ, & aquæ immersæ, geminam atq; oblongam exerant ligulam, ut Cochleæ modo perpetuò sitientes moueri percipiantur. Supra modum fragiles habent testas (*Piperatæ maiores scilicet: nam minores, Pelorides nuncupat: Rondeletius Conchulas rugatas:*) læues ac compressas, non ut aliæ cōchæ orbiculares: tenues adeò, ut transpareant, &c. Has quidem è genere læuium esse scribit: mox autem priuatim de Chama læui agit, eamq; ab Italis Caparozola uocari ait, ut suprà scripsi.

GALL. Flamme: & minor Flammette. Vide proximè in Italicis nominibus.

GERMANICE, F. Pfeffermuscheln/Ghinmuscheln, à uerbo Ghinen quod hiare significat, χαίνειν Græcis. Flammuscheln.

ANGLI, ut audio, Chamam uocant a Clamme. quod nomen uel à Chama ductum uideri potest: uel potiùs à Gallico Flamme.




CHAMA Peloris Rondeletij, Χήμη πελωρὶς. Pelorides apud Athenæum alicubi nominantur, ueluti genus proprium à Chamis diuersum, & maius, παρὰ τὸ πελώριον, hoc est, ab ipsa magnitudine dictum. idem alibi Pelorias crassarum speciem facit, quas et regias seu basilicas appellat, à magnitudine nimirum. Pelorides quidem non à magnitudine, (ut Grammatici putant, licet Chamis maiores sint) sed à Peloro Sicilię promontorio, ubi optimè proueniant, dictas esse, Archestratus, Pollux & Clemens theologus referunt. Pelorides simpliciter, an Chamas Conchásue Pelorides dicas, parū refert. Pelorias dici non probo. Pelorinas apud Pollucem legimus. Conchæ (inquit) præstant Pelorinæ, unde fortè nomen adeptæ sunt quæ nunc Pelorides uocantur. Quòd si à luto denominatæ essent, ut quidam nuper conijciebat: primā per η. scribi oporteret. Aristoteles author est Conchas, Chamas, Pectines, Vngues, locis arenosis prouenire, non cœnosis.

ITALICVM nomē nō inuenio: ut neq; Gallicū: nisi Conchas Chamásue piperatas maiores, quas Itali uulgò Beuerazas nominant, Galli Flammas, (de quibus plura protulimus in Chama lęui,) Pelorides esse dicamus. Minores enim, quæ uulgò Biueroni dicūtur Italis, Gallis autē Flammettes, Pelorides, (quæ Chamis cæteris maiores prædicantur,) esse nequeunt.

GALLICE. Flammes forsitan. Lege in Italico nomine. Santones (inquit Rondeletius) Conchę strictę & nō hiātis speciē, Palourde: quę uox à Peloride deducta esse uideri potest. sed ea Chama Peloris non est, cū magna non sit, neq; hiet. Sic ille: qui hanc Conchulam rugatam uocauit. Alia est etiā Pelourde à Gallis ad mare mediterraneum dicta, Rondeletio Conchula uaria.

GERM. F. Grosse Flammen/Grosse Chlamuscheln oder Ghinmuscheln.



CHAME


CHAME Glycymeris Rondeletij. γλυκυμερὶς, etſi apud Græcum authorem legere nõ me minerim. Plinius Chamas glycymeridas nominans, addit maiores eſſe quàm Pelorides: tanquam his alioqui cognatæ ſint. Macrobius etiam Pelorides & Glycymerides ſeparatim nominat. Videtur autem Rondeletio Glycymeris dicta à dulcedine, quòd ſapore ſit dulci minusq́; ſalſo quàm reliquæ. Eandem ab Athenæo Peloridem maiorem uocari, putat idem Rondeletius. Teſta (inquit) ei oblonga, Mytulorum fluuiatilium modo, ſed durior & ſpiſsior, rugoſa, non tamen ob id aſpera, ex albo ruſeſcens. ¶ Bellonius Chamam nigram, Glycymeridem facit, Rondeletius eum Concham nigram pro Chama nigra poſuiſſe ait.

GERM. F. Vrklamē. Clamē enim Anglis Chama aut Peloris eſt. Glycymeris uerò inter Chamas maxima.




CHAMA aſpera. Χήμη τραχεῖα. Aſpera à teſtarum externa parte dicta eſt, ob lineas trãſuerſas, obliquas, multas, cauas, eámq́; ob cauſam muſco ſæpe oppletas, Rondeletius. ¶ Chama trachea ualuas eodem modo (inquit Bellonius) quo leuis, tornatas habet: eſtq́; rotunditate penè orbiculari conſtructa. teſta ei aſpera, & Pectinis modo ſtriata eſt. ſed Pecten rectas habet ſtrias: illa uerò tranſuerſas, crebras & profundas. Dura adeò teſta eſt, ut non niſi ualido ictu perfringatur, cum læuium ferè omnium debili digitorum compreſſu aperiri poſsit. Labra in gyrum, Mytulorum more, læuia habet.

GERM. F. Ein rauch geſchlecht der Gimmuſcheln oder Clammen. die übrigen all habend glatte ſchalen.




CHAMA nigra Rondeletio. Aelianus (inquit) Chamas marinas uarias eſſe tradit. nam quædam ipſarũ (inquit) nigerrimæ ſunt: nonnullæ argentei coloris. aliæ utroq; colore mixto inſignes. ¶ Quidã non rectè Concham nigrã, pro Chama nigra exhibuit.

GERM. F. Ein ſchwartze Gimmuſchel oder Klamē.



CONCHA Longa Rondeletij. Duabus magnis (inquit) & longis conſtat teſtis: Chamæ glycymeridi ſimilis eſt, ſed teſtæ multò ſpiſsiores, magis rugatæ, colore uario, in ambitu rubeſcente, in medio albeſcente, intus candido cum læuitate. Calx ex ea conficitur. item è cinere dentifricia optima.

GERM. F. Ein Langmuſcheln.



CONCHA altera longa Rondeletij.

Sunt qui hanc Concham eandem faciant cum Dactylo (id eſt, Digito, uel Aulo, Solene, Donace,) cum Plinius lib. 32. cap. 9. diuerſis locis de his loquatur, ut de diuerſis rebus. Nos hãc Concham longam Plinij eſſe affirmamus, quòd nulla ſit hac longior & ſtrictior, Rondeletius. *Dactylus.*

GALL. Cullier.

GERM. F. Ein andere Langmuſcheln/ lenger vnd ſchmäler dañ kein andere. ein Löffelmuſchel.




CONCHVLA uaria Rondeletij. Ad fauces Malgurianas (inquit) capitur frequenter Concha parua, teſtis ſpiſsis & depreſſis: quæ lineolis multis & admodum uarijs diſtinctę ſunt: Chamę aſperæ non ualde diſsimilis, ſed minùs aſpera. Vocant uulgò noſtri (GALLI *circa Monſpelium*) Pelorde: (*Hoc nomen etiam Conchulæ rugatæ Rondeletij Bellonius tribuit:*) quæ uox etſi Peloridi affinis ſit, tamen longè alia eſt Concha à Chame Peloride: dictamq́ puto à noſtris à luto & ſordibus, quas lordes appellant. Reperitur eadem frequens haud procul à Narbone, tota luto obſita, uocaturq́ illic Pholado, quaſi φωλάδα dicas, quæ appellatio aptè cōuenit. nã Conchę iſtæ in luto latentes degunt, ſæpius ad pedem unum depreſſæ. Quamobrem Pholades Athenæi eſſe putauerim. Quòd ſi cui hæc ſententia non probetur, easq́ tantùm Pholades eſſe uelit, quæ in ſaxorum cauernulis, non in luto lateant, non ualde repugno.

Peloris. *Pholas.*

GALL. Pelorde, Pholado: ut iam expoſitum eſt.

GERM. F. Ein Kaatmuſcheln/ Mürmuſchele. ligt vnder dem kaat oder mür: darauß man ſy grabet: mag daruon ein Grebling genēnt werden.

Pectinis Concha quam priùs expreſſam habebamus: à Rondeletio quidem exhibita, accuratior elegantiorq́ eſt.



Pectūculus. PECTEN. Qui à Græcis κτεὶς uocatur, à Gaza modò Pecten, modò Pectunculus conuertitur. Sed Pectunculi à Pectinibus differunt: et Plinius manifeſtè diſiungens, uidetur Pectunculos pro Tellinis uſurpaſſe. Ex Athenæo liquet Pectinem duabus conſtare conchis ſtriatis, & utraque parte auritum eſſe: id quod non huic tantùm ſpeciei, ſed alteri etiam conuenit. Pectinũ genus ſtriatum, id eſt, pectinatim diuiſum, à rugis illis ſiue imbricaturis, nuncupatur, Gillius. Magno in errore uerſatur Albertus & recentiores, qui Pectines pro Paſſeribus (id eſt, planis piſcibus illis quos uulgus noſtrum Plateſſas nuncupat) accipiunt. Pectinis teſtæ non ſemper eiuſdem ſunt coloris. quædam enim rubeſcunt, quædam albicant, aliæ nigricant, Rondeletius. hinc ſucci etiam ſaporisq́ differentiæ habentur.

Colores.

ITAL. Cape ſante.


GALLICE Circa Monſpelium Larges Coquilles uocantur: alibi Coquilles de ſaint Iacques, Rondeletius. Pectinum generis quidam arbitrantur eas eſſe, quas uulgò appellãt Conchas S. Iacobi: ſed aliæ Oceani littoribus Gallicis cognitæ habentur, Gillius. Author Pandectarũ medicinalium, Venereas interpretatur Cochleas quæ afferuntur à S. Iacobo. uerùm hæ Porcellanæ ſunt, &c.

Venereæ.

GERM. ANGL. Germani Conchas biualues omnes generali uocabulo uocant Muſcheln/ Moſcheln: Pectines uerò priuatim diui Iacobi Conchas, Jacobs muſcheln. Angli uerò Muskels peculiariter nominant Conchulas illas, quas Bellonius Mytulos: Pectinem autem a Scalop. Eoſdem audio Pectinum genus quoddam aculeatum appellare a Fryll: & ſimiliter è Cancrorum genere Maiam, teſta aculeata. ¶ Pectinum in Anglia (inquit Turnerus) ſumma genera duo habemus: quorum maius uocatur a Scallop. minus uerò nominatur prope Portlandiam a Cock, à forma gallinacei capitis quam piſcis apertus exhibet. Sub hoc genere continetur Pectunculus ille per omnia littora frequens, Cockle, id eſt, gallulus per totam Angliam dictus. Concha quam pro Pectunculo Bellonius oſtendit, non per omnia Pectunculi nomen meretur

quod

quod ſtrigiles & ſtrias non rectas Pectinis more, ſed tranſuerſas habeat. A pectunculorum tamen generibus non omnino ſeparo.



PECTEN alter: quem cum ſuperiore eundem planè eſſe, facilè exiſtimabit is, qui non diligentiùs circumſpexerit: ſed reuera differt. nam latiores & ampliores aures habet: eſtq; toto corpore longiore ſtrictioreq; quàm ſuperior. Præterea hic teſtam utranq;, Pectunculorum Burdegalenſiũ modo, cõcauam habet: ſuperior alteram duntaxat concauam, alteram planam. hic ſtrias ſimplices, prior ſingulas ternis aut quaternis lineis à ſummo ad imum ductis ornatas, Rondeletius.

ITAL. Romiam uocant, quòd qui è Compoſtella redeunt (quos etiam Romious lingua noſtra uocamus) Pectines huiuſmodi multos pileis affixos geſtant, Rondeletius.


GERM. Ein ander geſchlecht der Jacobs muſcheln.

ANGLICE A Cok. lege ſuperiùs in Pectine primo.

Nomina quidem eadem Bellonius Pectunculo ſuo attribuit, quæ Rõdeletius ſuo, ſed picturæ ſunt diuerſæ: Rondeletij ab una parte aurita, Pectini ſimilior. Bellonij, neutra: capite teſtæ ita ferè ſe colligẽte, ut in Tellinis & Chamis. Eam omiſimus.



Alia Pectunculi icon, ſiue eiuſdem, ſiue cognatæ ſpeciei, quam unde ſim nactus, non ſatis memini.




PECTVNCVLI rectè dici poſſe mihi uidẽtur Pectines exigui, qui in ſinu Aquitanico & in Normania frequenter capiuntur. Hi Concham ſtriatam habent, utrãq; cauam, aculeis aliquot paruis armatam. altera duntaxat parte auriti ſunt, aliquando dextra, aliquando ſiniſtra. Horum alij candidi ſunt, alij rubeſcunt, Rondeletius. ¶ Trallianus Κτένια diminutiuo nomine appellans, ipſos ſimpliciter Ctenas, id eſt, Pectines intelligere uidetur. ¶ Contra eos qui Pectunculos cum Tellinis confundunt, dictum eſt ſuprà in Tellinis.

ITAL. Romæ Gongole, quaſi Conchulæ uocantur. ſunt enim ſemper parui, præſertim in Mediterraneo mari, in Aquitanico litore maiores, Rondeletius.

GALL. Vulgò Petoncles uocantur, in Normania Hannons, Rondeletius. Pariſienſes & Rothomagenſes Petoncles uel Hannons appellant, Bellonius. Aliqui Coquilles de ſaint Iacques, (ſicut & Pectines ſimpliciter,) Rondeletius.


ANGLICE Cochle, Bellonius. Meliùs Cockle, id eſt, Gallulus. lege ſuprà in Pectine primo.

GERMANICE nominemus licet, Kleine Jacobs muſchel/oder S. Michels muſchel.



CONCHA Corallina à Rondeletio cognominata. Conchæ pictorum (inquit) ſimilis hæc eſt colore. rubra enim eſt, corallũ planè imitata, unde Corallinam nominauimus. at figura pectinem refert, niſi quòd ſtriata non eſt, &c.

GERM. F. Ein roote Muſchel oder Corallmuſchel.



CONCHA uulgò Mater unionum dicta. Pulcherrima Concha & margaritifera (inquit Rõdeletius) lingua Indica Berberi dicta fuit. à Gallis Nacre de perles, pro Matre perlarũ: (nos enim Perlas uocamus, quas Græci Margaritas, Latini Vniones:) quòd frequentiores & meliores uniones in his, quã in alijs Conchis uel Oſtreis inueniantur. Figura Pectines æmulatur. ¶ Vide quædam annotata inferiùs cum Concha Echinata.

Indorum gentes de Hercule affirmant, (inquit Arrianus in libro de rebus Indicis) quòd cum mare & terram undiq; peragrasset, in mari inuenerit Cinædum (Κίναιδον. *Facius interpres Margaritam uertit: sed Indi fortè Margaritam, Cinædum uocant, ut ex sequentibus colligimus*) ornatum muliebrem, margaritam scilicet è mari, quam Indorũ lingua sic nominat, &c. Et nihil sanè prohibet, Concham quidem Berberi ab Indis uocari, unionem uerò Cinædum ab iisdem. — *Cinædus.*

GALL. Nacre de perles, ut dictum est.


GERMAN. Ein Perlemůter/Perlemuschel.

MARGARITA quanquam in Conchis diuersis reperiatur, hoc potissimùm loco mentionem eius faciendam existimaui, quòd in proximè exhibita Concha frequentiores melioresq; gigni soleant. Margarita igitur alia partus est suæ Conchæ, iuxta Plinium, alia abortus. sed hoc Rondeletius refutat: & neque ossiculum, neque partem aliquam Conchæ, uel quasi nucleum, uel excrementum, uel morbum, Margaritam esse docet: sed in ostrei (margaritiferi) carne Vnionem ita gigni, ut in Suibus grandinem, in renibus calculum. ¶ Pro figura & aliis differentiis, nomina diuersa sortitur: ut sunt, Tympanum, Elenchus, Crocalium, Physema. Margarita à Græcis & Barbaris appellatur, μαργαρίτης ὁ. μάργαρος uel μάργαρον. ἡ μαργαρίτις λίθος. A Latinis plerunq; Margarita fœminino genere profertur, rarò Margaritum neutro. Comprehenditur & lapilli nomine, & lapillus quandoq; per excellentiam uocatur. Item unio Latinis: non quòd in unica tantùm concha, uel nunquam duo simul reperiantur, (falsa enim hæc sunt:) sed quòd nulli duo indiscreti, qui non inuicẽ differant, magnitudine, figura, orbe, læuore, pondere, candore: aut fortè quòd nunquam concreti cohæreant. Inueniuntur autem in Conchis tantùm: & falluntur Aegyptii, qui Orbem piscem rore concepto uniones parere aiunt. Ex conchis quidem uado infixis, Pinna solùm margaritifera est: ex cæteris diuersæ, biualues præsertim: Vt sunt, Concha rugata, Concha echinata: Concha Berberi dicta Indicè, Pectini altera aure similis, Concha similis ostreæ: & alia Pinnæ similis, alia Strombo: Mys seu Mitulus tum in mari, tũ alicubi in dulcibus aquis: Cochlea quidem quædam margaritifera uulgò dicta est ab unionum colore, nõ quòd eos ferat. nec scio an ulla non biualuium ferat: quanquam in Muricis genere quodam ad Orientem gigni audiui. ¶ Vnio Indica lingua Cinædus dicitur apud Arrianum: in Paria & Curiana regionibus Noui orbis Tenóras. ¶ Conchas Margaritiferas aiunt noctu litora appetere, & ex cœlesti rore margaritam concipere, unde & Eceolæ nominentur, Isidorus. uidetur autem fictum hoc nomen quasi è cœlo à sua concha concipiantur. apud alium quidem scriptorem hactenus nullum id reperi. — *Quid sit. / Figura, &c. / Lapillus. / Vnio. / In quib. Conchis gignatur / Cinædus. / Eceola.*

GRAECIS hodie Μαργαριτάρι.

ITAL. Perla uel Perna.

GALLIS, GERMANIS ET ANGLIS Perle. Concham ipsam Margaritiferam, si de genere biualuium sit, Germanicè uocabimus Perlemuschel: sin Cochlearum generis, Perleschneck: qualis est Cochlea margaritifera uulgò dicta: quam tamen uniones ferre Rondeletius negat, in biualuibus tantùm gigni asserens, Aelianus uerò in India Margaritiferas Conchas magnis Strombis similes faci.



CONCHA Imbricata Rondeletii. Concha (inquit) hæc est distinctione testæ imbricatim undata, ut loquitur Plinius, ad undarum sese attollentium similitudinem, ita ut distinctiones aliæ aliis insideant imbricum modo. A Græcorũ uulgo Aganon uocari audio, & à Caloieris Arabiæ (id est Cœnobitis qui illic sunt) Tridacna, (*ut annotauit Bellonius.*) Verum Tridacna, quorum meminit Plinius, esse non possunt. Sic enim ille quum de ostreis loquitur: In Indico mari Alexandri rerum authores pedalia inueniri prodiderunt. Nec non inter nos nepotis cuiusdã nomenclator Tridacna appellauit: tantæ amplitudinis intelligi cupiens, ut ter mordenda essent. Hæc Rondeletius, tanquam Plinius Tridacna Indica ostrea esse dixerit: quod non dixit: sed ita de Tridacnis tan=

nis tanquam de altero genere quod in Italia etiam reperiatur, loquutus eſt. quoniam, inter nos, inquit, &c.

GERM. Ein groſſe art der Oſtern oder Muſcheln im meer/ ſunderlich im Rooten meer: da ſy die münchen Tridacna nennend/ das iſt Trymümpfelig.



CONCHAM echinatam (inquit Rondeletius) ab aſperitate uocamus, ſicut aculeatam ab aculeis uocare poſſumus. In hac uniones reperiri teſtatur Plinius. Nam & Iuba tradit Arabicis (*margaritis*) Concham eſſe ſimilem Pectini inſecto, hirſutã echinorum modo: ipſum unionem in carne ipſa eſſe grandini ſimilẽ. ¶ De hac Aelianus ſentire uideri poteſt lib. De animal. 10. c. 10. ſcribẽs in Mari rubro Conchas quaſdã naſci, quarũ teſtæ ſecturas quaſdã, et cauitates et labra acuta habeãt, quę cũ coeũt inter ſe ſic, alterno incurſu cõiungantur, ut tanquã duarũ ſerrarũ coeũtiũ dentes uideantur inter ſe conuenire: unde fit ut piſcatoris natantis quancunq; partẽ, etiamſi ſub eã os ſubeſt, mordicus apprehenderint, amputent. ¶ Ego in Plinij uerbis Pectini inſecto, interpretor, non ſecto, non cęlato. οὐ διεγλυπται γὰρ, ἀλλὰ λεῖον τὸ ὄστρακον ἔχει, inquit Androſthènes, καὶ δασύ. addit & unionem in carne ipſa eſſe grandini ſimilem. Vnde de eadem Concha eos (Plinium & Androſthenem) loqui apparet: non, ut Rondeletius putauit, diuerſa. Fortaſsis autem eadem teſta & læuis dici poteſt, quod ad ſuperficiem: & hirſuta, propter enaſcentem materiam. Androſthenes apud Athenæum Berberi nominat hoc oſtreum: id Rondeletius ad matrem perlarum uulgò dictam refert: & δασὺ, ſpiſſum interpretatur. Ego rem in medio diligentiùs æſtimandam relinquo. ¶ Hæc eadem fortè fuerit Concha illa aſpera, Κριός, id eſt, Aries ab Athenienſibus dicta: Corycus uerò à Macedonibus, à figura nimirũ ferè globoſa: ut Aries ab aſperitate aculeorũ, qui ceu cornicula prominent. Κόγχη τραχεῖα. Meminerunt Athenæus & Heſychius.


GERM. F. Ein rauche Muſcheln art/ ein Stahelmuſcheln.

CONCHAE echinatæ Rondeletij ſpeciem aliam ſimilem, quam Venetijs olim accepi, (nõ puto tamẽ in Adriatico aut Mediterraneo inueniri, ſed orientali Oceano, adiungere uolui. Teſtæ utræq; figura tũ foris, tũ cauitate interna, quę caput uerſus recurua eſt, inuicẽ ſimiles ſunt. hoc pulchrũ in eis, tribus in ſummitate articulis ginglymo iunguntur, ita ut eminentes utrinq; mucrones, mutua inſertione, uterq; in oppoſitæ teſtæ acetabula, cohæreant.


GERMAN. F. Ein andere Stahelmuſcheln.

Angli Pectinum genus quoddam aculeatum appellant a Fryll: ut & Maiam in Cancrorum genere, teſta aculeata.





CONCHA ſtriata prima Rondeletij.
ITAL. Capa tonda, à rotunditate.
GALL. Communi nomine Coquille.
GERM. F. Ein Streym muſcheln/ mit übertwären linien. ein runde Muſcheln.





CONCHA striata altera Rondeletij, similis priori: nisi quòd illa aliquot lineas tantùm à latere ad latus per striarum transuersum ductas habet. hæc non lineas simplices, sed uirgas latas sicuti fascias per transuersum ductas habet. est etiam rufa: unde Concha striata, fasciata, & rufa dici potest.

GERM. Ein andere Streym muscheln/mit übertwären breitlachten gleych als bendlen. ist von farb rotlacht.

CONCHA striata tertia Rondeletij. Hæc (inquit) cæteris longior est, oui figura: testis multùm cauis, canaliculis parum profundis, aliquot lineis per transuersum ductis.


GERM. Das drit geschlecht der Streym muscheln.





CONCHIS striatis Rondeletij subieci speciem illam, quã Venetijs rotundæ nomine pictam accepi. Rondeletius primam è tribus striatis suis rotundam uocat.

GERM. Widerumb ein Streym muschel/ hat vilicht kein vnderscheid von der vorgesetzten ersten oder andern.





IN stagnis quoq; marinis reperiuntur Conchæ nonnullę, & Cochleæ: ea maximè rotunda & striata, quam hîc expreßimus, Rondeletius. atqui positas ab eo figuras duas Concharum, non Cochlearum generis esse apparet, ut in uerbis eius sic legendum conijciam: In stagnis quoque marinis reperiuntur Cochleæ nonnullæ, & Conchæ, &c.

GERM. Seemuscheln/wie die iñ gesaltznen sehen bey dem meer gefunden werden.

CONCHA Crassæ testæ, & Conchulæ uariæ Rondeletij. A Galade & Chama aspera (inquit) hæc Concha craßitudine tantùm testarum differt. Hæ lineis aliquot à latere ductis distinctæ sunt, nihilominus tamẽ læues sunt.

GERM. Ein art der Glattmuscheln/ den nächstgenañten gleych/aber von schalen dicker.






CONCHA

CONCHA Faſciata à Rondeletio dicta. Superiori Galadi ſcilicet, (inquit) ſimilis eſt Concha hæc, niſi quòd paulò latior eſt, quod læuibus uidetur peculiare. Præterea quinque ueluti faſcias latas à latere ad latus ductas habet, ijs ſimiles quibus puellæ noſtræ capillum redimire ſolent: quas Vettes appellant, id eſt, Vittas.

GALL. Coquille Vettade, id eſt, Concha faſciata.

GERM. F. Ein glatte Bendelmuſchel. ¶ Huic ſimilem planè adiungimus, quam ob id peculiariter non depinximus. differt tantùm lineis purpuraſcentibus, quas per tranſuerſum ductas habet à ſummo ad imum, alias partim flaueſcentes, partim albas, intus tota uiolacea eſt.




CONCHA galas, & Concha nigra Rondeletij. Conchæ galades (γαλάδες, inquit) Latinum nomẽ nullum inuenerunt, has inter lęues numerat Ariſtoteles. Dictę autem fortaſsis galades fuerint à lacteo colore. ſunt enim candidiſsimæ, maximæ, & læuiſsimæ. Nonnullæ parum purpuraſcentes, quædam flaueſcentes reperiuntur: ſed intus omnes candidiſsimæ ſunt.

His Conchas nigras opponimus, quas propria pictura nõ egere exiſtimauimus, quòd ſuperioribus planè ſimiles ſint, niſi quòd intus & foris nigricant.

Bellonius Galades eſſe putat illas quæ alio nomine Chamæ læues dicuntur.

GERM. Ein art der Glattmuſcheln/von farben an der ſchalen ſchön weyß: doch findt man auch roſenfarb/vnd gälblacht: ſind doch all iñwendig gar weyß. Aber die ſchwartzẽ von diſem gſchlecht ſind innen vnd vſſen ſchwartz.




CONCHA rugata Rondeletij. Magna hæc Concha (inquit) & lineis multis & elatis per tranſuerſum ductis ualde rugata eſt: teſtis ualde ſpiſsis, intus læuib. & ſplẽdoris argentei, per ginglymum & ueluti dẽtes articulatim coëuntes articulatur. Teſtæ ob ſpiſsitudinem in laminas et fruſta diſſecantur: ex quibus ſphærulæ precum conficiuntur, & dentiſcalpia, quemadmodum ex uulgò dicta matre Perlarum, ſed nõ adeò ſplendida. In hac Concha uniones reperiri non dubito. Vide etiam ſequentem iconem.

GERM. F. Ein Runtzelmuſcheln / mit vil überzwären hohen liniẽ oder ſtreymen. Haltet vilicht auch Perle. Liß weyter bey der nachuolgenden figur.



CONCHAE rugatæ Rondeletij similis est, aut eadem fortè hæc, quã Venetijs olim Matrem Perlarum nominari audiui: hac ferè ualuarum alterius magnitudine specieq́.

GERM. Ein andere contrafactur einer schalen von der yetz genañten Runtzelmuscheln/ oder doch jren gar ånlich: wirt von etlichen auch Perlemůter geneñt. Auß der polierte schalen macht man Pater noster ringle/zångrübel/vnnd andere schöne arbeit: doch nit so schön als von der rechten Perlemůter.



CONCHVLA rugata Rondeletij. Non ab imo ad summum (inquit) lineas ductas habet hæc Conchula, sed à latere ad latus multas ueluti rugas sparsim & sine ordine. Testę non sunt tumidæ & in dorsum elatę, quemadmodum striatæ omnes, sed depressæ: colore uario. sunt enim ex albo cinereæ, & ad liuidum accedentes. Labra testarum crassa sunt: & tam arctè connexa, ut sine ui non aperiantur, faciliusq́ rumpantur testæ, quàm patefiant, quod à Chamarum natura prorsus alienũ est, quarum testæ hiant. Vnde eos errare constat, (*Bellonium notat,*) qui hanc Conchulam pro Chama peloride exhibent.

ITAL. Veneti Biueronos uocant, uel Piueronos. Genuenses, Arsellas. Anconitani, Rauennates & Ariminenses, Pouerazos, quasi Pauperculos nominant, quòd illic nimiũ populares pauperibusq́ offerri solitæ sint. (Aliæ quidem sunt Beueraze uel Calcinellæ, uulgò Italis dictæ Conchæ, forma compressiore, testa translucida, &c.) Alibi in Italia Caperozoe dicuntur, à colore nimirum, quòd ex rubro subfuluę sint, inquit Bellonius. idem tamen Chamam læuem quoq; Caporozolam uulgò dici, alibi scribit. Quæ quidem Venetijs Cappæ rozæ, uel rozzolæ uulgò dicuntur, ab eruditis quibusdam illic Pelorides existimantur: & à Græcorum uulgò hodie ὀρυκτὰ dicũtur, hoc est, fossiles. nam in fundo seu limo maris à fodientibus eruuntur. testam earum læuem & albidam esse puto.


HISPANI Armillas nominant.

GALLICE. Regias aut Basilicas Chamas Galli Pelourdes, ad Peloridum uocem accedentes, dixerũt. (*Rondeletius Conchulam uariam suam Gallicè Pelourde nominat, & è luto erui scribit, &c.*) A luto autem, è quo tum manibus tum retibus euerruntur, nomen habent. πηλὸς enim lutum est. (*Reprehendit hanc etymologiam Rondeletius.*) alij dictas à Peloro monte Siciliæ uolunt, Bellonius. Idem & Rondeletius Conchulas hasce Massiliæ Clonissas uocari tradunt.

GERMAN. F. Ein andere vnd kleinere art der Runtzelmuscheln. Minder Klamen/ klein Flammuscheln. Quære in Concha Peloride.

GERMAN. Ein andere contrafactur der nåchstgesetzten Muscheln/oder doch der selben gantz ånlich.

Hæc quoque aut Conchulæ rugatæ Rondeletij eadem est, aut planè similis.





CONCHA Pictorum Rondeletij. Hac (inquit) pictores utebantur, non in diluendis aut asseruandis coloribus, ad quam rem pictores hodie Musculorum testis utuntur: sed ut colorem de superficie testæ abraderent. sic enim Aristoteles Historiæ 5.15. Concha quæ pictoribus utilis est, crassitudine plurimùm excedit, & florem illum non intra testam, sed foris habet. reperitur id genus maximè circa Cariam. Cum hac descriptione (inquit Rondeletius) Concha hæc conuenit: testis spissis, intus læuibus, foris inæqualibus & asperis, Cĩnabaris aut sandarachæ colore, figura spondylorum aut minorum ostreorum.

GERM. F. Ein Malermuscheln. dañ sy im brauch was bey den malern/welche die schön root farb von der schalen außwendig abschabtend.

PINNA



PINNA magna Rondeletij. Conchæ (inquit) biualues ſunt Pinnæ & Pernæ, à Mytulorum figura non multùm alienæ. Cancri etiam (parui) in his naſcuntur (Pinnoteræ ſeu Pinnophylaces dicti) de quibus ſuprà ſcripſimus. Pinnam Latini uocant, ſeruata Græcorum appellatione, à quibus πίννη (rariùs etiam πίννα, ut Iſidoro apud Athenæũ) dicitur, fortaſſe à ſordibus, quibus ſemper obducta eſt: πῖνος enim ſordes ſignificat, ut ſcribit Varinus, Rondeletius. Πηνίον quidem etiam filum Græcis ſignificat. ſunt autem fila quædã Pinnis adnata, uilli alicuius ſeu byſsi inſtar, unde & à Genuenſibus Pinna lana uocatur. ¶ Concha Aegyptia paralios cognomine, quam & Pinnam uocat Democritus, Hermolaus. ¶ Aliquando ad cubiti magnitudinem accedit: in noſtro litore pedales ſunt. Mytulis quodammodo ſimilis eſt, niſi quòd ſtrictiorem partem multò magis acutam & longam habet: quoniam in arena uel cœno, affixa uiuit. ubi byſſo ſua proximis corporibus, ut firmiùs ſubrecta ſemper ſtet, alligatur. Intus multum eſt carnis, cuius omnes ferè partes indiſcretæ ſunt, ueluti in Mytulis. Pinnarum byſſus (quæ molliſsima & delicatiſsima lana eſt) à Mytulorũ byſſo tã differt, quã ſtuppa cañabina à tenuiſſimo & delicatiſſimo ſerico. eius magnitudo Pinnarũ magnitudini reſpondet. in maximis enim pedẽ unũ longus eſt. Teſtę Pinnarũ omniũ eãdẽ cũ Mytulorum teſtis facultatem habent, Rondeletius. ¶ In Pinnis uniones reperiuntur in Acarnania, authore Plinio, ſed non laudati. Eſt inter fluuiatiles Concha quædam oblonga: quam Bellonius apud me cum uidiſſet, Pinnam fluuiatilem appellandam cenſebat, quòd & erecta ſtare, & margaritas continere ſoleat. *Pinna fl.*

GRAECI Pinnas uulgari nomenclatura, antiquæ ferè perſimili nuncupant, Gillius.

ITAL. A Genuenſibus Pinna lana uocatur, ob byſſum, à Venetis Aſtura (*Naſtura, Maſſarius*) nomine communi alijs multis conchis, Rondeletius. Pinnam Neapolitani Pernam appellant, Siculi Lanam pinnulam, Gillius.

GALL. Maſsiliæ Nacre, Rondeletio teſte: qui aliam quoq; Concham ſuperiùs exhibitã, Pectini ſimiliorem, à Gallis Nacre de perles, pro Matre perlarum uocari tradit.

GERMAN. F. Ein Steckmuſchel, quòd acutior eius pars fundo infixa ſit. uel Hammemuſchel, à ſimilitudine pernæ. uel circunloquor, Ein Perlemuſcheln art. ein groſſe Hammemuſchel. In Oceano fortè rara, aut nulla eſt, præſertim noſtro. Lutetiæ quidem nunquam haberi Bellonius refert.

PINNA altera, quæ priuatim Perna dicitur: cuius meminit Plinius libro 32. capite ultimo, inter ea quæ à nullo authore nominata ſcribit. Pernæ (inquit) Concharum generis, circa Pontias inſulas frequentiſsimæ, ſtant uelut ſuillo crure (*unde & nomen acceperunt*) longo, in arena defixę, *Perna.*

hiantesq́ qua limpitudo eſt, pedali non minùs ſpacio cibũ uenantur. dentes in circuitu marginum habent, pectinatim ſpiſſatos. Intus pro ſpondylo (*ſic uocat callum ſeu carnem duriorem & interiorem oſtreorum, quẽ alij τράχηλον*) grandis caro eſt. ¶De his ſenſiſſe uideri poteſt Theophraſtus, in libro de Lapidibus ſcribens: Margaritas generat oſtreum Pinnis ſimile, (*Athenæus hunc locum citans, addit, ſed minus,*) tam magnas, quàm eſt magnus piſcis oculus. ¶Pinna hæc parua (inquit Rondeletius) in mari noſtro reperitur, & in ea uniones parui. ¶Bellonius Pernam facit Pinnam maiorem: Rondeletius, minorem, cui aſſentior. Græcum peculiare eius nomen non inuenio, nam πίννη & πίννης εἶδος communius eſt. dici autem poterit πτέρνα, eâdem ratione qua Perna Latiné. Plura lege mox in Pinna altera.


ITAL. Pinnam Neapolitani Pernam appellant, Gillius. quærendum autem, totúm ne genus Pinnarum, an ſpeciem priuatim unã ſic nuncupent.

GERM. F. Ein Hamemuſchel. ein art der Steckmuſcheln oder Perlemuſcheln.

Pinna minor.



Pinnæ maioris, ut uidetur, alia pictura.



Perna. PINNA parua Rondeletij. Concha hæc (inquit) & figura, & uictus ratione, & byſſo Pinnę ſpecies eſt: magnitudine differt, & eo quòd antequam ex acuta & ſtricta parte in amplitudinem extendatur, excauata eſt. ¶Pinna minor Venetijs non uiſitur, in Propontidis ſinu illo qui Nicomediam fertur, frequens, Bellonius. Hanc Pinnæ ſpeciem, ne quis cũ Perna confundat, quæ & ipſa Pinna quædam minor eſt, cauendum. differentiæ quidem gratia, hanc ſimpliciter Pinnam minorem, aut Pinnam minorem læuem: Pernam uerò pectinatam cognominare licebit. Pectinũ enim ſpeciem propoſita à Rondeletio icon præ ſe fert: & dẽtes in circuitu marginum pectinatim ſpiſſatos eſſe Pernis Plinius author eſt.

GERM. F. Ein andere kleine art der Hammemuſcheln oder Steckmuſcheln / glatt an den ſchalen / nit gehölt oder käneleт wie die nächſtgemelt.


BELLONII Pinnam minorem, neſcio quam ex tribus Rondeletij Pinnis eſſe dicam: uidetur enim ab omnibus differre. Icon quam exhibet, ad Pinnam magnam Rondeletij accedit: niſi quòd in ſumma concha, qua latiſsima eſt, paruus quidam circulus conſpicitur, quem alius paulò maior ambit: & ab eadem parte ad imum lineę aliquot rectæ deſcendũt. per media uerò linearum interſtitia, multi exigui circuli, o. uocalis qua ſcribi ſolet circunferẽtia paulò maiori, deinceps per interualla digeruntur. Huic picturæ ego ſimilem ferè à Cor. Sittardo olim miſſam, hîc exhibeo.

GERM. Ein ander gemäl der erſten oder groſſen Hammemuſchel / als mich bedunckt.

DE VN-

DE VNGVIBVS IN GENERE ET priuatim de mare.

Solen mas Rondeletij.



VNGVES inter Conchylia à Varrone numerantur: quos Plinius ſemper Græcis uocabulis nominat. Hæc enim eius uerba ſunt, lib.32. Solen, ſiue Aulos, ſiue Donax, ſiue Onyx, ſiue Dactylus, at lib. 22. ſexu diſtinguit, his uerbis: Purgatur ueſica & Pectinum cibo, (*Rondeletius probè addit*, & Solenum, *idq; Athenæi teſtimonio confirmat.*) Ex his mares alij Donacas, alij Aulos uocant, fœminas Onychas. Vrinam mares mouent: dulciores fœminæ ſunt, & unicolores. Græci ſexu quidem diſtinguunt, non uerò nominibus, ut Diphilus apud Athenæum: Οἱ δὲ Σωλῆνες μὲν πρός τινων καλούμενοι· πρὸς τινῶν δὲ Αὐλοί, καὶ Δόνακες, καὶ Ὄνυχες, πολύχυλοι, καὶ κακόχυλοι, κολλώδεις· ὧν οἱ μὲν ἄρρενες αὐτῶν ῥαβδωτοί εἰσιν, &c. Videntur autem pleraq; hæc nomina, à figura præcipuè facta, quæ oblonga, teres & caua his Conchylijs eſt. Solen quidem Græcis propriè ſignificat fiſtulam, tubum, canalem, imbricem. aulos, fiſtulam ſiue tibiam. dónax eſt harundo (quæ & Cypria cognominatur Dioſcoridi) παρὰ τὸ δονεῖσθαι dicta. quòd facilè uentis commoueatur. refert autem hæc Concha arundinis internodium. Dactyli, authore Plinio, ab humanorum unguium ſimilitudine appellantur: melius autem dixiſſet, digitorum. digitos enim referunt figura, plerunq; & longitudine, (quanquam & longiores inueniantur, interdum dodrantales,) & craſsitudine. Ab humanorum tamen unguium ſimilitudine ut Græci Onyches, ſic Latinè Vngues dicuntur. partes enim extremæ præcipuè, tenuitate (læuitate) & figura unguibus ſimiles ſunt: uel à teſtæ colore & ſubſtantia unguibus noſtris non diſsimili. Longè uerò alius eſt Vnguis odoratus, Conchylij Purpuræ'ue operculum. Gaza ex Ariſtotele modò Vngues, modò digitos interpretatur. ¶ Differt ab hac Cōcha lōga Plinij, ut Rondeletius docet: quanquam & Solenes μακραὶ κόγχαι à Sophrone dicātur, & μακροκόγχυλοι ab Epicharmo cognominentur. ¶ Solen ex Concharum longarum genere (inquit Rondeletius) duplici teſta conſtat, altera tantùm parte colligata nigro uinculo, (etiamſi aliter ſcribat Ariſtoteles Hiſtoriæ lib.4.cap.4.) ab altera uerò parte ſoluta, ita ut nullum uinculi aut articulationis ullius ueſtigium cernatur. Extrema duo ſemper aperta ſunt: anteriore caput exerunt & retrahunt Teſtudinis ritu. Teſta cæruleo eſt colore, lineis euidentibus per tranſuerſum ductis. Aqua & arena uiuunt. ¶ Vitam fœminæ in arena traducunt: mares in eo lapidis genere, quem Glaſtrum uocant, nec unquam alibi uiſuntur, Bellonius. ¶ Dactylis natura in tenebris, remoto lumine, alio fulgore clarere: & quanto magis humorem habeant, lucere in ore mandentium: lucere in manibus atq; in ſolo, atq; ueſte, decidentibus guttis, Plinius. ¶ Vnguium alij mares, alij fœminæ dicuntur, Plinio & Diphilo: quanquã nõ procreant, ut quæ propriè ſexu diſtinguuntur: ſed (ſicuti & aliæ quædam Conchæ) locis arenoſis ſponte proueniunt.

Solen. Aulos. Donax. Dactylus. Onyches. Concha lõga. Sexus.

GRAECI etiamnunc Solênas appellant, Gillius & Maſſarius.


ITALI (ut Veneti) Cappas, id eſt, Conchas longas. Apuli Imbrices à ſimilitudine. Puto & Dottoli nomẽ (à Greco Dactyli) alicubi in Italia uſurpari. [Gillius Balanos mar. à Venetis non rectè Dactylos uocari ſcribit.] Genus id Concharũ, quod à noſtris Spoletta uocatur, aliqui Spõdylos, alij Dactylos mar. eſſe uolunt, &c. Braſauolus. Spoletta quidem uocabulum, accedit ad Germanicum Spůlen, quod cannam uel arundinem ſignificat. ¶ Duo earum diſcrimina uulgo Veneto agnoſcuntur: quorum alterum Capa da ferro, alterum Capa da deo uel da detto (quòd ex ſua theca ſolo digito ſine ferro eximi poſsit) cognominat, Bellonius.

GALLI des Couſteaux (uel Couteaux) quòd cultri manubrium referant.

ANGLI Pirot, uel Pitot. ſed Io. Fauconerus aliud Anglicum nomen indicauit, an Hagfyſh. A Vuallis in Anglia Thymbi uocari audio.


GERM. F. Nagel/Finger/Kånel/Spůle/Heffte/uel Nagelſchale/Fingerſchale/Lãgſchale: uel Nagelmuſcheln/das månle/ꝛc.

Solen fœmina Rondeletij.



X

Alia Solenis icon, Venetijs olim nobis depicta.



SOLEN fœmina Rondeletij. Onychas (inquit) appellat Plinius Solenes fœminas: quæ colore, sapore, magnitudine à maribus differunt, in alijs omnibus similes. Testa lineis cæruleis distincta nõ est, ob id à Plinio unicolor dicitur. Caro dulcior est. maribus minores esse solent. Plura lege suprà in mare.

VVLGARIA diuersarum gentium nomina, eadem huic, quæ mari, attribui poterunt, aliquo (si uidebitur) differentiæ nomine adiecto.

GERM. F. Nagelmuschcln das weyble/ꝛc. ist kleiner dañ das obgemält männle/vnnd süsser/ꝛc.


DE CONCHIS TVRBINATIS IN GENERE.

TVRBO propriè dicitur figura quæ ex amplo & lato paulatim in mucronē desinit, ut de Buccina scribit Ouidius: caua buccina sumitur illi Tortilis in latum, quæ turbine crescit ab imo. Huius figuræ etiam turbo lusorius, Quem pueri magno in gyro uacua atria circum Intenti ludo exercent. Ab huius similitudine dicuntur Turbinata ostracodermorum genera, Στρομβώδη Aristoteli, quæcunq; in uolutas & anfractus, seu spiras, quales in prælis & torcularibus uisuntur, (ἕλικας Græci dicunt, unde ἑλικοειδῆ fortè eadem quæ στρομβώδη uocari possunt,) testas suas quoquo modo reflectunt: sicut & Cochleæ, hę enim omnes turbinatę sunt, sed breuiores rotundioresq;: nec exeunt in mucronem suo turbine, ut Strombi, id est Turbines, propriè & priuatim dicti, qui in longum protenduntur. Hesychius non distinxit, Strombum simpliciter Cochlon interpretatus, neq; Massarius: qui, Aquatiles Cochleæ, inquit, sunt quæ Græcè Strombi, Latineq; Turbines communi nomine nuncupantur, quòd ex amplo in tenue deficiant, in uertiginem tortę. Theocritus quoq; strombum & cochlon ceu synonyma nominat, ita nimirum ut genus ac speciem. Aristoteles alibi Echinos etiam Turbinatorum nomine complectitur, alibi non. Turbinatis certè hoc peculiare est, ut testæ postrema à capite clauiculatim intorqueantur: & operculũ omnia iam inde ab ortu naturæ gerant: quę echinis nullo pacto conueniunt, &c. Vide Rondeletium lib. 2. De aquatilibus cap. 1. *Cochleæ.*


ITALI Turbinata omnia, ni fallor, Porcellanas uocant: aliqui priuatim Venereas tantùm Conchas.

GERM. Cochleas & Turbinata quoquo modo nominabimus Schnecken: Strombos uerò priuatim, Straubschnecken/Straubenhorn/Spitze Kinckhorn: Schmale langlachte vnd gespitzte Schnecken.

Purpura cum operculo, quam Rondeletius exhibuit, qui & aliorum picturas reprehendit, in quibus uel rostrum tubulatum, uel turbo non exprimatur.



Alia Purpuræ effigies, nostra: ex Adriatico.




PVRPVRA Turbinatorum generis nobilissima concha, à Græcis πορφύρα dicitur: cuius diminutiuum est πορφύριον. Murex etsi speciem unam significet, scilicet Buccinum: generale tamen est uocabulum, (sicuti & Conchylium, per excellentiam,) Purpurã comprehendens & alia. *Murex.* *Conchylium.*

Κογχύλη, Conchyle, Hesychio & Suidæ Purpuram significat: Conchylia uerò ostrea. Purpuræ nomine alio Pelagiæ uocantur, Plinius. Massarius quidem & Rondeletius, Pelagias loci ratione Purpuras quasdam esse docent, non autem toti generi hoc nomen conuenire. fieri tamen potest ut uulgus Plinij seculo eas sic appellârit κατ᾽ ἐξοχὴν, quod illę maximè requirerētur, utpote & maiores, & quæ magis probatũ florem haberent: quũ etiam Pelagium pro colore seu flore Purpuræ Plinius dixerit. Buccinum (inquit) per se damnatur, quoniam fucum remittit: pelagio (*id est, Purpuræ flore*) admodum alligatur, &c. Purpura animal siue Concham propriè significat, accipitur autem etiam pro colore ex eo facto, eiue simili. Violę sublucet purpura nigrę, Vergilius. item *Pelagiæ.*

Purpura

Purpura pentadactylus Bellonij (atqui dactyli ſex pinguntur) prona. Videtur autem ad Aporrhaidem Rondeletij propiùs accedere. Turbinem quidem pentadactylum Rondeletij, infrà dabimus. *Eadem ſupina.*



pro ueſtimento eo colore tincto. Cruor ille qui parciſsimus in ſingulis reperitur, flos, fucus, pelagium, ſuccus, medicamentum, pharmacum, nominatur: color ipſe purpureus, Puniceus, Coloſsinus, Calainus, & alijs fortè nominibus. ¶ Purpurarum genera plura ſunt, earũ differentiæ ſumuntur à loco, magnitudine, paruitate, floris ſiue ſucci uarietate. is enim alijs nigricat, alijs rubet. Earundem plura genera tradit Plinius, pabulo & ſolo diſcreta. Lutenſe, putri limo: & Algenſe, enutritum alga, uiliſsimum. Dialutenſe, uario ſoli genere paſtum, &c. Phœnices piſcem, cuius ſanguine ſericum in purpuram tingebatur, Sar appellant, Seruius.

GRAECI etiam hac ætate antiquum nomen retinent, Gillius.

ITAL. Genuenſes quòd muricatis aculeis in orbem circũualletur atq; horreat, Ronceram uocare ſolent. Venetorum & Romanorum uulgus ab ungue odorato (quo iam inde ab ortu naturæ ſeſe quaſi concludendo tuetur) Ognellas nominat. Teſtas priuatim Porcellanas uocat Italia, eodemq; nomine Conchylij genus omne intelligit, Bellonius. Purpura mar. id eſt, Cetula marina, Syluaticus.

GALL. Noſtri Curez uocant, quaſi Murex, Rondeletius. Has & Murices & Buccinos, Maſsilienſes Bios uocant, Gillius.

GERM. F. Ein Nagelſchneck, ab unguis ſimili operculo. Ein Purpurſchnecken art, ut eo nomine Buccinum quoq; & Conchylium includamus. Ein Stachelſchnecken art. uide infra in Muricibus.

ANGLICVM nomen eſt Purple, neſcio an uulgare, an effictum imitatione Latini.

DE MVRICIBVS IN GENERE.

MVREX aliquando ſumitur pro Purpura: ſic Muricem Tyrium Vergilius dixit. Nonnunquam generis nomen eſt, cui ſubijciuntur Concha Venerea & Buccinum. Muricum generis ſunt quæ uocant Græci Colycia, alij Corythia, turbinata æquè: ſed minora, Plinius. Quare cum Muricis nomen pluribus accommodatum ſit, Gaza Plinij (*in cæteris plerisq;*) imitator κήρυκας nõ Murices conuertit, ſed Buccinos. Plinium quidem κήρυκας nõ ſemel Murices interpretatum conſtat, Rondeletius. Nos Plinium κήρυκα modò Muricem, modò Buccinum uertiſſe obſeruauimus.

Firmioris iam teſtę murices & concharum genera, Plinius: cum proximè de quibuſdam fragilioris teſtæ dixiſſet. Apparet ſanè Latinum nomen Murices, à Græco κήρυκες deſumptum: à Muricibus autem metaphoricè tum tribolos (ut Græci uocitant) ferreos: tum ſimiles in ſaxis alibi'ue mucrones duros & acutos prominentes. Rondeletio Murices propriè dicũtur, qui turbinati ſunt, & lõgos firmosq; aculeos ſiue clauos habẽt. Hos Germanicè Stachelſchalẽ uel Stachelſchnecken nominabimus commodè, nomine ab aculeis & concha compoſito. nam & aculeatos piſciculos fl. aliqui Stachelfiſch appellant.

Mutianus prodidit Echeneidem eſſe Muricem, latiorem purpura, &c. Rondeletius Venere am hanc Concham nuncupat: uulgus Porcellanam, &c.

A. iconem Rondeletius exhibuit: cui nos similem alteram B. adiunximus, Conchæ cuiusdam seu Muricis orientalis, quam Venetijs nacti sumus. in ea margaritas quoque gigni quidam nobis retulit, nescio quàm uere. Color forinsecus pallescit, intrinsecus cum pulcherrimo splendore ex albo roseus est. Labrum exterius protendit se & dilatat in marginem. Mucrones infra caput seu conum testæ duo magni, sed obtusi, prominẽt. in ipso cono parui admodum & subrotundi, per spiras deinceps, non aculei sed tumores uisuntur.







MVREX Marmoreus Rondeletio dictus, à candore duritiaq́ꝫ, qua marmor (inquit) candidũ æmulatur parte externa: parte interna ex albo purpurascit.

GERM. Ein art ð Stachelschneckẽ/außwẽdig weyß wie ein marmel/iñwẽdig leybfarb.

MVREX Triangularis Rondeletij. Hic altera parte (inquit) Murex planus est, altera ferè rotundus: sed ita ut utrinq; duo sint latera, tertiũ plana pars efficiat: à qua figura, quæ huic propria est, triangularis iure dicitur. Vario est colore. Foramen duplex habet, rugosum: quo ob testę amplitudinẽ et breuitatẽ, sonus editur grauis et tristis. Testa tota ad Conchylij testã magis accedit.

GERM. Ein andere art der Stachelschneckẽ mit try ecken an ð schalẽ.






MVREX

MVREX lacteus Rondeletij, à lacteo colore nuncupatus. Hic (inquit) exochas & tubercula potiùs habet, quàm clauos ſiue aculeos.
GERMAN. Ein ſchön weyſſer Stachelſchneck.

MVREX Coracoides Rondeletij. Vt anatomici (inquit) omoplatæ appendicem à roſtri coruorum ſimilitudine coracoidem appellarunt: ita nos Muricem hunc ab aculeis incuruis, & roſtris Coruorum ſimilibus.
GERMAN. Ein andere art d Stachelſchneckē / mit krūmlachten ſpitzen / gleych wie die ſchnäbel der rappen.

Lege ſcripta ſuperiùs cum Purpura pentadactylo Bellonij.






APORRHAIS muricum generis Concha, ut Rondeletio uidetur, qui Pliniū etiā de hoc genere ſenſiſſe ſuſpicatur, his uerbis: Muricū generis ſunt quæ uocant Græci colycia, alij corythia, (al' *coryphia*,) turbinata ęquè, ſed minora multò. ¶ Gaza aporrhaidē, muricem interpretatur apud Ariſtotelem.
GERM. Ein art der Stachelſchnecken oder Purpurſchnecken im̄ meer.

Buccinum Rondeletij.



Icon hæc noſtra eſt, ſiue Cochleæ, ſiue Buccinæ: quam apud ciuem quendam noſtrum uidimus, mucrone pertuſo, circulo ſtanneo ambiente, ut apta eſſet inflari. A Rondeletio pro Buccina exhibita effigies, noſtræ quidem ſimilis eſt, ſed tuberculis rotundis ſcitè clauata.



KHPYKA Aristotelis, Buccinã Gaza semper interpretatur: Plinius Buccinum. Buccinum (inquit) minor (*aliâs meliùs, maior*) concha, ad similitudinem eius Buccini, quo sonus editur: unde & causa nomini, rotunditate oris in margine incisa. Genus alterum (*Conchylij*) Purpura uocatur. Aliquando Muricem uocat, Rondeletius. φωκινόν hodie à Græcis appellari audio. Gillius Græcos quosdam hac ætate Strophilidas uocare scribit.

ITAL. Ligures uulgò Cornetos nominant. (Bios cornetos, Gillius.

GALL. Massilienses Purpuras & Murices & Buccinas, Bios appellant: Buccinas priuatim

GERMAN. F. Ein Hornschneck oder Blaaßschneck im meer/größer dann ein Purpurschneck: mag zů blaasen gebraucht werden wie ein horn. Ein Kinckhorn geschlecht. Est autem Kinckhorn inferioribus Germanis nomen generale ad omnes cõchas turbinatas, factum à remedio. prodesse enim putant aduersus tussim siccam, (in qua tussientes parũ excreant, & spiritu tanquam reciprocante offenduntur, quod Kinckhen appellant,) si cereuisiã aliúmue potum è cochlea bibant.

Figura hæc ad nostras conchas efficta est, aliã Rondeletius posuerat, sed huic simillimam.


Est et hoc paruũ Buccini genus, ex conchis nostris depictũ. accedit aũt ad Turbinẽ pentadactylũ, Rõd.







BVCCINI species duę minores. Inter Buccinorũ genera (inquit Rond.) hæc duo reperi: paruũ, lineis frequentib. asperiusculũ. Et alterũ huic simile, nisi q lineas ꝓminentiores habet, & trãsuersas, ut striatũ meritò dici posit. GERMAN. Zwey kleine geschlecht der Kinckhornen.




CONCHYLIVM apud ueteres Latinos & Græcos nomen est conchis & cochleis omnib. commune, & per excellentiam aliquando pro purpura ponitur. Dioscorides quidem cum dixisset de Purpura & Buccino, aliquantò pòst de Conchylio eiusq; operculo seorsim scribit: unde speciẽ peculiarẽ esse apparet: eã scilicet quã hîc ex Rondel. sentẽtia exhibeo. Κογχύλιον, κογχύλη.

GERM. F. Ein gschlecht d Purpurschnecken/hat keine spitz od buckeln wie die andern.

Operculũ quod in medio latius et rotundius exhibetur, Buccini aut Purpuræ est: cætera uerò quatuor angustiora lõgioraq;, Cõchylij.











CONCHY-

CONCHYLII operculum. Purpuræ operculum (inquit Rondeletius) βλάττος siue βλάττιον Βυζάντιον uel Βύζαντος appellari debebat. Blatta uerò Byzantia Arabum nihil aliud est quàm Conchylij operculum. Pharmacopolæ nostri Conchyliorum Buccinorumq; opercula permista uendentes, Blattas Byzantias uocant; has rotundas, illas longas. Dioscorid. Onychem (ὄνυχα) id est, Vnguem, uocat, Conchylij tegumentum, (πῶμα τοῦ κογχυλίου) à figura nimirum, qua auium carniuorarum unguibus simile est. aliqui etiam ostracium, ut refert Plinius, uel ostracon. Onychem Paulus Aegineta testam uocari dicit Conchylij, duntaxat Indici: quod & Condylion appellat. ¶ Est & Onyx sui generis Concha integra, alio nomine Dactylus.

Blatta Byz.

Vnguis.

Ostracium.

GERM. Das teckele von der nächstgesetzten art der Purpurschnecken.

Ex duabus his Strombi magni iconibus, minor à Rondeletio exhibita est: maior ad Strombum quendam peregrinum (quem domi habeo) expressus.

TVRBO longus & magnus Rondeletij. Multis (inquit) uoluminibus constat: testa est alba, lineis tuberculisq; multis scabra & aspera.

GERM. Zwo lange vnd grosse arten der Straubenschnecken.



TVRBO tuberosus Rondeletio à tuberculis multis cognominatus: inter cæteros qui hîc exhibentur, maior. Longus est, (inquit,) tenuis, in mucronem desinẽs. Huiusmodi sunt quidam albi, quidam nigri, quidam uarij. Pollicis magnitudinem nũquam excedunt. In his Cancelli cùm parui sunt uiuunt, longiores ijs qui Neritarum sunt hospites. ¶ Huius generis Turbines in terra etiam reperiuntur. ¶ Eiusdem Turbinum generis sunt aliquot species diuersæ: quædam longæ, tenues, acutiores, læues: cuiusmodi tres sunt tuberoso propiores. alij, postremi scilicet duo in pictura, inæquales, tuberosi, scabri, uirgati. Vita, moribus, substantia non differunt.

Terrestres species.

GERM. Etliche besundere kleine Straubenschneckle/dergleychen auch im erdtrich auff trochnem land gefundẽ werdẽd: der gröst auß jnen mag ein Eychelschneckle geneñt werden.

TVRBO angulatus Rondeletij. Hic Turbo (inquit) Buccinis satis similis, quia testæ uolumina ita à se discreta sunt, ut in medio angulos efficiant, cognominatur angulatus. Inferiùs in Turbinem tenuatur, superiùs in lõgum & acutũ rostrum: nam & Plinius Purpuræ rostrum dixit. Colore est marmoreo.

GERM. F. Ein Eckestraub.



TVRBO muricatus Rondeletij. Aspectu quidem (inquit) Buccino haud dissimilis est: sed à tuberculis multis, breuib. quidem & obtusis, muricatus appellatur, (*appellari potest.*) Superiore parte tumidior est. Intus testa purpurea est, foris alba & ueluti calce illita.


GERM. F. Ein Buckelstraub.



TVRBINES diuersi, qui intra spongias uiuunt. Cùm sæpiùs spongias secarem in frusta, (inquit Rondeletius,) ut penitus earũ naturã puestigarẽ, in ijs uarietatẽ maximã reperi Cõchularũ omnis generis, Conchyliorũ paruorũ, Buccinorũ, Turbinũ, Neritarũ, Vmbilicorũ, cuiusmodi aliq̃t hîc exhibeo: omnes enim persequi, infiniti esset operis.








Dicemus tantùm de eo paruo Turbine, qui dextræ manui proximus est: rimamq́ longiusculam ueriùs quàm foramen habet, testa non intorta: qui & intra Spongias, & extra reperitur: Conchulaq́ lactea à candido colore nominari potest: uulgò petite Porcelaine dicitur. Hac in fucis utuntur mulieres. Equorum frenis & phaleris nonnulli accommodant. ex eisdem & gagatarũ globulis mulieres monilia & cingula contexunt, &c. Sed quæ equorum ornamentis adduntur, crassiore duriorecq́ sunt testa: aliæ tenuiore & fragiliore. utræq́ & candore & figura similes.

Conchula lactea.

GERM. Mancherley kleine Schneckle vnd Straubenschneckle/ wie die inn schwümmen gefunden werdend.



TVRBO auritus Rondeletij. Sic autẽ uocamus (inquit) ob extremi alterius turbinatæ parti aduerſi latam utrinq; appendicem. perelegans eſt, & rarus in mari noſtro: extantibus pulchro ordine tuberculis diſtinctus, horum imaginem imitantur aurifices in urceis efformandis, addita baſi.

GERM. F. Ein Dorſtraub/ſchön mit buckeln. die goldſchmid formierẽd etliche geſchirz als ſchalen auff diſe weyß/machend füßle daran.



TVRBINES duo digitati Rondeletij. Inter Cochleas (inquit) Plinius Pentadactylos quoſdam nominans, de hisne Turbinatis intellexerit (quę proponimus) neſcio. Dicitur autem Pentadactylus Turbo, quòd quinq; habeat appendices longas & acutas, ſi extremum Turbinis annumeres. Alius eſt Turbo Teſſaradactylus, cui quatuor duntaxat ſunt dactyli. Ex his alij albi ſunt, alij nigricant, alij ſunt uarij. Sic ille. Bellonius Purpuram quandam Pentadactylum nominat & pingit: quam ſuperiùs exhibuimus: ſicuti etiam poſt Buccina genus quoddam paruum, Pentadactylo Turbini Rondeletij perſimile.

GERM. F. Zinckeler/Zinckeſtrauben/ einer mit vier/ der ander mit fünff zincken oder enden.



TROCHI à Rondeletio dicti, & alij quidam Turbines. Hoc Turbinum genus (*inquit, ſentit autem de duobus tantùm hîc depictis, nempe maximo, & paruo ei adiuncto*) à ſimilitudine inſtrumẽti quo luſitant pueri, Trochos appellamus. [*Trochi, id eſt Rotæ, Aeliano belluæ quædam marinæ ſunt.*] Horum alij ſunt parui: qui à ſuperiore amplaq; parte, ſtatim in breue acumẽ deficiunt. Alij longiores. Omnes læues ſunt & uarij. Teſta ueluti cruſtis duabus conſtare uidetur: externa minùs nitet, quæ ſubiacet unionum eſt ſplendore. Præter uerò Trochos duos, adiecimus aliquot diuerſas Stromborum formas: quarum aliæ ad Buccinorum, aliæ ad Conchyliorum ſpeciem accedunt.

GERM. Mancherley kleine Straubenſchneckle.

DE NERITIS, QVI INTER TVRBINES & Cochleas ferè ambigunt.



Concha eſt ampla & capax: nos imaginem eius ueram, non magnitudinem, expreſſimus, Rondeletius. In lacu noſtro Tiguri ſimiles ferè Conchæ reperiuntur, ſed perexiguæ, candidæ, fragiles.

NERITES Ariſtetelis, Νηρίτης ὁ. Quas Ariſtoteles (inquit Rõdeletius) Νηρίτας uocat, Gaza Natices conuertit, à natando, ut opinor. ¶ Natex quidem Latinis à natãdo dictus uidetur, ut Græcis etiam Νηρίτης à νέω, νήσω. Naticem piſcẽ leges apud antiquos, et uidetur à natando dictus, Feſtus. Teſta quidem Neritæ Ariſtotelis, cum cauitatem amplam & rotundam habeat, ut natet & quodammodo nauiget, idonea uidetur. poteſt enim aẽrẽ copioſum capere, & innatare faciliùs, uentoq; impelli, uti conijcio. neq; enim hoc authores tradunt: ſed grammatici tantum in etymologia: circa quam tamen uariant. Hoc primùm monuerim Nerites ſemper maſculino genere proferendũ, ſicut Anchiſes, ſyllabis omnibus longis, ſiue Νηρίτης per Orthographia.

ι.in medio scribatur:siue Νηρείτης per ει.ut in Oppiani Halieuticis. apud Hesychium Νήειτος scribitur,ut ἄνθρωπος,terminatione & accentu:quod uocabulũ alioqui adiectiuum est, & significat magnum,copiosum,excellens,incomparabile, quo cum nihil aliud in eodem genere conferatur aut contendat,à νη.priuãte particula et uerbo ἐρίζειν.(sed ꝑ copioso et innumerabili usitatius est scribere νήριθμον,à νη & ἀριθμός.) Ergo si quis Neriten cochleam à magnitudine uel pulchritudine qua alias eiusdem generis excellat,nominatã uelit, bene est.sin minus, Grammaticos audiat, Suidam & Varinum. A uerbo νέω,νῶ,quod est,nato,(*inquiunt,cuius futurum est νήσω,unde & νῆσος dicta,*) fit νηρός,quod concauum aut humidũ significat,inde fit νηρείτης.Quidã tamen à Νηρεὺς deducunt. Quòd si à Nereo fieret,Νηρείτης scribendum foret.& sanè à Nereo deo marino deductum huius Cochleę nomẽ ratione non caret, (quod & Aelianus innuit, Neriten filium Nerei in hanc Cochleam conuersum tradens,) quòd is fortè tali Concha tanquam elegantiore Buccinę loco uti fingeretur:quę ad inflandum inepta non est,utpote ampla & Buccinæ similis.

Etymologia.

Anarites. Non alius uidetur qui Anarites & Anartas (Ἀναρείτης,Ἀνάρτας) apud Athenæũ dicitur:de quo scribit:κογχῶδες δ᾽ ὄν τὸ ὄστρεον προσέχεται ταῖς πέτραις,ὥσπερ αἱ λεπάδες.id quod similiter de Nerite Aristoteles tradit. Apud Phauorinum scribitur etiam Ἀνηρείτης. alpha quidem à principijs dictionum non rarò abundat.quòd si quis Anartam dictum coniecerit,à uerbo ἀναρτᾶσθαι,quod est pendere, quasi pendulum:è saxis enim dependet,non temere fecerit. Προσφὺς ὅκωσ τις χοιράδων ἀναρείτης, Herondas.Simile prouerbium est,Patellæ modo adhærere.

Ordinis ratio Neritæ Turbinatis ab Aristotele disertè adnumerantur:nam cum à Strombis,id est, Turbinibus (quorum longa & stricta est testa) eos separat, unius generis duas species facit. quod & Rondeletius approbat:Si quis (inquit) Neritam inter Cochleas reponere uoluerit,non ualde refragabor.Mihi Nerites primus ab eo exhibitus,ad Turbinata referendus uidetur:secundus uerò,sicuti & Bellonij Nerites magis ad Cochleas accedit.propter nomen tamen unum,cum genere etiam non multùm differant,coniungere hîc omnes uolui. Grammatici Neriten κόχλον,κοχλίαν,κοχλίδιον, aut Conchylium,cochleæ simile esse dicunt:Athenæus Anariten κογχῶδες ὄστρεον facit.

Aristoteles:Neritas (inquit) testa est læui, ampla & rotunda, forma Buccinis proxima: papauer tamen non nigrum ut Buccina, sed rubrum habet. Pascitur in mari tranquillo à saxis solutus, quibus aliâs Patellarum instar adhæret,tegmine seu operculo dimoto,&c. Testam eius uacuam Cancellus subire solet. ¶Hesychius Neriten uarium esse scribit,colore nimirum.

ITAL. Neriten qui accolunt sinum Adriaticum etiam nũc antiquo nomine appellant,Gillius.ego Naridolam ab Italis nuncupari accepi.


HISPAN. Caragólo,teste Gillio. audio tamen Hispanos Cochleam mar. in genere uocare Alméia,uel Caracól de la mar.

GERM. **Ein Meerschnecken art/hat ein runde grosse schalen/nit schmal vnd langlacht wie die Straubschnecken.**



NERITES Aeliani. Aelianus (inquit Rondeletius) longè aliter quã Aristoteles Neritẽ describit,his ferè uerbis:Cochlea est marina,magnitudine exigua,formæ pulchritudine eximia spectatur,mari puro & tranquillo saxis adhærens. ¶Paruitate igitur & formæ pulchritudine ab Aristotelis Nerite differt. Punctis nigris eleganter distinguitur,testa intus purpurea,in margine candida,Rondeletius.

GERM. **Ein kleine schöne Meerschnecken art/ mit schwartzen tüpflinen besprengt an der schalen/welche innwendig rotlacht ist:an den borten weyß.**



NERITES Bellonij: qui à primo Rondeletij Nerite planè diuersus est:ad secundum autem accedit,tum paruitate, tum figura. Et cum paruus sit,non erit Aristotelis Nerites, nisi alius quidam Aristotelis Nerites sit quàm Rondeletius exhibuerit, ab hoc Bellonij Nerite magnitudine tantùm differens. ¶Turbinati (inquit) generis hæc Conchula est. Testam habet læuem,rotundam,exiguam,ut neq; in Oceano, neq; in Mediterraneo pollicis crassitudinem excedat. Carnes eius uulgus Græcum crudas edit,quibus appetentiam maximè excitari ait. Pulmenta quæ ex his conficiuntur, minio tincta esse dixeris: quod à rubro ipsarum papauere (quale et Aristoteles Neritę tribuit) prouenit.

GALL. Virlis Lutetię, Armoricis Bigornet et Bigorneau uocari solet:apud quos maxima est harum Conchularum copia,Bellonius.


GERM. **Ein andere kleine Meerschnecken art/mit einer glatten runden schalen/rc.**

Similis

DE COCHLEIS.


COCHLEAE quænam propriè dicantur, leges ſuprà ab initio huius ordinis.

Similis ferè huic Cochleæ eſt, Margaritifera uulgò dicta, quæ proximè ſequitur.



COCHLEA quæ in oleario uſu erat.
Cochlea hæc (inquit Rondeletius) rotunda eſt, & teſta intorta & magna admodum, adeò ut ſit quæ aquæ quatuor libras capiat. Ob id eam eſſe puto, quam Plinius memoriꝫ mandauit in oleario uſu fuiſſe, quòd ea oleum decapularent. Huiuſmodi Cochleam etiam aurifices, additis anſa et baſi, in urceos efformant eleganti artificio, quòd eam contra uenena aliquid ualêre credant.

GERM. Ein Meerſchneck mit einer runden vnd weyten ſchalen / möchte öl dareyn vñ auß zů gieſſen gebraucht werden.




COCHLEAM hanc Margaritiferam, quꝫ ex India & ſinu Perſico adfertur, uulgus appellat: quia unionum colore ſit & ſplendore: nam uniones quidem in ea non reperiuntur. Auro argentoq́ includitur in poculorum ſpeciem. Ex eadẽ in fruſta diſſecta imagunculæ, globuli ad nuncupandas preces, monilia conficiuntur. Sunt qui hanc ſecundam eſſe Nautili Conchæ ſpeciẽ tradunt, ſed falſò, Rondeletius. ¶ Porcellanam uocant, quòd Muricis conchꝫ formam habeat. eam enim etiam Porcellanam nominant: ex qua antiquis uaſa quæ murrhina dicebantur, fieri ſolita cõiicio, Bellonius.

GALL. Coquille de pourcelene: Groſſe Coquille de nacre de perle.

GERM. Ein Meerſchneck auß India oder Perſia / iſt gefarbt vnd glitzert wie bärle / (Perle) dannen jn etlich ein Bärleſchnecken nennent: wiewol man kein Perle in jnen findet. die ſchal wirt mit gold oder ſilber eyngefaßt zů trinckgſchirren.

COCHLEA cælata, (cum ſuo operculo,) Rondeletio. Ad Turbinis (inquit) ſpeciem accedit. Cælatam cognominauimus, quòd teſta cælaturis inæquali & ſcabra conſtet. Sunt qui Vmbilicum appellent, ſed non ſine errore. ¶ Bellonius Vmbilicum marinum, aut Fabam marinam nominat: & ab Ariſtotele ſimpliciter κόχλον uocatum putat.

Quum turbinatum genus omne prætenui cruſta carnem patulam ambiente, operculi loco ſe-



ſe tueatur: hæc una lapidi rubro perſimili tegumento occluditur. Rotunda eſt eius forma, umbilicum planè referens, unde ei nomen. Aurifices lapidem eſſe putant. Huius teſta ſola inter noſtri Oceani turbinata politiẽ admittit, Bellonius.

GALL. HISPAN. A noſtris (circa Monſpelium) Prouincialib. & Hiſpanis Scaragol, uel Cagarolo de mar. nominatur, quòd ad Cochlearum terreſtrium, quas Cagaroles uocant, formam accedat, Rondeletius.

GERM. Ein Meerboone, id eſt, Faba marina: per ſynecdochen nimirũ. operculum enim priuatim fabam aliqui uocant.




COCHLEA Echinophora, ſic enim ab aſperitate nominamus, tota tuberculis ſiue aculeis conſperſa eſt, Buccinis figura ſimilis, Rondeletius.

GERM. F. Ein rauche art der Kinckhornen. ein Jgelſchneck.

COCHLEA Cylindroides nominari hęc poteſt, à figura cylindro proxima. Pyramidem etiã refert, pyri modo turbinata, punctis uarijs notata. pollicis craſsitudinem uix unquam ſuperat, Rondeletius.

GERM. F. Ein Sinwelſchneck. nam ſinwel nobis teres eſt.




LAEVIS eſt & polita admodum Cochlea iſta, atq; in turbinem longiuſculum deſinens, ſed obtuſum. operculo tegitur: circa Lerinum inſulam frequens, Rondeletius.

GERM. Ein glatte art der Meerſchnecken.




COCHLEA depreſſa, ut Rondeletius nominat. Operculum (inquit) Cochleæ cælatæ refert: eſtq; ſimillima Cochleis terreſtribus quæ aliquãdo in terra effoſſa reperiuntur. Altera parte plana eſt, altera excauata in uoluminibus.

GERM. F. Ein Flachſchneck.



VMBILICVS Rondeletij. Apparet (inquit) ex Ciceronis loco (lib. 2. De Oratore,) Vmbilicos eſſe Concharum ſiue Cochlearum ſpecies: id quod uerum eſſe indicat ipſa rerum natura: quæ nobis, à Turbinatis, Cõchis, Cochleiſq; omnibus ſpeciem diuerſam exhibet earum, quæ præter foramen illud, quo Cochleæ ſaxis inhærent, quoq; corpus exerunt, alterum habent, umbilico ita ſimile, ut nullus ſit qui has uiderit, qui negare poſsit Vmbilicatas meritò uocari. Id foramen profundum, conuolutionum ueluti centrum eſt, uel circa quod anfractus Cochleæ conuoluuntur, ueluti circa πορικόχλιον, &c.



Κόχλοs & κοχλίαs Theodorus nonnunquam Vmbilicos uertit. Sed Vmbilicus Latinis ſemp uidetur certam ſpeciem ſignificare. cóchlos uerò Græcis nonnunquam generale eſt. ¶ Eſt cóchlos apud Ariſtotelẽ animal teſtaceum, & aliud quàm limax: Theodorus Vmbilicum uertit. hoc etiam Cochleam eſt ubi Ariſtoteles appellet, ſicut limacem quoq; Cochlon, Maſſarius.

Cochleam cælatã Rondeletij Bellonius Vmbilicum facit: Rondeletius reprehendit.

Sunt qui Vmbilici ceu generis uocabulo, Cochleam marinam omnem comprehendant, inter recẽtiores: quorum ſententiam non probo. Alij ſpeciem unam intelligunt,

gunt,quæ & ipſa alias ſub ſe complectatur,turbinati & Cochlearum generis,ut Rondeletius. Sed Arnoldus Villanouanus, Aggregator & alij, Porcellanas uulgò dictas, (quarum læuis eſt, nõ tur binata concha,) Vmbilicos uocant. aliqui corrupta uoce Belliculos, quaſi Vmbiliculos. Sunt po *Belliculi.*
ſtremò qui Vmbilicum mar. & Fabam marinam nominent, non animal aliquod integrum cum teſta, ſed operculum duntaxat Cochleæ illius, quam cælatam Rondeletius cognominat.

GERM. F. **Ein Nabelſchneck.**

VMBILICI duo alij à Rondeletio exhibiti. Maiorẽ, Varium cognominat: mira uarietate à natura diſtinctũ, ſcilicet nigris, rubris & albis tuberculis, coralliorum omnium colorẽ & naturam referentibus. Alter Vmbilicus eſt ualde exiguus, ciceris magnitudine, uel paulò maior. reperitur in ſpongijs, ueluti granulis rubri corallij æmulis conſperſus, &c.

GERMANICE maiorem circumloquemur, **ein geſpreggleten oder teilten Nabelſchneck.** Minorẽ, **ein klein Nabelſchnecklin/wirt iñ den ſchwüñen gefunden.**


COCHLEA Vmbilicata Rondel. cũ operculo ſuo. Cochlea hæc (inquit) in magnitudinem ſatis inſignem accreſcit. aliæ huius generis nigricant, aliæ cornei ſunt coloris, aliæ maculoſæ. Proximè autem accedunt ad formam Cochlearum terreſtrium paruarum, quæ conglomeratæ fœniculi craſsioribus caulibus adhærent: quæ etiam præter reliquarum Cochlearum terreſtrium naturã umbilicatæ ſunt: carneq; ſunt bona.

GERM. **Ein andere art der Nabelſchnecken.**

COCHLEIS Vmbilicatis adnumeranda etiam hæc eſt, longior, & multis anfractibus contorta: quorum longitudo & obliquitas in cauſa eſt, quò minùs umbilici extremum perſpici poſsit. Teſta læuis eſt, & quaſi cornea, uel unguium ſubſtantiæ ſimilis.

GERM. **Ein anderer Nabelſchneck.**

COCHLEA rugoſa & umbilicata Rondeletij. Tota (inquit) huius Cochleæ teſta rugas per tranſuerſum ductas habet, ita elatas, ut ſtriata dici poſsit. Colore intus eſt albo, foris flaueſcẽte. Hãc



tertiam eſſe Nautili ſpeciem, quidam falſò tradidit.

GERM. **Ein Nabelſchneck/voll übertwären runtzlen vnd ſtreymen.**

CONCHA Veneris, uulgò Porcellana: quanquam Itali (puto) Conchas turbinatas quaſuis Porcellanas nominant. Hermolaus Barbarus Plinij locum libro 32. emendans, pro Veneri cymbia, legi poſse cenſet, Veneriæ, Senecam citans: Veneriæ, (inquit,) Spondyli, & Oſtrea. Eandem eſſe puto quæ apud Gnidiorum Venerem colebatur, unde Cõcha ſiue Cochlea Venerea dicta ſit: quam deſcribit Plinius ex Mutiano, qui Muricem appellabat. Mutianus (inquit) Echenei- *Echeneis.*
dem prodit eſſe Muricem, latiorem Purpura: neq; aſpero, neq; rotundo ore: neq; in angulos prodeũte roſtro; ſed ſimplice Concha, utroq; latere ſeſe colligente. quibus inhærentibus plenam uen-

Icon hæc non est Rondeletij: sed similis, ad unam è nostris Porcellanis conchis depicta. Ea in hoc genere maxima est, & ruffa cognominari potest.




tis stetisse nauem, portantem nuncios à Periandro, ut castrarentur nobiles pueri: Conchasq́ quæ id præstiterunt apud Gnidiorum Venerem coli, Rondeletius. ¶ Bellonius Concham læuigatoriam appellat. In Rubro mari (inquit) capiuntur. Earum apud Græcos & Turcas quoq́, chartis expoliendis usus est. Chartarum scabritia (inquit Plinius) læuigatur dente, concháue: sed caducæ literæ fiunt. Aliqui hodie ad suspendendas claues uel conficienda cochlearia utuntur. His & Aegyptij sua lintea glutino imbuta læuigare atq́ expolire consueuerunt. Mulieres nostræ (inquit Rondeletius) ornamenta quędam sua linea in amylo aqua multa diluto lota, deinde exsiccata, poliunt, adeò ut splendeant. ¶ Porcellanas recentiores quidam Latinè uocant, Italis & Gallis usitato nomine, facto fortasis à quadam oris suilli specie, quam parte sui inter labra denticulata dehiscete, uel potiùs altero extremo testæ, nempe acutiore & eminentiore rostri suilli instar, quodammodo referunt. unde & Græci à porco χοιρίνας uocarunt. ἢ διὰ τὸ μορίῳ γυναικείῳ πῶς ἐοικέναι. unde & uterinos calculos, qui in hoc genere candidi & minores sunt, uulgus nostrum appellat. & quòd figura quodammodo uterum referant, corpori appensas uteri morbis salutares esse aliqui mentiuntur. Mulieres (inquit Varro) nostræ, nutrices maximè, naturã qua fœminæ sunt, appellant porcum: & Græci eâdem significatione chœrõ, siue delphaca. Bellonius Porcellanæ nomen à Purpura detortum uidetur innuere. Purpurarum testas (inquit) Itali Porcellanas uocant, quo etiam nomine Conchylij genus omne intelligunt. ¶ Ab Ennio nominantur Matriculi, citante Apuleio, inter res marinas, de quibus, nisi Conchæ Venereæ species sunt, non habeo quod diuinem. ¶ Bellonius in Gallico uolumine De piscibus, conijcit murrhina uasa olim ex Porcellanis maioribus Concharum generis, facta fuisse, quę Muricibus quodammodo similes sint. nostro quidẽ tempore ad eorum imitationem figlina parari, uocariq́ Concharum (quas colore splendoreq́ æmulantur nomine Porcellanas. ¶ Nauigant Neritæ (al' Veneriæ,) præbentesq́ concauã sui partem & aurę opponentes, per summa æquorũ uelificant, Plinius 9.33. Gelenius Venereæ legi mauult. Sunt enim Conchæ (inquit) non gratæ modò Veneri, sed etiam cognatæ ob communem è mari originem, &c. Sanè à pulchritudine, splendoreq́ & læuore, quæ dotes Venerei formosiq́ corporis præcipuæ sunt, meritò Conchas Venereas dixeris, quas uulgus Porcellanas: & quas eodem nomine uocitant margaritoideis conchas. Læuis ab æquorea cortex Mareotica concha Fiat, inoffensa curret arundo uia, Martialis. Vocatur & Erythræa & Erycina concha: illud à rubro mari: hoc, quòd & Erycina Veneris epitheton sit. quin & ipsa Venus è concha mar. prodijsse dicitur. item Amathûtis (nam Amathûs insula est Veneri sacra:) & Cytheriaca. ¶ Eadem nimirum sunt, Otaria (ὠτάρια, id est, Auriculę,) uel Otia (ὠτία) à quibusdam ueterum dictę conchæ. Otarium genus ostrei Antigonus Carystius aurem Veneris (οὖς Ἀφροδίτης) nominari scribit.

Porcellanæ. *Χοιρίναι.* *Matriculi.* *Otaria.*

ITAL. Porcellana: sicut & GALLICE Porcelane. ¶ Saxis adhæret in mari rubro & Oceano, Rondeletius.

A GERMANIS Porcellanæ omnis generis uocari poterunt **Mütermuscheln / Venusmuscheln**: uel **Glettmuscheln**, à uerbo **gletten** quod est læuigare.

CONCHAE Venereæ secunda species, Rondeletio. Hæc quoq́ (inquit) uaria est, ut superior: maculas tamen ita inspersas non habet, sed pro his lineolas. testa est tenuiore & minore, magisq́ perspicua. At de superiori dixerat: eam totam intus candidam esse, foris uarietate colorum insignem, in diuersis conchis.



GERM. **Ein kleiner geschlecht der Mütermuscheln.**


CONCHAE Venereæ tertia ſpecies Rondeletio. Hæc (inquit) parte qua plana eſt, compreſſa eſt magis quàm ſupradictæ, altera magis rotũda. Maculis rotũdis notata eſt, durior & ſpiſſior ſecũda, colore cãdido.



GERM. Ein andere art d' kleinerẽ Mũtermuſchelen/weyß võ farb/ doch nit der kleynſten.

Icon quæ dorſum oſtendit, à Rondeletio exhibita eſt. altera quæ rimam, à nobis adiecta.





CONCHAE Venereæ quarta ſpecies, Rondeletio. Parua (inquit) ſemper manet hæc Concha. Parte altera plana eſt, altera in tumorem elata: in qua circulus eſt aurei coloris: alioqui tota foris candida eſt, intus cœrulea. ¶ Aethiopes quidam conchulas porcellanas albas, quas Buzios nominant, adeò expetũt, ut pro ijs uel aurum quandoq; copioſè, aut etiam filias ſuas permutent. Eiſdem loco monetæ utuntur. ¶ Multi apud nos ephippiorũ loris ornatus gratia affigunt. Conchylia minuta & candida, umbilicosq; quidam funda claudunt, Ge. Agricola. ¶ Belliculos marinos (ut medici quidam recentiores nominant,) aliqui pro his Conchulis interpretantur: cum ij potius Vmbilici marini uideãtur, hoc eſt, opercula Cochlearum quarundam mar. umbilicis ſimilia. ¶ Pharmacopolæ quidam Dentale hanc Conchulam uocant, quòd rimam ueluti dentatam habeat. ¶ Conchula lactea etiam à Rondeletio dicta, exhibita ſuperiùs cũ Turbinibus qui in ſpongijs uiuunt, Venereis cognata uidetur. *Conchula lactea.*

ITALICVM & GALLICVM nomen Porcellana omnibus, nimirum huius generis ſpeciebus, attribuitur. differentia à magnitudine & colore adijci poteſt.

LVSITANICE & AETHIOPICE Buzios.

GERM. Mũterſtein/id eſt, Calculus uteri uel matricis. ſilicea enim eius teſta uidetur. Das allerkleinſt Mũtermũſchele.

EIVSDEM Conchæ Venereæ alia ſpecies: quam Ruffam minorem appello.



GERM. Ein andere art der Mũtermuſcheln/ von gſtalt vnd farben (dunckelrot oder rauchfarb) gleych der erſten/aber kleyner.

EST præterea quam STELLATAM cognomino, primæ ſimilis, ſed paulò minor. Plurimæ in ea ſtellæ ſeu maculæ ſunt conſpicuæ, ſingulæ in medio ſui atræ, ambitu ruffæ, pleræq; rotundæ, &c.

DE ALIIS QVIBVSDAM ANIMALIBVS MARINIS, QVAE AD ſuperiora referri non poſſunt.

BALANVS marina à ſimilitudine balani, id eſt, glãdis in quercu nominatur. Gaza Glandem conuertit. Duo mea quidem ſententia (inquit Rondeletius) Glandiũ genera ſunt: unũ quod in Gallia & Britannia noſtra (ad Oceani litora. in Mediterraneo an reperiantur, quærendum) Pouſſe piez appellant: Pollicipedes nominant quidam, quod pollicum in pedibus ſimilitudinem habeant, quod nomen eiusq; interpretationem nõ probo. Id genus glandem eſſe colligimus, quòd illi cum glandibus magna ſit ſimilitudo, &c. Cæterum genus illud Muſculorum, in Liguſtici litoris ſaxis latens, quod nõnulli Glandes ueterum eſſe putant, Pholades eſſe potiùs exiſtimauerim, ſi quis tamen nimis præfractè defenderit Glandes eſſe, non refragabor. Hæc ille.



Conchas illas quas Balanos Bellonius facit, Rondeletius Conchas rhomboides appellat. ¶ Genus Concharum eſt, quod Græci noſtræ ætatis, adhuc antiqui nominis retinentes, Balanos uulgò nominant. Plautus & Columella etiam Balanos à glandium ſimilitudine. ſunt enim læues, ut uidimus, in cauernis ſaxorum ſtabulantur. Veneti non rectè Dactylos appellant, Pet. Gillius.

GERMANICE nominari poſſunt Meereicheln/lãbend in den felſen.

BALANI genus aliud.

Si cui superiores Glandes non placent, alias propono quæ glandibus fructibus similiores sunt. Nascũtur in saxis & in rimis nauium, quæ diutius immotæ uno in loco manserint. adnascuntur etiam Mytulis, Rondeletius.

GERM. Ein ander gschlecht der Meereichlen.



PENICILLVM marinum uocamus (inquit Rondeletius) à similitudine penicillorum quibus pictores utuntur. Tubulus est testaceus, molli quadam & laxa substantia saxis alligatus, ita ut aquarum undis cedat & agitetur. In cauo carnosum quiddam continetur, quod cum se exerit, frondem expandit, ut in pictura exprimi-



tur. In saxis circa Lerinum insulam reperitur. Sic ille, qui insectis et zoophytis marinis Tubulum hunc adnumerauit. eo quidem nomine, quòd adhæret, zoophytũ magis quàm ζῶον uidetur. quoniam tamen testaceus est, & si laxæ substantiæ, & propter similitudinem sequentis Tubuli silicei, hoc loco reponere uolui.

GERM. F. Ein Meerbensel/ist ein kånele oder rözle von einer lucken schalen/ in deren etwas fleischachts ist: welches so es sich herfür laßt/ist es einem bensel gleych.



TVBVLVS marinus alius, quem Pharmacopolæ uulgò Antale (Enthalium aliqui, ut Dentale Concham Veneream paruam) nominant, à quadam dentis similitudine. Is candidus est, teres, striatus, una aut altera linea transuersa inæquali ambiente, præsertim in minoribus. maiores ad quatuor digitos accedunt. longitudo non omnino recta, sed modicè inflexa est, dentis canini instar. substantia prædura & silicea est, ut in plerisq; testatis. ¶ In Italia pharmacopœi Purpuram & Buccinum, Dentale & Antale appellant, ut Brasauolus tradit. ¶ Eosdem hos Tubulos ex Rondeletij libris dabimus mox ordine XVI. inter Insecta, propter uermes in eis delitescentes.

GERM. Ein Meer-rözle/in den apotecken Antale genañt.

Epilogus. VT NOBIS uitio uerti meritò posset, (inquit Rondeletius) si quę in hoc genere illustria sunt, & à ueteribus disertè expressa, prætermitteremus: ita curiosiùs certè facere uideremur, atq; superuacaneæ diligentiæ accusandi essemus, si omnia & minuta Conchularum, Turbinum, Cochlearum genera persequi uellem. Si quis enim ocio abundans in marinis litoribus spaciari uelit, & in saxa maris penetrare, totam istam rem in infinita uarietate uersari uidebit. Genera igitur & illustriores species cognoscendæ: atq; ut quæq; uel minutæ uel neglectæ, uel nominibus non expressæ fuerint, ad genera sua erunt reuocandæ.

DE ECHINIS MARINIS, ET primùm in genere.

ECHINVS (ἐχῖνος) duplex est; terrestris & marinus. terrestrem Gaza Erinaceum interpretatur: aquatilis nomen Græcum, Plinium nimirum secutus, retinuit. Est sanè Echinus Græcis commune tum terrestri, tum aquatili nomen: Latini uerò ueteres Ericium & Erinaceum de terrestri dicunt: de marino uix unquam, sed Græcum Echini nomen seruant. ¶ Plinius (inquit Gillius) Echinorum tegmentum uocat crustam, aliâs testam: cum tamen Aristoteles, religiosè semper Echinos inter Testacea numeret, & tegmentum eorum testam appellet. Rondeletius crustatis potiùs Echinos adnumerat: & integumentum earum non durum, neq; siliceũ esse ait, sed fragile crustæ tenuioris modo. Verùm etiam dura & silicea, si tenuitas accedat, planè fragilia sunt, & magis etiam quàm minus dura: flexilia autem, ut crustatorum corium, præsertim recens, non sunt. Conchulas quoque multas testam tenuem prorsus & fragilem habere uidemus, neq; à testatorum genere excludimus. *Testati ne an crustati sint.*

GRAECIS

GRAECIS Echinus hodieq; nomen antiquum retinet.

ITALI Riccio marino nominant, Ligures & Genuenses Zinzin. Niphus uulgò Cardum (*id est, Carduum*) marinum appellari scribit. In diuersis quidem Italię locis uocatur Riccio, Rizzo de mare, Zino, Incino. Scoppa grammaticus Italus Echinum interpretatur Lincino de mare, Bogancitola.

HISPANI Erizo di mar, uel de la mar.

GALLICE uocantur Echini (inquit Rondeletius) à nostris Vrsins corrupto ex Erinaceis uocabulo: ab alijs Castagnes de mar, quòd ueluti castaneæ echinato calyce contecti sint. A Massiliensibus Vrsins & Doulcins, qui sint edules, etiamsi dulces non sint, sed salsi & subamari. maiores, quiq; edendo non sunt, Rascasses ab ijsdẽ appellantur. hos nostri Migranes uocant, quia cum detriti aculei deciderint, putaminibus malorum Punicorum similes sint. Hæc ille. Accolæ quidam Oceani Herisson de mer, hoc est, Erinaceum marinum uocitãt: quòd terrestris Erinacei modo in orbẽ contractus, undiq; aculeis circunualletur. Massilienses à dulcedine saporis Dulcinum, un Doussin: eumq; qui magis est albus ac pelagius, addito cognomento, Doussin rascas nominarunt, Bellonius.

GERMANICE Seeapffel, id est, Malum marinũ, circa Daniam, Noruegiã, & alibi: quòd & rotunditate figuræ & magnitudine ferè mâlum referat. Quòd si quis aliarũ plerarunq; gentium imitatione, ein Meerigel, id est, Echinum marinum appellare uoluerit, reprehendi non poterit.

Echinus maior uel ouarius & esculentus, integer.




Echinus idem in duas partes dissectus.

ECHINI species prima, cibo idonea: in quo oua multa & magna sunt, esculentaq;, non solùm in maioribus, sed etiam in minoribus: quare ouarium hunc echinum appellat Hermolaus. ¶ Echini edules, uix grandis gallinæ ouum magnitudine excedunt. Diuersa in his colorum uarietas, & mutatio multiplex. Alij enim omnino nigri, alij albi, quidam uitrei, alij ruffi, aut flaui, alij gemmarum nitore conspiciuntur. quidam sunt cyanei, alij purpura splendent, subinde circumagentibus se igniculis micantibus ad aculeos, scintillæ modo, Bellonius.

GERM. Die grösser art des Seeapfels/wirt iñ der speyß gebraucht.

ECHINORVM secundi & tertij generis, Aristoteles breuiter meminit his uerbis: alia duo genera Echinorum sunt, Spatagi (aliàs Spatangæ) & Brissi, pelagia ac rara. Is quem hîc exhibemus (inquit Rondeletius) cum pelagius & rarissimus inuẽtu sit, Aristotelis uel Spatagus, (Spatanges melius scribitur,) uel Brissus (aliàs Brittus uel Abrytus, corrupto fortè uocabulo ab ἄβρωτος, quod cibo ineptum significat) uidetur. *Spatanges. Brissus.*


GERM. Ein ander geschlecht des Meerapfels / vntauglich zů essen.




ECHINOMETRA (quartum Echinorum genus) uocatur, quasi mater aut matrix Echinorum. est enim Aristotele teste omnium maxima. Plinius hanc magnitudinem non ad corpus siue calycem, sed ad spinas refert. Echinometræ (inquit) appellantur, quorum spinæ longissimæ, calyces minimi: cui Gillius subscribit. Ego uerò (inquit Rondeletius) à corporis siue calycis potiùs, quàm aculeorum proceritate, Echinometras dici existimo. cur enim Echinorum matrem ab aculeis longis nominassent ueteres, cùm sit aliud, quintum scilicet genus, paruo calyce, spinis longis durisq́; hoc quidem genus pro Echinometra usurpasse uidetur Plinius & eum secuti, contra Aristotelis mentem, cùm perspicuè utrunq; genus separet.

GALL. Echinos maximos minimis aculeis, Massilienses uocant Rascassos, Gillius. Vide suprà in Gallicis nominibus Echinorum in genere.

GERM. Die aller gröste art der Seeapflen.



Infra A. proximè est Echinus paruus.
Infra B. Vrtica cinerea.
Iuxta C. Lepas adhærens è regione.
Supra D. Lepas inuersa.
Supra E. Lepas parua.



ECHINI genus quintum. Hoc (inquit Rondeletius) saxo inhærens repræsentamus, calyce paruo, spinis longis pro corporis ratione, & duris. Vide superiùs in Echinometra.

Echinos inspexi calyce exiguo, longitudine aculeorum (ut qui digiti longitudinem superarent) præstantes: à SICVLIS Masculi appellantur, Gillius. Genus hoc πόντιον cognominat Aristoteles, (Gaza pelagium uertit,) alibi uerò in alto gurgite id gigni solitum scribit.

Vulgus GRAECVM, ut ITALICVM quoque & GALLICVM, Iudæum uocat, quòd perpetuò nigrescat, sordescat, & gustus ingrati percipiatur, Bellonius.

GERM. Die kleinste art der Seeapflen / des leybs halb: sunst hat sy die lengisten thörn.

ECHINI superficies Venetijs picta: primi ni fallor à Rondeletio positi generis: sin minus, quinti.



DE STELLIS ET PRIMVM IN GENERE.

quod gerendæ. ASTER (ἀστὴρ) ab Aristotele uocatur marinū animal: à Plinio Stella, à similitudine stellarum pictarum. Asterium mar. recentioribus Græcis. ¶ Stellas Arist. Hist. 5.15. Testatis adnumerat. cæterùm De partibus


tibus animalium 4.5. mediam inter plãtas & animalia naturam eis attribuit, ſicuti & Vrticis: & ſimiliter Plinius. Aelianus uerò Cruſtaceis connumerat. Stellæ Plinius extrà callum duriorem (*corium durũ, ſiue callum, ut Holothurijs, Rondelet.*) eſſe ſcribit: is quidem tam durus eſt (Gillio teſte) ut uix gladij mucrone perfringi poſsit. radiorum anguli ad ſilicum duritiem accedunt: nec minùs ab ictibus inuictos quàm ferrum ipſum ſe præſtant. Huius tam duræ ſubſtantiæ ratione forſan Ariſtoteles Oſtracodermis eas adnumerauit. Oppianus Stellas ἑρπυσῆρας ἐναλίους cognominat. Nos (inquit Rondeletius) inter Inſecta & Zoophyta reponimus, inciſuras enim multas in radijs habent: & uix perfecta animalia dici poſſunt. Nos ad poſtremum Teſtaceorum locum, ueluti ambiguę inter ipſa & Zoophyta naturæ, eas retulimus. Cum Echinis certè quædam communia habent, eaq; plura quàm ullo alio animalium genere, ut deinceps dicetur. ¶ Stellis omnibus communia ſunt hæc. Radijs (*quos quidam etiam cirrhos nominat, non laudo: & brachia, Oppianus κῶλα*) quinque conſtant, qui ex multis particulis, tanquam ex multis uertebris componuntur, ut in aqua mobiles eſſent, in quorum medio oris ſitus eſt, & quinq; dentium, ut in Echinis. Excrementorum nullus exitus. Ore igitur Vrticarum more excerni quæ ſuperuacua ſunt arbitror, Rondeletius. ¶ Stellarum mar. caro brachijs incluſa (inquit Bellonius) rubra uel lutea, edulis eſt: (*quædam tamen ſpecies edendo non ſunt:*) quarum permultas in litore Epiri tantæ magnitudinis cepimus, ut ſeſquipedem latæ eſſent, &c. Natura ijſdem armaturis, hoc eſt, promuſcidibus, eas muniuit, quibus Pudendum et Echinum. Extra aquam omnino immobiles apparent, ſed ſi eas quiſpiam in aquam immergat, & ſupinas inſtrauerit, promuſcides acetabula in extrema plus quàm quinq; millia exerere cernet, atque in pronam partem moueri. Os etiam uerſus terram ut Echini habent, in medio radiorum. Suctu quoq; acetabulorum, Echini modo, lapidibus adhærent. ¶ Spinulis etiam horret Echini ferè modo, Maſſario teſte. Rondeletius priuatim ſpeciem unam, echinatã cognominat. ¶ Stellæ tam feruidam naturam eſſe tradunt, ut quicquid ſumpſerit, (*deglutierit,*) id licet illico ab ea (eius uẽtre) extrahatur, diſcoctum appareat: Ariſtoteles, ut nos interpretamur, non enim ſimpliciter contactu ab ea hoc fieri ſcribit, ut Plinius & Gaza uerterunt, & Plutarchus etiã tradit. ¶ Genus quoddam earum in Euripo Pyrrhæo maximum eſſe ferunt, ut idem Ariſtoteles tradit: Gaza longè aliter legit & uertit, &c. ¶ Differunt Stellæ magnitudine: quædam enim magnæ ſunt, aliæ paruæ, quæ nũquam magis accreſcunt: & quòd aliæ aculeatæ, aliæ læues ſunt: item radiorum breuitate ac longitudine. Aliæ etiam radiorum appendices & quaſi ramos multos habent, aliæ ijs carent. Poſtremò aliæ rubeſcunt, aliæ flaueſcunt, aliæ nigricant, aliæ cinereæ ſunt. alijs brachia uidentur quadrangula, alijs admodum plana. nõnullas uidimus (inquit Bellonius) in brachia XII. extendi, alias in quatuor tantùm. Sunt quibus tantùm tria ſunt, alijs ſena uel octona. Idem genus unum, maximũ nimirum, edule facit, alias omnes non edules.


Cõmunia omnibus.

Differentiæ.

GRAECI hodie Scauron nuncupant, Gillius.
ITAL. Stella omnibus nota, ſuum adhuc nomen retinet, Maſſarius Venetus.
GALL. Maſsiliæ etiam adhuc Stella dicitur.
GERMANICE nomino ein Meerſtern.
ANGLICE. Eliota Anglus interpretatur a Sterrefiſhe.


Pro una Rondeletij icone nos duas alias (illi tamen ſimiles) quæ iam priùs ſculptæ nobis erant, poſuimus.





STELLAE primæ non magnitudinem (inquit Rondeletius) sed figuram ueram repræsentamus, eius enim radij pedis longitudinem æquant. Corio duro integitur ut Holothuria, sed aspero. radij enim undiq; aculeis muniuntur mobilibus, quales in Echinometra uidere est. Iidem radij excauati sunt: ex quibus carnosæ appendiculæ dependent, quales in Vrticis quibusdam cernuntur. In medio radiorum os est siue gula: inde alimentum in quinq; partes distribuitur, ut in Echinis. Internæ partes omnes indiscretæ sunt, ut in Vrticis. Hæc Stella & parua Echinata, aspectu pulcherrimæ sunt, potissimum corio suo spoliatæ, ob exquisitam & miram partium compagem. Ex his quædam cinereæ sunt, aliæ flauescunt. Virus olent. Sola mollis internaq; pars edendo est. à nostris tamen negligitur, nec unquam in mensas admittitur. Nullus etiam ueterum eam pro cibo habuit.


GERM. Ein Meerstern / das erst geschlecht / ist grösser dann die anderen: hat zincken eines schůchs lang.



STELLA pectinata Rondeletij. Inter Stellas magnas (inquit) hæc quoque reponenda est, utpote cuius radij ad pedis longitudinem attingant. Superiori similis est, ijs demptis quæ sequuntur. Radij circa rotundum corpus dispositi, in exortu suo angulum acutũ non constituunt, sed obtusum. Aculei quibus latera muniuntur, rari & recti, pectinatim disponuntur: unde cognomen ei fecimus pectinatæ, &c. Rara est hæc species.

GERM. Ein andere art der grossen Sternen / mag von den spitzẽ oder zänen an den seytẽ / ein Kämpstern / oder Strälstern genañt werden.

STELLA læuis Rondeletij. Prorsus (inquit) læuis est, aculeisq; omnib. atq; asperitate destituta. Radij longi sunt, rotundi, flexibiles, Murium caudis persi-




miles. Eorum integumentum cortici serpentum simile est: & ob nigrarum albarumq; macularum uarietatem spectatu iucundum. In medio corporis trunco circulus cernitur, intra circunferentiam quinque maculis rotundis, & inter has stellulæ picturâ distinctus. Brachiorum longitudine & uario flexu celerrimè natat. Edulis non est.

GERM. Ein gar glatter Meerstern / mit weyssen vnd schwartzẽ tüpflinen schön besprenget. Er schwümmet im meer vast schnell mit seynen langen vnd glidweichen zincken.

STELLAM arborescentem (inquit Rondeletius) à frondium & ramorum multitudine nomino. Ea radios quinque siue truncos habet: in medio os, cũ quinque appendicibus, quæ multis paruis dentibus horrent, &c. Quilibet radius statim in binos finditur: hi rursus in binos ramos diuiduntur: atque ita deinceps, quousque ad tenuissimos & capillorum tenuitatem referẽtes deuentum sit. A quolibet oris angulo linea albicans prodit, & per omnium ramorum medium producitur: alioqui tota Stella nigricat: (*Stellas quidem marinas nigras Hippocrates nominat*) & tenui, neq; admodum dura, sed aspera, cute contegitur. Ramuli omnes introflectuntur: quibus undique (ceu brachijs) contractis prædam (Vrticæ ritu) comprehendit: quod nos ipsi aliquando in mari spectauimus.




GERM. F. Ein Staudenstern/wirt gar selten im Teütschen meer gefunden.



STELLA reticulata siue cancellata Rondeletij. Inter distinctiones (inquit) retibus uel cancellis eleganter similes extant tubercula quædam rotunda, à quibus etiam tuberosa cognominari posset. Brachia eius ad pedalem longitudinẽ perueniunt, (quare inter maiores Stellas reponenda est,) crassiora aliarum Stellarum radijs. Aculeis paruis utrinq; eadem munita sunt.


GERM. F. Ein Netzestern/ist geteilt wie ein garn oder netze: mit zincken eines schůchs långe.



STELLA echinata Rondeletij. Inter saxa uiuit: corpore exquisitè rotundo paruoq; constat; & radijs quinque, sed breuioribus, unde fit ut minor sit cæteris. Illi è paruo circulo, in quo crucis figura delineata est, ueluti è centro exoriuntur, tenues, frequentissimis aculeis horrentes: qua de causa (inquit) Echinatam nominauimus, in lateribus dispositis. Radiorum flexuoso motu serpentum ritu repit hęc Stella: et in sicco posita eos mouere nunquam desinit, quousq; in partes disiecerit: quæ separatæ etiam mouẽtur per flexus, ut uermium partes & Lacertorum caudæ abscissæ. Cochleis paruis Cancrisq; uescitur. In scopulis Agathensis sinus reperitur.

GERM. F. Ein Wurmstern/kleiner dann die anderen/voll spitzen an den zincken/ welche er on vnderlaß bucket vnnd bewegt.

SOL marinus (inquit Rondeletius) uocari potest quem hîc depingimus. differt enim à Stellis: quòd in his è medio corporis trunco, ueluti è centro, radij enascuntur: in hoc uerò ex corporis rotundi circunferentia, breues, minimè asperi superiore in parte, sed ueluti ex squamis compositi, in lateribus uerò paruis aculeis rigentes, albi, ad extremum usque gracilescentes. Corpus illud rotundum, in medio rosæ pictæ figuram expressam habet. Ore, uictu, facultate à Stellis non differt.



Luna.


¶ Vt Rondeletius Solem inter Stellas numerat: sic & LVNAM maris olim ab amico (ut ipse nominabat) mihi ostensam memini: radijs quinis, geniculatis ferè ut Cancrorum caudæ, substantia ferè testacea, molliori, instar testæ oui, friabili & arenosa dum manditur: cinerei coloris.

GERM. F. Ein Meeronn.

DE HOLOTHVRIIS, TETHYIS, PVLMONIBVS ET PVDENDIS MArinis. Quæ omnia communi nomine Zoophyta testacea dixerim: Rondeletius quidē ad Zoophyta retulit.

TESTATORVM quædam minus propriè sic dicuntur, utpote nō tam testa, quàm corio duro intecta: ut Holothuria, Tethya, Stellæ, Pulmones. De Stellis iam diximus, de Pulmonibus mox dicturi. Rondeletius Stellas Insectis, cætera Zoophytis adnumerauit. Idem Stellam primam corio duro (*callo, Plinius*) integi scribit, ut Holothuria, sed aspero. Quare cum Stellas ad Testatorum genus retulerimus, hęc etiam ultimo loco eis subijcere uisum est: non quòd cum illis qui uel simpliciter Zoophyta, uel ambiguæ inter hæc & Testata naturæ, ea esse maluerint, cōtendere uellem. ¶ Testata omnia ferè in cibum ueniunt, Holothurijs & Stellis quibusdam exceptis. Zoophyta & Insecta nulla (quod sciam) edulia sunt: Tethya, ut dicemus, edūtur. quæ fortè iustiori ratione quàm Holothuria, utpote ζωτικώτερα, Testatis potiùs quàm Zoophytis adscribentur.

Holothuriorum Rondeletij prima species.




HOLOTHVRIA, ὁλοθούρια. Gaza Vertibula uertens tum hæc tum Tethya confundit: alibi etiam Holothuria interpretatur Tubera & Callos &c. (Mihi tria hęc nomina Latina Tethyis meliùs quàm Holothurijs conuenire uidentur.) præstiterit igitur nomen Græcum retineri: quod unde factum sit, non satis uideo. Secunda quidem eorum species à Rondeletio exhibita, genitalis uirilis quandam similitudinem præ se fert: ut Holothurium dictum uideri posit, quasi toto corpore ad huiusmodi speciem uel libidinem conformatum. θοῦρον enim interpretantur libidinosum: θούραν, ὀχέιαν: & θορὸν, genituram. ¶ Quæ Holothuria uocant, & Pulmones, & complura eiusmodi alia in mari, parum à plantis differunt, sua ipsorum absolutione. Viuunt enim sine ullo sensu, (*& motu,*) perinde ac plantæ absolutæ, (quæ aliquantisper superuiuere possunt,) Aristoteles lib. 4. c. 5. de partib. animalium, ubi Testatorum differentias explicans, ipsorum quoque inter alia meminit: quanquam & Spongiarum ibidem, non tanquam eiusdem generis, sed quòd similiter ferè in medio plantarum animantiumque generis ambigant. Gaza quidem interpres illic de suo addit, simplici mitioriq; testa ea operta esse.

Zoophyta sunt saxis non hærentia, (primum genus aliquando acetabulis suis hæret, sed soluitur,) aspero corio contecta: nec inter cibos habentur, sed in litoribus neglecta iacent. Pisculentum odorem resipiunt, nec minus ingratum & insuauem, quàm Lepus marinus, Rondeletius.

GERM. Ein Meergewechß / hat kein sunderlich låben noch beweglikeit / auch iñwendig kein vndscheid d gliedern.


HOLOTHVRIORVM secūda species, quæ motum aliquem habere uidetur, cuius prsus expers est, primum genus.

GERM. Ein andere art deß yetzgemeltē meergewechsses.




Tethya à Rondeletio propoſita corio ſuo tecta: & unum eo nudatũ, ut caro interior uentriculi formam referens, appareat.

Aliæ icones à Bellonio exhibitæ, una integri, altera aperti Tethyi: quæ an eædem ſint cũ illis quas Rondeletius dedit, conſiderandum.



Picturas quatuor ſequentes, olim Cornelius Sittardus miſit: quæ uel Tethya eſſe uidentur, uel eorũ naturæ propinqua. Duas maiores Fungos marinos eſſe aut uocari in Italia, addebat, teſtæ duræ incluſos. Colore, ut pictos accepi, uario ſunt, ſed magna ex parte fuſco. quæ uerò in maxima uirgæ, contextu quodãmodo reticulato (eæ continuæ eſſe debebant) uiſuntur, rubræ. Si Tethya non ſunt, an Fungi mar. Xenocratis ſint, quibus Tethya comparat, quærendum. Minores duas uulgò nominari Specie, ab odore aromatico, earum pictura foris fuſca uel ſubuiridis, hirſutaq́; apparet: ſubſtantia (ut aliquis coniecerit) coriacea. intus autem caua & rubra. Saxis adhærere aiunt. His ferè ſimiliter ſua Tethya Bellonius pinxit.



TETHYA uel Tethe Græcis dicũtur, (τήθυα ἢ τήθη, ut κρόμμυα κύτη,) plurali numero neutri generis: non placet quod apud Plinium alicubi Tetheæ legitur fœminino genere. Gaza cum Holothurijs cõfundens, Vertibula, Callos & Tubera interpretatur, ut proximè in Holothurijs diximus. Tethya fungorum ueriùs generis quàm piſcium ſunt, Plinius: hoc eſt, Zoophyta potiùs quàm ζῶα. (Similia ſunt fungo, plantæ marinæ, Xenocrates.) *Fungi.* Ariſtoteles Teſtatis adnumerauit Hiſtoriæ lib. 4. cap. 6. ubi cum qualis ſit eorum teſta, quoq; modo ſaxis adhæreant, expoſuiſſet, fuſiùs reliquas partes perſequitur. Duo (inquit) foramina habent, à ſeſe diſtãtia, ualde exigua, ita ut ferè oculorum aciem fugiant, quibus humorem reddunt & accipiunt. Corio ſpoliatis primùm apparet membrana neruoſa, corpus ambiens, carnemq; ipſorum totã continens: nulli è cæteris teſtaceis ſimilis, &c. ¶ Tethya (inquit Rondeletius) non ſolùm petris, ſed etiam Oſtreorum noſtrorum teſtis affixa ſunt, & in iiſdem ueluti tumores duri eſſe cernuntur. Oui figura ſunt, aliquando longiore. Teſta extra fuſca, inæqualis & rigida, (*tota occuluntur teſta læui, Ariſtot.*) intus argentea, læuis. Eorum caro membrana alba inuoluta, uentriculi formam refert, rotundam ſcilicet & oblongam: meatus craſsior & amplior, gulæ proportione reſpõdet: alter minor, podici. uterq; colore eſt rufo: reliquum corpus croceum. quum digitis premitur, aqua per meatus exilit, alioqui ſenſum fugientes. ¶ Venetijs in foro uendi ſolent Tethya, inquit Bellonius, magnitudine oui gallinacei: quæ ſi manu paulò uiolentiùs comprimas, ſyringis modo aquam longiſsimè ex foramine parum ad latus ſito eiaculantur. Sic ille: & forſan inde dicta fuerint τήθυα uel τήθη, quòd ſicut τιτθοί, id eſt, mamillę, (uel τιθῆναι, id eſt, nutrices ſuis mamillis,) lac emittunt meatu uix apparente; ſic & illa humorem ſi comprimantur, uel quòd ceu ma- *Tethya unde dicta.*

millares quidam tumores petris Ostreisue adhæreant. Τήθεα ἀλιφῶν, Homerus dixit Iliad Π. de urinatore Tethya in fundo maris ad cibum conquirente. ubi Eustathius Tethya scribit Ostreorũ generis esse, sic dicta à terra quam Tethyn nominant. sunt enim (inquit) præ cæteris marinis naturæ terrenæ, propter ambientis testæ duritiem. aut fortè denominantur à nutrice infantũ, quæ Τήθη dicitur, propter tenerum eorum corpus, uelutiq; lacteũ & roscidum: qua ratione huiusmodi (Ostrea) etiam ἐρσήεντα quidã cognominat. Alibi (Odyss. Δ.) idem Eustathius, à uerbo θῶ, θήσω, quod est lacto, deriuat. Tetheæ inueniuntur sugentes in folijs (*Rondeletius legit scopulis*) marinis, Plin. insinuans fortassis etymologiam ipsorum à uerbo θῶ, θήσω, quod est, lacto uel sugo. Tethya gignuntur in cauernis saxorum, maximè uerò in cœno & litoribus, quæ phyco algáue marina abundant. inueniuntur & in musco marino, aut alijs in herbis folijsúe marinis: Vuottonus è Xenocrate ferè. unde folijs apud Plinium (in loco proximè citato) rectè legi apparet. Idem Xenocrates (interprete Rasario) Tethya scribit qualitatem manui indere, quæ difficulter abstergatur. maximè uerò (inquit) coria eorum non cõficiuntur. auxiliantur autem renibus, &c. ¶ Motu, & fortè etiam sensu carent, tactum exceperim, olfactum Aristotele eis negat. ¶ Tethynacia (diminutiuum id nomen est) Epicharmus apud Athenæum cum testatis alijs diuersis nominat. ¶ Grammatici quidam Græci Tethe interpretantur Ostrea, uel genus Ostreorũ: quod tolerabilius est, si Ostreũ pro ostracodermo in genere accipiant: ineptius Nicandri Scholiastes Patellas feras, quæ nos (inquit) Otia, id est, Aures, uocamus. Tetheæ similes ostreis, Plinius.

Tethynacia


Patellæ feræ

GRAECVM uulgus Spherdoclos nominat, Bellonius: fortè à sphærica figura.

ITAL. Venetorum uulgus Sponghas, hoc est Spongias nominat, Bellonius. Adriatici sinus accolæ ex eo Spongias nominant, quia cum premuntur, tanquam Spongiæ, sic aquam foraminibus reddunt. Sunt qui uulgò Spongiolas marinas putent uocitari, Brasauolus. Sfunge (Sphunge) uulgò scribunt ac proferunt, fortè nõ à spongia, sed à fungo, facto nomine. Fungorum quidem generis ea esse, ut Plinius: aut fungo plantæ mar. similia, ut Xenocrates tradit, dictum est suprà. Vulgò apud Tarentinos dicitur Verticillum, propter formam, & paruos quosdam anfractus quibus describitur, Niphus: qui alioqui Vrticas cum Vertibulis confundit.

GALL. Nostri Bechus uocant, Rondeletius. Hoc genus piscium Massiliæ paucissimis cognitum senes quidam (cùm eius descriptionẽ multùm ipsis inculcassem) nominarunt mihi Vichonos, Gillius. Vide etiam mox in Germanicis nominibus.

GERM. In Oceano ad litus Gallicum frequentia sunt Tethya: alibi autem nusquam (quod sciam) edulia: persæpe quidem Ostrearum testis adhærere Lutetiæ uidẽtur, Bellonius. qui tamen Gallicum eorum nomen nullum depromit. Nos inde Germanico etiam Oceano ea non deesse facilè conijcimus: quia uerò nomen nullum habemus, fingimus hæc. **Sprützling/darum̃ das von jnen wasser scheüßt gleych wie von einer sprützen so man sy zůsamen truckt. Oder Mägling: dann das fleisch das in̄ der schalen eynbeschlossen/sicht einem magen gleych. Schwüm̃ling/Brüstling/ꝛc.**



PVDENDVM mar. uirile. Mentulam mar. (inquit Rondeletius) Zoophytum hoc uocamus, eius figura et specie maximè nos ad id impellente: atque etiam uulgari appellatione, qua Massilienses & nostri utuntur. Corio duro constat, ut Tethya. quum uiuit, intumescit ac distenditur: post mortem flaccescit. Foramina duo habet, quibus aquam trahit & reijcit. Partes internæ, indiscretæ sunt. Multa huiusmodi circa Stœchades insulas capiuntur. Varia sunt, alia uiridia, alia nigricantia, alia flauescunt. ¶ Colybdænæ nomine Epicharmus (citante Athenæo) intelligit θαλάττιον αἰδοῖον, id est, Pudendum marinum: uel, ut Heraclidæ placet, Squillam. Colymbænæ cum Gammaris, Squillis, Sepijs, &c. stomachicis in cibo conueniunt, Galenus de composit. med. sec. locos 8.4. per Colymbænas nimirum Crustata quædam & cibo apta intelligens. Rondeletius Vrticam paruam hodie à Græcorum uulgo Colycænam dici scribit, à Gallis Culum Asini. ¶ Piren (πειρήν) Numenij, Pudendum marinum masculum, aut aliquam eius speciem significare uidetur. ¶ Halesurion (aut fortè meliùs Halosurion) pro genitali marino accipi uidetur, quasi ἁλὸς οὐρά, id est,

Colybdæna.
Colymbæna.
Colycæna.
Piren.


id eſt, marina cauda. Vegetius quoque Zoophytis quibuſdam marinis Caudam adnumerat. *Cauda.*

Eſt & piſcis (*communius accipit piſcem pro aquatico animali*) nomen Aedœon: quod & nos Genitale nuncupamus marinum, à nonnullis Haleſurion Grecè dictum: quanquam Haleſurion ſunt qui pro Callionymo piſce capiant, Hermolaus Barb. ¶ Pudendi marini utriuſque ſexus meminit Apuleius, nominat autem Virile, Veretillum: & muliebre, Virginale: quod etiam ab indocto quodam interfœmineum appellatum reprehendit. Hæc friuola (inquit) pleraq; in litoribus omnibus aceruatim iacent. ¶ Holothuriorum ſecunda ſpecies paulò antè exhibita, genitalis uirilis quandam ſimilitudinem præ ſe fert. ¶ Oſtreum quoddam unius conchæ inuenitur, quod habet ſpeciem uirilis uirgæ inferiùs: & aliud eiuſdem generis, quod habet ſimilitudinem uuluæ muliebris. Huius oſtrei concha refert Cochleam: & eſt ſpinoſa extrinſecus, in cibo gratæ & delicatæ carnis. in eodem ſæpius margaritæ reperiuntur. abundat autem in litore maris Germanici & Flandrici: uocaturq; ab accolis Billegen, Albertus. eſt autem fortè idem hoc genus, quod Pulmonem marinum ueteres uocarunt. is enim & teſtaceus eſt, & formam Pudendi repræſentat: quamobrem Itali uoce obſcœna Potam marinam uocant, ut Bellonius tradit: quanquam Pulmonem marinum illius, Rondeletius Vrticæ genus facit. *Aedœon. Veretillum. Virginale. Holothuriū. Oſtrea quædā αἰδοιοειδῆ. Pulmo mar.*

GALL. Propoſitam à ſe iconem Rondeletius Maſsiliæ & circa Monſpelium, Mentulā marinam uocari inſinuat. Ab hac uerò diuerſam, quam nos Pennam marinā, piſcatores noſtri (inquit) Mentulam alatam uocant.

GERMANICE tum eam Vrticæ ſpeciem, quam Itali Potam, tū exhibita à Rondeletio Pudenda, & ſi quid aliud in mari eandem ſpeciem præ ſe fert, Meerſchaam uel Seeſchaam, id eſt, Pudendum marinum nominabimus: uirile priuatim Seeſtert. ¶ De Germanico nomine Billegen paulò antè inter Latina diximus.


ANGLI Pudendum mar. maſculum Pyntylfiſhe appellant.



PVDENDI marini altera ſpecies. Zoophytum iſtud (inquit Rondeletius) à mentulæ contractæ forma non multùm diſtat, ſi eam cum ſcroto accipias. Ex dura quidem teſta conſtat, ſed ueluti cartilaginea, ſpiſſa, rugoſa, perſpicua. Foramina à ſeſe ſeiuncta duo habet, quibus aquam reijcit, quum comprimitur. Partes internas indiſcretas habet, ueluti reliqua Zoophyta. Sic ille.

De eodem ſentire uidetur Bellonius, quum ſcribit: Alia ſunt purgamenta marina, quæ genitale uiri imitantur, tum ſpecie, tum magnitudine, pinnis etiam ſubnexis binis loco teſtium. niſi fortè potiùs hęc ſit Penna mar. Rondeletij: quam piſcatores circa Monſpelium, formę extremi alterius ſimilitudine inducti Mentulam alatam uocāt. Cuius etiam Albertus meminit, loco teſtium in his Zoophytis alas prominere ſcribēs: tardè moueri ea, nec uiuere niſi in aqua. ¶ Longè aliud ab hactenus memoratis Pudēdum illud marinum eſt, quod ſic nominauit Bellonius: cui ſenſum tactus, & motum Lumbrici uel Hirudinis, (tum contrahendo ſe, tum ſerpendo de loco ad locum:) & partes internas diſcretas, os cum dentibus, gulam & ſtomachum attribuit. Genitale (inquit) dicitur, quòd teres ſit, pedem longum, & mediocris brachij craſsitudinis, &c. rufi coloris, aſpectu toroſo, Nymphææ radicis ſimilitudine, ſemper ad ima ſidit, nunquā natat: contrectatumq; in ſeipſum contrahitur, ac cornu duritiem habet, uixq; acuta cuſpide pertundi poteſt: alioqui permolle, dum ſua ſponte mouetur. Suas promuſcides quando uult exerit, atque ita conſtringit, ut ex pedali longitudine uix ſex digitos longum appareat. acetabulis quæ in promuſcidibus habet, lapidibus hęret: in quibus plus quàm quatuor millia nonnunquam annumeres. Ex anteriori capitis parte crinitas emittit ueluti arbuſculas, acetabulis plenas: quibus quicquid palpat, ad os adducit: quod tam amplum aperit, ut uel integram conchulam admittat. ueſcitur enim omni Conchyliorum genere. Eius recrementa uiſcida, copioſa, & albiſsima ſunt: quæ ita tandē indurantur, ut cum fidibus neruea firmitudine certare poſsint. Oſsibus & ſanguine caret, exceptis dentibus. Hoc maris purgamentum à piſcibus alijs minimè tentatur, nec à quoquam in cibo expetitur. Litorale eſt: nec alibi reperitur quàm ubi Patellæ & Vertibula. Vulgus Italicum Cazo marino nuncupat, Græcū Pſoli. Sic ille, nulla eius icone appoſita. Mihi certè plus quàm Zoophytum hoc animal uidetur: quod non uideo quò referri poſsit, niſi fortè ad Mollium genus, quum animal ſit exangue, ſine oſ- *Penna mar. Mentula. Pudendum mar. aliud à Bell. dictum.*


ſibus, non teſtaceum, non cruſtatum, non deniq; inſectum. Quòd modò ſolutum uagatur, modò acetabulis ſuis adhæret; id etiam cum Mollibus, præſertim Vrticis in eo genere, commune habet.



PVDENDI mar. alia ſpecies, cuius picturam olim Cornelius Sittardus ad me miſit. Id aliqua ex parte ſimile eſt illi, quod ſecundo loco Rondeletius propoſuit, colore è luteo ſubuiridi. Maſſa quædam informis uidetur, retrorſum ubi craſsior altiorq; eſt, ueluti cornu paruum, rugoſumq; extenditur. oppoſita pars humilior ceu in glande colis foramen oſtendit: idq; rubicundi coloris, ſi pictor non fallit. Hoc in Italia prope Romam rarò capi, nec eſui eſſe aiunt.

PVLMO marinus, (πνεύμων uel πλεύμων Attice Ariſtoteli,) Zoophytum eſt ſponte proueniens. Multis eadem natura quæ frutici, ut Holothurijs, Pulmonibus, Stellis, Plinius, à quo alibi etiam Halipleumon appellatur. *Halipleumō.* Inter Teſtacea habetur ab Ariſtotele; eodem ſcilicet modo quo Holothuria, Tethya & Stellæ; quę omnia corio duro conteguntur. Pulmonis uitam uiuere, prouerbium eſt in eos, qui otioſam & ſecuram nimiùm ſtolidamq; uitã degunt, ſine ſenſu ferè, & temporis ratione. *Prouerbium.* Plato in Philebo: λογισμοῦ δὲ στερόμενον, μηδ' εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον ὡς χαιρήσεις, δυνατὸν εἶν λογίζεσθαι: ζῆν δὲ οὐκ ἀνθρώπου βίον, ἀλλά τινος πλεύμονος, ἢ τῶν ὅσα θαλάττια μετ' ὀστρεΐνων ἔμψυχά ἐστι σωμάτων. Hinc & πλευμονία, οἱονεὶ βλακικόν τι πάθος apud Suid. in βλάκα. ¶ Pulmo mar. id eſt, Cunnus marinus, Interpres Kiranidis, ſed obſcœno hoc nomine Italis dictum Zoophytum, (Pota mar.) Vrticæ genus potiùs fuerit: quamuis etiã Bellonius pro Pulmone mar. accipiat. Veteres quidem Pulmonem marinum ceu uulgò notum nõ ſatis deſcripſerunt. ¶ Conÿcere autẽ licet Pulmones, uel à pulmonum noſtrorum figura, uel ab eorundem ſubſtãtia laxa, molli, foraminibus plena, nominatos fuiſſe, inquit Rondeletius; unde Ariſtoteles Spongias aplyſias Pulmonibus cõparauit. Eo quidem in loco de marinis potiùs (utpote quorum denſa & tenax ſit ſubſtantia,) quamuis dubitat Rondeletius, quàm de uiſcere animalium ſenſiſſe mihi uidetur. ¶ Pulmone marino ſi confricetur lignum, ardere uidetur, adeò ut faculam ita præluceat, Plinius. qui etiam pſilotri uim ei attribuit, &c. ¶ Nos (inquit Rondeletius) cum illa quæ ſaxis affixa ſunt, diligentiùs rimaremur & contemplaremur, inuenimus ſubſtantiam quandam illis hærentem, corio duro & nigro intectam, intus mollem, fungoſam et fiſtuloſam, Spongiarum aplyſiarũ modo. Ea in ſaxorum rimis naſcitur, cuius imaginem non exhibemus, quia commodè pictura exprimi non poteſt.

Corpus quoddam rotũdum, pilæ mar. modo, &c. quod an Pulmo mar. ſit, Rondeletius dubitat: uidetur autẽ hoc ipſò ſaltem potiùs eſſe Pulmo mar. quàm quod priore loco à Rondeletio deſcribitur. quòd non affixum ſaxis, ſed abſolutum eſt, &c. aplyſiæ quoq; ſimilitudo, non minus huic quàm illi fauet.



Vel Pulmo marinus dici poteſt corpus quoddam rotundum, pilæ marinæ modo, uireſcens, foris ſubſtantia feltro ſimile, intus totum fiſtuloſum ueluti Spongia aplyſia. id in mari aqua plenum eſt & graue, extra mare in ſe concidit & flacceſsit. In ſaxorum rimis deliteſcit, et inter algas. quum uerò per mare fertur, tempeſtatis ſignum eſt, quod de Pulmone marino ſcripſit Plinius. Hęc Rondeletius. Pulmones quanquam zoophyta, non adhærent, ſed abſoluta ſunt, Michael Epheſius.

GERM. Ein ſunderlich Meergewechs/von den alten Griechen ein Lunck/oder Meerlunck genañt/ außwendig mit einer herten haut gleych als låder (wie auch die obgenannten Spriitzling


Spzützling vnnd andere) bedeckt. so man ein holtz mit reybet/soll es scheynẽ als ob es brün=ne. Man zweyflet ob es dises gewechs sye/welliches hie fürgestelt wirdt/wie ein kugel/grün=lacht/vnd wie filtz außwendig/ iñwendig aber gelöcheret wie die gar groben schwüm̃ die sich nitt bereiten lassend/vnd allweg vnreyff beleybend.

ZOOPHYTA reliqua ordine XVII. requires, quæ scilicet non corio aut testæ instar calloso operimento, sed alio quopiam suo integuntur, &c. Rondeletius aptiùs hæc & illa coniunxit. nos dum Aristotelem, qui hæc Testaceis apponit, sequimur, incommodè diuulsimus, Ordine insectorum interposito.

ORDO XVI. DE INSECTIS MARINIS.

DE MOLLIBVS in mari alijsq; exanguibus animalium, scripsimus suprà in genere, à principio Ordinis XIII. ¶ Pulicem & Pediculum marinos, quanuis tenui crusta integantur, Insectis potiùs, quàm ut Rondeletius Crustaceis, adiunximus, quòd forma eorum tota à Crustatis plurimùm differre uideatur, magisq; ad Insecta accedere. ¶ Ad Insecta referri potuissent etiam Stellæ. nam incisuras multas in radijs habent: sed ultimo Testatorum loco, ueluti ambiguæ naturæ, eas referre maluimus. ¶ De insectis in genere hoc in loco nihil differimus: quoniam longè plura insecta terrestria sunt; quorum historiæ tractatio aliqua his atq; illis communis præmittenda est.

Icon hæc Venetijs facta est, minùs accurata quàm Rondeletij: quæ & pilos ab eminentibus singulis in capite dorsoq́; partibus singulos ostendit, & pinnulam in extremo dorso.



HIPPOCAMPVS, ἱππόκαμπος, à Græcis dictus, apud Latinos idem nomen retinuit, ab hippos quod est equus, & campe quod est, flexura, uel eruca, compositum. capite quidem & iuba equum æmulatur: corpore autem est repando, & in arcum se curuante: prætereà uilloso & incisuris multis disiuncto, quemadmodum quæ in arboribus & oleribus reperiũtur erucæ. Ergo cum erucas, maximè cauda referat, reliquo corpore equum, Hippocampus (*quasi Equerucus*) optimo iure uocatus est, Rondeletius. Plinius Hippum, ut Oppianus uocauit, Athenæus Hippidiũ, Bellonius. sed hæc eius coniectura incerta est, cum authores illi Hippum & Hippidium nominarint tantùm. Videtur autem potiùs sui generis piscis esse Hippus, ut & Hippidium, siue idem cum illo, siue diuersus. Campas (*Meliùs, Hippocampos*) marinos equos Greci à flexu posteriorum partium appellant, Varro. Hippocampi, equi marini, à flexu caudarum quæ piscosę sunt, Nonius. at ueri Hippocampi cauda piscosa (id est, piscium caudæ similis) non est: sed fabuloso Neptuni equo, (quem falsò quidam Hippocampum & Hippopotamum appellarunt,) talem affingebant olim pictores. Caballiones marini pro Hippocampis nominantur à Vegetio in Hippiatricis. Albertus barbaro nescio cuius linguæ uocabulo Zydeath dixit. ¶ Fel & sanguinem ei attribuunt, Rondeletius etiam hepar & cor: quare non erit forsan propriè Insectorum generis, ut ex corporis eius segmentis uideri posset, sed ambiguæ inter sanguinea animalium & Insecta quę sanguine uacant, naturæ. Rondeletius tamen, quem sequimur, Insectis eum adnumerauit.

Hippus. Hippidium. Caballio mar. Zydeath.

GRAECI hodie Ἀσπίδα uocant, quidam Salamandram marinam, Rondeletius.


ITAL. Romani, Illyrici, Genuenses, Chaual nuncupant. Veneti Draconem. quidam Gallum marinum, Rondeletius. At Bellonius à Venetis Faloppa dici scribit: [*Rondeletius Crangonem è Squillis Vallopam nominari:*] Genuæ & Maßiliæ Gaballum (*quod malim quàm Gallum*) marinum. ¶ Sunt qui Caualin marino, Caualin ritorto, uel Dragonetto uocẽt: hoc est Equiculum marinum uel Dracunculum, ut Matthiolus interpretatur: alij il Dracone marino.

HISP. Caulinho marino.

GALL. Maßilienses & circa Monspelium Cheual & Cheualot, Rondeletius. Maßilien-

ſes Gaballu m mar. Bellonius. Galli Draconeto, Amatus Luſitanus.


GERMANICE nominetur ein Meer-roſſz/ein Seeröſsle. Aſpidis quidem, Dracunculi & Salamandræ nomina à diuerſis populis, ſi formam reſpicias, ineptè ei attribuuntur: at quoniam uenter eius, Aeliano teſte, uenenatus eſt, uenenatorum quoque animalium nomina ὁμωνύμως fortè in ipſum translata fuerint.



ERVCA marina Rondeletij. Ore (inquit) & oculis caret. in medio latior eſt, extrema graciliſcunt & incuruantur. In uentre ſiue in ſupina parte, rugoſus eſt, pudendi muliebris ſpeciem referens. in prona parte, ſiue in dorſo tumores parui eminent (Verrucas piſcatores noſtri uocant,) è quibus pili uirides exiſtunt. Ad contactum intumeſcit & ſupernatat, ut Aelianus de Phyſalo ſcripſit. præterea uenenatum eſſe in Cane experti ſumus. cum Phyſalo tamen Aeliani idem eſſe hoc animal, non affirmamus, ei tamen certè non ualde diſsimile fuerit: uel Erucarũ marinarum generi rectiùs ſubijcietur. Sic ille. Aelianus certè φύσαλον ſuum piſcẽ facit maris Rubri; ſine ore & oculis, & brãchias ei tribuit. Rondeletij uerò Phyſalus circa Monſpelium in mediterraneo notus, inſectorum generis eſt. quoniam tamen hic quoque uenenatus eſt, & tactu inflatur, Phyſalum appellari non prohibebimus. Aeliani quidem Phyſalum pleraque cum Lepore marino communia habere obſeruauimus, ut ſpecies eius uideri queat. Eſt & inter belluas mar. Phyſalus, alio nomine Phyſeter. ¶ Diuerſa ab hac eſt Eruca marina Bellonij.

Phyſalus.

GERM. Mag ein Meer-rauppe genennt werden. iſt ein wunderbarer haarwurm im meer.



Icon à Rondeletio exhibita.



Animal hoc marinum cuius iconem (neſcio unde nactus) hîc pono, ſi Pediculi mar. ſpecies non eſt, quò referam dubito.

PEDICVLVS marinus, (φθεὶρ θαλάττιος Ariſtoteli,) cum Pulice conſpirat ad infeſtandos piſces & tenui cruſta integitur: (unde à Rondeletio cruſtaceis adnumeratur, ut ſcripſimus initio huius Ordinis.) maioris fabæ magnitudine & latitudine eſt, Scarabeo terreſtri ſimilis, corpus ex aliquot tabellis conſtat. Piſcibus ita hæret, ut eripi non poſſit. Sugit ut hirudo: nec prius abſcedit quã tabidum & exuccum piſcem reddiderit. Errant qui Pediculum marinum, Aſilum ſiue Oeſtrum Ariſtotelis faciunt, Rondeletius, qui in ſtagnis etiam marinis Pediculos naſci ſcribit, ita conglomeratos, ut piſces uel hamo iam captos abſumant. Vide mox etiam in Pulice mar. ¶ Eſt & Pediculus piſcis Ariſtoteli: qui omnium pinguiſsimus fit pabuli copia, quæ Delphini (quem ſequitur) opera ſuppeditatur, in mari quod eſt à Cyrena ad Aegyptum.

ITAL. Pedozo marino. Idem fortè eſt Pruſa Genuæ dictus, non Aſilus ut Gillius putabat.

GERMANICE interpretor Waſſerlauß, uel potiùs Meerlauß. nam in dulcibus etiam aquis inſecta quędam appellari audio Waſſerleüß. Vel Meereſel. Aſellis enim multipedibus (qui ſub aquarijs uaſis ſtabulantur) ſimile hoc animal facit Ariſtoteles: niſi quòd caudam latam habet.

PVLEX marinus Rondeletij. ψύλλος θαλάττιος: ſic dictus eſt nimirum non tam à formæ, quàm ſaliendi ſimilitudine, & ſimiliter piſces in mari infeſtandi natura, ut Pulices in terra moleſti ſunt animalibus. Hic exhibitus facie homunciones ridiculè pictos uel Simiam repræſentat: alijs partibus Locuſtæ ſimilis eſt, tam exiguis quidem ut niſi ab oculato diſcerni non poſsint. Tenui cruſta integitur: quamobrem à Rondeletio cum Cruſtaceis deſcribitur, ſicuti ab initio huius Ordinis dixi. Piſces (inquit Ariſtot.) uel manu facilè caperentur dum dormiunt, niſi à Pediculis & Pulicibus uexarentur. nunc uero ſi ſomnum diutius capiãt, noctu ab innumera multitudine beſtiolarum iſtarum occupati abſumuntur. Gignuntur eæ in profundo



fundo mari tanta fœcunditate, ut escam ex pisce confectam, si diu in imo manserit, totã corradant: atque piscatores sæpe escam demissam, glomeratis undique his bestiolis, perinde ut globum recipiant. ¶ Niphus Scolopendras mar. uulgò Pulices marinos dici scribit, quòd pisces eodem modo infestent. nos Scolopendras mar. longè alias dabimus inferiùs. *Scolopendræ mar.*

GERM. F. Ein Meerflohe.

OESTRVS uel Asilus marinus, qui similiter in mari pisces quosdã (præsertim Thynnos & Xiphias) stimulat & exagitat, ut Asilus terrestris.



ITAL. Prusam uocant Ligures, Gillius. is (inquit) quem uidi albus erat, & ad piscem Pagrum inhærescebat. Piscatores affirmant maximos etiam pisces ab eo confici. Sic ille, sed an Pediculum mar. pro Oestro acceperit, inquirendum.

GERM. F. Ein Meerbrãm: stupft vnd treybt die fisch im meer/ wie ein brãm die thier auff erden.

HIRVDO marina. Viuit hæc (inquit Rondeletius) in mari & marinis stagnis, ei quæ in aquis dulcibus nascitur, persimilis. Licebit & Lampetrã piscem, Hirudinem marinam uocare, Strabonis exemplo: qui scripsit in quodam Libyæ fluuio nasci βδέλλας septenûm cubitorum, quæ branchias habeant perforatas, ita ut per eas respirare possint. Lampetræ quidem ore, similiter ut hirudines, ueluti sugentes adhærent. ¶ Hirudinem fl. quæres infrà.



GERM. Ein Meerãgle/Meerãgel.

VERMIS Microrhynchoteros Rondeletij. Vermium (inquit) ut in terra, ita in mari diuersa sunt genera. (De Seta marina in fluuiatilibus dicetur.) hîc duos tantùm proponemus quos sæpe inter maris purgamenta reperimus, ueteribus (quod sciam) indictos. Eorum prior cute molli contegitur, tota incisuris constante: os uel rostrum obtusum est, parumq́ue prominet, unde μικρορυγχότερον cognominauimus. Alijs rostrum deest: & foramen tantùm habent capiendi cibi gratia. Totus uermis digitali est magnitudine, digiti minimi crassitudine.




GERM. Ein Meerwurm eines fingers lang/ des kleinsten fingers dick/ mit einem kurtzen kumpfen schnäbele: etlich habend nur ein löchle an statt des schnabels. ich halt er sye der natur der Mettlen/ wie auch der nachuolgend.

VERMIS Macrorhynchoteros Rondeletij. Hic (inquit) multò longior est superiore. nam aliquando duorum cubitorum magnitudinem æquat, pollicisq́ue crassitudinem, rostro etiam multò longiore, simili Hippocampi rostro, unde μακρορυγχότερον nuncupauimus. Farciminis longi figuram refert. Intus longum duntaxat uentriculi uel intestini ductũ habet, aqua & luto pleni. unde perspicuum est his tantùm uesci. Viuit in luto maris & marinorum stagnorum: Sic ille. Videntur sanè ex ijs quæ scribit Lumbricis cognati hi uermes.



GERM. Ein anderer Meerwurm grösser vnd dicker/ mit einẽ lengeren schnabel. Süch im nächstgemelten.



LVMBRICVS longus, ijs qui in corpore humano procreantur, similis, in mari etiã & stagnis marinis prouenit. est autem inter alios stagnorum mar. uermes hic frequentior. binûm cubitorum longitudinem non superat, Rondeletius. Lumbricus mar. terrestri maior, stabulatur in litore intra arenam, in eo potissimùm tractu, quem æstus alti maris contegit: unde interdum discedens siccum relinquit. Piscatoribus ad escam plurimùm confert, &c. Bellonius. ¶ Aliqui Lampredam, Lumbricum aut Vermem marinum uocauerunt.


GERM. Ein Meermettel.



VERMES in tubulis delitescentes à Rondeletio exhibiti. Nascuntur (inquit) in saxis marinis, & super Concharum uetustarum testas tubuli uel siphunculi testacei, rotundi, (*teretes*,) asperi, candidi, intus læuissimi, quorum alij recti sunt, alij contorti & replicati. In his procreantur & uiuunt uermes, qui foras se exerunt hauriendæ aquæ gratia. Hi colore & substantia Scolopendræ rubræ similes sunt: figura & magnitudine nonnihil differunt, longissimi enim digiti magnitudinem non excedunt. Pars posterior folij myrtei modo in acutum desinit. Priore parte utrinq; pedes habent ueluti Scolopendræ, inde fistula prominet, in extremo obtusa, tubæ modo, & perforata, qualem in Asilo marino depinximus. eâ aquam trahit. Horum uermiculorum testa Pharmacopœi nostri utuntur in compositione unguẽti citrini pro Dentali. Huic similem testam etiã Dentale uocant, (*Antale legerim, acuminatam nimirum instar cornu*,) quo in eodem unguẽto utuntur. Huiusmodi aliquot picturæ superiori aspersimus. Sic ille. Nos eundem hunc Tubulum marinum, utpote testaceum, sine uerme proposuimus suprà, Ordine XV. proximè ante Echinos, qualem à pharmacopola accepimus.

Dentale.

GERM. F. Kånelwürm/ Kånelnasseln/ rotlacht / mit vil füssen/ in etlichen kånelschalen/ die auß den felsen des meers wachsend (Dentali von ettlichẽ Apoteckern genañt) verborgen.



SCOLOPENDRAE marinæ (inquit Aristoteles, σκολόπενδραι θαλάττιαι) aspectu terrenis similes sunt, magnitudine paulò inferiores. gignuntur in saxosis locis. colore magis rubro sunt. Pedum numero terrestres superant. ¶ Nos (inquit Rondeletius) species duas hîc proponimus. Prior minor est, colore planè rubro, dodrantali magnitudine. in saxosis locis degit. A capite ad caudam utrinque pedes habet plurimos. in flexus et uolumina sese contorquet, nunc longior, nũc breuior: nunc gracilior, nunc crassior efficitur. Altera est superiore multò longior, utpote quæ ad cubiti longitudinem accedat, tenuior, colore ad candidum uergente. Huius generis Scolopendras in uentriculo Lacertorum marinorum & Acuum sæpe reperi, & sæpe ex ore extraxi: quod maximo est argumento, huiusmodi pisces ijs uesci sine pernicie: easq; non in litoribus, sed in alto mari, ut Lacertos & Acus, uiuere. ¶ Scolopendra mar. quam uidi, ad digiti longitudinem & crassitudinem accedebat, Gillius. Marcellus Vergilius marinas terrestribus longiores facit. ¶ Hamo de-

mo deuorato Scolopēdræ omnia interanea euomūt, donec hamū egerāt: deinde reſorbēt, Plin. ex Ariſtot. Mordet (*Pruritum facit*) non ore, ſed tactu totius corporis, ſimiliter ut quæ Vrticæ uocantur, Ariſtot. Morſus quidē Scolopendræ, tū terreſtris, tū marinæ, ueneni nō expers eſt: cuius & notas ferè & remedia paria medici tradunt. Sunt qui Scolopendras mar. à Pulicibus marinis per imperitiam non diſtinguant. ¶ Proximè retrò uermes in tubulis deliteſcentes Scolopendris ſimiles, deſcripſimus. Scolopendram cetaceam ſuo loco dedimus.

GRAECI hodie Scolipetras corruptè nominant, Gillius.

GERM. F. **Meernaſſeln/geleych den Naſſeln auff der erden genañt: welches ſind langlachte/rotlachte/tünne würm/mit vnzalbaren füſſen/ꝛc.**


PHRYGANIVM à Bellonio dictus fluuiatilis uermiculus, quamuis marinus quoque eſt, inter Inſecta fluuiatilia referetur.

ORDO XVII. DE ZOOPHYTIS MARINIS QVIBVSDAM QVAE NON CORIO DVRO SIVE TESTACEO INTEGVNTVR, (EA ENIM ultima Teſtatorum fecimus,) ſed ſui generis operimento.

HOLOTHVRIA & Tethya, quæ Rondeletius Zoophytis attribuit, ultimo Teſtatorum loco (ubi etiam eius facti rationem reddidi) recenſui. ¶ De Spongiarum natura alij aliter ſenſerunt: nos in earum hiſtoria non ſentire eas oſtendimus. Sunt ſanè gradus quidam naturę, ut alibi, mirificè ſemper τὰ μέσα καὶ ἐπαμφοτερίζοντα appetentis, ita in tranſitu à frutice ad animal. Poſt inanimata corpora, media quædam fortè ſequuntur, (ut ſi quæ inter lapides & metalla creſcēdi uim fortè habent:) tertio animata, ut Plantæ. In plantarum fine, Zoophytorum initio, Spongię ſunto, primùm ſimpliciter dictæ; deinde aplyſiæ: mox Pulmones, Holothuria, Tethya, ac multa deinceps Zoophyta, alia ferè alijs perfectiora, uſque ad Conchas, quas ſuperant Cochleæ, &c. donec ad Hominem uſque conſcenderit. ¶ Zoophyta uocamus (inquit Rondeletius) quæ nec animalium nec fruticum, ſed tertiã ex utroq; (genere) naturam habent: quę Latinè nominare non poſſumus, niſi Plantamines, aut Plantanimalia dicamus. Horum nonnulla Ariſtoteles inter Teſtacea recenſet, ut Tethya & Stellas: quæ quoniam duro corio integuntur cum Teſtaceis: quoniam uerò naturâ inter plantas et animalia ambigunt, cum Zoophytis explicari poſſunt. Nos eodē libro utrunque genus coniungimus: quòd quædam ſint Zoophyta quæ ad Inſectorum: & quædam Inſecta, quæ ad Zoophytorum naturam accedant. Sic ille.

Holothu *Tet* *Spongi* *Gradus* *turæ.*

ESCHARA, ἐσχάρα, ut Rōdelet. ſuſpicatur: à figuræ forſan ſimilitudine aliqua. Quod hic repræſentamus (inquit) noſtri piſcatores Giroflade appellāt, à ſimilitudine pulchri & boni odorati floris, quem noſtri Giroflade, Galli Oeillet uocant. Suſpicor tantùm necdum pro certo habeo, ſit ne ueterum Eſchara, cuius mentionem à ſolo Athenęo fieri comperio ex Archippo. Super ſaxa enaſcitur, ex pediculo exurgēs, aliquãdo ſupra ligna in mare deiecta, nonnunquam pediculo caret. Ex dura terreaq; ſubſtantia conſtat: cute rubra contegitur, qua ſublata totum corpus ſpectatur cribri inſtar perforatum, lactucæ criſpæ ſiue capitatæ folijs ſimile. In cibis inutile prorſus eſt. Aduerſus ulcera maligna prodeſt. Vehementer enim ſiccat, & ſuperuacuam carnem abſumit. Hæc Rondeletius. Archippi uerba ſunt: λεπάσιν, ἐχίνοις, ἐσχάραις, βελόναις τε, τοῖς κτένεσί τε. Videtur aũtille in ueteris comœdię fabula, in qua opſophagos pręcipuè traducit, de ijs tantùm piſcibus & aquatilibus loqui, quæ cibo apta ſunt. Rondeletij Eſchara cibo inepta eſt. quare Archippum de illo piſce potiùs, qui maſculino genere Eſcharus à Dorione nominatur, ſenſiſſe coniecerim: eum alio nomine κόριν appellat, de genere latorum piſcium. Rondeletius dubitat an hæc ſit ſpecies illa Soleæ, quam ipſe oculatam cognominat: & ſanè habet illa maculas tanquam oculos pupillis (quas Græci κόρας uocant) inſignes. Cæterùm Eſchara Rondeletij planta quædam marina fortè fuerit, fuco bryóue marino cognata. deſcribitur enim hoc lactucæ folijs, rugoſum, ueluti contractum, ſine caule, pluſculis ab ima radice exeuntibus folijs. naſcitur in lapidibus teſtaceiſq;. præcipua ei ſiccandi ſpiſſandiq; uis, &c. Aetius lib. 12. cap. 35. Lactucæ (inquit) in mari, ſunt germina lata & oblonga, ac uiridiora, tenuia & ſubrugoſa, ac ueluti conduplicata, ad litora maris per fluctus eiecta.



GALL. Giroflade, ut iam dictum eſt.

GERM. F. **Ein Meernägele/wachßt an den ſteinen im meer.**



EPIPETRVM Cornelij Sittardi, quod pictũ ad me misit. Massa quædam informis uidetur, spongiosæ & cauernosæ substantiæ, sex digitos longa, sesquidigitum lata, inæqualis & tuberosa, multis ceu acetabulis compacta: colore partim nigricans, partim rubescens. Hanc apud me picturam cum Bellonius uidisset, Pudendum marinum sibi uideri dicebat. Nasci puto circa petras maris, eisq; hærere, ut inde aliqui Epipetron nominare uoluerint. sed zoophytum hoc est. Veterum uerò Epipetron herba est, quam Aristoteles etiam suspensam, multo tempore uigere tradidit, &c.

Epipetrõ herba.

GERM. Ein besunder luck vnd schwũmachtig meergewechs/2c.


CVCVMIS marinus: quem Plinius colore & odore similem facit terrestri.

GERM. F. Ein Meerkukumbre.



ZOOPHYTI huius nomen apud scriptores nullum reperio, quare à similitudine Malorum insanorũ, (quæ Albergaines nostri uocãt, alij Pommes damours,) Mali insani nomen ei accommodare uisum est. Vuæ marinæ species quibusdam uideri posset: sed quia flores uuæ nullos refert, uerùm foliorum potiùs uel plu-

Vua mar.



marum formam: quia etiam pediculo differt: dilucidioris distinctionis gratia ab Vua mar. secreuimus: & à similitudine mali illius terrestris, quod oblongius est (nam est & alterũ rotundius) Mâlum insanum appellauimus. Facultate ab uua mar. (quam mox subijciemus) non differt, Rondel.

GALLICE. Albergaine uel Pomme damours de la mer.

GERM. F. Ein sunderlich Meergewechs: dollöpfel oder öpfel der liebe im̃ meer.



VVA marina Plinij. Rerum quidem, non solùm animalium simulacra mari inesse, licet intelligere intuentibus Vuam, Gladium, Serras, Plinius. Intelligit autem opinor (inquit Rondeletius)

deletius) eam Vuam quæ hîc depingitur, externa in parte uuæ flores optimè exprimens. Est autem oblonga quædam & informis massa, ex uno pediculo dependens. Partes internæ indiscretæ sunt: inter quas aliquando reperiuntur ueluti glandulæ paruæ, cuiusmodi unicam seorsum depinximus. ¶ Vua marina in uino putrefacta (*tusa & madefacta in uino sufficienti, Nicolaus Myrepsus*) ijs qui inde biberint tædium uini affert, ait Plinius: cuius rei causam fœtori & marino odori attribuit Rondeletius. Vegetius in Veterinaria medicina inter diuersas res marinas Vuam quoq; adhibet in suffitum contra pestilentem morbum. Vuam seu Ampelon Græcè, aliqui uocant genus algæ in aquis dulcibus, quod florem fructumq; racematim digestum habet. Ampelis et botrys Aeliano inter algas sunt. *Vua alga.*


GALL. Nostri piscatores non hoc Zoophytum, sed oua Sepiarum racematim compacta, à pediculo uno dependentia (ut suprà exhibuimus) Vuam mar. nominant, Rondeletius.

GERM. F. Ein Meertreübel: ein Meergewechs / an welchem außwendig geleych wie traubenblůmen gesähen werdend. Id quod in Oceano Germanico Haffguffe uocant, magis fructum quàm piscem referens, simile quid esse suspicor.



MANVS marina, dicta à similitudine quadam.
GERM. F. Ein Meerhand.

Penna marina Rondeletij.



Alia à Cor. Sittardo communicata.



PENNA marina, ut Rondeletius nominat. Est enim (inquit) pennis magnis ijs quæ in pileis gestari solent, persimilis, &c. Noctu maximè splendet, stellę modo. Est inter Vrticas quoque à Rondeletio exhibitas, species una quæ frondem pennæ fermè instar explicat. Pennã marinam aliam rubentem, frõde simili ferè, nulla cum glande similitudine, Cor. Sittardus olim ad me misit. ¶ Penicillum mar. suprà cum Testaceis inuenies.

GALL. Nostri piscatores, formæ extremi alterius similitudine inducti, Mentulam alatã uocãt, est enim ea pars peni sine præputio, id est, glandi, similis: altera uerò parte pennã refert. Rõd.

FINIS ORDINIS XVII. ET VLTIMI DE ANIMALIBVS MARINIS.

AQVATILIVM ANIMANTIVM DIVISIO SECVNDVM LOCA IN QVIBVS DEGVNT, ex Oppiani primo Halieuticorum.

PISCES MARINI ALII SVNT

1. **LITORALES:** & horum alij pascũtur in litore, uel

ARENOSO: arenis & rebus quę in eis nascũtur uescẽtes, ut Hippus, Cuculus, Erythinus, Cithari, Mullus, (hunc etiam infra cũ genere Saxatilium nominat:) Melanurus, Trachurus, Buglossus, Platyurus, Tænia, Mormylus, Scomber, (sed hunc infra quoque nominat, cum ijs qui circa petras conchis plenas degunt:) & si qui alij litorales sunt, φίλοι αἰγιαλοῖσι. item Nautilus polypo cognatus: qui tamen etiam in summa aqua nauigat. ¶ Testaceorũ alia in petris, alia in arenis degunt: ut Neritæ, Strombi, Purpuræ, Buccina, Mituli, Solenes, Ostrea, Echini.

COENOSO, & in paludibus, quæ τενάγη uocant: τεναγώδεις pisces, lutarios uertũt aliqui, ut Raia, Bos, Pastinaca, Torpedo, Passer, Clarias, Triglis, Onisci, Saurus, Scepanus, & alij quidam. ¶ De Canum genere carcharię pelagij sunt: centrinæ uerò & galei eorumq́ species, ut Scymni, læues, acanthiæ, uarij, alopeciæ, rhinæ, in cœno profundo uersantur.

HERBOSO uel algoso: (οἷνα ἀνὰ πρασόεσαν) inter herbas: ut Mænis, Tragus, Atherina, Smaris, Blennus, Sparus, (sic enim legendũ, nõ Scarus:) Box uterq́, & alij.

FLVVIORVM hostijs adiuncto, uel stagnis dulcioris aquæ, (ubi multus limus colligitur, & aqua dulcis marinę miscet̃:) ut Cestreus, Cephalus, Lupus, Amia, Chremes, Pelamys, Conger, Olisthus. [Horum multos anadromos esse puto, hoc est, flumina subire: quanquam Oppianus Lupum dũtaxat amnes subire dicit, Anguillam contrà ex amnibus descendere.]

2. **SAXATILES.** Multò latiùs accipit Saxatiliũ nomẽ quã medici. Et hi degunt in saxis, uel

MVSCOSIS, (eminentibus nimirum altiùs,) musco & alga obductis: ut Perca, Iulis, Channus, Salpa, Turdus, Phycis, (& alij.)

HVMILIBVS in arenoso mari, quę Leprades nominãt: [aliqui Lepradem interpretantur petram maris asperam, altam, albã, uel cui lepades adnascantur: sed Oppianus distinguit. Aelianus, ni fallor, aspra nominat:] ut Cirrhis, Syęna, Basilisci, Myli (uel Mylli,) Mullus, quem etiam suprà cum primo genere Litoralium recenset.

Hi præcipuè à medicis saxatiles dici uidentur, quanquam & sequentium quidam.

HERBOSIS (sub aqua nimirũ:) ut Sargus, Vmbra, Faber, Coracinus, Scarus.

CONCHIS aut patellis plenis, cauernosisq́, ut pisces subire possint: ut Phagri, et Agriophagri, Cercuri, Opsophagi, Murænę, Scombri, [hos supra quoq́ primo generi litoralium adnumerauit:] Orphi.

RIMOSIS, siue rimas & fissuras quasdam (Græci χαράδρας dicunt) & ueluti specus habentibus: qui in suis latibulis manent, & præternatantibus piscibus infirmioribus insidiantur: ut Ouis, Hepatus, & Prepontes magni quidem corpore, sed ignaui: & Onos, id est, Asinus.

Saxatilium solus Adonis siue Exocœtus dictus, relicto mari undas secutus in petram aliquam se recipit quietis causa.

Locusta etiam & Astacus in finibus maris petras incolunt. Astacus etiam procul abstractus, semper ad suam sedem redit.

Testatorum alia in petris, alia in arenis degunt.

3. AMBIGVI ad petras uel arenas: in utrisq́ enim degunt: ut Aurata, Draco, Simus, Synodon, Scorpius uterq́, Sphyræna, Acus, Charax, Gobius: Mys (id est, Mus, Capros alio nomine Athenæo,) non magnus, sed corio & dentibus ualidis, ut uel homini resistat.

4. PELAGII, procul à terra: ut Thynni, Xiphiæ, Orcyni, Prenades, Cybeæ, Scoliæ, (Coliæ nimirum:) Scytalæ, Hippuri, Callichthys sacer piscis, Pompilus comes nauium. Echeneis cubitalis piscis, anguillæ similis, &c. Item cete, ut Leo, Zygæna, Pardalis, Physsalus, Melanthynus, Prestis, Lamne (uel Lamia,) Maltha, Aries, Hyæna: & Canes, nempe cetacei uel carchariæ. (nam aliæ 2. Canum species uersantur in cœno, centrinæ, & galei cognomine, quorum multæ sunt species.

5. VAGI, qui certam sedem non seruant: ut Chalcides, Thrissæ, Habramides, qui modo ad saxa, modo ad pelagus, modo ad litus feruntur, semper peregrini & errones. Anthiæ præcipuè circa petras profundas degunt: non semper tamen: oberrant enim undiquaq́, pro libidine gulæ: sunt enim edacissimi piscium, quanuis edentuli: magni & cetacei, in quatuor genera distincti, &c. Primi flaui, secundi candidi, tertij punicei, quarti Euopi uel Aulopi propter superciliorũ speciem. Item Delphini, qui modò circa litora, modò in pelago sunt: nec usquam in mari desunt.

6. AMPHIBII: (ut è saxatilibus fortè Adonis:) Cancri, Squillæ, & Paguri. Item qui in recessibus aut cauis locis maris habitantes pedibus præditi sunt: ut Polypus, Osmylus, Scordylus, (nimirum Cordylus:) & Scolopendra. Egrediuntur & cete quædã è mari, (ut Phocæ, propter somnum: Balæna, propter Solis calorem.) Diu in terra uiuunt Anguillæ, Testudo & Castorides, quarum dirus in litore ululatus est. Sunt & aues amphibiæ, quæ ex aere in mare se demittũt, cibi causa: ut Lari, Alcyones, Haliæeti. & contrà pisces aliqui præ metu in aerẽ euolãt, &c. Loligo longiùs, & altius: minùs altè Hirũdo: λύρα uerò, id est, Miluus siue Lucerna, proximè aquas, ita ut aquam contingat, & partim uolare, partim natare uideatur.

FINIS.

TOMVS II. LIBRI NOMENCLATORIS AQVATILIVM ANIMANTIVM IN SVOS ORDINES DIGESTORVM, CVM PICTVRIS EORVNDEM AD VIVVM EXPRESSIS.

CONTINET AVTEM VT PRIOR TOMVS MARINA, ITA HIC QVAE IN DVLCIBVS AQVIS (FLVuijs, Lacubus, & alijs) degunt animalia.

ORDINES HI SVNT.

I. DE Piſcibus fluuiatilibus: Cuius Partes ſunt 5.

1. De Piſciculis.
2. De Saxatilibus.
3. De Piſcibus latis.
4. De Piſcibus ſimpliciter.
5. De Piſcibus anadromis, id eſt, è mari ſubeuntibus amnes.

II. DE reliquis in dulcibus aquis animalibus: Cuius Partes ſunt 4.

1. De Piſcibus lacuſtribus.
2. De animalibus Cruſtatis.
3. De Teſtaceis.
4. De Inſectis.
5. De Amphibijs uiuiparis ouiparisq́.

AMPLISSIMIS AC PRVDENTISSIMIS VIRIS, COSS. AC SENATVI ILLVSTRIS REIPVB. BASILIENSIS, DOMINIS SVIS HONORANDIS, CONRADVS GESNERVS Tigurinus S. D.



LVVIATILIVM *Piscium effigies ueras ac uiuas cũ in unum librum seorsim redegissem, & varijs diuersarum gentium linguis eorum nomina explicassem, amplissimi viri, Patres conscripti, cui primùm potissimumq; hoc muneris offerrem, cogitare cœpi. Mox autem ipsum argumentum suggerebat, honestissimum Ordinem vestrum, hoc qualicunq; dono dignissimum, simul etiam patronum mihi meoq; huic operi futurum, imprimis mihi deligẽdum, quoniam inclyta urbs vestra ad maximum nobilissimumq; nostrarum regionum & fermè totius Europæ flumen Rhenum condita, summum Heluetiæ nostræ decus & ornamentũ existit. Is fluuius ab Helueticis (aut Rhæticis potiùs) iugis duplici capite ortus, ubi veteris Rhætiæ limites primùm superauit, & maximum nobilissimumq; lacum Acronium permeauit, breui Heluetiorum fines emensus, per omnem deinceps Germaniam (cuius & Galliæ terminus olim statuebatur: nõ quòd Germania non semper, ut hodieq;, ulteriùs se extenderit: sed quia termium alium satis insignem tam longo tractu nullum inueniebant Geographi) multas regiones & plurimas celeberrimas urbes præterlapsus, & amnibus innumeris auctus, tribus ostijs Oceano se infundit. In Heluetia quidem vrbis vestræ ad pulcherrimum hunc amnem, quo media interluitur, situs longè amœnissimus est: et talis, vt aduena aliquis nondum perlustrata vrbe, dubitare possit plús ne gloriæ fluuio ab vrbe, an urbi à fluuio accedat. At is qui omnia vrbis ornamẽta perspecta habuerit, cum pleraq; alia longè inferiora oppida idem hoc flumen alluat, ea plus gloriæ à fluuio accipere, quàm dare: uestram uerò plus dare quàm accipere fatebitur. Nam & magnitudo Basileæ vestræ mediocris est, (laudanda autem videtur mediocritas, ut plerisq; in rebus cæteris, ita & vrbium magnitudine:) & munitiones itidem mediocres: situs uerò cum aliâs tum propter Rhenum, ut dixi peramœnus: ædificia publica augusta, & priuata quoq; non contemnenda. Ager etiam circuniacens planicie, collibus, syluis amœnus: idemq; annona, arboribus & uinetis fertilissimus. Aer non insalubris: eiusq; temperies non adeò inclemens. Ciues diuitijs mediocres: humanitate, benignitate alijsq; virtutibus excellentes. Non desunt egregij mercatores, non artium mechanicarum & aliarum quibus iuuatur et ornatur ciuitas omne genus opifices. His accedunt quæ optima maximaq; sunt in rebus humanis: primùm ueræ religionis ac pietatis erga Deum synceritas, cui tanquam columnæ æneæ omnis omnium rerumpub. status, qui ad felicitatem aspirat, inniti debet. deinde huius propagandæ conseruandæq; instrumentum philosophia: quam in Academia vestra optimè constituta permulti doctissimi clarissimiq; uiri, in tribus illis antiquissimis linguis Latina, Græca et Hebraica, felicissimè docent ac profitentur. qui omnes (sicuti etiam literati aliquot in ipso Senatu uestro viri) iudicare de hoc opere meo poterunt: id quod ut faciãt cupio, quanquam verecundiùs, tenuitatis meæ mihi conscius. Certè ut nihil suauius, nihil gloriosius contingere potest homini bene sentienti, quàm approbari à viris bonis & eruditis: ita ab eisdem doceri ac emendari proximus ad gloriam gradus fuerit. Ego mea omnium doctorum hominum iudicijs ac censuris submitto. Erunt autem illi mihi æquiores, cum secum reputarint, quàm difficile fuerit fluuiatilibus piscium inuenire nomina antiqua, Latinis aut Græcis, vel vtrisq; usitata. quoniã veteres huius historiæ conditores de solis ferè marinis mentionem fecerunt: de fluuiorum uerò et dulcium aquarum alumnis quàm paucissimis. Quare cum pleraq; eorum nomina uera hactenus à literatissimis etiam viris (absit inuidia dicto) ignorarentur, ac veterum de eis scripta, tanquam de rebus peregrinis, nulloq; fructu legerentur: ego quam potui lucem, multis sanè vigilijs & laboribus diuturnis, magnoq; sumptu, his tenebris intuli: & illis, quibus rerum Naturæ contemplatio cordi est, ut vnum omnium Architectum in suis operibus magis magisq; ad-*

mirari, agnoſcere, venerari ac celebrare pergant, quoad eius potui, viam pateſeci. Hoc autem quicquid eſt, inclyto nomini veſtro, ornatiſsimi & prudentiſsimi viri, dico atq; dedico, cum ob cauſas iam expoſitas, (fluminis inquã Rheni plurimis optimisq; piſcibus abundantis magnitudinem, et adiacentis ei vrbis veſtræ maieſtatem: ciuium virtutes, & doctorum hominum, qui hæc ut ſpero legere & iudicare dignabuntur, præſtantiam:) tum propter reuerentiam & amorem ſingularem, quibus erga vrbem veſtram, tanquam alteram patriam meam, afficior: idq; meritò. in celeberrima enim Academia veſtra adoleſcẽs olim bonarum artium elementa hauſi: deinde iuuenis medendi methodum in eâdem à præceptoribus imbibi, ac mei profectus honeſtum teſtimonium publicum accepi: et hodieq; plurimorum doctrina præſtantium in ea hominum, quæ ipſorum virtus & humanitas eſt, amicitijs fruor. Vos igitur me clientem veſtrum, & almæ Academiæ Baſilienſis veluti filium obſeruantiſsimum, ac multis nominibus Reipub. veſtræ deuinctum (quod hac dedicatione, ceu aliquo animi grati monumento, teſtari ac profiteri uolui) agnoſcere, et vnà cum hoc libro vobis commendatum habere, grauiſsimoq; patrocinio veſtro tueri dignabimini. VALETE domini ac patres mihi nunquam non obſeruandi. DEVS O. M. pater Domini noſtri Ieſu Chriſti vos omnes & Rempub. vniuerſam cum ſancta apud vos Eccleſia ſua perpetuò tueatur & ſeruet. Tiguri. pridie Kal. Maias, anno Virginei partus M. D. LX.

DE FLVVIATILIVM PISCIVM DIFFERENTIIS ET ORDINIBVS.

Fvviatiles pisces priùs quàm Lacustres describemus: quoniã lacus plerique omnes à fluuijs efficiuntur, ubi aqua fluminum humiliore & profundiore loco stagnat: maiores quidem à maioribus. Fluuiatilium numerus maior est. Qui lacubus & fluuijs communes sunt, illos fluuiatilibus quàm lacustribus adscribere malui: lacubus quidem peculiares pauci sunt, quos seorsim dabimus Ordine sequẽte. Rondeletius Lacustribus quosdam adnumerauit, quos nos fluuiatilibus: ut ex latis Cyprinum, Tincam, Ballerum, quanuis hi non in omnibus fluuijs reperiantur: sed maioribus tantùm ferè, præsertim qua longiùs à montibus & origine sua distãt, fluuntque tardius. (Cyprini quidem in Rheno Basileæ etiam capiuntur.) Idem fluuiatiles paulò minùs accuratè quã nos distinxit. primum enim locum tribuit anadromis, qui ultimi esse debebant, utpote aduenæ; ijsque Vmbram fl. & Glanin intermiscet: hunc quidem ratione Siluri cui confertur, illam nescio qua. Saxatiles nullos facit: nam propriè dictos, marinos tantùm existimat: impropriè uerò dictos paruis adnumerat, ut latos Lacustribus. ¶ Ego cum fluuiatiles similiter ac marinos diuidere cuperem, Ordines aliquos prorsus non inueniebam, nisi aliqua similitudine uel analogia tantũ: aut inueniebam fortè, sed uix unum & alterum ei subijciendum piscem: eumque fortè non proprium fluuijs, sed è mari aduenam. Litorales, Saxatiles, Pelagij in mari dicuntur, à differentijs locorum in quibus degunt: quas in dulcibus aquis non item reperias, nisi comparatione quadã. Sunt enim ueluti litorales, qui in ripis maiorum fluminum aut lacuum uiuunt, ut minores quidam pisces: & qui in lacubus paruis inueniuntur, aut in riuis præsertim cœnosis. Qui uerò in lacuum maiorum ac profundiorum gurgitibus aluntur, ut Albularum genera, Pelagiorum instar, tum loci tum facultatis in nutriendo ratione mihi uidentur litoralibus non parum anteferendi. Saxatiles in lacubus opinor nullos dixeris: nam in mari sic appellantur qui in litoribus puris et saxosis circa petras natant: quamobrem & loci purioris ratione, & exercitationis cõtinuæ propter undarum circa saxa agitationem perpetuam, salubriores existimantur. at qui in ipsis saxis delitescunt, & parũ exercentur, non propriè dicuntur saxatiles, & succũ minùs salubrem gignunt. Fluuiatiliũ quidem Saxatiles appellemus licet, illos qui amnes aut riuos puros, lapidosos, & rapidos, ut ferè sunt in locis montanis aut propius montes, incolunt: ut Thymallum pręcipuè & Pyrũnta, id est, Truttam riualem. Impropriè autem illos, qui cum sub lapidibus delitescant, & non exerceantur, hypópetri potiùs quàm petręi Græcè uocari possunt: ut minuti quidam & sine squamis pisces, Mustelę minimę, & Cottus fl. qui etiam solus, quod sciam, fluuiatilium, nõ alimenti ratione, sed corporis forma, marinorũ illis quos λυροειδεῖς (id est, Lyriformes) appellauimus, conferri potest, ceu capite magno, osseo, aculeato: cauda exili, corpore tereti: Vranoscopo præcipuè: quanquam etiam similior ei marinus ille est, qui Blennus dicitur. Plani spinosi in dulcibus aquis nulli sunt, præter Passeres illos qui è mari subeunt, longissimè (puto) post Salmones et Clupeas. At cartilaginei plani nulli unquã (puto) in fluuijs uel nati uel subeuntes deprehenduntur, in eo genere quidem Rana piscatrix est, quæ similitudinis nonnihil cum Rana palustri nostra habet, præsertim uerò eius fœtu, quem Gyrinum uocant, caudato. Sed neque Cartilagineum piscem longum, unquã in aqua dulci captum audiuimus. Habent illi simile quippiam Mustelarum nostrarum generi: sed differunt cum aliter, tum quòd uiuipari omnes, & os (præter Squatinam) parte supina, non in promptu habent. Græcè communi uocabulo γαλεοὶ uel γαλεώδεις dicuntur, Latinè Mustelos & Musteligenas dixeris. Mustelæ uerò fœminino genere Latinis, & Græcis similiter γαλαῖ, siue ab illorum aliqua similitudine dictę sunt, ut ego coniecerim: siue, ut Aelianus, ab eo quòd similiter ut cadauerũ oculos exedant.

Verùm ille de marinis loquitur: quibus tum fluuiatiles, tum lacustres, adeò similes sunt, ut meritò nomen commune habeant. At Musteli marini cartilaginei sunt, Mustelæ autẽ dulcium aquarum spinosæ: quare piscibus simpliciter à nobis adnumeratę sunt. Antacæi igitur ex anadromis dicti, ut Sturio & cognati, item Lampreda, Silurus, cartilagineis longis in mari similiores sunt, tum cartilagine, tum oris situ. differunt tamen hi quoque, quòd ouipari sint, & pingue discretum habeãt, Antacæi præsertim. In mari etiã Conger cartilagineus est, huic tamẽ generi (quod σέλαχος nominãt Græci) non adscribitur], partu, oris situ, & pingui differens. Postremò, quanuis prægrandes quidam in fluuijs & lacubus pisces inueniantur, ex anadromis maximè, ut Antacęi, Siluri, Salmones: è fluuiatilibus uerò propriè dictis Lucius, Trutta, Cyprinus: quos κητώδεις ferè, id est, cetaceos appellare licebit: cete tamen propriè dicta in nostrarum regionum, & totius Europæ, ni fallor, fluuijs neutiquam sunt. nam in Nilum ascendit Delphinus: et Crocodilus in eodem flumine, ut et Hippopotamus, ueluti cete sunt: quanuis in siccum exeant, ut Phoca & Testudo è mari. Rana palustris, ridiculum quoddam ceti rudimentũ uideri queat, ut Simia Hominis: sed hæc cartilaginem pro ossibus habet, & fistula cetorum propria (si phocam & Testudinem demas) caret. quare propius ad cetorum naturam accesserit. Testudo aquatilis, quæ ossibus prædita est: differt tamen rursus quòd ouipara sit, quodque fistula caret: mediæ ferè inter serpentem & cetum naturæ: ut Castor inter Quadrupedes & cetum. Ergo cum eosdem Ordinis, quos in marinis instituimus, seruare

Rõdeletij diuisio.

Fluuiatiliũ cum marinis comparatio.

Litorales.

Pelagij.

Saxatiles.

Hypopetri.

Petræi.

λυροειδεῖς.

Plani spinosi

Plani cartilaginei.

Cartilaginei longi.

Mustelæ.

Antacæi &c.

Cete.

Ordo I. hîc omnes non liceret: quoad tamen fieri potuit, illos sequutus sum. Itaq; primum Ordinem piscibus fluuiatilibus attributum, in partes quinq; secui: quarum prima pisciculos continet, tum squamosos, tum absq; squamis. Secunda saxatiles, tum illos qui propriè (quanquam ueteribus nulli fluuiatilium saxatiles cognominentur) tum qui impropriè, ut suprà diximus, ita uocari possunt.

Tertia latos, ut Cyprinos ac similes: qui omnes squamosi sunt, Tinca excepta. Phoxinos latiusculos propter paruitatem ad primum Ordinem retulimus. Quarta, Pisces simpliciter, ut Leuciscorum genera, & similes aliosq; teretes ferè & squamosos: dempto Mustelarum genere, quod lubricum & ferè sine squamis est. Vltimo huius partis loco Anguillam posui: quæ ut sui planè inter pisces generis est: ita cũ Mustelabus uidetur aliquid commune habere: & sola, quod sciã, piscium, ex amnibus in mare descendit, ut ij qui proximè describentur contrà è mari in flumina ascẽdunt. Quinta pisces anadromos, hoc est, illos qui è mari fluuios subeunt: ex quibus primũ feci Salmonem, quoniã non modò ascendit, ut sequentes: sed fœtus eius etiam descendit ex amnib. & breui tempore in mari adultus fluuios natales repetit: ut, sicut sequentes anadromi tantũ sunt, Anguilla quæ præcessit, catadromus: Salmo mixtæ uel ambiguæ sit naturæ, καὶ κατανάδρομός τις. Anadromos quidem ueteres, simpliciter etiã uocarunt fluuiatiles, ut Murænam fl. (id est, Lampredam) Dorion, alij Silurum & alios. Hoc animaduertendũ, in fluuijs quosdã & nasci & manere pisces, qui tamẽ eadem marinis nomina habent, nõ quòd è mari aduenerint, sed propter similitudinẽ aliquam, ut Percæ, Leucisci, Mustelæ: & Barbi uel Barbatuli, si ita etiã Mullos uocare libet. Ex anadromis longissimè ascendit Salmo, deinde Alausa, quæ Basileæ etiã in Rheno inuenitur. tertio Passeres, qui in Rheno Coloniæ capiuntur, & fortè etiam altiùs. quarto, ni fallor, Sturio & Antacæi cognati. Lupi minùs longè à mari discedunt. Postremò Congrorũ fœtus in Anglia, minùs etiam Lupis. Cæterùm ut è mari flumina quidam subeunt, & stagna marina: ita è riuis etiam in flumina intrant quidã, parui præsertim ac sine squamis pisciculi: & è lacu cũ parturit Trutta lacustris.

Ioãnes Kentmanus doctissimus Torgæ medicus, pisces in Albi flumine, his ordinib. distinxit.

1. E mari ascendentium alij proficiunt & pariunt in Albi, ut Silurus, & Spirall uulgò dictus, & Zerta uel Plicca.

2. Alij paulatim contabescentes moriuntur: ut Sturio, Salmo, Alausæ species Zige uel Goldfisch dicta, Passeris genus Halbfisch, Lãpreda maior & media cui à nouẽ oculis compositũ est nomẽ.

3. Sunt qui è riuis in Albim migrant, manent, & crescunt: ut Thymallus, Trutta, Mustela illa quã Olruppen appellant, Gobius capitatus seu Cottus, Lampreda minima: Smerla uulgò dicta, (è Mustelarum genere minima,) & eiusdem species saxatilis cognomine: Phoxinus læuis, Pœcilias.

4. Alij è stagnis & stagnantibus aquis in Albim tranant: ut Albi pisces (Weyßfisch) uulgo dicti, Rutili, Bramæ seu Cyprini lati, Gusteri uel Plestyæ, Tincæ, Characis uulgò dicti species duæ minores, Centrisci.

5. Alij in ipso Albi nascuntur, manẽt & ꝓficiunt: ut Lucius, Cyprinus, Charax (uulgò dictus) maior, Barbus, Capito Ausonij, & ei cognati (ut conijcio) quos Rappos & Iesos nominant: Capito fl. minor, uulgò Hesling: Perca, & Percæ similis ille quẽ nos Porcum Nili interpretamur: Anguilla. & ex minutis Erythrophthalmus, Phoxinus squamosus, Alburnus Ausonij: & qui uulgò dicũtur Ockele/Schneppelfisch/Wetterfisch.

6. Postremò est qui in Albi nascitur & manet, non tamen proficit, ut qui Canitzle uocatur, quem Geor. Agricola Salarem nanum interpretatur.

Ordo II. ¶ In Ordine secundo Pisces lacustres primum exposui: deinde etiam reliquas dulcium aquarum


Ordo III. alumnas animantes: primo Crustata: ab eis Testacea, & Insecta: ultimò Amphibia, tum Quadrupeda uiuipara aut ouipara, tum quæ pedibus carent, ut Hydros. Zoophytum quidem propriè uocandum in dulcibus aquis nullum adhuc inuenimus.

ANIMALIVM IN DVLCIBVS AQVIS ORDINIS I. PARS I. DE PISCICVLIS FLVVIATILIBVS.

Phoxini læuis icon ex opere Rondeletij. *Alia à Bellonio exhibita, maiuscula quàm par sit.*



Alia, quam amicus è Sueuia misit.



PHOXI-


PHOXINVS læuis hic cognominetur, ad squamosorum differentiam. φόξιν@ dictus fortè à capite acuminato, quod Græci φοξὸν appellant. Phoxinus piscis statim natus (propè dixerim) oua habet. parit aũt in stagnis (ἐν ταῖς προλιμνάσι) fluuiorum, Aristoteles: argumentum hoc faciens, etiã sine coitu oua consistere fœcunda. nec aliud de eo proditũ reperimus, nisi quod semel año pariat. Non rectè quidã scribũt, Aristotelẽ Phoxinos omnes fœminas facere. Quòd si Phoxini, pisciculi minimi sunt, ut uidentur: nil mirum, si propter paruitatẽ mediocres etiam ex eis nuper nati uideantur. Verisimile est aũt tantillos pisciculos, sicut & Mures inter quadrupedes, breui tẽpore perfici & generare posse. ¶ Pisciculus quẽ hîc exhibemus, ex Phoxinorũ genere uidetur esse. quantumuis enim paruus capiatur, ouis plenus reperitur. cute læui integitur punctis notata, &c. Rond. ¶ Phoxinorũ, quos Rond. & Bellon. sic uocant, alij læues sunt, ut species ea quã hîc ꝓponimus: alij squamosi, ut species duæ mox sequentes, ex quib. minoris nomina cũ lęui cõfundi uideo, non solũ apud nostros Germanos, sed alijs etiã in linguis. Pinnas quidẽ numero situq́; similiter habent: utriq́; amariusculi, & minimi etiam ouis plerunq́; pleni sunt.

GRAECI quidam ab oculorũ rubore Ἐρυθρόφθαλμον uocant, Rondel. apparet aũt eum de Græcorum lingua hodie uulgari sentire. Oculi quidẽ etiam alijs quibusdam pisciculis rubẽt: ut Alburno Ausonij, quem potius erythrophthalmon dixerim. Phoxino læui an rubeant, considerandum est diligentius. apud nos hîc rarus est, & hæc dum conderem, nullus erat.

ITAL. Florentia à maculosa cute Pardellum nominat, Bellon. quia nimirũ ut Pardalis uarius est. Itali Pardillã, Rond. Insubres Sanguinerol, à rubore. Mediolanẽses Esbreuon. Romani Morellã (uel Morellum, Morelle) à nigrore: albus quidẽ esset, nisi punctis nigris & tenuissimis lituris suggillaretur. Sed pisciculorũ minutorum (inquit Bellon.) Romæ nullum habent discrimen, omnesq́; promiscuè Morellos nominant. Aliqui Freguereul & Freguen uocant hunc Phoxinũ, eò fortassis quòd semper ouis pręgnans sit, Bellon. uel quòd frigi pisciculi isti oleo butyróue soleant. Hetrusci Ionctium, (ut scribit Bellonius in Gobio fl.) nimirum quòd inter iuncos & harundines uersetur.

GALLI Veron uocãt, quasi uarium. At is quem Itali quidam Varon aut Vairon uocant Gobius fl. Ausonij est. GERM. Pfrill, uel ut Bauari Lechpfrill, Augustæ: ubi minimos huius generis Weyßle, i. orphanos nuncupant. Pfell/Pfäl Sueui. Milling uel Mulling, circa Argẽtinã. Alibi Wettling. item Orlen uel Erling/ab alnis forte. Apud nostros Harlüchle, (quod nomen fortè factum fuerit à Gallico Locha, quod est Fundulus, cui similis est: uel à Saxonico Elritz, literis transpositis & forma diminutiua facta: uel ab Erling, aspiratione pręposita, &c.) uel Bachbambele: & Bützle, fortè quasi Bintzle à iuncis: uel diminuto nomine quo circa Acroniũ lacum utuntur, Butt/Bott/Baut/Bintzbaut. Saxones & Miseni uocãt Elderitz/Elritz/Eldritz. Hunc aiunt alibi Pfell uocari, è riuis in flumina maiora intrare, & singulis mensib. parere. Phoxini quidẽ Aristoteli semel anno pariũt. In Kinzetala regione Hägener appellatur, & minimi huius generis Brechling. A Rhetis circa Velcuriam Bambele: quod nomen nostri squamoso tantùm attribuunt.

ANGLI A Menoy/uel Menow: quòd minutus, imò pisciũ minimus sit. Videtur is quidẽ Bellonio Phoxinus. cui equidem (inquit Turnerus in epistola ad me) consentirẽ, si in προλιμνάσι fluuiorum & lacuũ circa arundineta pareret, ueluti Percæ: hoc enim Aristoteles de Phoxino scribit. nunc cũ semper in saxosis uadis aut sabulosis, ubi rapidiores sunt aquę decursus, pariat, ipsi hac in re subscribere non audeo.




PHOXINVS squamosus minor, Rondeletij. Phoxini (inquit) nota ab Aristotele posita, quòd minimi etiam (& recens nati) ouis grauidi reperiantur, cum multis alijs communis est: quos quantumuis paruos capias, semper ouis plenos reperias: sed ei uni ex omnibus maximè conuenire uidetur, quem sæpe in Picardia uidi obseruauiq́;. illic uocatur Rosiere. dimidiati pedis longitudinem nunquam superat. Corpore est lato & compresso: oculis magnis pro corporis ratione. Bramis minimis corporis specie simillimus est: colore luteo. Quamlibet parui capiantur, semper ouis grauidi sunt, adeò ut periti piscatores cũ ouis nasci affirment. Hæc Rondeletius. Idẽ planè, aut cognatus est piscis Bellonij Bubulca, (fictum ab eo nomẽ è Gallico Bouuiera: nam Bouuier bubulcum significat: nimirum per contemptum,) nisi colore forsan differat. Videtur etiam Alburnus Ausonij ei cognatus.

ITALI quidam, ut audio, eodem quo Gobium fl. nomine appellant, Varon. Verbani lacus accolæ circa Lucarnum, Stornazzo uel Sterniculo.

GALL. In Picardia Rosiere, ut dictum est. Et, si eadem est Bellonij Bubulca, alijs apud Gallos nominibus Bouuiera, id est, Bubulca: & Peteuse, etymologia à bombis obscœnis tracta.


GERM. A nostris Bambele seu Pambele uocatur: (ut læuis Bachbambele:) Rheti circa Velcuriam id nomen etiam læui attribuunt. Argentinæ Riemling.



PHOXINVS squamosus maior Rondeletij. Superiori (inquit) non multùm absimilis est piscis, qui Gallicè Rose uocatur à rubore caudę. reliquo corpore cœruleo est, paulò maior, minùs lato corpore. ouis semper plenus est, etiam minimus. Sic ille. Mihi certe incognitus hic piscis est: nisi fortè sit ille, quem idē Rondeletius inter lacustres Lemano lacui proprios, ut ipse putabat, Vangeron appellauit. huic enim cauda & uentris pinnæ rubent: & in Normannia (ut accepi) Rosse uocatur. Non tamen in lacubus tantùm capitur, sed etiam fluuijs, præsertim tardioribus. in quibus fortè non eandem magnitudinem quam in lacubus attingit: & fieri potest ut Rondeletius minùs adultum uiderit. Quòd si piscis idem est, ut suspicor, figura eius non satis probè expressa à Rondeletio fuerit. Vide in Rutilo, mox Partis tertiæ antepenultimo pisce.

GALL. Rose uel Rosse, ut prædictum est.

GERM. **Es beduncht mich ein Rottine seyn/ aber nit wol gemaalet vom Rondeletio/ etc. Ein andere vnd bessere contrafactur findest du vnden.**



EPELANVS Sequanæ uel Fluuiatilis Bellonij, toto genere à marino (uel potiùs anadromo: Vide infrà Parte V.) differt. nomen uerò idem sortitus est, siue quòd odore cum eo conueniat: siue quòd ut ille inter cæteros pisces excellat. Pisciculus (inquit Bellonius) est odoratus, de bonitate & principatu cum alijs omnibus contendens: Alburno simillimus, atque hoc tantùm ab eo dissidens, quòd ruffas radices pinnarum Gardonis & Veronis modo habet: ac lineam, quæ latera eius secat uersus caudam admodum inflexam & uelut arcuatam. quinq; digitorum longitudinem pollicis latitudinem interdum exuperat. marino crassior est ac breuior. Hæc ille. Videtur aũt PHOXINVS uel Phoxinis (& Bubulcæ Bellonij) cognatus pisciculus. ¶ Alius est Epelanus mar. uel anadromus, de quo infrà. ¶ Variata piscis marinus saxatilis, quem suprà Ordine I. Marinorum exhibuimus, pag. 6. idem Epelano fl. Bellonij, aut planè cognatus uideri potest.

ITAL. Ferrarienses Borbolum uocant.

GALL. Epelan Lutetiæ. Rothomagenses Ouellam eo argumento nominant, quòd semper ouis prægnans sit, Bellonius.

GERM. **Ein geschlecht der Bambelen oder Riemlingen.**





ACVLEATVS pisciculus, ut Rondeletius nominat. Pungitius Alberto Magno: & alijs quibusdam obscuris Spinachia, Turonilla. Centriscus Theophrasti. Aculeati pisciculi genera sunt duo: Maius, quod tribus tantùm aculeis in dorso munitur, tribus in uentre, coniunctis: Alterum minus, senos aculeos rigidos in dorso habet, &c. Rondeletius. Vilissimi sunt. E stagnatibus aquis in amnes ueniunt, in quibus manent & proficiunt.

ITAL. Stratzarigla.

GALLICE Epinoche uel Epinarde, ab aculeis quales cernuntur in semine eius generis bliti quod uulgò Spinaceum uocant.

GERMANICE **Stichling/ Stachelfisch/ Stechbüttel/ Thornfisch.** Adamus Lonicerus scribit etiam **Ohrlizen** alicubi uocari.

ANGLICE. **Scharplyng/ Schaftlyng/ Sticling/ Sticlebak/ Banstikle.**

ALBVRNVS Ausonij.

ITAL. Arbolino, uel Arborino: alibi Scauardino, Agulla (at Placentini Leuciscum fl. primum Agullam uocant) Pesquerel: alibi Stregia: cum tamen Stregia alibi sit idem quod Leuciscus, (fl. secundus.) inquit Bellonius.




GALLICE Able, Ablette.

GERMANICE Albe uel Albele, ab accolis Rheni: (nam nostri alium piscem in lacubus sic uocant.) Alffe/ Alble/ Zwibelfischle/ Weißfischlin: Blieck/ Bliegge/ Schneiderfischle. Circa Acronium lacum ab oculis rubicundis nominatur Roteügle: quod nomen alij diuerso pisci tribuunt. Cognatus est Alburno Ausonij Oberkötttchen dictus in Albi pisciculus, coloribus tantùm differt: quanquam & ipsi, oculi rubescunt.


ANGLICE Bleis uel Bleke.

GOBIO Fluuiatilis Ausonij, figura marino similis, non æquè tamen in cibo laudandus. Græci Latiniq; ueteres marini duntaxat meminerunt, Rondeletius. In fluuijs etiã Cobiones pinguescere Aristoteles testatur, & Dorion quoque fluuiatilium meminit: uidentur autem marinos qui fluminum ostia subeant, intellexisse. non puto tamen altiùs flumina subire Gobiones marinos, sed parum supra ostia. De Gobijs in genere quædam diximus in Gobionibus marinis.

Gobius fl. à Rondeletio exhibitus.



Eiusdem icon alia meliùs expressa, sed maior iusto.



ITAL. Mediolani Vairon dicitur, (*alius est Veron Gallorum, nempe Phoxinus Aristotelis, ut conijcimus:*) uel Varon, à uarietate nimirum. utrinque enim latera eius maculis rotundis nigris pingun tur. ¶ Romani pisciculorum minutorum nullum habent discrimen, omnesq; mixtim conchulis exceptos diuendunt, & Morellos nominant, Bellonius. Saluianus hunc piscem Italię fluminibus ferè insolitum esse scribit, & innominatum.


GALLICE. Gouion, Lugduni Goifon.

GERM. Greßling/ Kreßling/ Greß/ Kressen/ Bachkressen/ Gob/ Cob/ Göbe/ Gufe/ (Guuin uel Guukin circa Coloniam,) Leüteſſer, id est, Anthropophagus, quòd cadaueribus uescatur. Argentinæ Gobiones paruos Sandkressen appellant. Grundele uel Grundlin, propriè est Cobitis barbatula Rondeletij, aliqui etiam Gobionem fl. sic uocant. Kreßling aliqui etiam Thymallos paruos imperitè nuncupant: ut Laugelam nostram, Gallorum Vendosiam, (Leucisci fl. speciem,) Gräſig piscatores Acronij lacus circa Lindauiam.

ANGLICE. Goion/ Gougeon/ Gogion/ Gudgione.

LAMPREDA (uulgò dicta) minima. Sunt enim alia duo genera maiora: quæ quoniam è mari subire flumina cõstat, Ordine quinto inter Anadromos pisces de eis agemus. De hac quidem an è mari ueniat, dubitari potest, ut mox pluribus dicetur: quoniam tamen plerique in fluuijs & gigni & manere eam putant, hoc in loco eius mentionem facere uoluimus. ¶ Nomina ei eadẽ quæ cæteris duobus generibus, (de quibus Ordine V. leges,) attribui licebit, expressa minimæ differentia. ¶ Typhle Athenæo, τύφλη: Typhlinus Hesychio, τυφλῖνος, inter Nili pisces nominantur, *Typhle.* nimirũ à similitudine aliqua serpẽtis qui Græcè Typhlines uel Typhlops, Latinè Cæcilia dicitur. & quoniã species hæc Lamprede serpẽti cæco à nostris appellato (quãuis an idẽ ueterũ sit Cecilia,

Icon à Rondeletio exhibita.



Alia à nostro pictore efficta.




Itali Orbisolam uel Orbolum uocant, nescio,) non est dissimilis, Typhlen aut Typhlinen appellari eundem quid uetat? quod si in Nilo pisciculum hunc reperiri mihi constaret, planè hoc nomine appellandum contenderem. Hoc si admittant eruditi, medias quoque et maiores Lampredas, Typhlas aut Typhlinos Typhlinásue, expressa magnitudinis differentia, nominabimus. Xenocrates Typhlinidia nominat, in capite de salsamentis fluuiatilium & lacustrium. unde & paruos esse pisciculos (ex forma diminutiui nominis,) et fluuiatiles lacustrésue, et sale condiri solitos, apparet. Scio aliquos Typhlē piscem marinum facere illum quem Rondeletius Acum Aristotelis uocat: sed nullus hoc nomine inter marinos à ueteribus memoratur. ¶ Rondeletius (sicut & Bellonius) Lampetrarum duo tantùm genera faciens, hanc paruam & fluuiatilem cognominat. quanquam enim superiores quoque in fluuijs reperiuntur, è mari tamen ascendunt. minima hæc in fluuijs & riuulis nasci uidetur: utpote quæ illic capiatur (inquit Rondeletius) quo nullus marinis aditus patere potest: cum neq; illi in mare confluant, neq; mare cum ijs ulla parte sit coniunctum. tales in Aruerniæ riuis inueniuntur. Sic ille. Sed fortè riui omnes fluminibus miscentur, flumina demum mari. & Salmones non ideo è mari subire negamus, quoniam in montium etiam riuis inueniantur. Fluuiatiles quidem tantùm hos pisciculos esse non nego: sed alio, quàm Rondeletius fecit, argumento id confirmandum puto. Saluianus Lampetram unam maiorem, bicubitalem semper inueniri tradit, & maculosam. minorem uerò uix pedalem esse ait, absq; maculis, subcineraceam: (ab utraq; differre tertiam illam speciem, quam Prick Germani appellent:) Harum utranq; reperiri tum in mari, tum in fluminibus. minores nanq; frequentiores, maiores uerò rariores (inquit) ineunte uêre flumina mari proxima subeunt: in illisq; toto uerno tempore cōmoratæ, in mare deinceps æstate incipiente reuertuntur. Sic ille. ¶ Apud Germanos literati quidam hunc piscē, aut *Oculata.* fortè cognatum ei Lampredam illam quam Prick uocant nostri, Oculatam nominant, ea ratione scilicet quam in Germanicis Lampredæ mediæ nominibus exposui. nos homonymiam uitamus: quoniam ueteres marinum piscem toto genere diuersum, Oculatam nominarunt. ¶ E riuis amnes subit.

HISP. Lusitani uocant Engie, ut audio.

GALL. Lamproyon, Lamprillon. Tholosæ Chatillon.

GERM. Ein Neünaug/ id est, Enneophthalmus. Lege infrà in Lampreda media inter anadromos. Miseni & alij quidam Steinbeyß nominãt, uocabulo nobis de alio pisce (quem mox parte II. describemus) usitato. ¶ Audio alterū quoq; genus huius piscitij reperiri, cui à cœno nomē nostri piscatores fecêre, Mürneüneugen: nigriores esse aiunt, nec admitti mensis: sed infigi hamis ad inescandos Thymallos, Anguillas, &c.



POECILIAS piscis, ποικιλίας: eruditi quidam hodie Mustelam fossilem aut uariam nominant.

In Aroanio Arcadiæ fluuio (*In Aorno per Pheneum fluente, Athenæus*) pisces sunt tum alij, tum qui à uarietate Pœciliæ appellantur. hos uocem emittere tradunt Turdi uolucris similem. Captos equidem uidi: sonum autem nullius audiui, quanquam in ripa usque ad Solis occasum permanserim, quo potissimum temporis uocem ædere dicebantur, Pausanias. Plinius Exocœtum cum Pœcilia confundit. ¶ Pisces fossiles (inquit Georg. Agricola) duorum generum inueniuntur, sed intra terrā, nonnihil teretes ut Anguillæ: sed pelle carēt tenaci, squamis etiam, ut & Gobij, duráq;, nec admodum iucundam gustui habent carnem. Maiores crassi sunt ferè duos digitos: minores, digitum, illi longi, circiter palmos quatuor; hi, tres. Sonum edunt acutum. Eos pharmacopolæ in

uitrum

uitrum inclusos de trabe suspendunt, ut spectaculum hominibus præbeant, longoq; tempore alũt pane & alijs quibusdam. Ex fluminibus autem quæ currunt in locis paludinosis egreßi per riparum uenas longiùs penetrant in terram, & interdum in proximi oppidi cellas usque subterraneas, Hæc ille. Pisces fosßiles (ut Georgius Fabricius ad nos scripsit) qui à nostratibus Peißker nominãtur, sunt longitudine palmi (maioris,) craßitudine digiti: quanquam maiores etiam multò reperiuntur. Dorsum coloris cinerei cum punctis multis, maculisq; transuersis, partim nigris, partim cœruleis, (*hinc Pœciliæ nimirum, hoc est, Varij dicti sunt.*) In lateribus linea utrinque nigra & alba. Venter flauus cum maculis albis, & punctis rubris ac nigris, ita paruis, ac si acu factæ essent. Ab ore carneæ particulæ eminent, quas nando extendunt, extra aquam contrahunt. In Misena trans Albim duobus locis, quod scio, fodiuntur: ad Pelnitium amnem prope Ortrantum, & ad Dobram riuum propè Hanam oppidum. Item in pratis ad Rederam fluuium copiosè effodiuntur, si flumen inundet. Ex terræ cauernis ingrediuntur etiã lacus & paludes. Cùm aquæ extra ripas excrescunt, è terra prodeunt. Aquis autem residentibus, in pratis campisue relinquũtur: & ubi greges sunt, relicti uorantur à suibus. Sordes amant: & in cloacas, quæ alia purgari ratione nequeunt, iniecti, omnia consumunt. Cum in riuis paludibúsue capiuntur recẽtes, solent à tenuioribus, etiam mensis adhiberi. Seruiunt imprimis fraudi agyrtarum, qui eos alunt, & uitris inclusos multitudini ostentant pro serpentibus: quia à paruo serpente non multũ figura differunt. Sunt qui eos spirare putant. ubi enim plures huius generis pisces simul sunt, spuma supra eos effertur. Vitro inclusi ore angusto, crescunt, & suo quodam succo uiuunt usque ad semestre. Hæc ille. Troglodytam fortè hunc piscem aliquis non ineptè dixerit, quòd terram & caua subeat ac penetret. E riuis fluuios intrare solet.


GERMANICVM nomen Peißker uel Beißker, quanquam ad Græcum Pœcilias uidetur accedere, per onomatopœiam potiùs factum uidetur: nam & Poloni similiter ferè appellant. Aliqui uocãt Meerputten/ (nos Meertreüschen diceremus,) qui sunt craßiores, sed meliùs Erdtputten uel Erdtrüschen dicerentur. aliqui Meergrundel, à corporis specie, maculis & barbulis, quibus fundulum nostrum (id est, Gobij fluuiatilis speciem) refert. sonum acutũ ædit. Alij Meer kutt, id est, Mustelam marinam: quanquam (Argentinæ) etiam alius quidam piscis Kutt, à Germanis dicitur. Hunc maculis aureis distingui aiunt. sonum ab eo cum tangitur, uel premitur, ceu felis ædi. In cibis à paucis admittitur. Diu seruatur in uitreo uase, si aqua mutetur tertio quoq; die.

Aliqui Pfülfisch appellant. Pful quidem Misenis & alijs quibusdam palus est, uel palustris lacus. ¶ Pœcilias minor dici poterit, quem Germani Steinbyß uel Steinschmerling appellant, &c. ¶ Idem aut simillimus fuerit qui ab Anglis Spzall eyle nominatur, à Flandris Pymper ele/ ab aliquibus Pype oyle. è Flandria quidem in Angliam importari audio. Cognatus fortè etiã qui à Misenis Spirahl uocatur. Piballa nomẽ quo Galli Oceani accolę utuntur, à Germanico Pymper ele corruptum uidetur: sic autem uocitant uel Anguillarum uel Lampetrarum fœtus.

POLONICE Koza: uel Pescur, Piskors per onomatopœiam. Abijcit eum uulgus in latrinas ne obstruãtur: nam piscis hic omnia permeare conatur. Si uiuus in Capræ os immitatur, quod uulgò ludentes facere solent, uiuum aluo reddi aiunt.


VNGARICE Zick per onomatopœiam.

Percæ fl. minoris icon Argentinæ expreßa.



PORCVS Nili, χοῖρος, Strabonilib. 17. Crocodili (inquit) abstinent à Porcis, qui cum rotundi (Σρογγύλοι) sint, & spinas ad caput (ὡς τῇ κεφαλῇ) habeant, periculum beluis afferunt. Rondeletius quidem Capriscum suum, Porcum Strabonis facit, uerùm is marinus est piscis. quamobrem fluuiatilem illum, quem Germani pleriq; Percam rotundam (teretem meliùs) nominãt, Porcum fl. Strabonis esse coniecerim. quem et Percam fl. minorem appellare licet. nam & circa caput ac brãchias spinosus est: abstinentq; eo Lucij propter spinas: & Frisij Porces eum nuncupant: unde aliqui Latini Porcellionis nomen fecerunt. Saluianus Caprum & Capriscum unius piscis nomina facit, (Rondeletius distinguit,) nec aliũ Porcum Nili esse arbitratur, lege suprà Ordine III I.

Alia eiusdem accuratior, quam Io. Caius ex Anglia misit.



pag. 57. & 58. ¶ Non probo quòd Bellonius Cernuam fl. hunc piscem appellauit. Gaza ex Aristotele Orphum piscem marinum interpretatur Cernuam, Siculos nimirum secutus, qui eundem Cernham nominant, ut monet Gillius. Cernuæ etiam Ausoniũ inter fluuiatiles meminisse quidã scribunt: ego apud Ausonium non inueni. Habet hic piscis (inquit Bellonius) similitudinem aliquam cum Perca mar. & partim etiam cum Channa: quorum utrunque piscatores aliqui Italiæ Cernam uel Cernuam uocant, ut alij Exocœtum quoque & Percam fl. quod animaduertit Bellonius. Idem Plinij medici Acerinam, recentiorum Cernuam esse putat: ego corruptum pro Atherina uocabulum dixerim. ¶ Ioannes Caius medicus Anglus, Aspredinem hunc piscem ab asperitate commodè appellauit. Falluntur qui Melanurum putant. marinus enim is est.

ITALIS & GALLIS ignotum puto.

GERMANI uariè appellant: Kutt/ Kaut/ Kaulbarß/ (id est, Perca rotunda:) Kaulpersich/ Külbersing: Goldfisch: (Sed alius etiã piscis, è mari flumina subiens, Sturionis comes, quẽ Miseni Zige, id est, Hircum uocant, nõnullis Goldfisch nominatur.) Circa Coloniam Pösch. Frisij Porces.

ANGLI Ruffe, ab asperitate.

POLONI Iesch, uel Iazdz.




PISCIS in Danubio hodie uulgò à Germanis dictus Schröll uel Schrölln/ uel Schrellele/ cuius iconem ab amico accepi, idem aut persimilis superiori uidetur. quod si differt, superiorem in Danubio non reperiri puto. Aiunt quidem in solo Danubio capi: sed sæpe fit ut homines non longiùs peregrinati, peculiare alicui loco putent, quod alibi etiam reperitur. Rarò (ut indicauit à quo missa est) longior fit quàm figura ostendit, similis Percæ fl. pinnis & aculeis dorsi. Quoquo modo paratus, in cibo optimus est. Color in icone nostra, dorso fuscus est: lateribus subuiridis, plurimis punctis fuscis interuenientibus: quales etiam in pinna dorsi (cuius aculei albicant) conspiciuntur. Venter candidus est. Initium pinnarum ad branchias rubet, &c.

GERM. Schröll/ &c. ut iam dictum est.

LEVCISCI seu Mugilis fl. species prima, Rondeletio. A quodam recentiore non rectè Sargus uel Sargon & Cephalus appellatur: Gardus nonnullis, Gallici nominis imitatione.

ITALICE Lascha uel Lasca. Placentinis Agulla, quanuis alibi Alburnum sic nominent. Mediolani


Figura hæc maiuſcula eſt quàm par ſit.



Mediolani Oladiga, alibi Ocradiga, Oradiga, Orada ab aureo capitis fulgore. Circa Verbanum Italiæ lacũ Trull uel Troy. Paruus in hoc genere Romæ à piſcatoribus Reuillano dicitur.

GALLICE Gardon. circa Monſpelium fortaſsis Siege. nonnihil enim diuerſus eſſe uidetur, Rondeletius. In lacu Lemano Trouette, ni fallor.

GERMANICE Schwal/ Furn/ (quanquam nõnulli Capitonem fl. Furn appellant:) Rettel/ Rotaug/ Roteügle/ (quod nomen etiam Alburno Auſonij tribuitur:) Ad Acronium lacum circa Lindauiam, hunc piſcem Fornfiſch uocant primo anno, deinde ein Gnitt/ tertio ein Furn. Sunt qui Blieck uel Roteüglin nuncupent ab initio, (neq; diſtinguãt ab Alburno Auſonij: quẽ ſui generis piſcem ab hoc ſemp. diuerſum, ut ego ſentio, noſtri Blieck, alij Roteügel uocant:) poſt annũ Fürnling, demũ Furn uel Schwal.



LEVCISCI fl. ſecunda ſpecies Rondeletio. Bellonius Vendoſiam & Dardum uocat, Gallicorum nominũ imitatione: Albertus Vindoſam: aliqui hodie Strigilẽ cum Italis. Accolę lacus Biſtonij, (cuius aqua partim dulcis, partim ſalſa eſt,) Lilingã. Capiuntur abunde in Epiri lacubus, ubi Scouranici uocãtur. Veneti eis maximè utuntur nauigio aduectis, eodemq; propè uocabulo Scourancas nominant. Leucorinis maiores ſunt: ſimiliter tamen ſale conſperſi infumatiq; ad exteros mittuntur, Bellonius: ſi rectè hęc tanquam de eodem piſce ab eo ſcripta accipio: paulò antè quidem ipſum hunc piſcem à uulgo Gręco Leucorinum uocari ſcripſerat: ſiue à pelle, ſiue à naſo albicãte. E ſtagnantibus aquis flumina ſubeunt, in quibus manent & augentur. *Leucorini.*

ITALICE, Streia apud Insubres: alibi Strigio, Strilato, uel Stria dicitur; fortè à strijs illis rectis, quibus inter squamas distingui uidetur. Ferrarienses quidem Stregiam uocant etiam illũ pisciculum, quem Alburnum Ausonij esse eruditis placet.

GALL. Vandoise: Santonibus & Pictonibus Dard, quòd sagittæ modo sese uibret. Circa Monspelium Sophio, Lugdunensibus Suiffe. Sabaudis circa Neocomum Vengeron: at in Lemano Rutilium nostrum Vengeron appellant.

GERM. Lauck/Laugele/Winger/Unhopt. Acronij lacus accolę nominibus uariãt: Gräsig Lindauiæ uocant: Vberlingæ Laugele ut nos: Constantiæ dũ parui sunt, Zienfische uel Gräsing: adultiores, Agonẽ, Agunen/Lagenen. Sed alius est Agonus in lacubus Italiæ: & Gräsing nomen cauendum est ne quis accipiat pro Gobio fl. illo, quem multi Greßling appellant. In Dunensi Bernensium agro, genus hoc Leucisci Blawling dicitur: nostri Bezolam Sabaudorum sic uocant. Iidem hi Leucisci, cum minimi, densis agminibus natãt, Seelen, id est, animæ à nostris uocantur. alij similiter Bezolas lacustres pisces adhuc pusillos, Misenis, ni fallor, priuatim Weyßfisch dicuntur: nisi potiùs Ockeln ab eis dicti, hi sint.

Icon hæc ad Riselam nostram facta est.



LEVCISCI fl. species quædam esse uidetur, quæ Italico nomine Sueta nominatur à Bellonio. Sueta (inquit) Ferrariensis Leucisco quàm Squalo similior, semipedalis est: rostro uel ore Laureti, sed subobtuso, neque ut Squalo in gyrum grandi: capite acuminato, cauda & branchijs ut Leuciscus. Branchias enim habet paruas, tenuibus fibris constantes: sub quibus mox in ingressu œsophagi, seni utrinque dentes comperiuntur. Squamis est paulò latioribus quàm Leuciscus. Peritonæum interna parte ei nigerrimũ est ut in Salpis. cor spongiosum, &c. Adamat flumina quæ magno impetu ex montibus deuoluuntur.

GERM. Idem, ut conijcio piscis est, qui Risele/uel Ryserle/ uel Ryßling à nostris uocatur. Digiti longitudinem parum excedit, colore per dorsum è cœruleo uirescẽte, per latera & uẽtrem candido. Pinnis albicat, similis ferè Capitoni fl. minori, quem Haselam nostri uocant, latera eius linea distinguuntur. Hæc olim annotâram. Audio præterea squamosum esse, non dissimilem Gobioni fl. Ausonij, lituris etiam quibusdam notari: peritonæum ei nigricare. In Silo torrente ad urbem nostram, circa lapides capitur, locis profundioribus circa cataractas manu factas, sed raro: (quamobrem hoc tempore diligentiùs intueri non licuit.) uermiculis uesci. è torrente aliquando Limagum nostrum subire. inter lautiores pisciculos haberi.

LEVCISCVS maior uocari poterit, quem Capitonem fluuiatilem minorem uocabimus infrà, Parte IIII. huius Ordinis.

MVGILVM fluuiatilium species duas Rondeletius describit: quarum altera cum palmi longitudinem uix superet, ad hunc locum referenda erat: sed quoniam utriusque icones simul & descriptiones Rondeletius coniunxit, ad Ordinem quartum differemus; ut minor potiùs maiorem (is enim ferè cubitalis inuenitur) quàm contrà, sequatur.

TRVTTAE Riuales uulgò dictæ, Bachförinen. quanquam pisciculis adnumerari poterant, propter cognationem tamen, cum Truttis cæteris Ordine III. memorabuntur.

ANIMALIVM IN DVLCIBVS AQVIS ORDINIS I. PARS II.

DE PISCIBVS SAXATILIBVS.

SAXATILES pisces à ueteribus dicti marini tantùm sunt: nos fluuiatilium etiam illos qui in saxosis fluuijs aut riuis degunt, sic appellamus, ut pluribus indicaui superiùs ubi de Fluuiatilium differentijs (ab initio huius Ordinis) in uniuersum quædam protuli.

COTTVS seu Boitus Rondeletij: quem Gobium fl. alterũ ab Ausonij Gobio diuersum, Bellonius appellat. ¶ Piscem qui ab Aristotele βόττ@ dicitur, Gaza Cottum cõuertit, nescio qua ratione motus. Quòd si Latinum hoc nomen seruemus, interim meminerimus diuersum esse piscem

Eicon hæc Cotti nostri est, diuersa nonnihil ab illa quam Rondeletius exhibuit, pinna dorsi singulari, & cauda penicilli instar lõgiuscula, &c. ut genus aliud Cotti circa Monspelium haberi suspicer. Lacustres quidem hi pisces apud nos, à fluuiatilibus specie differunt.



scem ab eo qui à Numenio ex Athenæo κῶθ@ dicitur. sic enim ille Gobionem appellabat, Rond. Pisciculus est fl. Ranę piscatrici similis, si parua magnis cõferre licet, corporis figura et colore, etc. Idem. Apud Aristot. historiæ 4.8. Boitus semel legitur, βοῖτ@, duabus syllabis in nostra editione, non tribus, ut alij quidam legunt: & per τ. non per θ. Gaza uidetur κόττ@ legisse, quoniam ita transtulit. Pisciculum qui Venetijs Marsio nominatur, Petrus Gillius Cottũ esse putabat. Pisces quosdam (inquit) Gobioni saxatili propemodũ similes, Aristoteles Cottos nominat: quos adhuc nonnulli Coranos nuncupant. Sed Cotti (ut dictum est) nulla apud ueteres mentio: Boiti apud Aristotelem tantum, tanquam fluuiatilis, cum Marsio marinus sit. Est sanè piscis hic noster Blenno marino simillimus, ut æquiùs ferè Blennus fluuiatilis, quàm Gobius fluuiat. dici mereatur. ¶ Aristoteli (βοῖτ@ inquit Saluianus:) uel ut in uetustissimo manuscripto Vaticanæ bibliothecæ exemplari uidimus, κοῖτ@. (*Si bissyllabum est uocabulum, κοῖτ@ penanflexum scribi debet.*) quam quidem lectionem ueriorem putamus, tum propter codicis uetustatem, tum ratione etymologiæ, ἀπὸ τοῦ κοίτου, id est, à cubili, quoniam sub saxis stabulantur & cubant. Diuersus ab hoc uidetur Athenæi κύττ@, de quo nihil aliud affert, quàm Baccho sacrũ esse. Simillimus est hic piscis marino Gobioni, unde meritò fluuiatilis Gobio appellari potest: quãuis nemo ueterũ eo nomine eũ appellârit. Hæc ferè Saluianus, qui etiã Citum Latinè scribit, cũ Græcè κοῖτον legerit, unde Cœtũ per œ. diphthongum dicere debebat. Cottus quidem à capitis magnitudine dici potuit. κόττα & κόττις Grãmatici caput interpretantur: unde προκόττα, &c. Capitonem recentiores quidam Latinè uocant: (sed alius est Capito fl. Ausonij, alius Cephalus uel Capito marinus ueterum, de genere Mugilum:) alij Capitellum minus probando uocabulo: Alberti Magni ætas Capitatum. Nos differentiæ causa Gobionem fl. capitatum uocabimus. ¶ Quòd si quis etiam Vranoscopum fl. nominauerit, aut Lucernam fl. à marinorum similitudine, non poterit opinor reprehendi. quin etiam noctu oculis eũ lucere aiunt, eoq; in partes duas dissectum nassis imponi, ad inescandas Truttas. E riuis fluuios subire solet. *Blennus fl.* *Capito.*


ITAL. Romani Misoris nomine appellant, Mediolanenses Scazot & Bot. hic enim est cui propriè uox Botoli adscribi debet: quo nomine eum Ferraria quoq; uocare consueuit. alludit hoc nomen ad antiquam Boitorum nomenclationem. Vercellenses Bouteiolum uocant, rustici uerò Paganellum, Bellonius. In alijs Italiæ partibus aliter nominatur, Capitón, Capidono, Marsón, Chiozzo, Iozzo, Ionchio, Scazón, Scazion, Maieron, Botto. &, nisi fallor, etiam Iouian, Go, Lagiono. Michael Sauonarola Latinè etiam Marsiones dixit, Italicum uulgare nomen sequutus. sed alius est in mari Marsio. Romæ Messore dicitur & Capo grosso, Saluianus. Messore quidem nomen non huic solùm Romæ, sed etiam Vranoscopo, & Blenno mar. tribuunt. *Marsio.*

GALL. Chabot, & circa Monspelium Teste daze, utroque nomine à capitis magnitudine facto. Cenomani (inquit Bellonius) Musnier appellant, quòd in riuis pistrinorum aquaticorum uersetur. Sabaudi circa Neocomum Chasso uel Chassot, ut Itali Scazon. Galli circa Tolosam Caburlaut. Capito Ausonij etiam à capitis magnitudine Gallicum nomẽ Testart adeptus est, quod quidam Gobio capitato non rectè adscribunt: quanquam idem Capito Ausonij Lugduni appellatur un Musnier: quo nomine Cenomanis etiam Gobius capitatus uenit, ut Bellonius refert.

GERM. Gropp / Cop / Kab / Kopt / Kaulkapp / Babst / Mull / Thollman / Kauling / Külingk / Kuling / Kulheit / Kaulheupt. Ex his nominibus pleraq; à capitis magnitudine facta sunt: alia ab eiusdem rotunditate.

ANGL. A Bulhed, id est, Bucephalus: ob capitis magnitudinem, non similitudinem formæ. nam Bul Anglis taurus est: nisi fortè corruptum hoc nomen est à Saxonico Kulheit. Alibi a Gulle uel a Myllersthombe, hoc est, Molitoris pollex.

ILLYRICE Glauoche, id est, Capitatus: Polonis Glouuacz.




ASPER à Rondeletio nominatus uel cognominatus pisciculus. Lugdunenses (inquit) pisciculum Gobioni persimilem Apron uocant ab asperitate squamarum. In Rhodano tantũ inuenitur, non quouis in loco, uerum ea ferè in parte, quæ inter Viennam & Lugdunum est interiecta. Capite est latiore quàm Gobio (fl.) in acutum desinente. dentibus caret. Colore est ruso, maculis nigris, latis, à dorso ad uentrem obliquè descendentibus uariato. Vulgus eum auro uesci putat. ¶ De eodem Dalechampius medicus Lugduni clarissimus, his uerbis ad me scripsit. Piscatores aiunt hos pisces non nisi noctu in tenebris capi, nunquam secũda aqua descendere, semper aduersus rapidissimi fluentis s cursum obniti: Rhodanum a mare: fugere Ararim. in alueo tantum glareoso natare, nunquam in cœnoso aut sabuloso. aurum persequi & eo uesci. certissimum signum esse auri inueniendi, si piscem hunc alicubi reperiant. Suauissima & delicatissima carne est; nonnihil solida, quę tamen digitis facilè teratur & frietur: nihil uiscida aut glutinosa.

GALLICE Apron, Lugduni, ut dictum est.

GERM. Ein Rüchling: wirt in der Rotten bey Lyon gefangen / vnd daselbst Apron genẽt von wägen der reihe seyner schüppen. Persimilis est piscis qui Germanicè Zindel nominatur, Vlmę & alibi in Danubio capi solitus, sed maior, de quo leges infra Ordine IIII. et iconem atque descriptionem conferes: uideri enim potest idẽ aut omnino cognatus piscis: sed quia nondum satis mihi constat, Asperum Rhodani hoc loco proponere uolui, quòd in glareosis seu saxosis locis uiuere eum constet. Siccos duos Dalechampius ad me misit, paruum utrunq;, & quatuor digitis paulò longiorem. Danubij quidem Zindelus multò maior est.

COBITES (masc. genere, ut subaudiatur piscis: uel Cobîtis fœminino, ut subaudiatur Apua) fluuiatilis à Rondeletio dictus, simpliciter, uel læuis cognomine; ueteribus indictus. Hunc pisciculum (*inquit Rondeletius*) Cobitem fl. nominamus, quòd marinæ (*Apuæ cobitidi marinæ. nõ hîc exhibitus primus Cobites fl. sed tertius, qui mox subijcietur, Cobîtidis barbatulæ nomine, similis est, tum specie corporis, tum quòd squamis caret. hîc uerò exhibitus fortè cum Gobio fluuiat. Ausonij aliquid commune habuerit*) persimilis sit. Primum genus Loche franche uocant Galli; uel quòd totum læue sit, (*an totum læue dixit, quòd etiam squamis careat? has tamen pictura repræsentat, descriptio non meminit,*) & aculeis careat: uel quòd mollior sit & salubrior. In riuulorum & fluuiorũ ripis degit, digitali magnitudine rostro satis prominente. Corpus flauescit, & maculis nigricantibus notatur: subrotundum est & carnosum. Carne est humida & uiscida.




Bellonius & Rondeletius quod ad nomina & descriptiones huius generis pisciculorum, non satis inter se conueniunt: ego quem potui delectum feci.

GALL. Loche franche, ut dictum est. Vide mox in Gallicis nominibus Cobitidis fl. tertiæ.

GERM. Videtur esse species pisciculorum quos Germani Pfellen uel Pfrillen nominant.

Cobites fl. aculeatus Rondeletij.




COBITES fl. Rondeletij secundus, quem aculeatum cognominat. Supradicto (inquit) similis est, ni paulò maior esset & latior, nõ rotundus, sed compressus. in branchiarum operculis aculeum utrinq; habet. Spina interna dura rigidior est, quo fit ut pisciculus iste inter edẽdum molestior sit ꝙ cobites læuis. Sæpius ichthyopolæ parũ cautis imponunt, & pro læuib. uendũt. Hęc ille. Mihi quidẽ tantùm huius & superioris pisciculi in exhibitis ab eo picturis discrimen uidetur, ut cuiuis uel primo intuitu internoscere sit facillimũ. hic longus & gracilis est, absq; squamis, aculeatus, pinnis in uentre nullis, pictoris fortè incuria. ille breuior crassiorq;, squamosus, absq; aculeis, pinnis in uẽtre ita ut pleriq; omnes pisces præditus, & ore minùs acuto. Ego Cobitidum generi hunc minimè adnumerârim. Plura lege cum proximè sequenti icone.

GALL. Loche simpliciter, (nam superiori cognomen franche additur;) uel Perce, ab aculeis: aut quòd lapides penetrare mordereue uideatur.

GERM. Ein art der Smerlen oder Steinbyssen.

Eiusdem

Eiusdem, ut uidetur, icon accuratior.



Quòd si idẽ piscis est, sicuti suspicor, qui Steinbeyß à nostris dicitur, melior à nostro pictore facta eius icon, quam hic apposui, fuerit: etsi hæc quoque nõ satis perfecta mihi uideatur, oris præsertim specie.

Cobites hic rostro acutiore est, à quo si quis oxyrynchum cognominet, non fecerit inepte. Et quoniam pisci fossili illi quem Pœciliam ex Pausania nominauimus, tum specie, tum natura cognatus est, Pœciliam minorem, uel imberbem, uel oxyrynchum appellare licebit: (Sed alius Pœcilias seu Fossilis minor Georg. Agricolæ uidetur, magnitudine tantùm, specie neutiquam à maiori differẽs) Cobitem uerò minimum, qui & ipse barbatulus est, Pœciliam minimum. Albertus Magnus nullo alio nomine hunc piscem nouit quàm Germanico: Vulgò (inquit) Mordens lapidem uocatur: GRAECE eâdem significatione Dacolithum dixeris. nam & GALLIS Perce uocatur, quòd rostro penetret uelut perforaturus, & à Sabaudis circa Neocomũ Mort pierre. (At qui Perce pierre à Gallis uocatur, piscis marinus est, Alauda Rondeletij.) Foragua circa Vincentiam Venetorum, quòd reticulo (Guam uocant) contineri nõ possit, sed foras euadat. In alijs locis Italiæ Grisella, Vsella uel Vrsella dicitur, corruptis à Mustela nominibus, sicuti & Cobitis fl. minima. Latinè etiam Mustelam fl. uocare licebit, aliqua ex prædictis differentia adiecta: Vel Echeneidis fl. speciem: non quòd reuera ui retinendi naues aut aliud quicquam polleat: sed quoniã ore mordens, sugẽnsue ut Lampetræ, retentionem minatur. Germani hunc pisciculũ, ut dixi Steinbeyß appellant, à morsu lapidum. & forte Pœcilias etiam Pausaniæ (quem huic cognatum esse diximus, alterum barbatulum, alterum imberbem cognominauerim) Beißker à morsu dictus fuerit. Miseni circa Albim ein Steinschmerlin, hoc est, Fundulum saxatilem. [Fundulum enim, hoc est Mustelam seu Cobitidem fl. minimam, Schmerlin appellant.] Sunt hodie qui simpliciter Saxatilem appellent, quod non probo. ¶ Rondeletius & Bellonius aculeos huic pisciculo in branchijs attribuunt. Albertus branchias omnino ei negat. Mihi in sceleto uestigia quidem branchiarũ foris apparuerunt, sed locus ipse clausus & solidus. Georgius Fabricius nuper foramina parua circa oculos ei sicut in Lampredis, esse nos monuit. Non est rotundus (inquit Albertus,) sed quasi columnalis compressus: & spinam acutam iuxta os habet, quæ, capite recuruato, uulnerat manũ tangentis: colore eodem quo Fundula. ¶ Dacolithus è riuis in fluuios transit.

Dacolith. *Perce* *Mustel.* *Echeneis* *Saxatilis.*

ITALICE. Bellonius de hoc pisce scribens: Mediolanenses (inquit) Vsel uocant, Placentini & Parmenses Gousangle: Locham Romani piscatores, alij Morellam, quod postremum nostro Veroni fl. magis debetur: Lodenses Zedola, Ferrariẽses Squaiola: aliqui Lopola. ¶ Plura lege in præscriptis. Stracciasacco uocant Pedemontani, à distrahẽdo, id est, dilacerando sacco siue reticulo. Rostro inhærere aiunt arenæ, ut à reti uix capiatur.

GALL. Perce, Mort pierre. Vide præscripta.

GERM. Steinbeyß/Steinschmerlin, ut præscriptũ est. Circa Albim fl. quidem, etiã Lampredam minimam Steinbeyß uocant.


POLONICE Pstranik.

Cobitis barbatula Rondeletij.



COBITIS fl. tertia Rondeletij, barbatula ab eo cognominata. Nomen (inquit) dedimus à cirris tenuib. è rostro barbæ modo pẽdentibus, quemadmodum in Barbo. ¶ Nos Mustelam fluuiatilem

Eiusdem alia icon à nostro pictore effi{c}ta, maiuscula quàm uellem, sed plenior accuratiorq́.



minimam, uel Pœciliam minimum nominari posse, proximè in Rondeletij Cobitide fl. altera monuimus. Hic quidem pisciculus præcipuè Cobitis fl. dici meretur: siquidem Apuam cobitidẽ marinam præ cæteris refert. Bellonius Lochiam Gallici nominis imitatione uocat: aliqui Germanicum nomen Grundele interpretantes, Fundulum nominant: Albertus fœm. genere Fundulam, sed cauendum ne cum alio pisciculo squamoso (quem Phoxinorum generis esse putant) quem si- *Fundulus.*

militer Germani quidā appellant, confundatur. Sunt qui hūc pisciculū, Thedonē Ausonij existimēt, de q̄ unicū hūc uersum in Mosella reliquit: Et nullo spinæ nociturus acumine Thedo. Quòd si diuinandum est, Lampredam illam minimam, quam enneophthalmō nominant nostri, cum spinis prorsus careat, Thedonem esse cōiecerim. Mustelam quidem marinam quodammodo refert, quòd eius instar barbatula sit, & oblongo læuiq; corpore: & uulgares quædā linguæ nomina huius piscis à Mustela detorsere. ¶ E riuis in fluuios migrat.

Thedo.

ITALICE Fondola. Reliqua nomina pleraq; huic & Cobitidi aculeatæ Rondeletij, communia esse conijcio, præsertim quæ à Latino Mustelæ nomine detorta sunt.

HISPANI ut pisciculo hoc carent, ita etiam nomine.

GALLICE. Loche, ut superior. uel Lochette, diminutiua forma. est enim minima in hoc genere. Quæ Loche france dicitur (inquit Bellonius) palato delicatior est: quę uerò cœnosum limo sumq; tractum incolit, crasso & obeso corpore constans, atq; ob id pinguis Lochia (*nimirum Loche grasse*) cognominatur, ualetudinarijs admodum perniciosa est. Hæc indicis digiti crassitudine est, quinque digitos lōga: cirris, tanquam mystacibus, insignis, &c. ¶ A Burgundis uocatur Moutelle, uel Mouttoile, & similiter à Sabaudis: qui tamen circa Lemanum lacum habitant Sabaudi corruptiùs Motanche nominant, & alio nomine Dromilla, quòd sub lapidibus dormire uideatur: (sicut & cottus fl. si κοῖτος nominetur, ut codices quidam prę se ferunt, idem significante nomine, nam & similiter sub lapidibus latet, appellabitur Græcè:) non tamen hunc solùm pisciculum, sed alias etiam duas species, quas alij Galli (Celtæ & Belgæ) Loches, circa Lugdunum Dromillas uocant. Burgundi quidam, alijúe Galli, Estoille proferūt, siue quasi stellarem, propter uarietatem punctorum: siue potiùs hoc etiam nomine à Mustela corrupto.

GERMANICE. Grundele/ (sed alij pisciculum squamosum, quem ad Phoxinos Rondeletius refert, sic appellant:) Zirle/ Zirdele/ Schmerlin/ Smerle/ Schmerling/ Schmerlin/ Schmorle: Alsatij, ein Kreß/ quod nomen Gobioni fl. Ausonij debetur. Brabanti & alij quidam inferiores Germani, nominant Moeß/ Möß/ Musc, corruptis à Mustela uocabulis. Sueui & alij quidam hos pisciculos adhuc teneros & recens natos, Sengle uel Sengele uocitant.

ANGLI Gallice uocant a Loche.

POLONI Kielb uel Slyss. Bohemi Mrzen.

EPERLANVS piscis saxatilis Sequanæ litorū alumnus, ut Bellonius tradit: differetur ad anadromos. non enim in Sequana nasci, sed è mari semper ascendere puto. nam alius est fluuiatilis piscis eiusdem nominis, qui in fluuijs nascitur, de quo diximus Parte I. huius Ordinis.

THYMALLOS & TRVTTAS Parte V. reperies, inter pisces simpliciter: quanquam in puris & saxosis tantū fluminibus degunt, ut Saxatilibus marinis meliùs quā prædicti cōferantur.

ANIMALIVM IN DVLCIBVS AQVIS ORDINIS I. PARS III. DE PISCIBVS FLVVIATILIBVS LATIS, QVI ET SQVAMOSI SUNT OMNES EXCEPTA TINCA.

CYPRINVS, Κυπρῖνος, (Κυπρειανὸς Atheneo, sed Κυπρῖνος legēdum uidetur, cum Aristotelem citet:) λεπιδωτός. Lepidotus, quem aliqui uocant Cyprianum, Dorion. ¶ A recentiorib. hic piscis Carpa ferè uocatur: ab alijs Carpanus, Carpo, Carpio, itē Bulbulus, Regina. Vide mox in Italicis nominibus. Destinet Carpam Danubius, Isidorus. Sed Carpio lacustris Benaco peculiaris piscis planè diuersus est, Truttarum generis. ¶ GRAECI nonnulli, prẹsertim Aetoli, antiquam Cyprini appellationem retinent. Qui Turcis inseruiūt Græci (inquit Bellonius) Sasan appellant: Strymonis amnis accolæ, Grinadi. Rondeletius ad pisces lacustres Cyprinum retulit. nos inter fluuiatiles posuimus, eos tantū lacustres nominātes qui lacub. proprij sint. Aristoteles & Dorion fluuiatilibus simul & lacustribus adnumerant. Oppianus non rectè (puto) marinis.


ITAL. Placentini Carpanum uocant. Ferrarienses (ut & multi accolæ Padi) Carpenā, Veneti Rainam, Romani Burbarum, Bellonius. Circa Larium lacum Burbaro (alibi Bulbaro) uel Bulbers dicitur. Bulbulus ante alios immani corpore pisces, Benedictus Iouius in Larij descriptione. Venetijs Carpano: alibi Reina, tanquam Regina, quòd magnitudine inter fluuiatiles & lacustres excedat, & à ganeonibus pinguiores ex eis præcipuè appetantur. Ant. Brasauolus pro Carpa Reginam dixit. Carpas Mantuæ Bulbaros uocant, Platina.

HISPANICE Carpa.

GALL. A Gallis omnibus Carpe uocatur.

GERMANI

Cyprini hæc icon ex nostris est, non ea quam Rondeletius dedit.



GERMANI superiores uocãt ein Karpf: inferiores Karp uel Karpe: & alicubi, ut audio, ein Bûb: quod nomen ad Bulbulum uel Burbarũ Italorum accedit. alibi een Carper/Flandri Carpel. Apud nos pro ætate etiam nominibus distinguitur. uocatur enim primo ãno ein Setzling. secũdo ein Sproll uel Sprall. tertio ein Karpf. ¶ In Frãconia Cyprinorum quoddam genus appellant Spiegelkarpen, à maculis.

ANGLIA Carpe.

BOHEMI Capr. Poloni Karp.

DE GENERIBVS DIVERsis Cyprinorum.

NVPER è Polonia quidam, uir rerum naturæ studiosus, de Cyprinorum in ea regione & Germania differentijs, sententiam suam his uerbis ad me perscripsit: Cyprinorum genera apud nos quatuor inueniuntur, ut nominibus, sic etiam forma & sapore diuersis. Genus primum simpliciter Carpam (Karpfen Germani, Poloni Karp) appellãt.

Alterum corpore multò angustiore est, ita ut supina pars in latitudine circa medium minimè protuberet, sed ab ore caudam uersus secundum rectam (ferè) lineam ea pars protendatur. Ineptus est hic piscis elixari: melior, si assetur: quamobrem à Germanis Poloniæ accolis Bratkarpfe nominatur: à Polonis uerò Glouuacz propter magnitudinem capitis, quod corporis reliqui proportione prægrande uidetur (Vide inferiùs Parte 4. huius Ordinis De Capitone fl. cœruleo.) Tertium genus Brachsme Germanis est, (*Cyprinus latus Rondeletio:*) Polonis Dubiél; latior Carpa communi, & squamis albior: & quia pinguior, sapidior, maiorisq́; precij. Quartum latius superioribus, ferè ut Karas dictus piscis: unde etiam composito ab eo & carpa uocabulo Karpkaraß dicitur Germanis, & Polonis similiter, uel alio nomine Piotruss. Hic tribus superioribus præfertur, & in maiori precio est. Karaskarpf/ (*cãdidior est squamis quàm Carpa simpliciter dicta, in medio latior, nec ad eandem magnitudinem prouenit, Ge. Fabricius.*) Cæterum qui Spiegelkarpfen à Germanis uocantur, apud nos (Cracouiæ in Polonia) non sunt. Qui Setzlingk Germanicè, hi Polonicè dicuntur Dlonnij karpik, (*uel*) Sprall piotink. Hactenus ille. dicitur autem Setzling à Germanis, Cyprius qui annum ætatis nondum excesserit.

CYPRINVS monstrosus hac forma captus est in Acronio siue Constantiẽsi lacu, ꝑpe Retz, duos ferè dodrãtes lõgus, præsente illustri & generoso uiro Comite Vuolff de Schaumburg, anno Salutis M. D. XLV. idib. Nouembr. Voluí aũt quanquam in lacu captũ, Cyprini historiæ eũ hic subijcere: quoniã Cyprinum fluuiatilẽ potiùs, quàm lacustrem facere placuit: etiamsi lacustres quoq́; apud nos quidẽ frequentiùs quã fluuiatiles inueniantur. Monstrosi quidem imprimis hi pisces reperiuntur in stantib. aquis, ut lacubus, stagnis, piscinis: taliũ enim effigies tres aut quatuor iam accepimus: fluuiatilẽ uerò monstrosum hactenus nullum. Ante bienniũ Geryon Seilerus illustris medicus Augustæ, icones tres ad me misit Cyprinorum monstrosorũ, qui anno Salutis 1557. Octobris die 22. capti sunt in piscina, quam uocant Bulckawer teicht, iurisdictionis Retz in Austria: quorum duo squamosi sunt & Cyprinis cõmunibus similiores: sed capite rotundo, ore etiam rotundo, prominente, hiante, labris ambientibus: in eo tantùm differentes quòd os uni in promptu & anterius est; alteri reductius ad mediam imi capitis partem.



Tertio corpus est breuius, rotūdius, totum in uentrē ualde protuberantē collectū: cauda perparua & exili: squamis nullis, colore subflauo: caput & os similia prædictis. Nos iconem primi duntaxat (quoniam monstra persequi non instituimus) in lacu Constantiensi capti, facie ferè humana, posuimus.

CYPRINI aliquando hermaphroditi, id est, utriusque sexus capiuntur: aliquando neutrius.


CYPRINUS latus siue Brama Rondeletij. Si Cyprinorum (inquit) nota propria sit palatū carnosum habere linguæ uice, plurima quidem sunt Cyprinorum genera. Nam quę Tinca et Brama nominatur, atque plures alij pisces, palatum carnosum habent. Quoniam uero quæ Carpa à Gallis uocatur, inter cæteros omnes pisces maximè carnosum palatum habet, atque ita euidens, ut uulgus etiam linguā appellet, eam pro ueterum Cyprino accipiemus: aliquot alios quibus nota hæc communis est cū quibusdam alijs huic tanquam species subijciemus. ¶ Hunc piscem recentiores quidam Germani Latinè Prasinum uocant, ut Albertus Bresmam, Germanici nominis imitatione: aliqui Bremam. Platina Scardam, Benedictus Iouius Scardulam, Grapaldus Scarduam, Italicum imitati nomen. Nos Ballerum maiorem nominabimus, ut à Ballero simpliciter uel minore (quem nostrum uulgus Bliccam appellat) distinguamus. ¶ Quidā nominis uicinitate deceptus, Bramam putauit Abramidē fl. rectè uocari posse. ¶ Vide etiam suprà ubi de Cyprinorum differentijs dictum est. ¶ Alibi hic piscis de stagnantibus aquis flumina subiens, manet in eis ac proficit. ¶ Est aqud nos lacus piscosus nomine Gryphius, in quo piscium istorū genus peculiare reperiť, quod Steinbrachsmen (ut in Acronio etiam Lindauię, alibi Thornbrachsmen) appellāt: lautius ac delicatius cæteris, & sub tempus, quo generationi uacat, aculeatum (ut fertur) & albius euadit: mares duntaxat, quanquam & alij Cyprini lati quum generant, squamis exasperantur, & alij fortè pleriq; pisces: eoq; tempore ad cibum minùs probantur. ¶ A Bramæ fluuiatilis aut lacustris similitudine quadā permulti marini pisces, ab Anglis, Germanis & Gallis similiter uocantur, aut uocari possunt, adiecta aliqua cuiuscunque differentiæ nota: ut Aurata, Sparus, Sargus, Melanurus, Dentex uel Synodon, Synagris, Chromis, Pagrus, Erythrinus, Hepatus, Orphus, Anthias, Charax, Coracinus, Scarus, &c.

ITAL. Placentini Arbolicā uocāt, alij Scardolam siue Scardam, Veneti Russatam, Bellon.

GALL. Bresme, uel Brasme. Galli Bramam uocant, Rondeletius. Huius generis qui mediocri sunt magnitudine, Lutetiæ Haseaux nuncupantur, Bellonius.

GERM. A nostris nominať ein Brachsme. Sunt qui putant primo anno eundē esse piscē dictū ein Blick, *(quem nos sui generis piscem esse in Ballero ostendimus: similē quidem, sed qui ad tantā magnitudinem nunquam perueniat:)* secundo demum uocari ein Brachsme, atque id nomen retinere. Alij Germanorum aliter proferunt: Drasem, Saxones: Brasem, Frisij: circa Coloniam Agrippinam, Brysem: alibi Bresem/ Brosen/ Pressen/ Prossen/ Brechsam/ Praxme/ Breme/ quod nomen postremum, ad Gallicum accedit: ut Scharien Tridenti usitatum, ad Italicum Scardula. ¶ Apud Misenos in Albi hi pisces ab initio, dum digito breuiores sunt, à figura nominātur Weydenbletter/ id est,

Icon hæc Cyprini lati accuratè facta est ad unum ex lacustribus nostris. *Alius à Rondeletio exhibitus.*




id est, Salicum folia: deinde aliquanto maiores, Windtbleben: iam uerò ad libræ pondus aucti & maiores, Bleben uel Blaben: uel Plötzen. Tandem bilibres aut trilibres (rarò enim tres libras in Albi superant,) Brossen uel grosse Bleben. Plotzen autem uocantur, quòd figura referant usitatum antiquitus gladij genus ualde latum, breue ac tenue, eodē nomine dictum. hinc nimirū Christophorus Encelius hunc piscem Latina terminatione Plocenum nominat: & eundem (ni fallor) Germani in Marchia, Ploßfisch: quod nomen recentior quidam (Baldazar Trochus) Sillaginem (nescio qua ratione) interpretatur. ¶ Sunt qui Pressen & Blehe pro diuersis piscibus accipiāt: quòd hic candidior, tenuior, sicciorq́ sit: ille nigrior, crasſior, pinguiorq́. ego cum diligentiſsimo Kentmanno senserim, ætatis tantùm differentiam esse.

POLONI, ut audio, Dubiel. sed alius est Saxonum Diebel, nempe Capito fl.


CHARAX uulgò dictus Germanis. Huius (præter Ianum Dubrauium in doctiſsimo De piscinis libro,) qui meminerit nondū inueni. Charax (inquit Dubrauius) forma staturaq́ nō multum à fœtu Cyprini absimilis est, nisi quòd paulò latiore corpore distendatur, & dorsum habe

Icon hæc piscis est simpliciter Karaß dicti: cui similis est etiam Carasi minoris icon, ut ab amico accepi: nisi quòd caudam extremam ferè arcuatam & in medio reductam habet, &c.



at asperioribus spinis uallatum (unde ei nomen,) quódq; iuxta caudam squamis inauratis magis impallescat. Sed & marinus Charax tergo caudaq; auri similitudinem gerit, ac præterea purpureis cingulis, purpureisq; oculis, ut Aelianus prodit, illustratur. quorum neutrum in nostrate inuenias: sed neq; dentium extantium seriem. Hunc uernaculum Characem piscinarij, qui farturæ Cyprinorum consulunt, ne unquam in eadem piscina cum Cyprinis commisceant, diligenter cauēt: quod uel tantillus Charax audeat & ualeat tantum præ se Cyprinum pascuis depellere: nec tanti ipse tamen distrahi, quanti Cyprinus potest. Hæc ille. Sed ueterū Charax marinus est piscis: qui Oppiano in petris & arenis pascitur. Synodon & Charax Diphilo eiusdem sunt generis: sed hic præstat. & quanquam is de alimento ex piscibus loquitur, uideri tamen potest non solùm nutrimenti ratio, sed etiam forma his piscibus similis. & fortè Charax hoc nomine dictus fuerit, quòd firmis dentibus os uallatum (similiter ut Synodon) habeat. ¶ Cyprinum asperum nominare licebit. ¶ De speciebus piscis Karas, leges mox in nominibus Germanicis, & suprà ubi de differentijs Cyprinorum in genere dictum est. ¶ Piscem in Frisia orientali Carutz dictum, Carpioni similem, sed minorem, &c. omnes qui in uiuarijs seruant, constanter affirmant, sexies anno parere. quare si Carpio uulgò dictus (quem tam fœcundum reperiri nondum nobis constat,) Cyprinus non sit, hic meritò esse potest. sed nihil definio, Turnerus.


GERM. Karaß/Kariß/Gariß/Karauß. Genera eius tria in Albi reperiuntur. Primi generis pisces sunt parui, tenues, lati, colore subaureo, cui circa dorsum fuscus admiscetur. dupla eis ad latitudinem longitudo. Squamæ ut in Cyprino. Genus hoc Miseni paruum cognominant, klein Karaß: uel à colore Giblichen. Hi è piscinis et stagnantibus aquis in Albim ueniunt. Rarò octo digitos longitudine excedunt. Alterius uerò generis Carasi, aliquanto crasſiores & longiores sunt: uocanturq; dimidij Carasi, Halbkaraß: uel Karpkaraß: quoniam è Caraso & Carpa ueluti compositi uidentur. Hi quoq; è piscinis & stagnantibus aquis Albim ingrediuntur. APOLONIS similiter Karpkaraß dicitur, uel alio nomine Piotrus. Piscis (inquit Ianus Dubrauius) quem Bohemi Pitrussam uocant, in piscinis frequens, non alius esse quàm Cyprinus creditur, sed degener, & uelut abortiuus, quanquam in cibo haud ingratus, præsertim si in craticula torreatur. Tertij demum generis Carasi tenuiores & latiores sunt, quàm dimidij nunc dicti, similes primis, sed maiores & pulchri candoris argentei. Hi in Albi nascuntur, non aliunde (ut prædicti) ingrediuntur.



ORFUS à Germanis uulgò dictus piscis, nondum à me uisus est, præterquam Augustæ Vindelicorum in piscina natans; in qua urbe iconē etiam mihi depingi clarissimus medicus Achilles

chilles P. Gasserus curauit. Dorso est rubicundo, uentre albicante, squamis magnis & latis, paulò latioribus quàm Thymallus. Capitoni fluuiatili forma cognatus, maior: Cyprino minùs latus, sed crassior. Certo anni tempore è squamis eius ceu clauos quosdam eminere aiunt, similiter ut in Cyprino clauato Larij. quamobrem ad Cyprinos potiùs quàm Capitones pertinere uidetur. Species ei inter Carpam & Bresmam media, sicut & magnitudo, ut audio. Lautus et sapidissimus habetur: ille præsertim cuius caro rubeat. nam altera species reperitur carne alba. Siccam eius carnem, friabilem & salubrem esse tradunt, minùs suauem quàm Thymalli. Muscis uescitur. In lacubus & piscinis fermè reperitur apud Vindelicos, Norimbergę & alibi. sed etiam in aquis fluentibus, ut Norimbergæ in Begniza flumine.

GERMANI uocãt Orff/Vrff/Erfle/Nörfling/Würffling/Elst. species ea cuius caro alba est, priuatim Augustæ Weyßfisch appellatur.



RVTILVM hunc piscem appellare uolui à colore pinnarum, à quo Germani etiam nomen ei fecerunt. Rondeletius Phoxinis adnumerare uidetur, inter fluuiatiles: & rursus Sabaudico nomine Vangeron inter lacustres. Vide superius Parte I. in Phoxino squamoso Rondeletij maiore. Apud nos quidem in lacubus tantùm reperitur, non etiam fluuijs, qui in nostra regione rapidiores sunt: alibi in fluuijs quoque nascitur, quos tamen è stagnantibus aquis subire solet. Ex eius cum Cyprino lato, coitu, hybrida gignitur, inter utrunque ambigens.


ITALICE circa Comum in Lario lacu Piota uocatur, ut circa Verbanum quoque: unde Latina inflexione Plotam Paulus Iouius dixit. hoc nomen uideri potest à Germanico Plotze deductum, quanquam id Cyprinum potiùs significat: quem imperitiores cum hoc pisce confundunt. Idém ne sit qui circa Ferrariam uulgò Aurata Padi uocatur, inquirendum.

GALLICE Roce, Rose, Rosse. Circa lacus Sabaudiæ Vingeron, Vengeron, Vangeron. Circa Neocomum tamen idem nomen longè diuerso pisci attribuunt, ex Leuciscorum genere, quem Laugele nostri uocant, Galli Dardum.

GERMANICE. Nostris Rottene/Rotte/Rottel/Rottele/ (sed longè alij pisces sunt Rot & Rötele nostris dicti, semper in lacubus magnis tantū:) alijs Rotfeder/Rotranck/Roddow/Roddau.

ANGLICE Roche. Alius est Rochet Anglorum, inter marinos.

POLONICE Vusdrenka.



BALLERVS Aristotelis, ut Rondeletio uidetur. Græcis hodie ad Strymonem amnem Plestya: ad Pischiacum uerò lacum in Macedonia, modò Platanes, modò Plestya, modò Platognia uocatur. Alicubi è stagnantibus aquis flumina subit: in quibus manet ac proficit.

GALL. Bordeliere, in lacubus Allobrogum: in Lemano Plateron, alibi Platte, Platton.


GERM. Ein Blick/Blickling/Breitele: & circa Coloniam, ni fallor, Bleech. alibi Plechle. Argentinæ Meckel, ut conijcio. In Albi fl. à Misenis uocatur Geuster: Blicca uerò alterius piscis apud ipsos nomen est, qui alio nomine Zerta dicitur: de quo inter anadromos agemus. Christophorus Encelius Latina terminatione Gusterum dixit.

ANGLI Bleke uocant uel hunc piscem, uel potiùs Alburnum.

HACTENVS de piscibus fluuiatilibus latis & squamosis. Restat Tinca, sola in hoc genere læuis & lubrica.

TINCA piscis plebeius, hoc nomine ab Ausonio dictus: quod Itali & Galli hodie retinent, nullo antiquo nomine apud authores noscitur, quod mirum est, cum ubiq; frequens sit inter uulgi solatia (ut cum Ausonio dicam) piscis. Sed uiliorum piscium mentionem nullam reperiri, minus est mirum. Phycis aut Merula fluuiatilis, si libet, nominetur, est enim Tinca Phycidi marino pisci, ut scribit Bellonius: uel Merulæ, ut Massarius, similis, ut uulgus in Italia Tincæ marinę nomine appellet. Mihi Merulæ fl. nomen, potiùs quàm Phycidis arriserit. Tinca nomen à recentioribus uariè scribitur, Tincha, Thinca, Tenca, Tencha, Tencon. mihi ut Tinca scribatur magis placet, nimirum quasi Tincta, quod Gallus diceret Teinte. colore enim uiridi nigricāte ueluti tincta uidetur. Alexander Benedictus Orphum lacustrem appellauit, (à colore nigrescente, ut conijcio, διὰ τὸ ὀρφνὸν τῆς χρόας:) sed cum Orpho pisce marino, nihil opinor commune habet. ¶ Sunt qui Aristotelis ψύλωνα esse putent, quem Fullonem uertit Gaza: de quo nihil aliud scribit quàm quòd gregalis sit, & litora petat tranquilliora: ex quibus uerbis de pisce marino eum loqui apparet. Gaza cur ψύλωνα Fullonem uerterit, nihil aliud rationis præter nominis similitudinem uideo, & forsan ipse φύλωνα, non ψύλωνα legit. γναφεὺς quidem Græcis fullonē significat: quo nomine piscis meminit Dorion apud Athenæum: eiusq; decoctio maculam omnem elui ait. Facit autem (Bellonio teste) Tincæ etiam decoctum ad detergendas lanarū sordes. Sed idē & Anguillarum & Ichthyocollæ, & aliorum piscium admodum glutinosorum, decoctum præstare potest, Rondeletio teste. ¶ Tinca è stagnantibus aquis in amnes transit, & permanens proficit.

ITAL.



ITAL. Tenca.
HISPANICE Tinca.
GALLICE Tenche.

GERMANICE Schley, quaſi myxon uel muco, uel (ut erudito cuidã placet) limaria. Tincæ quidẽ ut in limoſis ſordidisq́ꝫ locis degunt, ita muco obducuntur, & ſeſe mutuò lambunt. Alij ſcribunt Schleihe/ noſtri Schlig, (g. ita proferentes, ut i. conſonam:) alij Slye/ Schleyn. alicubi etiam Gallico uocabulo Tinch appellant. Geldri Lauwen/ Louwen/ Seeld/ Zeeld. Friſij, ni fallor, Mũdthund/ (neſcio qua ratione:) & alio nomine medicum omnium piſcium, (Luciun quidem Tincæ affrictu ſua uulnera conglutinare aiũt,) & ſutorem nigrum. Hollandi quoque een Schoemacher, hoc eſt, ſutorem, ob cutis craſsitudinem: & Graumacker, (nos Grabmacher di


ceremus,) id eſt, Veſpillonem, quòd ſubinde in terra effoſſa aut ſepulchris inueniatur.

ANGLICE. Tenche.

POLONICE Lin uel Lun. Bohemice Linie, & Sſuuecz quaſi Sutor.

ANIMALIVM IN DVLCIBVS AQVIS ORDINIS I. PARS IIII. DE PISCIBVS FLVVIATILIBVS SIMPLICITER.

Perca fl. à noſtro pictore adumbrata: non ad eius imitationem facta quam Rondeletius dedit.



Salubritas eius & collatio cum marina.

PERCA fluuiatilis, (πέρκη ἢ πέρκις ποτάμια: cuius Ariſtot. Plinius & alij meminerũt) lacus & ſtagna incolit. Marinæ quidem nomine ſimilior eſt, quàm corporis figura, aut carnis ſubſtantia, aut ſucci bonitate. Marina enim tenera & friabilis eſt, concoctu facilis boniq; ſucci. fluuiatilis his omnibus ferè dotibus caret, Rondeletius, qui etiam medicos imperitos reprehẽdit, qui ea quę de Perca mar. dicta ſunt à Galeno, ad fluuiatilem transferunt. Nos Rondeletij ſententiam probamus, ſi marinis fluuiatiles Percæ conferantur. hoc tamen diſtinguẽdi gratia addiderim: Percas noſtras quæ in fluuijs & lacubus maioribus purioribusq; uerſantur, longè præferendas eſſe alijs quæ in minoribus minusq; puris aquis degunt. Accedit in fluminibus noſtris, etiam uelocior curſus: cuius ratione magis exercentur. Itaq; è Rheno ſaluberrimæ putantur: quod & uulgare prouerbium teſtatur: & Xenocrates etiam prodidit: Quæ in Rheno (inquit) gignitur Perca, marinis piſcibus ſucci probitate æqualis eſt. Item Auſonius in Moſella: Nec te delicias menſarum Perca ſilebo, Amnigenas inter piſces dignande marinis. Quò quidem minores fuerint, eò & duræ & glutinoſæ minùs, concoctuq; faciliores ſunt: niſi fortè ſpinę quæ in minimis ſimul ingeruntur, cõctionem inæqualem & flatuoſam faciunt.

Quod ad ſalubritatem (inquit Saluianus) fluuialem Percam marina inferiorẽ iudicamus. ſed neq; hæc inſalubris. nam etſi friabilem carnem nõn habeat, cum tenera tamẽ ſit, neque difficilis eſt concoctu, neq; mali ſucci. quare in Saxatilium penuria, ea quoque, & maximè in ſaxoſis & puris fluminibus capta, citra noxam ueſci poſſunt ualetudinarij: Saporis uerò ſuauitate marinæ longè

Perſicinus.

& multùm antecellit fluuialis. ¶ Platina Perſicinum dixit, quòd Perſici pomi ſaporem referat, ut ipſe putat. Ego neq; hunc ſaporem liquidò hunc piſcem præ ſe ferre arbitror: neque nomen ab eo mutuari, ſed potiùs à Perca Latino Græcoq; nomine, Perſicum eſſe interpolatum: nam & noſtri Berſich pronunciant: & Perſecum uulgò à Perca quaſi Percecã dici Maſſarius Venetus tradit. ¶ De Perca minore uel rotunda cognominata, uide ſuprà, Parte I. huius Ordinis.

ITAL. Perſico uel Perceco. ¶ Hetruſcis Perſega, Romę Cerna, (quod nomẽ etiam alijs piſcibus attribuunt,) Bellonius.

GALL. Perche.


ANGLI Perche/ſimiliter ut Galli.

GERM. Heluetijs & Moſellanis Berſich. alijs aliter, Berſig/ Berſing/ Perſick/ Berſe/ Barß/ Parß/ Barſch. poſteriora hæc Saxonibus & finitimis in uſu ſunt, Friſijs Baerſe. apparet autem omnia hæc nomina à Græco Latinoq; Perca eſſe deſumpta. ¶ Nos ſpeciem unam tantùm habemus, cui nomina prædicta propriè conueniunt, eademq; Percæ mar. ſimilior eſt: Saxones et alij, duas. Maiorem, quam hîc proponimus; illi ſimpliciter Parß dicunt, uel Punterparß/ Puntelparß/


relparß, id est, Percã maculosam: uel Streifbersing, quòd maculis strijsúe (id est, lineis) nõtetur (transuersis.) sic aũt in Albi nominãt. Vel Grobarsch/Grawbersich, id est, Percam fusci coloris. Minorem uocant Kaulparß, hoc est, Percam rotundam, &c. ¶ Percæ nomina apud nostros pro ætate etiam uaria sunt. nã fœtus adhuc nouus & tener, Hürling uocatur, id est, hornus: paulò maior, sed intra primum adhuc annum, Trãnle. Secundo anno, Egle. Tertio, Stichling. Postremo, Reeling/Bersich/& (quod inusitatius est) Banserle. Circa lacum uerò Acroniũ, præsertim Lindauiæ, pusillam Percam similiter nominant Hürling: maiorem, Kretzer/(Constantiæ Stichling:) tertio Schoubfisch. postea Egle/ uel Renckernegle. Vocabulum Stichling à pinnis aculeatis, Percis attributum, (sicut etiam Kretzer, eâdem causa,) alibi pisciculis paruis tantùm, quos Aculeatos Rondeletius nominat, tribuitur. In nostro lacu aliæ in profundo capiuntur, albiores, Triechteregle: aliæ propiùs ripam, colore magis fusco, Landegle/Rozegle/Krãbegle. Græcè minimas, Percidia dixerim. maiores, Percidas: maximas, Percas.

POLONICE. Okun: Bohemice Okaun, uel Vuokauny.

Capito fl. à Rondeletio exhibitus.



Eiusdem alia icon è libro iconum Io. Kentmanni.



CAPITO seu Cephalus fluuiatilis. (λευκίσκος ποτάμιος ὁ ἄλλος, κέφαλος ποτάμιος, Græcè dici potest.) Hunc piscem Ausonius in Mosella Capitonem nominauit. ¶ Idem uidetur Squalus olim Latinè dictus, quod nomen hodieq; Italia alicubi retinet. Varro lib. 3. de re rust. Squalos cum Mugilibus nominat: & Ouidio Squalus in herbosa arena degit: sicut & Capito fl. Ausonio. Squali quidem nomen uulgus Latinorum iam olim à cephalo deprauasse uidetur. In Plinij Naturali historia bis Squalos legimus, (ubi Rondeletius Galeos intelligit:) ego utrobiq; Squatos uel Squatinos legendum ex Aristotele obseruaui. Columella 8.16. Veteres (inquit) in dulcibus aquis marinos etiam clauserunt pisces: atq; eâdem cura Mugilem Scarumq; nutrierunt, qua nunc Murænæ & Lupus educantur. Saluianus probè pro Scaro reponit Squalum. Apud Pliniũ Squali bis mentio fit: sed locus uterq; (inquit Saluianus) ex Aristotele corrigendus, ut in altero pro Squalis Galeos, in altero pro Squalo Squatinã legamus. Plinius Valerianus medicus: Pisces de flumine qui petram habẽt, ut Tructi, Squalij, Comede. pro Squalij autem, legendũ Squali. Hi igitur authores, Varro, Columella, Plinius Valerianus, Squalum piscem dulcis aquæ alumnũ, uulgaremq; & uilem faciunt: id quod Squalo nostro conuenit, quemadmodum & uulgare nomen. Hęc ille. Longè quidem alius est Schwal/quasi Squalus uulgò à nostris dictus, è Leuciscorum fluuiatilium genere. ¶ Alius piscis est Thedo Ausonij, nullo spinæ nociturus acumine: alius etiam qui in Mugilum genere Chelon uel Bacchus nominatur, marinus uidelicet; quod moneo, quoniam non indoctus quidam confudit. ¶ Galenus (inquit Saluianus) hunc Leuciscum dixisse uidetur, Mugili similem in fluuijs, capite minori, sapore acidiore: hæc enim Squalo nostro conueniunt. Idem & Ausonij Alburnus uidetur: quem uilioribus suæ Mosellæ piscibus adnumerat: quanquam Gillius alium piscem qui Albo dicatur uulgò, Alburnum Ausonij putauit. Sic ille. Nos alios Leuciscos huius Ordinis Parte I. proposuimus: ut alium quoq; Alburnum, ibidem, prædam puerilibus hamis, ut canit Ausonius, utpote pisciculum exiguum, quod huic non cõuenit. Præterea Ausonius qua in regione scripserit cogitandum est; et quinam hodieq; illic pisces ijsdem aut similibus nominibus appellentur.

Leuciscus. *Alburnus.* *Albo.*

ITAL. Veneti & Romani Squalum (Squaglio, Romæ) uocant, quem piscem Insubres Cauedanum, Placentini & his finitimi Cauezale nominant. Eundem nondum adultum Romæ Gauettum appellari audiui, Bellonius. Squalo, Squallo, Squadro, Squaio, Capidon, Cauedo, Caueano, Caueden. unde & Grapaldus Latina terminatione Cauedulum dixit.

GALLICE Munier (Musnier Lugduni, Bellonius) dicitur, quòd circa moletrinas plurimus sit. Ab alijs Vilain, id est, turpis ac fœdus, à uictus ratione: quia stercore, cœno, sordib. delectetur & uiuat, Rondeletius. Aulici ichthyopolæ Vilain, id est, uillanum aut uilem, commodè nominarunt, Bellonius. Alij Cheuesne, alij Calliastro, Cenomani & Andegauenses un Chouan, uel Testard à capitis magnitudine, Idem. qui alibi etiam Gobium fl. alterũ à suis Cenomanis Musnier appellari prodidit.


GERMANICE Alet/Allt/Alte/Elte/Mönen/Myn/Minwe/Menechen/ (unde Albertus Latinum Monachi nomen fecisse uidetur:) Furn: quod nomen alij (ut piscatores circa Acronium lacum) diuerso pisci attribuunt, quem nostri uocant ein Schwal è genere Leuciscorum fluuiatilium. Saxones & finitimi uocant Diebel, uel Deuel: unde quidam Dobulam Latina terminatione proferunt. aliqui Meusesser, unde Christophorus Salueldensis Murilegulum Latinè dixit. Quidam Schüpfisch (cõmuni squamosorum piscium nomine) si rectè id scribit Saluianus.

ANGLICE Cheuyn (ab Italico Caueden uel Caueano fortè.) Idem piscis cum minor est et palmum non excedit, Pollarde ab Anglis uocatur, Bellonius.

BOHEMICE Tlausie uel Tlauslie. Dubiel Polonorũ alius est piscis, nẽpe Cyprinus latus.

CAPITO Lacustris quidam infrà cum Lacustribus describetur, qui Albus à Saluiano uocatur.


PRAETER Capitonem fl. illum nobis uulgarem, de quo iam diximus, alij etiam quidam similiter fluuiatiles, & forma non dissimiles, ad idem genus referendi uidentur, ut sunt apud Saxones & Misenos dicti Jesen/Rapp/Zerte/ nostris piscatoribus (sicut & Gallis, & Italis, ni fallor) incogniti. Horum duos priores hic exhibemus: tertium uerò, quoniam è mari subit amnes, ad Partem V. differemus.



CAPITO fl. cœruleus cognominetur à nobis hic piscis, quem GERMANI accolæ Danubij Jentling appellant. fertur enim cœrulei coloris esse, dorso præsertim & partim capite: Capitone Ausonij minor, cum rarò duas libras (XVI. unciarum) excedat. Latera & uenter argentei coloris sunt: pinnæ fermè ruffi, sicut & cauda. Assus præfertur: unde aliqui Bratfisch appellant. Saxones Jesen: qui ad Viadrum habitant, Jesitz: Dantiscani Jesus. aliqui Jese, e. ultimum nõ proferentes, & primum obscuriùs instar æ, diphthongi ferè. Hic piscis (ut Stephanus Lauræus Ferdinãdi Augusti medicus, à quo etiam iconem accepi, me docuit,) neutiquã salubris est, quòd pinguiusculus sit, et non saxatilium modo friabilis, suauis tamẽ satis. estur frigidus, assus potissimum: quanuis & elixus, & alijs modis. Longitudo eius cubitum non excedit, nec latitudo tres aut quatuor digitos. post Pascha potissimùm capitur. ¶ Idem fortè piscis est qui Bratkarpfe à Germanis Poloniæ finitimis uocatur. Quærendum etiam an idem sit, qui circa Coloniam & apud inferiores Germanos in Rheno Macrell uel Macrill dicitur, & alio nomine Bratfisch, ut Adamus Lonicerus tradit: & in aquarum fundis latère addit, noctu cum face à piscatoribus capi. Eum quidem Lucium Ausonij esse, non rectè conijcit. Longè alius est qui in mari Macrill dicitur, nempe Scomber.

POLONICE Iaiz, uel Iésiéñ. quærendum an idem sit qui Glouuaz ab eis dicitur, ob magnitudinem capitis, de quo suprà Parte III. ubi de Cyprinorum differentijs agitur.

CAPITO




CAPITO fl. rapax aut uorax discriminis causa cognominetur hic, quem GERMANI Misleni ein Rappe, id est, Coruum appellant. Est enim (ut Ioannes Kentmannus scribit, qui effigiẽ quoq; cõmunicauit) Corui auis instar rapax uoraxq; non minùs ferè perniciosus uorandis piscib. quàm Silurus & Lucius. In Albi capitur: in quo etiam nascitur, non aduena est. Squamis tegitur latiusculis, tenuibus & perspicuis. Longus est, crassus, & carnosus, carne aristis plena, longitudine ad latitudinem quintupla. Dentes ei non in ore, sed in faucibus sunt. Maximi qui apud Misenos capiuntur, ad sex aut septem libras (sedecim unciarum) accedunt, &c. Piscis est admodũ laudatus & boni saporis, tum assus, tum elixus, si ritè coquatur, quod plerique ignorant. facile enim in partes aliquot dilabitur, si in feruidam immittatur. itaq; ab initio statim in frigidam præparatus immitti debet, ut pariter cum aqua concalfiat, &c.

Icone sequentis piscis non opus est: nam per omnia Capitonem fl. communem nostrum refert, nisi quòd minor est.

CAPITO uel Squalus fl. minor, aut minimus potiùs, est qui à GERMANIS Häßling appellatur, quasi Lepusculus: fortè quòd agilitate ac celeritate natandi lepores repræsentet. scribitur autem uarijs modis: Hasele/Haßle/Heßling. In Albi Heßling appellatur, uel à dorsi crassitie, Dickruck, id est, παχύνωτος: uel nimis cõmuni nomine Weyßfisch. Argẽtinæ Schnotfisch uel Schnatfisch. (Alicubi etiam Meifisch, à mense Maio, quo præfertur: quod quidem nomen Alausæ etiam tribuitur.) Coloniæ Kolfisch, hic aut alius persimilis. In lacu iuxta Tugium Heluetiorum Ganghaßle uocatur: & Suala nostra siue Gardus ibidem Haßle dicitur, sicut etiam Lucernæ. Glyssen apud piscatores nostros generale nomen est ad piscium species tres, quas uocãt Hasele/Laugele/Schwalen. ¶ Quòd si quis Leuciscum maiorem appellare uoluerit, permittemus. est enim Leuciscis illis, quos suprà Parte 1. huius Ordinis descripsimus maior. Capitur apud nos tum in lacu, tum in fluuio. fluuiatilem oculis rubere aiunt: lacustris non rubet, sed superna oculorum parte flaua est. Dentes in faucibus utrinq; cõditos habet, sicut et Capitones maiores. Dorsum ei fuscum & crassum est, & similiter caput. squamis mediocriter magnis tegitur. Circa ripas plerunq; natat, ubi ex herbis uermiculos legit, & muscas aut culices riparum marginibus insidentes rapit.

GALLICVM nomen nescio. nam Haseaux Gallis dicti pisces, Cyprini lati minores sunt.

ITALICE, ni fallor, Stretta uocatur in Lario lacu, à corpore longiusculo & stricto, id est, minimè lato. in Verbano Giauetta. Papiæ Kabacello.




MVGILVM fluuiatilium species duæ Rondeletio. Frequentissimus (inquit) est piscis in riuulis & fluuijs labentibus ex montibus Cemeneis, qui à uulgo Siego uocatur. Hunc ad aliud quàm ad Mugilum genus reuocare non possum: Quemadmodum nec pisciculum illum qui à Lugdunensibus Friton & Friteau nominatur: qui superiori ferè similis est, sed minor. palmi enim longitudinem uix superat: superior in Arari, & in alijs quoq; aquis, etiã cubitalis est. Hic corporis aspectu Mugilibus (*fortè fluuiatilibus*) similis est: nec non pinnis, earum numero, situ, cauda, partibus internis. Rostro est acutiore, sine dentibus. Idem cum inferiore (*maior nimirum cum minore*) qui in Arari frequens est, uictus ratione, carnis mollitie & succo maximè conuenit. ¶ Siego piscis (inquit Dalechampius Lugdunensis medicus in epistola ad me) nõ in Arari nostro gignitur:

sed in Erari (uulgò Erant) fluuio, qui sub Agatham (uulgò Ade) mare ingreditur, quatuordecim millibus à Monspessulo Narbonam uersus. ¶ Idem sale conditos ad me misit pisces binos ex ijs, quos Galli uocant Fretus, Friton, & Friteau, quasi πτγυνιςὰς, ut uocat Athenæus. eos quidem nostri piscatores non agnoscunt, tanquam peregrinos. De hoc quanquã paruo uolui hîc agere simul cum maiore: quoniam Rondeletius etiam in unum caput coiniunxit.

GERM. F. Zweierley fisch in süssen wassern/von der art der Alleten/zů Lyon bekañt: der grösser wirdt auff anderthalb schůch lang: der kleiner nit über ein spann.

VMBRA in Gardone Galliæ Narbonen. flumine, ex Truttarum genere est. qui uerò eodem nomine piscis in Lado nostro reperitur, Mugilis fluuiatilis species est, Rondeletius.



NASVS (uulgò dictus) piscis est in Danubio, et aquis in Danubium influentibus: similis Monacho (*id est, Capitoni fl.*) sed tenuior, naso ualde crasso, Albertus. Noscitur hoc nomine piscis passim apud Heluetios & Germanos. ¶ Peculiare nec illaudatum genus piscium est, in amnibus & aquis Lani degens, carnosum, molle & rotundum ferè, Barbatulorũ (*Barborum fl.*) penè gustu, duorũ triúmue palmorum magnitudine, quod Germani Nasen quasi Nasutum nominant, Adamus Lonicerus. *Nasutus. Naso.* Ergo uel Nasum, uel Nasutum, uel potius Nasonem appellabimus hunc piscem: cuius in aliorum qui hactenus de piscibus scripsère libris nullam extare mentionem, quod sciam, demiror. ¶ Labrum seu rostrum superius crassum, simum, obtusumq́ habet: unde et Simus Latinè, Græcè Σιμὸς dici poterit. *Simus.* nam eôdem nomine piscem inter Niloos legimus. nempe ut fluuiatiles quidã Mugiles siue Leucisci à rostri acumine Oxyrhynchi uocantur: ita hic ab eodem simo crassoq́ Simus & Pachyrhynchus, rectè uocabitur. *Pachyrhynchus.* Genere quidẽ Leuciscis fl. adscribi debet. Venter eius intrinsecus nigerrima membrana ambitur. Os eius ueluti labra habere uidetur, ut ab ijs Labeo aut Chelon fluuiatilis dici mereatur. *Labeo fl.* Plebeius planè piscis est, carne semper laxa & insipida. In Rheno præstantior habetur.


ITAL. Circa Tridentum Saueij uulgò dicitur, duabus syllabis. Vide mox cum Gallicis nominibus.

GALLI & Itali multi, puto, nomina eius cũ Capitonis fl. (cui aliquo modo similis est,) nominibus confundunt, ut sunt Villain, Cheuena, Musiner.

GERM. Ein Nase.

BARBVS ab Ausonio dictus, Barbulus Platinæ: quem Rondeletius non ineptè ob rostrum longius & acutius inter Oxyrynchos cõnumerari posse scribit; quoniam multi (inquit) eo nomine à ueteribus donati sunt. ¶ Nos Sturiones & similes eis pisces olim oxyrynchos dictos ostendimus. Est & in Mugilum genere oxyrynchus: & Rondeletius primam Leucisci fl. speciẽ, oxyrynchum de Mugilis fl. genere esse insinuat. Est & suus Nilo oxyrynchus, quem Lucium esse Bellonius suspicatur: & alius maris Rubri. & Antuerpiæ uulgò dictum Hautin piscem fluuiatilem, Ronde-

Barbus hic à nostro pictore delineatus est, maiusculus quàm uellem, ut & alij multi.



Rondeletius oxyrynchum nouo nomine appellat. Quamobrem Barbum piscem neq; oxyrynchum, neq; oxyrynchorum generis facere libet: ne tamen asymbolos abeam, de uetere eius nomine, coniecturam meam proferam. Barinus (Βαρῖνος) Aristoteli dictus piscis, an Barbus sit, quęrendum. nam & nomen alludit, & fluuiatilem esse piscem, & præ obesitate sterilescere ei conuenit. Gazæ interpretatio pro Barino non rectè Carinum habet. ¶ A recentioribus quibusdam Barbulus, aut Barbellus, Barbatus aut Barbo uocatur: à nonnullis ineptè Balbus. & quoniam Barbatulus est, ut Mullus, ab imperitis cum Mullo longè diuerso & marino pisce confunditur. Alexander Benedictus Mullum fl. uocat. ¶ Ab accolis Strymonis Græcè loquentibus, Mustacatus uel Mystus dicitur, teste Bellonio: à mystace, id est, barbitio, quanquam superioris labri barbam tantùm propriè mystacem Græci nominant. Mystus etiam in Nilo frequenter capitur, inquit Bellonius: sed quomodo Lucius Italicus à Gallico differt, sic Nili Mystus à nostro dissidet. noster enim oblongus est, & quasi teres: Niloticus uerò crasso & recurto est corpore. Memphi libras xx. pendentem uidi: quo in loco Mythus uel Mystus dicitur. uulgus Græcum Mustachato pronunciat, Sic ille. Idem Mystum marinum quoque reperiri scribit in Adriatico, fluuiatili magna ex parte similem, &c. qui si similiter Mystus & Mystacatus appellatur, an Plinij Musculus sit & cetorum dux, quærendum: mihi tamen Mustela potiùs dux ille uidetur, &c.

ITALICE Barbio, Barbo. Mediolanenses, iam adultos Barbos, Barbaros uocant: minores uerò, Balbetos.

HISPANICE Bárbo, Báruo.

GALLICE Barbeau, Barbet: & Barbarin, quum minor est.

GERMANICE Barb/Barben/Barbel/Bärbele. Saxonibus Parme. Flandris Barme. ¶ In Rheno circa Scaphusiã Weidfisch appellantur, pisces qui per hyemem in libero flumine uagantur & pascuntur, quod præcipuè Barbi faciunt. & hi quidem meliores sunt, capite minore, corpore rotundiore & obesiore, quàm qui in latibulis se cõtinent, quos Lågerbarben appellant. Ex his uagantibus aliqui reperiũtur steriles, in quibus nec genitura nec oua inueniuntur. eos Jüncker-lin/id est, Nobiles uocitant, & quouis anni tẽpore in cibo commendant.


MVSTELA fluuiatilis dici potest, piscis quem Rondeletius Gallico nomine Lotam appellat. Mustelæ enim marinæ perquam similis est: multò quidem similior quàm Lampreda, hoc est, Mustela fl. Ausonij, quæ è mari flumina subit, hæc non item. Sunt autem species eius diuersæ, aliæ fluuiatiles tantùm, aliæ lacustres tantùm, aliæ fluuijs & lacubus fortè communes.

Antiquum eius nomen non constat. Bellonius Clariam fluuiatilem uocat, sed Clariam Oppianus per syncopen pro Callaria dixit; qui piscis marinus est, Asellorum generis: Mustela-

Icon hæc Muſtelæ fl. noſtræ eſt, maior proportione quàm oportebat: pinnula etiam dorſi anterior non ſatis diſtincta, incuria pictoris.



Eiuſdem alia icon à Rondeletio exhibita: in qua ſquamæ forſitan nimis manifeſtæ ſunt.



bus tamen (liceat ita dicere) marinis cognatus. quamobrem noſtras quoque Muſtelas fluuiatiles aut lacuſtres, Callarias nuncupare, addita aquæ dulcis differentia, abſurdum non fuerit. & Græce etiam καλλαρίαν ποτάμιον ἢ λιμναῖον, uel γαλῶ ποταμίαν ἢ λιμναίαν appellare. ¶ Alabes, ἀλάβης, inter Nili piſces à Strabone numeratur: à lubricitate nimirum dictus, quòd manu capi non poſsit. hic ſi Lampredæ aliqua ſpecies non eſt (ſicut & Oliſthus, id eſt, Lubricus Oppiani,) Muſtela fl. hæc noſtra uideri poterit. hanc enim in Nilo capi certum eſt: etſi ſpecie diuerſam à noſtris. Memphi (inquit Bellon.) piſces quidam edules circunferuntur, è Nilo capti. quorum nonnulli ſunt inſipidi, alij ita uiles, ut à pauperibus tantùm edantur. quorum ex numero quendam obſeruaui, cuius glabra pellis ut Anguillæ erat, Clariam (hoc eſt, Lotam Gallicam) referentem: unde Clariam Niloticum uocari poſſe credidi. Pedalis eſt longitudinis, (aliquando cubitum excedit,) brachijq́ue craſsitiei.

Callarias. *Alabes.* *Clarias Niloticus.*

crassitiei. Cirros duos semipedem longos ac molles gerit, unde Barbatulã pleriq; in Aegypto uocant. Superius labrum paruuos admodum dentes duobus ordinibus dispositos habet: inferna autem maxilla, tantùm exasperata est. Folliculum qui piscibus datur ad natandum, faui in modũ crebris foraminibus pertusum habet. Ex his Bellonij uerbis, Clariam Nili ab eo dictum, commune quidem aliquid cũ Mustela fl. nostra habere apparet: sed specie differre, aut potius genere proximo. Mustela enim nostra neq; dentes, neq; folliculum habet: & cirros duos, qui à parte oris superiore prominent, admodum breues: Nili Clarias semipedem in pisce pedali longos. Quamobrem Silurum Nili esse dixerim hunc piscem, nam & nostra Mustela Siluro similis est: ac idem esset, si magnitudo corporis, & Barbularum longitudo accederet. Dentes etiam conueniunt, duplici ordine superiùs, simplici inferiùs, labro tantùm exasperato, sunt autem parui admodum utrobiq;. Silurum autem hunc potius quàm Glanim esse conijcio, quoniam in Nilo Silurum, etiã ueteres scriptores memorant, Glanim nemo: nisi fortè Bellonius, qui hos pisces non distinguit. Nec refert pedalem tantùm hunc piscem ab eo describi: cum postea circa Busirim cubito longiorẽ se uidisse scribat, & fieri potest ut longiores inueniantur. neq; enim ipse multo tempore immoratus est. Esto igitur hic Silurus: aut certè Blax, piscis Siluro similis, (ut Suidas scribit,) sed inutilis adeò ut ne Canes quidem gustare uelint. ¶ Iouius hoc piscium genus Gobios fl. nominat; Bellonius omnino diuersos esse ostendit. Murmellius multò ineptius Alausas facit. Falluntur & qui Lacertos, & qui Myxones existimant. ¶ Fluuiatile genus unum est & simplex, cuius figurã exhibemus. idq; apud nos (puto) in fluuijs nascitur: alibi è riuis in maiora flumina, ut Albim, transit. In lacubus uerò nostris species duæ aut tres, tum à fluuiatili, tum inter se diuersæ inueniuntur. diuersitas, colore, magnitudine, & pinnis, præcipuè dorsi, pluribus, aut paucioribus, constat.

Silurus Nili

Blax.

ITAL. Insubres hos pisces Strincios & Botetrissias appellant, uulgò Bottatrisso, Strinzo, Iouius. Circa Comum Srinz, Bostriz, & Strinco, nomina usitata sunt. Bottatrissa, ad lacum Verbanum. alijs Trinca. A Benedicto Iouio inter Larij pisces Trisius appellatur: & ab Heluetijs simili uocabulo Trüsch. Botatrisso quidem propriè in lacubus quibusdam dicitur, species maior. Glanim piscem (inquit Bellonius, qui Silurum à Glanide non distinguit) refert is, quem Insubres & Taurini Botetrissam nominant, dempta magnitudine, sunt enim tam propinqua similitudine, ut eorum alterum maiorem, alterum uerò minorem dicere possimus. Sic ille: qui & Strinsiam Italico nomine hunc piscem appellat. Fluuiatilem uerò Clariam priuatim, ab Italis Botolã, uel Botũ uel Botã nuncupari tradit: quæ tamen nomina Gobioni fl. capitato potius conueniunt. Bottatrissiæ nomen ex utroq; compositum uidetur. Bottam Itali quidam pro Rana rubeta uel Buffone dicunt. est autem huic pisci rictus similiter diductus. ¶ Hunc piscem Paulus Iouius & Matthiolus fluuiatilem Gobium esse (non rectè) crediderunt. nos quoniam aliud nomen uetus nullum extat, cum Benedicto Iouio Triseũ uocabimus, Saluianus: qui in fluminibus & lacubus quibusdam tantùm hunc piscem procreari addit: nec intellexit fluuiatiles & lacustres Triseos specie differre: & eundem esse quem proximè antè è Germania missum descripserat, simili nomine Treischen: pro quo alij Rutten uel Ruppen proferunt.

Glanis.

HISPAN. Lusitanis Enxaroquo dicitur: sed hoc nomen magis conuenire puto Ranæ piscatrici.

GALL. Circa Lugdunum Lota (uel Lotta) in Arari. Geneuę uerò Motella, quasi Mustela nominatur, Rondeletius. Vulgò Barbota dicitur, non à Barbis: sed ex hoc quòd Galli barbotare, cœnum & fimum rostro, anserum modo, commouere dicunt. Sunt qui Marmotum uocent, Bellonius. A Gallis Senonibus Boullause uocari audio: fortè quòd plerunq; uenter eius ceu bullis infletur. Sabaudi Moustelle uel Mouttoile (alij similiter Cobitidẽ fl.) nominãt. Moustoile, ad lacum Neocomensem. Circa Rhodanum alicubi (haud scio an Vallesij) Setchot.

GERMANICE Trüsch, apud nos præcipuè: Treüsch/ Triesch. Et circa Acronium lacũ priuatim sic uocatur huius piscis species, quæ in profundo uersatur. quæ autem in summa aqua & procellis obnoxia natat, Constantię ad eundem lacũ Wellfisch, Lindauiæ Guellfisch dicitur. estq; ea minor, pulchrior, nigrior, & in cibo delicatior, quàm quæ in gurgite manet. Idem piscis, magnitudine & ætate minor, Moßerle, à musco & alga nominatur. sunt qui Latinum nomen Musconis ei finxerunt, nescio quàm rectè. Constantiæ tamen, alterius generis, quod in profundo agit, paruum adhuc piscem Moserle nominant: deinde maiorem, loco etiam uictuq; mutato, Triscam. Reliqui Germani nominibus in hoc pisce diuersis plurimùm uariant, ut uix in ullo alio. Alijs enim alijsq; locis nomina usitata sunt hæc: Rugget/ Rutte/ Ruffelck/ Rufolck/ Rofolck/ Rup/ Raup/ Alrupp/ Olrupp/ Oelrappe. item Quappe/ Putte/ Püüt/ quæ nomina Ranam uel Rubetam significant. alij compositis ab his nominibus & Anguilla uocabulis, Alput/ Aelputt/ Alquapp.

Musco.


Apud Albertum leguntur etiam hæc nomina: Almutzen/ (malim Alputten.) & Lumpen. De eodem (inquit) fertur, quòd circa duodecimum annum ętatis, cum in maximam quantitatem excreuit, Solaus appelletur. ego pro Solaus legendum puto Salaut uel Salut: ita enim Sabaudi & uicini Heluetij Silurum nominant: quem tamen ex Mustela hac nostra nasci falsum est. ¶ Est & Milker uel Melker, à lacte deriuatum nomen, inferioribus Germanis de hoc pisce uulgare: Galaxiam fluuiatilem Grecè dixeris, (nam alius Galaxias siue Galarias marinus est.) Nomẽ

Galaxias.

id positum à lacteo iecoris colore puto: quale in magnis lacustribus nostris præcipuè uisitur. Rondeletius iecur albicans Lotæ etiam suæ tribuit, & Barbotæ. A Geldro quodam accepi piscem Mustelę nostrę prorsus cognatum, sed breuiorem, crassiorem, & nigriorem, à Geldris suis **Milker** uocari, & alio nomine **Kutt**: (sed posterius hoc diuersi etiam piscis nomen est.) Iidem **Milker** uocitant, Harengum marem priuatim, non omnem piscem marem ut nostri. **Alcute** quidem nomen pro hoc pisce apud Albertum etiam legitur, nescio quàm rectè. quin & Mustelam fossilem uel uariam quibusdam Latinè dictam, aliqui **Meerkutt** appellant.

ANGLI **Powte** nominant: & **Elepowte**: sicut & Germani inferiores **Putt** & **Alputt**: quorum nominũ rationem explicaui superius: aliter quàm ab Anglo quodam nuper accepi, qui **Elepowte** uocari aiebat, quasi Anguillam uentricosam.


ILLYRICE. Poloni uocant Mientus, Bohemi Mnik.




MVSTELAE fluuiatilis species alia à Rondeletio exhibita: qui non alio quàm uulgari Gallico nomine Barbotam appellat. In lacubus (inquit) & fluuijs minimè rapidis Lotæ species, uel ei persimilis piscis nascitur, qui à uulgo Barbota nominatur. Lotam corporis specie refert, nisi quòd rostro est acutiore: item cauda tenuiore, & magis in acutum deficiente, uẽtre prominentiore, alijs omnibus similis. ¶ Bellonius Clariam fl. simpliciter, Barbotam nominauit. Apud Albertum Borbocha, ut conijcio, pro Barbota legitur. Sed Husonem quoq; uulgò dictum Danubij piscem ab accolis Tanais Barbotam nominari scribit Bellonius, à barba scilicet.

GALL. Barbote, ut dictum est.

GERM. **Ein art der Trüschen mit einem spitzen schnabel / vnnd dem schwantz auch gespitzt: mag ein Spitztrüsch genẽnt werden.**



MVSTELAE fl. nostræ, pulcherrimis distinctæ coloribus, flauo, croceo, cãdido, roseo, atro, oculorũ pupilla nigra, parte ambiente cœrulea, ante paucos annos in Bohemia captæ sunt: & Pragæ propter pulchritudinem Regi seruatæ uiuæ in uase amplo aqua pleno, nõ sine limo fundi. Earũ unius iconem hîc exhibeo, qualem Io. Thanmyllerus iunior, chirurgus Augustanus, ad me dedit.



ASPER Danubij, quem hîc proponimus piscis appelletur, propter similitudinem eius cum Aspero Rhodani (quem dedimus suprà Parte II. huius Ordinis:) quanquam multò maior. Capitur Vlmæ alibiq; in Danubio. Squamis (ni fallor) tegitur, dodrantalis plerunq; & libræ pondere est: sed etiam ad duas aut ad summum tres libras (XVI. unciarum) accedit. Pinna à podice, incuria pictoris omissa uidetur. Colore est partim è fusco ruffescente (ut icon præ se fert, tum ea quam Iulius Alexandrinus Ferdinandi Augusti medicus ad me misit: tum altera, quam Raphael Seilerus

Scilerus I.C. Auguſtanus) partim nigris maculis ſatis magnis per interualla diſtinctus: quarũ aliquæ à dorſo ad uentrem obliqui tendunt. Lautiſsimum eſſe aiunt ſimul & ſaluberrimum omnium Danubij piſcium. in piſcinis ſeruari non poſſe. caudam adeò duram habere, ut uix amputari poſsit.

GERMANI eum uocant Zindel/Zinde/Zundel/Zinne/Zingel.
VNGARI Kolkz.

TRVTTARVM GENERIS DIVISIO.

Truttarum aliæ ſunt fluuiatiles, aliæ lacuſtres.


Fluuiatiles aliæ ſunt
- Paruæ, albæ, in Santonum & Boiorum fluuijs. cubiti magnitudinem uix attingunt, capite mugilis ferè, &c. Rondeletius. Bachforen. hæ apud nos tantæ non ſiunt.
- a. Maiores, flauæ, in Erari.
- b. Subnigræ, maculis rubentibus. colorem illum (inquit Rondeletius) ex Senio cõtrahi exiſtimo. eæ enim omniũ maximæ ſunt, & lacuſtribus illis ſimiles, quę Truttæ ſalmonatæ uocantur. Hæ in riuis Miſniæ Lachßforen appellantur, compoſito à Salmone & Trutta uocabulo, carne rubẽte, maculis aureis: (unde alicubi, ni fallor, etiã Goldforen nominãtur, alibi Schwartzforen:) quæ in cæteris uulgaribus Truttis nigricant, ut Miſenus quidã ad me ſcripſit. Agricola Truttas nigris maculis reperiri annotauit ad Suarceburgum Miſenæ oppidũ, in fluuio cognomento Nigro, &c.
- a. b. Eas quæ flaueſcunt & nigricant ab albis differre comperio, quòd illis roſtrum ſit acutius, & ueluti in fronte macula nigra. præterea albæ minores ſunt, & carne minùs flaueſcente, Rondeletius.
- Rottela uel Hucha dicta Germanis circa Auguſtam. eadem fortè alibi Teichforen dicta, id eſt, Trutta piſcinaria.
- Salmo etiam fluuiatilis quædam Trutta uideri poteſt. } Sed hi ambigũt inter fluuiatiles & marinos.
- Item Eperlanus.
- Salmarinus circa Tridentũ dictus, proculdubio Trutta quædam fluuiatilis eſt.

Lacuſtres ſunt, ut
- Trutta magna uel ſalmonata, in magnis lacubus. Salmonem lacuſtrem dixeris. Seeförine. { Grundförine. / Schwäbförine.
- Carpio Benaci.
- Vmblæ uulgò dictæ
  - Minor, in lacu Tigurino, & alijs, Rötele.
  - Media, in Lucernenſi, & Lemano, Rooten.
  - Maior, quã in Lemano equeſtrẽ cognominant, groß Rooten.
  - Differũt hæ à cęteris Truttis omnib. cũ aliàs, tũ quòd carnem longè molliorẽ habent: in minore Vmbla etiã lapillos in cerebro obſeruaui.

Truttis cognati ſunt, ſed abſque dentibus.
- In fluuijs, Thymallus & Vmbra.
- In lacubus, Lauareti & ſimiles.

TRVTTARVM NOMINA ET DIFFERENTIAE APVD Anglos, ex Guil. Turneri epiſtola.

TRVTAM Angli uocant a Trute uel Trowte. Earum in Anglia duo genera reperiuntur. Alterum, quod Auſonij Salar (*nimirum et ipſe, ut Gillius & alij, Salaris nomine Truttam fl. ſimpliciter accipit*) eſt, à Northumbrieſibus meis uocatur a Burutrout (*Germanico fortè For*, *& Gallico Troutte, unius piſcis nominibus in unum confuſis, ex his enim duabus linguis Anglica ferè conſtat hodie.*) Ad hoc genus alia ſpecies referri poteſt, Trutta illa quæ uocatur an Allerfanght: hic piſcis quàm alter (*ſuperior*) uentre magis prominulo eſt, & per omnia craſsior, & maxima ex parte, ut ille in locis uadoſis & non ita profundis: ita hic in profundioribus torrentium & fluuiorum locis, ſub alnorum radicibus, quæ ad ripas fluuiorum naſcuntur, interdiu deliteſcit. atq; ideo ab alno, quæ noſtra lingua uocatur alder uel aller, nomen ſibi ſortitus eſt. Alterum Trutæ genus in Northumbria uocamus a Bulltrout, hoc eſt, Trutam taurinam, ab inſigni magnitudine qua alias Trutas ſuperat. cubito enim aliquando longior reperit. craſsior eſt Salmone, pro ratione ſuæ magnitudinis: ſed capite, ſi rectè memini, breuiori. Caro eſt quàm Salmonis multo ſiccior & friabilior, & multorũ palatis gratior. Accepi eandem in alijs Britanniæ regionibus uocari a Gray trout, & alijs a Skurf.



TRVTTA uulgò apud Gallos & Italos dictus piscis, ut hodie à plerisq; literatis, sic olim etiam à diuo Ambrosio & Isidoro Hispalēsi, similiter Latina terminatione uocatus est. Varij, inquit Isidorus, à uarietate dicti sunt pisces, quos uulgò Truttas uocant. Cum igitur tum quoque uulgare hoc nomen fuerit, non Latinum aut Græcum, nec apud ullum uetustiorem scriptorē inueniatur, antiquum aliquod eius nomen indagemus. Plinius Valerianus etiam Truttos & Squalos nominat: apud quem & alia quædam recentiora legūtur, quæ ab aliquo ei adscripta esse aliquis suspicetur. Platina t. simplici Trutam scribit. Torrentinam Scoppa grammaticus Italus nominat, facto à torrentibus nomine: in his enim, & riuis mōtanis abundat. Platina Trutas dictas putat, à trudendo, quòd semper in aduersum & impetuosum flumen nitatur hic piscis. Troctes quidem Aeliani, marinus piscis est, idem planè qui Amia: non Truta, ut quidam putarunt. Alias aliorum opiniones nimiùm leues prætereo. Salar Ausonij, non Trutta sed Salmo paruus mihi uidetur. Fario autem Ausonij, si rectè ita legitur, (nam plures Sarionem legunt,) Trutta fuerit, uulgari Germanis nomenclatura accedente, nec mirum si hunc piscem à Salare & Salmone ætate tantùm differre existimauit Ausonius, uulgarem quorundam persuasionem secutus, &c. Varius nomen de hoc pisce Isidori seculo eruditis in usu fuit, ut diximus, aspernatis nimirum uulgare nomē Truttæ: non quòd antiquiorum aliquis ita uocasset. Lupi quidem alij concolores (ferè,) lanati à candore dicti: alij uerò uarij, quorum Columella & Xenocrates meminerunt. Hos ipsos Lupos uarios, Truttas nostras esse, Iouius & post eum Saluianus contendunt. quibus contradicit Rondeletius, cuius ego sententiam sequor. Recentiores aliqui Truttam uocant Turturē, sine authore. ¶ Aelianus in Astreo Macedoniæ fluuio pisces colore uarios (τῶν χρόαν κατασίκτες,) nomine ab incolis Macedonibus interrogando, gigni refert: qui peculiares quasdam illi fluuio muscas, circa summam aquam uolitantes, appetant. Videtur aūt planè de Truttis nostris sentire. Thrassa uel Thratta Aristotelis, Trutta uideri potest, ut pluribus dicam in Alausæ mentione, mox Parte V. Thrassæ pisces apud nos uarij dicuntur, inquit Niphus Italus, de Truttis ne an Lupis uarijs sentiens, nescio. in Italia equidem Varij nomen de nullo pisce uulgare esse puto, præterquàm Lupo marino, qui Venetijs Varolo appellatur, quasi Varius aut Variolus: quanquam & Phoxini species, pisciculus quidam læuis, Varon (quasi Varius) alicubi appellari solet. Mnesithei certè apud Athenæum Pyrūntes, non alij quàm Truttæ fuerint. Ex fluuiatilibus (inquit) optimi sunt Pyrūntes, qui non nisi in rapidissimis ac gelidis fluuijs gignuntur, & faciliùs quàm cæteri fluuiatiles concoquuntur. Sic ille. Nihil autem refert, an Pyrûs masculino genere proferatur, πυρόεις, πυρȣ̃ς: an fœminino, Pyrussa uel Pyrutta. præstiterit tamen masculino gen. efferre, ut subaudiatur ἰχθύς. est enim adiectiuum ab igneo uel rutilo colore factum, &c.

Truta. *Troctes.* *Salar.* *Fario.* *Varius.* *Turtur.* *Thratta.*

ITAL. Trotta, Trutta: & Trutala circa Larium lacum, diminutiuo nomine. Apud Rhætos qui Italica lingua corrupta utuntur, Criues.

TRVTTARVM fl. generis est etiam qui Salmarino uel Salamandrino apud Tridentinos dicitur: cuius historiam & iconem Saluianus dedit.

GALLICE & Sabaudicè Troutte, Truitte.


GERM. Forē/Forhen/Förine/Forel/Forell. pleriq; primam per f. pauci per u. consonantem scribunt, ut Vorhelle, quasi Variolus.

ANGLICE a Trute/Trowt. Vide superiùs paulò de Truttarum nominibus & differentijs apud Anglos, ex epistola Turneri.


QVOD Trutta multigena sit, id quidem ex stellis *(punctorum uarietate)* statui uix potest. nā diuersi amnes eiusdem generis pisces diuerso modo pictos habent, quanuis in eodem tractu capiantur interdum, ut Rilla Neustriæ fluuius, Bellonius.

GERMANICE dicti Bachforen & Waldforen, à riuis & torrentibus syluarum denominātur: Goldforen & Schwartzforen, à colore: & eędem, ni fallor, Lachßforen, composito à Salmone et Trutta nomine: quòd Salmonem tum magnitudine, tum carnis colore referant. Lege superiùs in diuisione Truttarum generis. His similes in lacubus maioribus reperiuntur, Seeförinen Grundförinen/Schwäbförinen: de quibus inter lacustres dicemus. Goldforen squamas habent

bent deauratas Augustæ Vindelicorum: Rotforen carnem habent rubentem & ualde sapidam, ut annotauit Val. Cordus.



TRUTTA piscinaria, si libet, appelletur hic piscis: qui GERMANICE Huch / Hüch uel Hůch apud Bauaros, aliosq́ue uocatur. Eius iconē Achilles Pyrminius Gasserus, præstatissimus Augustę Vindelicorū medicus ad me misit. Videtur aūt cū alias ex pictura Truttis cognatus, tū quòd pinnulam illam adiposam similiter in fine dorsi habet, & pūctis uariatur. In libro Germanico Bauaricarum constitutionum & pictus hic piscis proponitur, & mensura eius duodecim aut tredecim digitorū, quibus breuior uēdi non debeat. Augustæ (ut audio) hic piscis uocatur ein Rot uel Röttle/à colore rubicundo: quæ nomina nostri Vmblis (ut Sabaudi nomināt) lacustribus tribuunt. Voracem esse aiunt, boni saporis, inferiorem tamen Truttis. In Carinthia Huchæ rubræ (rot Huechen) quædam cognominantur, in fluuijs: quas Salmoni comparant, carne etiā rubra: & saliri ut inueterentur, solere aiunt. Apud Misenos Truttas quasdam uocari Teichforen, (hoc est, piscinarias,) easq́ue piscinæ fundum glareosum requirere, et riuulos fluidos qui se in piscinas infundant, ex Georg. Fabricij literis cognoui. hæ an forsitan Huchis proximè dictis, ut alijs iam priùs memoratis Truttis eædem sint, inquirendum. Huchas quidam icone nostra inspecta in quibusdam Germaniæ locis alí in piscinis nobis referebat: & in Traga flumine Carinthiæ reperiri: ætatisq́ue progressu in Salmones (specie rostri nimirum) conuerti, quod & Lacustribus Truttis diuersis accidit. *Thymalli icon: & altera eiusdem in sequente pagina.*



THYMALLVS ab Aeliano uocatur piscis (non Thymus ut quidam scribunt, nec Thymalus l. simplici) Ticini incola: uerùm is in alijs quoque fluuijs plerisq́ue apud nos reperitur, puris scilicet, saxosis & rapidis maximè. Ingreditur autem maiora flumina è minoribus ac riuis. Nomen ei factum, quòd thymum herbam redoleat, uel potiùs nescio quid suaue, non ita pisculentum ut cæteri pisces. id quod fortaßis cibi ratione ei contingit. uescitur enim non auro, ut uulgus putat, sed insectis aquatilibus, millepedibus, pediculis & pulicibus aquaticis ac terrestribus, ut scribit Bellonius: qui etiam scarabeum terrestrem aliquando in eius uentriculo sibi repertum addit. itaq́ue non omni tempore & loco hunc eius odorem percipi puto. Recentiores quidam scriptores, præsertim Itali, uulgare Italicum nomen tanquam Latinum proferunt, Temulum, Temolum, & Temelum scribentes. Idémne sit Vmbra fluuiatilis Ausonij dubito. nam & Albertus Magnus Thymallum interpretatur Vmbram, & Sabaudi hodie eodem nomine uocant: & Angli quidam similiter, ut conijcit Turnerus. Ausonius hoc tantùm uersu, Effugiens oculos celeri leuis Vmbra natatu, in Mosella eius meminit. in quo flumine cum Thymalli reperiantur, ut audio, tam nobilis piscis nomen ille prætererit, nisi Vmbra ab eo dicta esse cōcedatur. Rondeletius & Bellonius Vmbram fl. à Thymallo diuersam faciunt: neq́ue ullius inuicem similitudinis meminerunt. Mihi quidem, si non unus est piscis (aliam enim fluuiatilem Vmbram præter Thymallum nondū uidi: nec unum esse aio, sed inscitiam meam fateor) omnino specie naturaq́ue cognati uidentur, idq́ue ex ipsorum ferè descriptionibus. Sed de Vmbra illorum proximè. *Vmbra fl.*


ITALICE Temolo, Temalo, Temelo: pro l. in ultima aliqui r. proferunt, Temero. apparet autem nomen à Græco Latinóue deflexum esse.

GALL. Sabaudis Vmbra, ut diximus.

GERM. Aesch/Asch/ eodem quo cinis nomine, à colore, ut puto, qui in hoc pisce, minùs quã cæteris plerisq; squamosis candidus aut argenteus est: sed magis cinereus & punctis aspersus nigris, ut cinis carbonum particulis aut fauillis nigris. Nomina pro ętate mutat. Nostri primo anno nominant Kreßling uel Greßling: quod nomen etiam Gobioni fl. attribuunt, è quo Thymallum fieri quidam falsò putant. Anno secundo, ein Knab/ ein Yser oder Yserle. Tertio ein Aesch. In Rheno circa Scaphusiam anno tertio audio uocari ein Mittler: quarto demum ein Aesch uel Aescher, cũ parere incipit. Nostri quidam piscatores Thymallum paruum etiam alio nomine appellãt ein Kötnling oder Churling.

ANGL. Est in Anglia piscis (inquit Turnerus) à Truttarum forma non multùm abludens, quē à colore cinereo uocamus a Grayling. eundem audio alicubi Umber nominari. idem nisi fallor piscis est, quem uos uocatis ein Aesch.

Thymalli icones duæ à diuersis pictoribus non uno tempore nobis expressæ sunt. in utraq; lineam quæ à branchijs ad caudam descendit, desidero, &c.



Vmbra Rondeletij.



VMBRA fluuiatilis Ausonij, à Rondeletio exhibita. Bellonius iconem eius idcirco se omisisse ait, quòd ad Vmblam proximè accedat. Vide quæ scripsimus paulò antè in Thymallo. Longè diuersa est marina Vmbra, quanuis imperiti aliqui confundãt. Vmbra fluuiatilis non solùm nomine, sed & colore, marinis similis est: à quo utriq; nomen, corpus enim est opaci loci modo subfuscum & subobscurum, cubitalem (pedalem, Bellonius) magnitudinem nõ excedens. Piscis est ex Truttarum genere Carpioni Italico corporis aspectu affinis. Squamas paruas, & maculosas ut Trutta habet. Capite longiore est quàm Trutta, ore minore, nec tam hiante, rostro non acuto, sed obtuso, maximè in maxilla inferiore: sine dẽtibus, & sine magna maxillarum asperitate. Oculis est patulis: cornea tunica aurea, pupilla nigra. Vescitur terra, aqua, limo; unaq; cum

cum his & arena auri laminulas haurit. Pura aqua maximè delectatur, in montium amnibus capitur. Carne est sicca & alba, qualis est Truttarum paruarum, &c. Hæc ille. In fluminum ac lacuum uorticibus degit, piscis Allobrogibus & Lotharingis peculiaris. Lacus quē Allobroges uulgò d'Aigue belette nūcupare solent, affatim Vmbras promit. ¶ An Vmbram dulcium aquarum incolam duorum generum statuemus: unā Thymallo eandem, aut certè cognatissimam: alteram lacustrem, & magis affinem Truttis, quam Sabaudi Vmblam uocitāt: quæ rursus in duas aut tres alias species subdiuiditur: & tertiam fortè nobis incognitam, de qua Rondel. & Bellon. loquunt.

GALLI Narbonenses, demptis Monspeliensibus Vmbram uocant, Rondeletius. Allobrogibus (ac Lotharingis) Vmbre uocatur, Bellon. Sabaudi sanè Thymallū, Vmbrā appellant.

GERM. Ein fisch vmb Lyon vnd in Luthringen Vmbre genañt: mit welchem namē die Saffoyer auch ein Aeschen nennend: soll den Förinen/Rötelen/oder Aeschen gleych seyn.

ANGLICE An Omber in Engelland/diser fisch/oder ein Aesch.

Lucij figura hæc nostra est: non ad illius, quem Rondeletius dedit, imitationem expressa.



LVCIVM Ausonius primus ex Latinis nominauit, deducto (ut opinor) à Græco nomine τοῦ λύκου, quod Lupum significat: quia hic inter fluuiatiles sit uoracissimus, quemadmodum inter marinos Lupus (longè diuersus piscis) cui Græci à uoracitate λάβραξ nomē dederunt. Diuersus etiā est qui Lucius marinus appellatur uulgò, à Gręcis Sphyræna, Rondeletius. Platina Lucium piscem, Lycum etiam & Lycium appellat. Sed Lycus nomen Gręcis pro pisce rarissimum est, pro Lucio quidē pisce nunquam usurpatum. Blennos pisciculos mar. Græci quidam λύκους, id est, Lupos appellant. Lycostomum Apuarum generis pisciculum mar. Foroiuliēses Lupumn omināt: aliqui Anthiam etiam sacrum piscem Lycon, al' λεύκον. ¶ Lucius an sit Oxyrhynchus Nili memoratus Straboni, dubitat Bellonius. Capitis quidem & rostri figura acuminata hoc nomē meretur: & nos carniuorum quoq; Nili Oxyrhynchū esse obseruauimus: cum alij Oxyrhynchi (Caspij nimirum, hoc est, Sturiones, Xyrichæ uulgò Græcis dicti) carniuori non sint: ut neq; Mugiles, quorū aliqui oxyrhynchi epitheto cognominantur. Alibi etiam Bellonius scribit Lucium piscem in Nilo frequentem esse: uiderīq; illum qui olim dictus sit Oxyrhynchus. Plutarchus quidē Oxyrhynchum, quem Aegyptij colant, marinum facit, nescio quàm rectè, tanquam è mari in Nilum intret. ¶ Lucium à lucendo Bellonius dictum arbitratur (ut ipse mihi retulit) quòd siccatus noctu luceat. ¶ Esocem Plinij, quem maximum in Rheno piscem facit, (& eundem fortè Hesychum Aeliani,) Lucium esse non desunt coniecturæ: (Snoc accolę Rheni inferiores appellant: Poloni Sczuka.) nam si qui alij etiam maiores in Rheno reperiuntur, ij Rheno proprij non sunt, cum è mari ascendant, ut Salmo & Sturio. ¶ Panthera fl. etiam appellari poterit, tum propter uoracitatem qua & in pisces & alias animantes grassatur, tum quoniam maculis plurimis albicantibus latera eius distinguuntur, plerisq; oblongis: unde forsan Tigrim fl. potiùs quàm Pantheram aliquis appellet. nam & mēsæ ex cedro crispæ, oblongo uenarum discursu, tigrinæ uocabantur: intorto, pantherinæ. ¶ Gallici Lucij in longum protenduntur, suntq; delicatiores: Italici uerò uentre sunt prominente, & corporis ueluti truncata mole, atq; in latum exporrecta, Bellonius. In Hispania nulli sunt. ¶ Poterit Lucius, etiā Sphyræna fluuiat. dici: nam & Sphyrēnam in mari, Lucium marinum uocant multi. uel Asellus fluuiat. qui à Gallis Merlu, quasi marinus Lucius dicitur. Lucius piscis (inquit Scaliger) est ex genere Asellorum, fluuijs alijsq; dulcibus aquis peculiaris: sicuti mari Callarias, & aliæ species. Non autem Oxyrhynchus, ut quidā existimarunt. ¶ Apud no

Oxyrhynchus.

Esox. Hesychus.

Panthera fl.

Sphyræna fl.

Asellus fl.

bilissimum quendam in Sueuia uirum, Lucij dentis (ut ipse dicebat) miraculum uidi: unum uidelicet dentem maximum grauissimumq́; quatuor digitos latum, octo longum, mucrone lato obtusoq́; filo corporis (ipsius dentis) erecto ferè, superficie læui & splendida.

ITALICE Luzzo.

HISP. Sollo, ut audio. quanquam & Sturionem Sullium uel Suillum appellant. Angli Lucium piscem Lusitanica uoce Picque nuncupant, Amatus Lusitanus: qui tamen Hispaniam uniuersam Lucio carere tradit.


GALL. Burdegalæ Lucz nominatur: à Gallis Brochet, (quòd oblongo sit corpore, ut ueru, Bellonius:) uel Becquet, Bechet, à rostro prominente: Bec enim lingua nostra rostrum significat. Aulici nostri Lucium pede minorem Brocheton uocant: maiorem Lanceron: qui pedum duûm triúmue est magnitudine, Brochet, Rondeletius. Solertis est in comparando sibi uictu naturæ piscis. siquidem stans contra fluentis aquæ raptum, quoties Ranam uel aliud quidpiam delabi aut moueri aduertit, illuc sese protinus emittit, atq; eiaculatur in prędam, unde Galli Lanzon uel Lanzeron uocant, Bellonius.

GERM. Nostri Hecht appellant, & differentiam à locis faciunt. eorum enim qui in lacu degunt, alios qui circa harundines uersantur, Rorhecht uocitant: alios qui in altiori gurgite, Seehecht. In Albi, alij à Martio mense Mertzenhecht uocãtur: alij post Pascha grosse Hecht, id est, Lucij magni. Circa Coloniã usitatũ est nomẽ Schnucht: alijs Schnack/ Schnock/ Snouck/ ut Flandris: à rostri figura forsan prominente: nam & culices Germani Schnacken nominant à promuscide longiuscula. Argentinę Lucios minores & eodem anno natos Hürling appellãt: quod nomen Percis fl. nostri attribuunt.

ANGLIS Lucij maximi Luces dicuntur: medij, Pikes: minimi Picrelles. Anglicũ quidẽ Pyke (sic enim pleriq; scribũt) ad Gallicũ Becquet accedit, à rostro factum, ac si rostricẽ dicas.


POLONICE Sczuka uel Stzuka. Bohemicè Sscika.

LVCIVS piscis ãno Salutis M. CCCC. XCVII. captus est in stagno circa Haylprũ imperialẽ Sueuiæ urbem: & repertus in eo annulus ex ære Cyprio in branchijs sub cute, modica parte splendere uisus: cuius figura et inscriptio fuit qualem exhibemus. Verba Græca circunferẽtiæ inscripta: Εἰμὶ ἐκεῖνος ἰχθὺς τούτῃ λίμνῃ πάντων πρῶτος ἐπιτεθεὶς διὰ τοῦ κοσμητοῦ Φριδερίκου β. τὰς χεῖρας, ἐν τῇ ε. ἡμέρᾳ τοῦ Ὀκτωβρίου. α. σ. λ. Latinè sonant, (sicuti Ioannes Dalburgus, Vuormaciensis episcopus, interpretatus est:) Ego sum ille piscis huic stagno omnium primus impositus per mundi rectoris Federici secundi manus, die quinto Octobris. (ãno Domini) M. CC. XXX. Inde colligitur summa annorum CC. LXVII. & nimirum antequam à Friderico Augusto ita insigniretur, iam aliquandiu uixerat: & si captus nondum fuisset, longiori tempore adhuc uixisset.




LVCIOPERCA nominari potest, hic piscis, nomine composito, à similitudine quadam cũ Lucio & Perca. nullum enim eius nomen uetus hucusq;, nec in alia lingua quàm Germanica cognoui. Iconem quam exhibeo Iulius Alexandrinus, Ferdinandi Augusti medicus, è Praga Bohemiæ misit, nescio è quo flumine aut lacu, Germanico nomine Schill uel Schilln adscripto: & aliam eidem per omnia similem Achilles P. Gasserus, Augustanæ reip. medicus, è lacu quodã Bauariæ, Nagmaul nomine adscripto. ego neutrius nominis rationem uel originem assequor. Capitur hic piscis (inquit Gasserus) in Ambronis lacu Bauariæ, (im Amersee:) non sæpe tamen, quoniam raro altiùs natando euehitur. Longissimus ulnam ęquat. Non dissimilis est Lucio, &c. squamarum magnitudine, ordine & asperitate Percam refert. Pinnæ dorsi erectæ aculeis tres ferè digitos longis rigent. Oculi albicant. Pinguis est admodum: & carnem etiam coctus albissimam seruat. Sic ille.


Lucio plerunq; maiorem esse aiunt, tres pedes longum, pisces uorare, à Lucio tamen uinci. carnis esse tenacis, non gratum in cibo: abundare in Danubio, sed in piscinis etiã ali. In pictura quidem



dem à ſummo dorſo latera uerſus, maculæ nigricantes ſatis magnæ tranſuerſæ, ut in Perca ferè, uiſuntur. Quibus in Bauaria & circa Danubium piſces obſeruandi occaſio eſt, diligentiùs inquirent, idémne Schillus Danubij ſit, & in Bauariæ lacu Nagmulus. exhibitus quidem à nobis ſi non Schillus, omnino tamen Nagmulus uidetur. alius enim quidam, Schillum Danubij aliter mihi deſcripſit, forma Siluro potiùs quàm exhibito hîc piſci conueniente. ſed certi nihildum habeo. Alius Schaidle in Danubio piſcem, Lucio nõ diſsimilem forma eſſe retulit, pinnis dorſi aculeatis Percæ inſtar. Schaid quidem in eodem fluuio Silurus eſt, ſic dictus uel à quadam ſpecie uaginæ: uel à damno, quod ſua piſcium uoracitate infert: à quo Schaidle forſitan differt: etiamſi diminutiuum ab eodem nomine factum appareat. Eſt & Schedel in Bauaria dictus piſcis, quẽ non ſupra quatuor palmos minores excreſcere audio, & piſces alios deuorare: dictus fortè à capitis magnitudine: nam Schedel craneum ſonat.



SCHIES in Bauaria dictus piſcis (neſcio qua uocis ſignificatione aut origine: nec quibus aut qualibus in aquis degens) à proximè memoratis omnibus differt. Iconem eius è Germanico libro Bauaricarum Conſtitutionum mutuatus ſum: in qua an pinna poſterior probè ſit expreſſa dubitari poteſt. in Thymallo quidem eandem malè pictam proponit idem Liber, maiorem ſcilicet quàm anterior dorſi pinna ſit, & ſpecie ueris pinnis ſimilem, (cum adipoſa ſit & fibris careat,) quemadmodum & in Trutta. Squamæ in eo ſatis magnæ apparẽt. Hoc ei ferè peculiare, quòd appendices geminæ breues, ceu cornicula, à labro ſuperiore prominent. Menſura, qua nullus minor in hoc genere piſcis uenum exponi debet, quindecim ferè digitorum eſt, ſimiliter ut Lucij. ¶ Nomen Latinum, ſi libet, fingamus Myſtoceros, quòd ueluti cerata, id eſt, cornicula myſtacis, id eſt, barbæ labri ſuperioris loco habeat: donec aliquis cui piſcem ipſum propius uidere & noſſe cõceſſum fuerit, aptius imponat.




SPHYRAENA fluuiatilis uocari poteſt hic piſcis. marinæ enim Sphyrænæ roſtrum ſimile habet, longum, tenue, & maximè acutum: ſed molle & nigrum. à quo etiam Oxyrynchum appellare poſsis. Sed alius eſt Oxyrynchus Nili: & alius quem mare rubrum procreat, Rondeletius.

Nos de Oxyrynchis quædam in genere ſcripſimus in Barbo, inter fluuiatiles. Lucium quo-

que diximus Sphyrænam fl. uocari posse, & fortè iustiùs.


GERM. Antuerpiæ crebrò capitur, & Hautin nominatur, Rondeletius. (Quidam ex inferiori Germania, Mænulam mihi interpretatus est Houtinck. sed Acum Aristotelis etiam secundum Rondeletium, aliqui Houtinck nominãt.) Nostra lingua, si libet, uocemus **ein Spitznaß.**



OSTRACION Nili, quem Bellonius ficto nomine Holosteum appellat. Vidimus (inquit) piscis Nilotici sceleton holosteum, à circulatoribus circunferri, quo exenterato, incolæ testam illam duram qua contegitur, pentagonã ferè, multos annos incorruptam seruant. Viuus in cauda penicillum habet: & pinnas supra infraq; caudam: ac rursus pinnam aliam utrinq;, oculos albos, os paruum: Color ei lactescit, & uelut in pallidum languet. Longus interdum ad pedis mensuram est. ¶ Ego Ostracionem hunc piscem nominandum conijcio, nam & testam Ostraci instar duram habet: & ὀστρακίων piscis à Strabone inter Niloos numeratur. ¶ Quidam nuper Holostei piscis nomine Picæ (ut uocant) Indicę rostrum, inconsideratè descripsit.


GERM. **Ein frömbder fisch auß dem fluß Nilo in Egypten/ ist mit einer herten schalen bedeckt/ von welcher man jn mag ein Schalfisch nennen.**

OSTRACION Americæ. Rigatur America (inquit Andreas Theuet) fluminibus egregijs, limpidissimis & piscosis. Inter cæteros unum præcipua admiratione dignum uidimus, paulò minorem nostro Harengo; qui à capite ad caudã instar Tati paruæ (in eadem regione) quadrupedis, armatus et ueluti loricatus est. Caput ei prægrande & enorme, si conferas ad reliquũ corpus. ossa intra spinam dorsi tria continet. Editur ab incolis, quorum lingua uocatur Tamouhata. Sic ille. ego propter crustas illas ueluti laminas, quibus munitur, Ostracionis nomen, adiecto Americæ uocabulo, ut à Niloo differat, pulchrè ei conuenire opinor. Iconem ab ipso positam qualemcunq; imitati sumus: nisi quòd denticulos pictor noster exprimere neglexit.



GERMANICE **Ein anderer fisch auch mit schalen gewapnet/ wirt in dem neüwen land America gefunden.**

Piscis huius qualem à bono & docto uiro figuram accepi, talem exhibeo, nec certi aliquid statuo, Rondeletius. Sed inquirendum diligentiùs, primùm an extet huiusmodi piscis: &, si extat, quod ei apud ueteres nomen. Glanis quidem si esset, Siluro similior esse debebat. ¶ Piscem alium (inquit idem) pro Glanide usurpant nonnulli, q ab Heluetijs **Salut** *nominatur, &c. nos hũc pro Siluro pictũ dabimus.*



GLANIS

GLANIS, γλάνις, ὁ, flectendum per ιδος uel εως. Atticè: à fluuio Italiæ eiusdem nominis (qui aliâs puto Glanicus, Clanius uel Lyris appellatur) sic dictus. Plinius alicubi ex Aristotele transferens, pro Glanide Silurum posuit: unde & Theodorus uidetur deceptus, ut Glanin ex Aristotele Silurum interpretaretur. Alijs quidem in locis Plinius in commemorandis ex Glanide & Siluro medicinis, eos tanquam diuersos ponit: atque etiam uno eodemque capite, primùm medicinas Siluri, deinde Glanidis commemorat. Aelianus disertè distinguit, cum Glanim incolam facit Mæandri & Lyci Asianorum fluminum, & in Europa Strymonis, specie ac similitudine Siluri. Videri poterat Glanis, ex ijs quæ ueteres scripserunt, fluuiatilis tantùm: Silurus uerò marinus etiam, *(& lacustris,)* anadromus, hoc est, è mari flumina subire solitus. Ego Glanim Siluri speciem minorem esse conijcio, nostris regionibus ignotam. nam & forma & natura ei similis describitur, ut minùs mirum sit aliquos confudisse. Silurus quidē Aristoteli incognitus fuisse uidetur, quòd in Græcia nullus sit: Glanis uerò cognitus, quòd etiā in Thracia (in qua patriā habuit Stagira) reperiret.

BYZANTINVM uulgus, apud quos frequens ex Strymone conspicitur, antiquam dictionem retinens Glagnum ab insigni glabritie *(etymologia hæc à Latinis, ut uidetur petita, Græco uocabulo non conuenit)* nominauit. Confusos in ore dentes habet, multis ordinibus in maxilla dispositos: os magnū & amplum, &c. Maior in fluminibus quàm in æquore euadit, in quo etiam rariùs reperitur, Bellonius: qui tamen hunc piscem à Siluro non separat. Si barbatus est Siluri nostri instar, (quod equidem non dubito, etsi ueteres non tradiderunt) mirum id à Bellonio præteritum esse. ¶ Beluas hominibus perniciosas Græcorum fluuij ferre non solent: sicut Indus, Nilus, Rhenus, Ister, Euphrates & Phasis. hi enim feras inter se similes, *(Siluros nimirum,)* & maximè hominum uoraces alunt, similes specie Glanibus Hermi & Mæandri alumnis, nisi quòd & color eis nigrior est, & uires præstātiores: *(Siluri etiam adultiores eiusmodi sunt, minoribus comparati:)* Glanides & nigræ minùs sunt, & imbecilliores, Pausanias. Athenæus Latum in Nilo piscem, similem esse tradit Glanidi, qui in Istro capitur. ¶ Hic piscis (inquit Saluianus) Latinè Glanis & Glanus dicitur: Plinius modò Silurum nominat, perperam interpretans: modò Glanidis nomen retinet. Aelianus Glanidem Siluro similem falsò facit. Sic ille: qui Silurum etiam nostrum pro Glanide pingit. nos Aeliani sententiam tuemur: & Saluianum, qui Sturionem facit Silurum, non toto (quod aiūt) cœlo, sed toto mari & omnibus undis errare dicimus.

GERM. **Ein frömbde oder mindere art d' Saluten / oder Welsen/ die ettliche Wellern oder Schaiden nennend.**

Anguillæ iconem, quæ hoc loco nomenclaturis eius præponi debuerat, cum spacium deesset, postposuimus.

ANGVILLA. Græcè ἔγχελυς, hodie uulgò ἀχέλυ. Retinet hic piscis nomen Latinum apud ITALOS, GALLOS & HISPANOS.

Anguillas marinas quanquam ueteres quidam scriptores memorent, Saluiano tamen probabile uidetur, in mari nullas gigni (præter paucas fortè circa fluuiorum ostia tantùm) sed è fluuijs tātùm in mare descendere, cum Aristotele, &c. Nos ultimo huius Ordinis loco Anguillas collocare uoluimus: ut quoniam soli ferè piscium catadromi sunt, ut ita dicam, hoc est, ex amnibus in mare descendunt: mox ante anadromos, id est, è mari ascendentes, locum haberent. ¶ A nostris *(Gallis circa Monspelium)* pro ętatis & magnitudinis ratione uarijs admodum nominibus designatur. Iidem anguillas in marem & fœminam distinguunt. marem uocant Marguaignon: qui breuiore, crassiore, latiore est capite. fœminam uerò Anguille fine. Aristoteles discrimen hoc circa capitis figuram non sexus (quo anguillæ non differant) sed generis discrimen facit.


GERMANICE **Aal/Ol.** Flandricè **Ael/Palinck.** Anglice **Ele.**

Anguillarum apud Flādros, ut audio, sunt duo genera: Vnum, quod nobilius habetur, uocāt **Palynck**, (nostri **Aal**, id est, Anguillam.) Alterum genus minus est, et contemptum, quod uocant **Aal**/ nobis ignotum.

NE QVID CHARTAE HIC VACARET, EX PIERII VALERIANI Hieroglyphicis hæc adscripsimus.

Anguillæ significata rara admodum apud Aegyptios fuerunt. Nostri multa hieroglyphicis Aegyptiorum similia, quæ
per eius imaginem intelligenda essent, excogitarunt. Vnum enim id tantùm super Anguillæ nota traditum ab Aegy- 1.
ptijs inueni, ut hominem omnes alios auersantem, & seorsum ab aliorum consortio sibi uiuentem, per simulacrum eius si-
gnificarent: propterea quod eam nunquam cum ullo alio piscium uersari, neque quidem coniugali inter se usu misceri depre
hendissent. Commenti sunt alij, hominem, de quo nulla post obitum memoria supersit, per Anguillam mortuam signi 2.
ficari. illa siquidem mortua non superfluitat, nec sursum fertur, ut maxima ex parte pisces cæteri faciunt: sed pessum in pro-
fundum rapta, in eodem quo genita est limo computrescit. In diuinis Hebræorum literis eædem profanæ sensu mysti- 3.
co dicuntur: neque enim squamosæ sunt, quique huiusmodi sunt pisces in aquę profundum immersari, & in cœno libenter uo
lutari conspiciuntur. Ad horum similitudinem, animi qui terrena tantùm sapiūt, idonei non sunt ut ad sacra proponantur.
Ad hæc hominem alieni cœli impatientem, uel in eo difficulter se habentem intelligentes, Anguillam in hydrijs duab. 4.
pingebant, capite scilicet in unam, cauda in alteram demersis. Anguilla siquidem nullam uehementem tolerat mutationem,
& si æstate de lacu in piscinam transferatur, uiuere nequit, etiamsi frigida aqua fuerit. Hominem insuper qui fugitiuam 5.
rem aliquam nulla consequendi spe sectaretur, indicare si uellent, Anguillam pingebant, quam manus à cauda prehende-
ret. facillimè enim illa elabitur. Quòd si certam esse spem de ambigua re quapiam ostendere uoluissent, obuolutā eam 6.
ficulneo folio pinxissent, quòd scabritie sua prensanti sit adminiculo nequaquam irrito. unde prouerbium, τῷ θρίῳ τὴν ἔγχελυν.
Hominem uerò ex ciuilibus seditionibus & tumultuosis discordijs crescentem, reque auctum significantes, eum in An- 7.
guillarum uenatione occupatum effingebant. Aqua siquidem quieta limpidaque, earum captura nulla propémodum, ma-
gna uerò si perturbetur.

Duplicem iconem Anguillæ Rondeletius posuerat, fortè ut sexus discrimen indicaret: nos una, quam dudum sculptam habebamus, contenti fuimus.



ANIMALIVM IN DVLCIBVS AQVIS ORDINIS I. PARS V. DE PISCIBVS ANADROMIS, HOC EST, E MAri subeuntibus amnes.

MARINORVM piscium alij mare nõ relinquunt: alij uerò lacus maritimos aut etiam fluuios petunt. Hos (qui amnes subeunt) Græci quidam ἀναδρόμους appellant: alij circunloquentes dicunt eos ἀναθεῖν, ἀνατρέχειν, ἀνανήχεσθαι, ἀναπλεῖν, ἐκπίπτειν εἰς τοὺς ποταμούς. Squillæ è mari in Gangem ἀναθέουσιν: & aliud earũ genus è mari rubro εἰς Ἰνδὸν ἐκπίπτουσιν, Aelianus. Aristoteles Trichias in Istrum ἀναπλεῖν dixit, & rursus καταπλεῖν εἰς Ἀδρίαν. Aelianus Coracinos, Myllos, Antacęos & Xiphias inter Istri pisces numerat: omnes opinor anadromos, nisi quis de coracinis & myllis dubitet, & alterius generis marinos, alios fluuijs proprios, quãquam eodem nomine esse existimet, sicut & Percas. Circa Budam & Gomorrham in Istro hodieq; Xiphias paruos reperiri audio. Straboni Nilum subeunt Mugiles tantùm, Alausæ & Delphini. Pausanias tradit Canes in Lôum Thesprotiæ fl. ascendere. Thynni etiam, authore Plinio, amni ac mari cõmunes sunt: item Thynnides, Siluri, Coracini, Percæ. Sed de Percis & Coracinis considerandum est diligentiùs, sicut iã dixi. Circa Rostochiũ in ora Germaniæ, audio Prasinos (genere forsan potiùs quàm specie eosdem nostris) uulgò dictos è mari per fl. Varuon in lacum quendam migrare. Congri pusilli in Anglia subeunt flumina, sed non procul ut audio. Amia fluuios subit, præstatq; in fluentis & lacubus, Aristoteles. Nos quidem ex his & alijs fortè, nonnullos inter marinos exhibuimus: quòd uel an ijdem genere essent, dubitaremus, ut de Coracinis iam diximus: uel non simpliciter, nec ubiq; anadromi nobis uiderētur: ut Delphini, Canes, Amiæ, Squillæ, Thynni. Vel non *Canes.* procul in fluuios, sed ad proxima tantùm ascenderēt, ut Congri, Mugiles, Lupi. Lupi quidem (ni fallor) altius Mugilibus, ut hi quàm Congri in fluuijs pergunt. nulli tamen horum ad longinqua à mari loca migrant. Altissimè omnium, ad fontes usq; fluminum, ascendit Salmo: & fœtus eius in amnibus genitus in mare remigrat: quod ei peculiare est. Anguilla aquatilium sola, cum nõ ascenderit è mari, nec ex anadromis prognata, in ipsum descendit. Antacæi, hoc est, Cartilaginei longi *Antacæi.* ouipari, (hoc enim à Galeis differunt,) omnes fortè ascendunt, & quidem procul: ut Sturio, Oxyrhynchus, (der Züsich/) Huso, Attilus, & Galeus Rhodius. Cæteri genere differunt, nisi quòd Mustelæ uel Lampredæ species duæ ascendunt. ¶ Passerum species quædam amnes subeunt, ut Rhenum & Albim, & satis procul pergunt: aliæ in mari immorantur: nos tamē de utrisq; inter marinos egimus. Thrissæ & alij quidam fortè, in mare quod reliquēre, redeunt: Salmones, ni fallor, uix redeunt. perrarò quidem in mari capiuntur, & ij forsan non adulti, sed Salares adhuc (hoc est, primo ætatis anno) descenderunt: tum breui in mari aucti, rursus in amnes enatant, nec amplius, opinor, descendunt: qua ratione catanadromi dici possunt, ut Anguilla (de qua in fine præcedentis Partis egimus, tanq; ambigente) catadromus: Thrissæ anacatadromi: cæteri aliquot anadromi simpliciter. sed pręstat, ut simpliciùs agamus, omnes quos hac in Parte exhibebimus, appellare anadromos, usitato ueterum quibusdam uocabulo. Anadromorum igitur alij in fluuijs non manēt, ac paulatim deficiunt & intereunt, (quod Kentmannus noster animaduertit,) ut Sturio, Salmo, Alausa, (id est, ein Zige oder Goldfisch/) Passer Germanicè dictus ein Halbfisch: Lampreda maior & minor. Alij è mari profecti in amnibus manent, proficiunt pariuntq;, ut Silurus, Spiralla uulgò dicta: & Mugilum generis Zerta uel Plicca uulgò dicta in Albi. ¶ Sunt & Gobiones ma- *Gobiones.* rini quidam anadromi, de quibus in primo Ordine Marinorum diximus.


THRISSA ueteribus Gręcis, Latinis Clupea, ab Ausonio Alausa plebeio nomine dicitur. Recentiores quidam indocti linguarum, Aristosum & Alsam nominant.

Trichis piscis non alius quàm Thrissa uidetur quibusdam: alijs uerò potiùs Sardina, quorũ sententiæ nunc magis faueo. Est & Abramis (oxytonum, uel potiùs Habramis) piscis: cuius apud Athenæum & Oppianum mentio cum Thrissis semper cõiungitur, ut suspicari necesse sit (inquit Rondel.) Abramides Thrissis similes esse, uel eiusdē generis, atq; marinas, quæ statis tēporib. fluuios subeant: quæ de Brama uulgò dicto pisce *(quem aliqui nominis affinitate nimirum inducti Abramidem existimant)* dici nõ possunt. Sic ille. Sed, nisi fallor, etiam Brama aut Prasinus uulgò dictus, uel omnino cognatus ei piscis, ad oram Oceani Germanici inter anadromos ferè habetur: (apud nos lacustris tantùm est, alibi fluuiatilis simpliciter:) sed neq; hoc satis mihi constat: neq; si constaret, idcirco Habramis fuerit. Oppiano Habramides confertæ nunc petras, nunc pelagus, nunc litora sequuntur: & similiter Chalcides ac Thrissæ. Videntur autē Chalcides quoq; Thrissis siue Alausis cognatæ, cum aliàs, tum linea illa sub uentre spinosa. Athenæo Abramis est inter Nili pisces: coniecerim autem à mari in flumen illud eam ascendere, si modò rectè ab Oppiano inter marinos refertur. nam & Cyprinos & Chalcides quos ipse marinos pisces facit, alij nõ faciunt. Abramidium diminutiuum apud Xenocratem legitur. ¶ Alausam aliam esse à Clupea, Saluianus contendit:

Figura hæc Alausæ Venetijs expressa est. ea quam Rondeletius posuit, rectè squamas ostendit, & in medio uentre lineam spinosam.



Eiusdem aut cognati piscis quem Zige *in Albi uocant, alia icon.*



quoniam Plinius scribat Attilum magnum Padi piscem, à minimo appellato Clupea, qui uenam quandam eius in faucibus mira cupiditate appetat, morsu exanimari: Clupea uerò minimus non sit piscis: & Attili quanuis maximi os tã modicè pateat, ut ne mediocrẽ quidẽ Alausam ad fauces admittere possit. addit, Alausam nullos prorsus dentes habere, nullamq; oris aut maxillarũ asperitatem. Sic ille. At cum Clupeæ nomen ad Venetum Chiepa tam prope accedat, l. in i. mutato, ut plerunq; faciunt Itali: & aliud Latinum nomen huius piscis non extet, nam Thrissa Græcum est, Alausa Germanicum, quanuis et Gallis usitatum: nec alius piscis Attilo ita infestus noscatur, non temere Clupeam esse Alausam, negandum est. Nam & nomen, & alia etiam quæ de Clupea leguntur apud ueteres conueniunt pleraq;: nempe in amnibus capi, fluuiatilibus ferè omnibus preferri, (quod si non omnibus, Tyberinis tamen conuenit:) aristosas esse & spinis plenas: magnum esse piscem. Thrissam minorem Græci Trichidem uocant, uel Trichiam: utroq; uocabulo παρὰ τὰς τρίχας facto, ut Eustathio placet, hoc est, ut ego interpretor, à capillari spinarum, quibus abundant exilitate: quæ nisi mandentibus molestæ essent, cum nobilissimis piscium certarent. Sed Trichis fortè potiùs Sardina fuerit. Thrassa uel Thratta Rondeletio, eadem Thrissæ uidetur, ex Athenęo: qui tamen hoc non dicit, sed mox post Thrissæ mentionem: nunc etiam (inquit) quę ad Thrattam pertinẽt, dicamus. nihil autem aliud, quàm pauca authorum qui hunc piscem nominarũt, testimonia subiungit. Quod tamen Aristoteles scribit: Animalia quædam toto genere uaria sunt, ut Panthera, ut Pauo: & piscium nonnulli, ut quæ Thrattæ uocantur, (De generat. animal. 5. 6.) Thrisis conuenire uidetur. hæ enim paruę adhuc ternis & aliquando quaternis rotundioribus nigris in lateribus ac tergo utrinq; insigniunt maculis, ut Bellonius scribit. Sed forsitan Thrattæ potiùs Truttæ nostræ fuerint: cum & nomen quadret, & uarietas non in minori tantùm ætate, nec tribus aut quatuor solùm maculis, sed pluribus illis, Truttis per omnem ætatem omnibus conueniat. Adde hactenus nullum aliud Truttæ nomen uetus proditum esse, (præterquam à nobis πυρῶντος: sed unus piscis in diuersis regionibus diuersa nomina habet:) & ipsum Truttæ nomen, Gallis Italisq; usitatum, non omnino recens aut barbarum esse existimandum est, cum à Plinio Valeriano medico quoq; sit usurpatum. Stephanus Grammaticus Thrattam scribit esse gentile nomen à Thracia, fœminini generis: & præterea auis ac piscis. credibile est autem hos pisces à Thracia denominatos, ubi nimirum fluuij frigidiores & montani sunt, in quibus Truttę siue Pyruntes, nascuntur.

Thrassa.

Trutta.

Ad Alausam redeo: quam paruam adhuc Galli Pucellam (Pucelle) nominant, ueluti transpositis literis pro Clupella. Ennij è Phagiticis carmen Apuleius recitat: Omnibus ut Clupea (*aliâs Clypea*) præstat Mustella marina. quod qdẽ hactenus à nemine satis consideratũ uideo. quod si ita legas, ut recitauimus, nullus cõmodus sensus uidetur. quare deprauatum suspicor, (ut etiam alia quædã Ennij ab Apuleio citata,) & pro omnibus, repono amnibus, id est, fluuijs: hoc sensu, In amnibus præstantior est ut Clupea, ita etiam Mustella marina, hoc est, quæ è mari ascendit: ut piscem utrunq; è mari amnes subire sentiat, & in ijs meliorem fieri: id quod de Alausa constat: & similiter de Lampreda quoq;, si Mustelam mar. pro Lampreda accipiamus. Ego quanquam Lampredam, Mustelam esse, & marinum dici posse quòd è mari in fluuios ascendat, non negauerim: aliam tamen quoq; Mustelam marinam agnosco, quæ ut marina cognominetur, quoniam in mari semper manet, dignior est. itaq; Ennium ita potiùs sensisse dixerim: Vt Clupea optimus piscis est in amnibus, ita in mari Mustela; siue eo nomine Aeliani Galen, (id est, Mustelam,) siue Asellũ Galariam, (id est,

(id est, Mustelarem & similem Mustelæ,) aliúmue cognatum piscem intellexerit. Quòd si quis legere mauult, Omnibus è Clypea (tanquam id ciuitatis nomen sit: nam & sequentibus piscibus ad dit locorum nomina è quibus præstant,) præstat Mustela marina, non contendero. Est autem Clupea ciuitas Africæ propriè dictæ, in promontorio Mercurij sita.

Nascitur in Arari Galliæ fluuio magnus quidam piscis, Clupea (Κλυπαῖα) nominatus ab incolis: qui crescente Luna albus est: decrescente, totus nigrescit: & corpore nimium aucto à proprijs spinis interimitur. In huius capite lapis reperitur, similis grumo salis, qui optimè facit ad quartanas, sinistro lateri corporis alligatus, decrescente Luna, Callisthenes Sybarita apud Stobæũ. Quæ an Alausæ in Arari accidant, uiri naturæ studiosi, quibus cognoscendi hæc facultatem fluminis il lius uicinitas præbet, obseruabunt. Hæc ex ueterum lectione de Clupea mihi animaduersa sunt.

Iam quod Saluianus angustius esse Attili os scribit, quàm ut uel mediocrem Clupeam ad fauces eius petendas admittat: considerandum alijs diligentiùs relinquo: præsertim Padi accolis. Plinius quidem minimum hunc piscem faciens, Callistheni qui Clupeam magnam facit, aduersatur. An idem pro ætate ut maior & minor est, diuersa nomina sortitur? Frigidum hoc, quòd sine dentibus morsu exanimare non posset. Bellonius: Alausam (inquit) lineam asperam & ueluti cultellato mucrone scindentem (*sub uentre: sicuti Harengus, Sardina, Liparis, Apua, Phalerica, & Celerinus Oceani*) gerit. qua Attilum ingentem Padi piscem exanimat. ea uerò acutior est in pusillis piscibus. Id si uerum est, non Plinium (ut facit) testẽ citare debebat: sed erroris potiùs eum insimulare, qui Clupeam Attili uenam quandam in faucibus mira cupiditate (sanguinis nimirum eius sugendi) morsu appetere tradit. Esse quidem infestum hunc piscem Attilo, eò faciliùs crediderim: quòd Sturioni etiam (cui cognatus est Attilus) cum Alausa discordia quædam intercedat: quod ex Io. Kentmanni Albis fluuij piscium descriptione didici. Zige, inquit, piscis (id est, Hircus) ab accolis appel latus (*alij* Goldfisch *nuncupant*) à Sturione compulsus Albim subit. ¶ Est autem Zige piscis, uel ipsa Alausa, uel adeò specie naturaq; similis, ut meritò eodem nomine appelletur.

GRAECI hodie Phrissa uocant.

AFRICANI Iarrafa, ut scribit Scaliger.


ITALI Chiepa; Romæ Laccia uel Lachia.

HISPANI Saboga.

GALLI Alose, Burdegalenses Coulac. Massilienses Halachia. Minorem uerò in hoc genere Pucelle nominant Galli, alibiFicte uel Fenicte, Andegaui Conuersum: alibi Gautte.

GERM. Alse/Else/Aelse/Vint: Leüßfisch/malim Laußfisch: & circa Argentinã Meyenfisch, (quod nomen alibi in Rheno Leucisci fl. generi, Haselam nostri uocant, tribuitur,) Mannemer hengst. E mari Basileã usq; ascẽdit. Idẽ puto est Verinch, nisi ętate forsan & magnitudine tantùm differat. Idem etiam, aut omnino cognatus, Zige uel Zieg in Albi dictus piscis est: cui nomen hoc ab hirco inditum est propter uirosum saporem. aliqui à colore capitis, & oculorum præsertim, Goldfisch, id est, Aureum nominant, ut audio: quo nomine dictum in Marchia, cætera similem, sed latiorem esse aiunt.

ANGLI Schadde, minorem uerò Pylcher uel Pylcharde.



CAPITONIBVS hunc piscem adnumero, propter similem (ut ex pictura quam Kentmannus misit conijcio) corporis formam. differentiæ uerò causa anadromum cognomino, quòd ex Oceano Albim subeat. Nasutus uidetur, prominente & carnosa superiore oris parte, ut in nostris fluminibus is quem Nasi nomine descripsimus suprà: cui etiam reliqua corporis specie per omnia adeò similis est, ut discrimen nullum animaduertam, ne colorum quidem ferè: nisi quòd Albinus hic Nasus (aut Simus) magis albicat, noster uerò magis fuscus est. Sed noster planè fluuiatilis est, Albinus è mari ascendit: quem uel ab Albi ein Elbnasen/ uel à mari ein Meernasen appellare licebit. Pręterea noster uilis & plebeius est, Albinus uerò inter laudatos, pręsertim assus. Hoc etiam notandum, cum Albinus alio nomine Blicca (Blick) dicatur, longè alium piscem eodẽ nomine à nostris uocari, de quo dicemus inter Lacustres. Zertæ quidem nomen, etiam Polonis usitatum audio. Germani quidam (ni fallor) Zorte per o. proferunt.

EPERLANVS, uel Epelanus uulgare Gallicum nomen est. In ostijs fluuiorũ (inquit Rondeletius) in Oceanum influentium, ut Rhotomagi & Antuerpiæ, frequẽs est piscis qui Eper-



lan dicitur à nitido & splendido colore, quo unionem (*perlam*) refert. Idem uiolæ odorem resipit. Eius duplex est genus. alius marinus est & litoralis, qui asinos paruos refert, &c. alius fluuiatilis. Sic ille. Sed fluuiatili nomen idem, genus omnino diuersum est. ¶ Saxatilis est Epelanus noster, Sequanę litorum alumnus, partim marina, partim fluuiatili gaudens aqua. Glabro est corpore: unde falsò quidam Asellorum generis esse iudicarunt: capite ad Merlucium accedēte, &c. Aliqui ab odore Violam posse uocari censent, Bellonius: qui saxatilibus marinis eum adnumerat, ego anadromis malui.

Viola.


GERMANICE uocari poterit ein Meer⸗rötele. Planè enim cognatus ei uidetur piscis, quē Rötele nostri nominant (est autem Vmbra lacustris minor) à colore, quo forsitan differt, rubicundo: reliqua enim conueniunt, figura, magnitudo, pinnæ, dentes in maxillis & lingua, mollities carnis, suauitas saporis, lapides in capite. Audio Hagen apud Germanos inferiores dictum pisciculum, similem esse Eperlango.

ANGLI, apud quos copiosissimus est, Schmelt appellant ab odore. Turnerus Anglus Gobij genus esse putat. Smelta (inquit) nostra, piscis litoralis, gregatilis, circa litora parit, & in fluuios subit, ubi pinguescit. nec perpetuò in fluuijs degit: sed uēre tantùm, quo tempore copia longè maxima ultra Londinum aduerso flumine natitat. Rarò aut nunquam ultra spithames longitudinem excrescit.

Iallus.

Liceat & Græcum nomē fingere tam nobili pisci, ut ita Græcis ab io (id est, uiola) dicatur Iallus, sicut à thymo Thymallus denominatur. ¶ Lege etiam suprà in fluuiatili Eperlano Parte 1. huius Ordinis.

Figura hæc Lampetræ ad piscem Basileæ captum expressa est: ab ea quam Rondeletius dedit nonnihil uarians: præsertim caudæ pinna.



LAMPETRA uulgò dicta est à lambendis petris, (aliâs Lampreda:) quòd integrum ferè diem ore suo saxis (quemadmodum & picatis nauium clauis) sic inhæreat, ut ea lambere uideatur, Bellonius. Lampetras duas Saluianus exhibet. Ex his maiorem, bicubitalem semper inueniri tradit, & maculosam. minorem uerò uix pedalem esse, absq; maculis, subcineraceam. inter has autem colore & magnitudine medias nullas inueniri (*circa Romam:*) unde probabilius uidetur, eas non ætate tantùm & magnitudine, sed etiam specie differre. Ea uerò (inquit) quam Pzyck Germani appellant, eiusdem generis species quædam tertia est, media inter prædictas constituenda, &c. Reperiuntur tum in mari tum in fluminibus. minores nanq; frequentiores, maiores uerò rariores, ineunte uēre flumina mari proxima subeunt: in illisq; toto uerno tempore commoratæ, in mare deinceps æstate incipiente reuertuntur, &c. Sic ille. De minima Lampetra siue Mustela, dictum est suprà Parte 1. quoniam alijs plerisq; (præterquam Saluiano) fluuijs & riuis propria uidetur. ¶ Mustela marina similiter ut terrena, omnium cadauerum, in quæ incurrit, oculos exest & conficit, ut audio, Aelianus: tanquam nomine inde facto. ego à colore nomen Mustelis nostris hoc est, Lampredæ & cognatis piscibus, inditum suspicor: quòd prona pars ferè fusca uel sublutea in eis sit supina albicet, similiter ut in terrestribus: quas etiam corporis longitudine quodammodo referunt. Mustelinum colorem interpretantur subliuidum ac lentiginosum, cuiusmodi in uestibus cruore commaculatis appareat. Adde Mustelas marinas barbatulas esse, ut terrestres: & similiter ferè fluuiatiles illas, quas Trisias uocāt. Scaris Plinij tempore principatus dabatur. Proxima his (inquit) mensa est generis duntaxat Mustelarum: quas (mirū dictu) inter alpes lacus quoque Rhetiæ Brigantinus emulas marinis (aliqui legunt Murænis) generat. Brigantinum quidem lacum esse, qui uulgo ab urbe Constantia denominatur, quēq; Rhenus penetrat, certum est: in eo nullas Lampredas reperiri audio. neq; mirum: nam cum è mari subeant tum maiores tum mediocres Lamprede, catarrhactas Rheni superiores, quæ nō longè infrà illum lacum sunt, superare nō possunt, ut neq; alij ulli pisces, præter Anguillas fortè. Sed hac de re inquirendū diligentiùs. quòd si nul-

E mari ascendit.

Mustela.

ſi nullæ (ut puto) in eo lacu Lampredæ unquam inueniuntur, Plinius alium piſcem eo nomine intellexerit, Triſsiam nimirum uel Botatriſsiam Inſubrum, quæ hodieq; in lacubus Sabaudorũ Muſtela uocatur. Cæterùm Auſonij Lampreda, quando ita doctiſsimis noſtri ſeculi uiris placet, eſto Muſtela: & Græcè etiam γαλῆ ποταμία nominetur. ¶ Lampetram Græci Galeonymum & Galexiam appellarunt: Latini Muſtelam, à maculati huius nominis quadrupedis tegminis ſimilitudine, Bellonius. Rondeletius Galexiam uel Galeonymum Galeni, Sturionem eſſe ſuſpicatur: qui fortè nec Sturio, nec Lampreda eſt, ſed è Muſtelarum in mari manentium genere piſcis. Lampetra (inquit Saluianus) Græcis incognita eſt, cum, Galeno teſte, qui Galexiam nominat, in Græco mari nullibi naſcatur. Romę autem Galexiam uocari ſcribit Galenus, cum hoc minime Romanum ſit nomen, nec ab ullo ſcriptore Latino uſurpatum, (ut neq; Græco quod ſciam,) & Galeno ipſi hoc uno in loco: ad imitationem nimirum Latini nominis (*ab ipſo alijsue Græcis in Italia habitantibus confictò nomine.*) Gale. n. Muſtela eſt, (unde γαλεξίας fortè factũ, aut γαλεοίας, ſicut ab Aſter, Aſterias,) Hæc ille. ¶ Lampetra ex genere eſt cartilagineorum piſcium, qui longi lubriciq; ſunt. Eam non rectè uocari à recentioribus quibuſdam Lumbricum marinum, Rondeletius docet. Lampredę quidẽ nomen à Lumbrico detortũ uideri poteſt: idq; eò magis, quoniã non omnes modò populi qui Latinæ linguæ ueſtigia retinuerunt, Lampredam ferè appellant, Itali, Galli, Hiſpani: ſed etiam Germani, &c. ¶ Aliqui Vermem aquatilem nominarunt, propter hæc Plinij uerba: In Gange Indiæ Statius Seboſus haud modico miraculo affert, uermes branchijs binis ſexaginta cubitorum, cæruleos: qui nomen à facie traxerunt. His tantas eſſe uires, ut Elephantos ad potum uenientes mordicus comprehenſa manu eorum abſtrahant. Color cæruleus Lampetræ (inquit Rondeletius) item mores quadrant. nam petris & nauibus ita hærent Lampetræ, ut auelli non poſsint. neque repugnat cubitorum ſexaginta longitudo: in India enim omnia grandiora ſunt. Vermem tamen aquatilem hunc eſſe aut dici non probat Rondeletius. Caret enim (inquit) omnino pinnis, ut Muræna. atqui non idcirco non debet uermis dici, quòd pinnis careat, ſed eò magis etiã. In dorſo quidem pinnas dirigendæ natationis gratia habet. In India Cluias fluuius rectà ad Oceanum fertur: cuius accolæ nobis dederunt uermes, ex ipſo fluuio extractos, femore humano craſsiores, omni genere piſcium ſapore præferendos, Alexander Magnus in epiſtola ad Ariſtotelem. Hi uermes nimirum Lampredæ uulgò dictæ fuerint, aut eis cognati piſces: σκώληκες ποτάμιοι. At Gangeticus ille ſui planè generis & diuerſus fuerit: cui nec branchias, nec brachia bina, ſed dentes binos Cteſias apud Aelianum tribuit, ſimilem alioqui uermi in ligno naſcenti faciens, &c. ut in Hiſtoria aquatilium noſtra, ubi de Vermibus aquaticis dictum eſt, copioſè expoſuimus. ¶ Licebit Lampredam, etiam βδέλλαν, id eſt, Hirudinem marinam appellare, Strabonis exemplo: qui ſcripſit in quodam Libyæ fluuio naſci Bdellas ſeptenûm cubitorum: quæ branchias habeant perforatas, ita ut per eas reſpirare poſsint. Nam Lampetræ ore ita ſaxis & nauium clauis hærent, ut optimo iure βδέλλαι, ἀπὸ τοῦ βδάλλειν, id eſt, à ſugendo, dicãtur, quemadmodũ ſanguiſugę, Rondeletius. Eandem, Muręnam fl. (à marina toto genere diuerſam) appellatam fuiſſe ex Dorione perſpicuum eſt: qui μύραιναν ποταμίαν ait unicam habere ſpinam, ſimilem Aſello Gallariæ, Idem. Cæterũ Oppianus hunc piſcem proculdubio Echeneidem ab effectu nominauit: quæ Latinè Remora dicitur. Deſcriptio quidem eius undiquaq; conuenit: naues autem eam in mari remorari, experientia noſtra comprobatum. Interim non me latet aliam eſſe Ariſtotelis, Hiſtoriæ 2.14. & Plinij 9.25. Echeneidem, Idem. Si Lampetra eſſet Echeneis, multi in Ligeri lintres curſum tenerent ab his retenti: quod quis aut uidit unquam aut accepit? Io. Brodæus.

Galeonymus Galexias. *Lumbricus mar.* *Vermis aquatilis.* *Hirudo mar.* *Muræna. Echeneis.*

Nauibus quidem in mari plerunq; animal aliquod adhærere exiſtimandum eſt, ut aliquod genus Cochleæ, uel Lampetram, uel aliud: quod cum nauis uel in portu manet, uel curſu recto fertur, nemo animaduertit: at ea impedita & occultam aliquam ob cauſam detenta, inquirentes aliâs aliud animal adhærens, inuenerunt, in quod morę cauſam, cum aliam neſcirent, reiecêre: itaq; alij alias Echeneides deſcribunt. ¶ Lampredas ſunt qui à fulgore (*nitore nimirum cutis ceu oleo delibutæ*) Lampyrides uocent, ſed auctorem nullum habet, Barbarus. ego Lamprias appellare malim, ſi fingendum eſt uocabulum Græcum (ut Anthias dicimus) non à ſplendore, qui uiſu percipitur, ſed conuiuali. λαμπρότατα enim et ſplendidiſsima ſunt conuiuia, in quibus huiuſmodi dij uiſuntur. hi enim dij ſunt τοῖς ἐγγαστριθίοις, ut ita loquar: hoc eſt, illis quorum deus eſt uenter. ¶ Tineas fontium, quas Plinius frigoris eorum indices facit, ego non Lampetras, ut aliqui, ſed inſecta illa aquatilia interpretor, quæ uulgò Scrophulas Galli uocant, noſtri Gyzen. ¶ Alabes, ἀλάβης, (ut Chremes, Chremetis,) Straboni piſcis eſt Nili: Plinio Nilidis lacus. Alebetæ (inquit, malim Alabetes) Coracini, Siluri, reperiuntur in Nilide lacu, quem Nilus efficit. Apparet autem à leuitate & lubricitate nomen ei factum, ſicut & alabaſtro. & cum Lampetra piſcis lubricus ſit, & nomen ferè conueniat, (a. initiali detracto, & m. ante b. adiecto, recentiores quidẽ Græci plerunq; μ. ante π. prępońũt, ut μπὸ λαμπρῶς, p pulueris,) ut p alabeta, dicatur Lãbeta: ſi hũc piſcẽ in Nilo reperiri mihi cõſtaret, omnino Alabetem eſſe conijcerem. ¶ Archeſtratus præ omnibus anguillis laudat eam, quam inter piſces ſolam ἀπύρηνον eſſe dicit: Lampredam fortè intelligens, quæ ut in ſummis delicijs eſt, ita omni oſsium ſpinarumq; duritie caret. Loco enim ſpinę dorſi, cartilaginem habet: eamq; teneram adeò, ut in cibo etiam appetat. In minoribus Lampredis memini me loco ſpinæ dorſi neruũ unũ

Lampyris. Lamprias. *Tineæ fontiũ* *Scrophulæ.* *Alabes.* *Anguilla apyrenos.*

cauum continuum reperisse. Apyrena quidem è malorum Punicorum genere πυρῆνας, id est, nucleos habent nec duros nec magnos. Quòd si Apyreno l, liquidam ueluti articulum præfigas, facilè in Lampyrenam & Lampredam mutabis. Sed satis de nominibus. Hoc in huius piscis natura mirabile, quòd præter aliorum piscium morem, fistulam in capite supremo medioq; gerit: qua, ut cete quæ pulmonibus respirant, & aerem trahit, & haustam aquam reijcit, eamq; ob causam in summa aqua fluitat, facileq; suffocatur, si inuitum sub aqua diutius retineas. ¶ Albertus Magnus pro Lampreda Murænam dixit. ¶ Lampetra flaua capitur in mari Oceano inter Angliã & Noruegiam, sed rarò: cætera similis uulgari.

Fistula Lampredæ.

ITAL. Lampreda.

HISPAN. Lamprea.

GALL. Lamproye. Circa Monspelium Lamprezze. Sabaudis ad Neocomensem lacũ, Lambri. Fœtus eorum Burdegalenses Pibales appellant, Rondeletius. Aliter Cæsar Scaliger: Santonica (inquit) uox est Piballa: pisciculus tenuis, uermiculi specie, Anguillarum more natans, colore candido. maritimæ naturæ consulti aiunt esse Anguillarum prima rudimenta: adultiores Pimperneaus uocari. perfectas communi nomine agnosci. Sic illi. Fieri autem potest uterq; ut fallatur, & Piballa Gallorum non alius sit piscis, quàm Flandrorum Pymperele: uel ut Angli uocant, Pype oyle / Spræll oyle: Miseni ad Albim Spirahl. Hic enim piscis est longus, subfuscus, specie qua reliquæ anguillæ: lubricus, rostro & capite acuminato. E mari in Albim ascendit: nec durat, sed contabescens moritur.

GERM. Lampred / Lampret / Lempfrid / Basileæ Lampheryn / grosse Neünaug: Vide in Lãpreda media. per inferiorem Germaniã Lambreij: Coloniæ Lampereij.

ANGLICE. Lampreye / Lampraye / Lamprell / Lampron: uel a nyne eede eale, id est, Enneophthalmis Anguilla.

POLONICE & Bohemice Neynok uel Naynog, uocabulo Germanico.

LAMPREDA media (uulgò dicta.) Nomina Latina eadem quæ superiori, huic conuenient. minor est quàm præcedens, maior quàm sequens. Italis & Gallis ignotam puto. Hæc quoque è mari fluuios subit. Lege quæ suprà scripsimus cum maiori uel simpliciter dicta Lampreda.

GERM. Argentinę uocatur ein Bärle / Berlin / Berling. Francofordiæ & apud inferiores Germanos ein Pricke uel Brick, quod nomen à Lumbrico dempta prima syllaba factum uideri potest. Ad Albim ein Neünaug, hoc est, Enneophthalmus, quasi nouem oculis insignis. præter enim duos oculos propriè dictos, branchiæ paruæ, rotundæ, detectę, septenæ, ocellorum quadam specie apparent. Nostri hoc nomen priuatim minimæ Lamprede tribuunt: sed ut nominis huius causa, eadem & similiter in Lampredis omnibus apparet: ita hoc nomen quoq; generale & commune cõuenerit omnibus, ad species uerò designandas magnitudinis differentia exprimenda fuerit.

Enneophthalmus.

ANGL. A Kleane Lamprelle / a smal Lamprelle.


Iconem hanc ut ab Argentinensi pictore accepi, posui, maiorem quidem quàm uellem.




A. Ein

A. Ein Salm. B. Ein Lachs.

A. Icon est Salmonis ante partum, hoc est, uerni & æstiui, non satis probè expressa. B. uerò autumnalis & hyberni Salmonis, sub partum & à partu, (qui rostro recuruo ac maculis pluribus facilè dignoscitur,) effigies est, melius depicta quàm alterius: quæ emendari ad huius exemplum poterit: aliud enim non differt puto, nisi quòd rostrum ei incuruum non est, &c.



Salar, id est, Salmo paruus. Ein Selmling.



SALMONIS nomen apud Plinium legitur. Græcis incognitum fuisse, & ideo Græco nomine carere, nihil mirum, cùm Græci ueteres in Oceanũ non penetrarint. In Oceano enim tantùm nascitur, *(nos in fluuijs tantũ nasci, quos ex Oceano subit, ostendimus:)* qua de causa fluuios tantũ eos subit, qui in Oceanum influunt, Rondeletius. Bellonius etiam Sulmonẽ scribit, in prima per u. quod non probârim. ¶ Salmonis nomen à Germanis Rheni accolis uel Gallis Aquitanis Latini acceperunt. uideri autem potest à sale deductum nomen: quòd hi pisces in magna copia saliri, uel sale muriaq; inueterari soleant, in tomos cõcisi: perinde atq; in mediterraneo Thynni: quos & magnitudine referunt, & robore corporis, uiq; saliendi, (ut si Latinum esset uocabulum, à saltu factum uideri posset:) & natura migrandi ad summa fluminum, ubi pariunt: ac inde reuertendi. quemadmodum Thynni ex mediterranei inferioribus partibus aduerso mari in Pontum ascendunt, inde à partu reuertuntur. Thynnum asili inhærentes agitant, Salmonem hirudines & lampredæ. A Salmone diminutiuum recentiores aliqui faciunt, Salmulus, quem & Salmunculum dicamus licet: is paruulus Salmonis fœtus est, ut Cordyla Thynni. idem ab Ausonio Salar dicitur, adultior iam Sario, media inter Salarem & Salmonẽ ætate: alij legunt Fario. & omnino uerisimile est Truttam quæ uulgo Forina dicitur, ab Ausonio Salmonem, sed ętate minorem existimatum, ut (Parte 4. huius Ordinis) in Trutta diximus. Trutta quidem tam multa Salmoni affinia habet, ut nullum aliud piscium genus ei rectius comparetur. *Anchorago.* Anchorago Rheni piscis à Cassiodoro prædicatur: qui uel Salmo uideri potest, è Rheno præstantissimus, & certo tempore rostrum anchorę instar incuruans: uel Trutta lacustris, quam cum idem patitur, Ynlanck appellant Germani ad ostium Rheni in lacum Acronium se infundentis; sicut & nostri quà Limagus fl. lacum intrat. paritura enim fluuios subit, sicut & Salmo: & formam rostri similiter mutat. eundem piscem in lacubus Carinthiæ Rheinanck uocari puto, tanquam à Rheno & anchora composito nomine. Non hæc uerò solùm, sed & alię quędam in fluuijs & lacubus Truttæ sic afficiuntur: & eo tempore deteriùs se habent, inq; cibo minùs gratæ sunt, sicut & Salmo: itaq; etiam nomina mutant, uel omnes, uel aliquæ. *Esox.* Salmonem aliqui alio nomine Esocem uocant: ego Lucium potiùs Esocem iudico. ¶ Salmonis, ut dictum est, Græcũ nomen uetus nõ extat: qui uoluerit, Salangẽ appellet: quoniam *Salanx.* σάλαγξ boni piscis nomen legitur apud Hesychium: neq; præterea quinam sit explicatur. aut potiùs à saltu, (unde & Latinè aliqui dictum putant Salmonem,) ἅλμων nominetur: uel à migrandi natura, καταπνάδρομ☉, sed id epitheton potiùs quàm nomen fuerit. uel ἄλ☉ πυξῦντ☉, ἀλιπυξὸς, id est, Truttæ species, marina Trutta. uel dromias dromásue fluuiatilis. Aristoteles enim in mari dromades uocat Thunnos, aliosq; gregales, qui aliunde in Pontum excurrunt, & uix uno loco conquiescunt.

ITALI ut Salmone carent, ita etiam nomen eius à Gallis aut Germanis mutuentur oportet.

GALLI nominant Saulmon. Magnos, Salmones uocant: paruos, (Galli & Aquitani) Tacons. prēterea marem à fœmina distinguunt. hanc enim ob rostrum magis aduncum, hami modo, Beccard appellant, Rondeletius. Aliqui fœminam à ferendis *(portandis)* ouis, Bortiere. differt hęc à mare aduncitate labri inferioris, Bellonius. Est Truttæ species (inquit Cæsar Scaliger) eo in fluuio, quo Normanni à Britonibus separãtur: cuius inferior mandibula, extrema cuspide curuata, sursum uersus conditur in foramine superioris. Quem rostri uncum falsò quidam in Salmoneo genere fœmellis designauit. Non enim sexus in genere, sed speciei notam esse patet: quòd hîc sine illa, ut ita dicã, pyxidatione, quotidie ouis fœtæ certo anni tempore capiuntur. Sic ille. ¶ Nostri piscatores in masculo tantùm Salmone rostrum inferius insigniter recuruari aiunt, in fœmina perparum: nescio quàm rectè.

GERMANIS circa Rhenum & alijs Salmo (ein Salm) tempore uêris æstatisq; nominatur, usque ad diui Iacobi diem, qui est uicesimus quintus Iulij. deinde mutato nomine ein Lachs in utroq; sexu (quanuis marem aliqui priuatim apud nos sic uocant, fœminã uerò Lyder uel Lider) usque ad diui Andreæ diem, qui postremus est Nouembris. Salmo igitur uernus æstiuusq; est: Lachsus uerò autumnalis & hybernus, sub partum scilicet & à partu: quasi lassum dicas, longa iam natatione aduerso flumine & partu exhaustum: uel à genitura quam nostri Leich appellant, quasi λεχῶ☉. circa Rostochium Laß nominant. Saxones & Misení Salmonis nomine non utuntur: sed Lachß appellant tempore, sexu & ętate quibuscunque, per autumnum quidem & hyemem


mem cum sub lapidibus & saxis delitescens contabescit & maculis ruffi seu ęnei coloris impletur, ab ijs ipsis Kupferlachs uocitať. ¶ Salmunculos, id est paruos & uix digito longiores Salmones, nostri alijq; nomināt Selmling: Miseni Canitzen/Kanitzle/Kuntzle/ab ipsa paruitate puto: unde & Georg. Agricola Latinè Salares nanos uocauit.

ANGLICE. Salmon uel Samond. priuatim uerò dum melior in cibo, & suauiore ac friabiliore carne est, uocatur a Kribbe Salmon, hoc est, friabilis Salmo. at postquam carnem deteriorem habere, & rostrū curuare cœperit, porco grandinoso ab eis comparatur, uocaturq; a Kypper Salmon: quod Germanus diceret ein Kupfersalm.

ILLYRICE Losos: quo nomine Poloni & Bohemi utuntur. inuenio & aliud Polonicū Losos tzarny.


SILVRVM piscem primus nostro seculo Io. Manardus Ferrariensis medicus, agnouit: quod in epistolis eius apparet, ubi Vngaricum eius nomen profert, sed malè. à Manardo Bellonius, qui tamen Silurum à Glanide (Plinij errorem secutus) non distinguit, nec satis diligenter describit, barbularum mentione omissa. Ipsum uerò piscem omnibus adhuc ignotum, & multis lōgisq; eruditorum controuersijs agitatum, primum ego pictum exhibui, & in nostris regionibus ostendi, uarijsq; nominibus (quæ nunc subijciam) quis sit interpretatus sum. Bellonius fortè uerū Glanidem descripsit, utpote in Strymone Thraciæ fluuio captum piscem, ubi hodieq; Glagnum appellant. in eo enim Glanides agitare tradit Aelianus, Siluros uerò in Mæandro & Lyco Asiæ, & Istro Europæ flumine. Equidem coniicio omnia quæ de Glanide scribuntur, Siluro etiam conuenire, & duas unius generis proximi species esse: hanc maiorem & nigriorem, illam minorem & albiorem, sicut Pausanias etiam scribit: quanquam Siluros non nominat, de ijs tamen eū sentire dubium non est. (Lege quæ suprà scripsimus in Glanidis mentione, sub finem Partis IIII. huius Ordinis.) Dentibus etiam Silurum à Glanide non differre putauerim. quanquam Silurus à nobis exhibitus non magnos dentes, sed paruos & confertos habet, ordine uno in maxilla seu labro inferiori, duplici autem in superiori: prætereà in palato fauces uersus, utrinq; denticulorum congeries quædam apparet, quibus ab inferiori parte nulli occurrunt: sed inferior oris pars, (interior quidem, non prima statim quà branchiæ quaternæ ad eam quæ loco linguę est partem adnascuntur,) limæ instar exasperatur. hæc dum scriberem, Siluri caput aridum, manibus tenebam. Aristoteles Glanidi durissimos dentes esse scribit, ut uel hamum rumpat morsu. id quod Silurum etiam facere posse non dubito: non tā singulorū dentiū robore ac duritie, q̃ stipatorū (ut dixi) congerie. alibi ἀγκιστροφάγον appellat, quòd hamū deglutire soleat: nā sic Aelianus interpretatur. & hoc quoq; Silurum nostrum facere constat. quem in historia nostra non dentes habere dixi, sed labia limæ instar exasperata, sic enim ab alijs acceperam. ac rursus ex aliorum uerbis, idq; meliùs, dentes ei attribui, paruos & instar pectinis illius quo laneæ uestes depectuntur. Caput quod habeo parui Siluri est, in maioribus dentes etiam maiores ualidioresq; fieri par est. Ouorum custodiam ut Glanidi (mari) Aristoteles tribuit, ita Siluro pisci Albertus Sumum Illyrico uocabulo appellans: & rursus incrementi tarditatem, Aristoteles Glanidi, Albertus Siluro, &c. Vtranq; feram esse uoracissimam, et in quęuis oblata animalia grassari, authorum testimonijs liquet. Itaq; simillimos esse hos pisces, & species planè congeneres non dubitamus, adeò ut non sit mirum ab aliquibus tantam similitudinem non distinguentibus nomen unius alteri attribui cum olim tū hodie. Aristoteles Glanidis tātùm meminit: Plinius ex eius uerbis Silurum interpretari solet, cū alibi distinguere uideatur. Gaza quoq; Silurum transtulit. Aelianus Glanidem in Strymone capi scribit, Silurum in Lyco & Mæandro: at alibi Istriani etiam Siluri mentionem facit. Bellonius Glanidem Nilo attribuit, ueteres Siluri tantùm in eo fluuio meminerunt. Athenæus Latū in Nilo piscem similem esse tradit Glanidi Istri, tanquam hic in Nilo non capiatur. Verùm Bellonius Glanidem à Siluro prorsus non distinguit. Saluianus cum Iouio Silurum ridiculè putat esse Sturionem: & uerū Silurum, utpote in Danubio captū, ut ait, ꝑ Glanide pingit. Bellonius Silurū, siue potiùs Glanim, cartilagineis ouiparis adnumerat cum Sturione & Attilo: quod quàm rectè fiat, considerandum est. fortè enim non cartilagineus, sed spinosus Silurus est. nos Glanim suprà inter fluuiatiles simpliciter posuimus: Silurum uerò hîc inter anadromos, quoniam è mari flumina subire, inq; eis parere, manere, & proficere ex Io. Kentmanno didici. ex ueteribus quidem uterq; fluuiatilis tantùm esse uidetur. Glanidem quoq; cum natura adeò cognata sit, è mari subire uerisimile est. Reperitur hodie Silurus non solùm in Mœno Germaniæ fluuio, ut Plinius prodit: sed in eo, ut in Rheno quoq; (Pausanias in Rheno & Istro gigni scribit) quem ingreditur, perrarò: frequentiùs autem in alijs Germaniæ fluminibus plerisq;, maioribus præsertim, ut Danubio, Albi, Viadro, Vistula Sarmatiæ: item Lyco & Tibisco, qui Danubio miscentur: (Ausonij tempore etiā in Mosella, quæ in Rhenum descēdit, capiebatur.) Item in lacubus aliquot Heluetiorum & Sueuorum, ut Moretano Bernensium, & Iuerdunensi Sabaudorum, & Acronio quem à Constantia denominant: & minorib. quibusdam, ut ꝓpe Rauenspurgū et Waldsee oppida: in quos fortassis ex Acronio lacu per Schuß fl. ascendunt. sed quomodo è mari ascendentes illuc perueniunt? rarissimi quidem in Rheno capiuntur, & ut per Rhenum ascendant, per Catarrhactam eius superiorem, qui prope Scaphusiam

Effigies Siluri, quam olim accepi. eiusdem uerò postea accuratiùs expressas icones Iulius Alexandrinus Ferdinãdi Augusti medicus è Danubio, Iohannes Kentmannus ex Albi, & Carolus Egellius clarissimus Rauenspurgi medicus è lacu uicino, ad me dederunt: ei quam hic exhibeo similes, sed colore magis nigricante, & oblongiore angustioreq́; uersus caudam corporis filo.




Alia

Alia eiusdem (parui adhuc) icon, è lacu Bipennatium, ditionis Bernensium, à Benedicto Aretio missa.



Alia è piscina piscatoris cuiusdam Argentinæ, uidetur autem cauda eius attrita propter piscinæ angustiã, aut aliam ob causam. barbulæ uerò, quæ quotannis ei decidunt, nondum plenè renatæ. Hodie quidem aliam eius formam esse dicunt, quàm cum mihi depingeretur. Aetatis certè locorumq; discrimina, mutationem aliquam adferunt: neque idcirco species diuersæ fuerint, ut primùm existimabam, iconibus tam diuersis ad me missis. postea enim cum pisces ipsos Augustæ, Argentinæq; uiderem, aliter iudicaui. An tamen species diuersæ in Germania reperiantur, diligẽtiores olim considerabunt.



est, eluctari non poterunt, ut neque Salmones, nec alij pisces præter Anguillas. itaque uel è mari non uenient in Acronium, in quo tamen rarissimè inueniuntur, & forsan è piscibus paruis huius generis olim iniectis, aliqui sunt prognati. uel si è mari migrant, eâdem qua anguillæ corporis agilitate Catarrhactam illum euincent. Argentinæ piscatores duo ciues (quorum alteri nomen est Iacobus Baltner, alteri Iacobus Lamp) in piscinis suis Siluros alunt: uterq; singulos, aut alter binos. eorum duos ante annos quadraginta in Rheno captos aiunt, uix digiti longitudine, & ab eo tempore ad pedes sex cum dimidio excreuisse, alterum saltem. Vnius iconem Petrus Stuibius affinis meus iuuenis doctissimus ad me misit, qualem exhibeo.

Silurus Latino nomine caret, neque mirum cum nullus in Italia reperiatur: quanquam ne in Græcia quidem fortè, sed aliunde importabatur salsus. Græco quidem nomine Silurus dictus uidetur à caudæ agilitate, qua Anguillam & Thrissiam uulgò dictam refert. In quibusdã codicibus Græcis pro Σίλουρος legitur Ἄιλουρος facili lapsu, & qui non malè cecidit. Aelurus enim Felem significat: uidetur autem nescio quid felinum hic piscis aspectu, barbulis, & caudæ mobilitate præ se ferre. Sunt qui cauda pisces ab eo percussos ori admoueri dicant. Barbulas modò antè se exerit, ceu ad explorandum, modò ad latera comprimit. Forsan & ad uenationem eis astutè utitur, ita ut suis Rana piscatrix, quam etiam oris rictu & uoracitate refert. Ex minimo, ut diximus, ingens euadit. Maximi libras (unciarum 16.) circiter XX. ultra C. appendũt in Albi. & pinguitudo in magnis per dorsum uel duos digitos crassa, ceu in porco, apparet. Apud Bohemos uulgò fertur, piscem pisci prædam esse, at Siluro omnes. Nostra memoria in Tibisco, dissecto huius piscis uentriculo caput humanum cum manu dextra & tribus annulis aureis repertum fama est constans: ut ipse ab homine Vngaro fide digno accepi, &c. Publica apud Pannones fama est, inquit Ioannes Manardus, aliquando captum in cuius uisceribus humana manus ornata anulis inuenta sit. Saluianus puerum in Danubio apud Possoniam natantem ab hoc pisce deuoratum refert. ¶ Borbotam Albertus Magnus hunc piscem uocat: aut potiùs speciem illam Mustelæ, quam Thrissiam uulgò nuncupant, Botatrissiam Itali, præsertim lacustrem. Cum autem duodecim annos excesserit (in-

Aelurus.
Borbota.
Barbota.

Solaris. quit) hic piscis, in uastitatem ac longitudinem maximam crescit, & Solaris uocatur, quia in Sole libenter in ripis fluminum iacet. Eadem uerba apud Isidorum, & innominatum de nat. rerum scriptorem leguntur. Apparet autem eos similitudine deceptos esse, quoniam Barbotta siue Trisia simillimus est Siluro paruo piscis, ita ut uix dignoscatur, teste Bellon. Solaris nomen à Siluro corruptum esse putârim. Barbotta uel Barboth nomen Germanis aliquibus in usu est de Thrissia nostra. Est & Barbotta piscis barbatus circa Tanaim dictus, ex Antacæorum genere: quem ichthyocollam Bellonius nominat, & similem ei *(barbis nimirum & capite)* Silurum facit. Athenæus Latum in Nilo piscem tradit albissimum suauissimumque esse, similem Glanidi qui in Istro capitur. quibus uerbis genus hoc Antacæi potiùs, quàm Latum de genere Coracini ab alijs dictum intelligere eum diuinarem, si an ulli Antacæi in Nilo caperentur mihi constaret. Vngari quidem Silurum ipsum à latitudine Harcha nuncupant. ¶ *Sumus.* Sumus nomen, quo Albertus pro Siluro uel Glanide utitur, factum est ab Illyrico Sum. Idem Albertus: Aliquando (inquit) iacentes ac dormientes pisces in fundo percutiuntur tridente, ut in Danubio Ruffi, Husones, Sturiones. Quinam *Ruffus.* uerò piscis sit Ruffus in Danubio, rescire nondum potui. Stephanus Lauræus Ferdinandi Aug. medicus, de hoc nomine ac pisce Posonij ad Danubium cum inquisiuisset: respondit omnino uel Scurionem uulgò ab Vngaris (Schuureg) dictum, ex Antacæorum genere, cuius subruffa sit caro, Ruffum Alberti sibi uideri: uel potiùs quem uulgò Harcha nominent, (id est, Silurum,) cuius in uentre cum aliæ maculæ, tum ruffæ appareant. neque enim in Danubio post Husonem & Sturionem, piscem alium magnum cognosci, præter duos illos quos diximus, & insuper Tok ex Antaçeis.

ITALICVM nomen non habet. nam in Italiæ fluuijs, inquit Saluianus, nullibi (quod sciam) habetur. Sic ille. Quod si uerè scribunt Grammmatici quidam, Glanin esse fluuium Cumæ in Italia, à quo etiam piscis Glanis uel Glanus dicatur, Saluiani Glanis, idemque ei Silurus, à nostro Siluro diuersus, cognatus tamen ei, in Italia reperietur: quod mihi non est uerisimile. est & alius in Italia eodem nomine fluuius circa Tiberim, & tertius Iberiæ, authore Stephano.

GALLI etiam neque piscem hunc, quod sciam, neque eius nomen habent: nisi quòd ad Iuerdunensem lacum Sabaudi, Saluth eum appellant, nomine ad Silurum alludente.

GERMANICA eius nomina in alijs locis alia sunt: Salut in Bernensium ditione, quod nomen an ipsi à uicinis Sabaudis acceperint, an contrà, nescio. Acronij lacus accolæ & Sueui uocãt Waller / Wäller / Wälline: alij aliter proferunt, Wale / Walle / Walarin. uidentur autem omnia hæc nomina facta à Latino Balæna: quòd ut hæc in mari, ita Silurus in dulcibus aquis magnitudine excellat, sicut etiã Ausonius canit. Saxones, Silesij, & maritimi Germani Welß uel Wilß appellant. Danubij accolæ ein Schaid, siue à damno quod uoracitate sua infert: siue à figura uaginæ gladij, præsertim equestris: quę latior initio, paulatim in angustum desinit. Viennæ dum paruus est, & pedem aut cubitum non excedit, appellatur ein Sick: adultior ein Schaid. Sed ab alio quodam accepi, piscem Sick uel Tück uel Tick in Danubio capi, non quidem circa Viennam, sed inferiùs circa Budam. molem eius libras (XVI. unciarum) XXV. appendere, corpus ut Husonis, minus, multis ceu stellis uarium, &c.

ILLYRICE Sum uocatur apud Polonos & Bohemos: quo nomine in mari etiam Balænam & Cetum in genere interpretantur.

VNGARICE Harcha (quod ita proferunt, ac si scriberetur Hartscha uel Harcza, à Germano,) à latitudine dorsi aut oris forté.

Icones require in pagina sequenti.

ACIPENSER, Aquipenser, Oxyrynchus. sed hoc nomen etiam alijs quibusdam piscibus tribuitur. Vulgò Sturio, uel Stora. Est autem de genere Antacæorum, è quibus ichthyocolla, id est, glutinum habetur. Hic idem est, ut ego iudico, quem Plinius in Danubio Porculo marino simillimum dixit: libro nono capite decimoquinto, de maximis piscium scribens: ut sunt (inquit) inter marinos Thunni: & in quibusdam amnibus haud minores (scilicet Thunno,) Silurus in Nilo & Mœno, Esos in Rheno, Attilus in Pado: & in Danubio maior, *(scilicet Thunno, aliqui hîc pro maior legunt Mario, quòd non probamus,)* Porculo marino simillimus. Dorionis Oniscum gallariam & Galeni Galaxiam esse Sturionem, Rondeletius sentit. mihi non uidetur. Vide superiùs in Lampreda. Ridiculè quidam Silurum ueterum, putant esse Sturionem nostrum.

ITALICE Sturion. Sturiones minores, qui cubitalem magnitudinem non excedunt, Porcellete uulgò uocant Itali: grandiores uerò Sturioni, differunt autem ætate solùm, non etiam specie, ut quidam suspicantur, Saluianus.

GALLICE Estourgeon, Burdegalensibus Creac.


HISPANICE Sullo, quasi Suillus. alij Sollo uel Solho scribunt.

GRAECIS recentioribus Xyrichi, (id est, Oxyrynchus.) Cyprijs Morona, quod nomen Itali Husoni nostro tribuunt.


GERMANICE Stor / Styr / Styrle.


Sturionum has duas icones Venetijs nactus sum; secundum Moronam nominant.

STVRIO *primus.*




STVRIO *secundus.*






ANTACAEVS Boryſthenis à Rondeletio exhibitus. Similis eſt huic figura Attili in Bellonij libro: niſi quod unicam in dorſo pinnam habet, & caudam nonnihil differentem. ſed aliter Attilum Rondeletius pingit. De Antacæi nomine, lege cum ſequente piſce.

GERM. Ein art der Haußen oder Stören in dem fluß Neper.



ANTACAEI *illius quem Germani Huſonem uocant, effigies alia, è Pannonia nobis tranſmiſſa: & melior, ut apparet, quàm Rondeletij.*




ANTACAEVS alius, ut à Rondeletio pictus eſt, roſtro quidem non acuto ſicut Oxyrhynchi alij, quibus tamen cognatus eſt. Idem Exoſſem hunc piſcem appellat: uerè quidē quòd oſsibus careat, ſed non probè, tanquam ex Plinio: cuius uerba ſunt lib. 9. cap. 15. de maximis piſcibus loquentis, hæc: Sunt inter marinos Thunni: & in quibuſdam amnibus haud minores (*ſcilicet Thunno,*) Silurus in Nilo & Mæno, Eſos in Rheno, Attilus in Pado: & in Danubio maior (*ſcilicet Thunno*) Porculo marino ſimillimus. & in Boryſthene (*inquit*) memoratur præcipua magnitudo (*id eſt, piſcis præcipuæ magnitudinis,*) nullis oſsibus ſpinisue interſitis. Hæc ille. intelligendum eſt autem Boryſthenitem hunc piſcem, uel eũdem cum Danubiano illo qui Porculo marino ſimilis eſt, non cum Eſoce Exoſſéue, ut Rondeletius accipit: uel potiùs ſui hunc quoq; generis eſſe, & à præcedentibus omnibus diuerſum, nimirum Huſonem uulgò dictum: ut Porculo marino ſimillimus Sturio ſit: Eſos uerò Rheni, ab utroq; diuerſus. Huſo quidem eſſe non poteſt, cum is in Rheno nũquam inueniatur, nec alijs in Oceanum ſe exonerantibus amnibus. Mihi certè Eſocem, Lucium piſcem eſſe animus inclinat. Vbi Plinius ſcribit, ut recitaui, et in Danubio maior, aliqui pro maior legunt Mario, tanquam piſcis nomen: quam lectionem Rondeletius reprehendit: quanquam ad Italicum (Morona) nomen hoc accedat, &c. Quærendum an hic idem ſit Latus Nili, cuius Athenæus meminit, albiſsimus ſuauiſsimusq; quoquo modo apparetur, Glanidi (Siluro opinor dicere debuit) Iſtriano ſimilis. Vide ſuperiùs in Siluro. ¶ Antacæus nomen commune mihi uidetur, et huic & ſimilis formæ piſcibus (etiam Sturioni) imponēdum. debet autem penultima per æ, diphthongum ſcribi. Antacæorum piſcium maximorum in Iſtro Aelianus & Athenæus ex Sopatro meminerunt: q tanquã albiſsimi ſuauiſsimiq; celebrantur. Antacęi Delphinis magnitudine pares circa Boryſthenis & Mæotidis oſtia ad Ga[illegible]amam (ſic enim locum appellant) ligonibus effodiuntur, Strabone teſte: fortè quòd glaciem li[illegible]bus ſcindant. Aelianus quidem Antacæos magnos in Iſtro ſub ſaxa ſubijci, aut in imam arena[illegible] uitandum frigus abdi ſcribit. Antacęis nomen uidetur amnis dediſſe in Meotim lacum [illegible]ſiatica parte influens, Hermolaus. An tacites

Marginal notes: *Exos.* (beside "chi alij…Exoſſem"); *Antacæus.* (beside "dicere debuit…Antacæus nomen")

tacites Sarmatiæ fluuius haud longè Tyramba oppido in Mæotim exit, à quo Antacęi pisces, &c. Vadianus. Plinius Antacas populos circa Meotin Colchis uicinos facit. Vngari piscẽ Tock uel Tockhal appellant, non alium opinor quàm Husonem, aut omnino cognatum ex Antacæorum genere, nomine forsan per aphæresim facto ab Antacæo. idem aut similis Germanicè Sick/ uel Tick/ Tück/ à Germanis Danubij accolis nominatur: quanquam alius Silurum paruum Viennæ sic nominari nobis retulit: & forsan propter aliquam similitudinem, (capitis & barbularum aut aliam,) ut & Silurus & Huso, Barbotta uulgò uocatur, in diuersis tamen locis: ita etiam Germani aliqui idem nomen Tück utriq; attribuunt, alij in alijs locis.

Bellonij figura ab hac, quam ex Rondeletio dedimus, differt, prǽsertim cauda. Pontico uulgo (inquit Bellonius) Collanus hic piscis dicitur, Bononiensibus Copsus, Italis Colpiscis, & uulgo Colabuccus. (*Germani dicunt* Mundtleym/ *id est, oris glutinum.*) Ferrarienses (apud quos ꝓ Sturione, nequissima ichthyopolarum impostura interdum uenditur, quum eius caro multùm inferioris sit notæ) piscem Iudaicum nominauerunt. alij Copesce. Hæc ille. Audio & Moronam Italis uocari: quod tamen uocabulum Cyprijs & alijs nonnullis Sturionẽ significat. ¶ Pado peculiaris est in Italia, Sturioni & Attilo cognatus. Herodoto Antacæus dicitur, Pomponio Magnus Borysthenis incola. Alijs quibusdam ueteribus Ichthyocolla, per synecdochen. partis enim ex hoc pisce ad conglutinandum usus est. Ab ijs qui Tanaim incolunt, uulgò Barbotta uocatur, quòd quaternis ueluti barbis ad labia sit communitus, Bellonius.

GERM. Hauß/ (Bellonio teste,) Huß: unde & Husonem Latinè recentiores quidam uocarunt: non quidem per hyperbolen, quòd cuiusdam paruulæ domus magnitudinẽ referat: sed quasi hys uel hysca, unde & Illyricè Vuyz appellatur: nimirum à pinguitudine seu lardo quo porcum refert, sicut & alij oxyrynchi. Errant qui Bolich Flandris hunc piscem uocari scribunt: ut illi etiam qui Silurum, asellorum enim Oceani generis est, quem ita nominant.




Antacaeus stellaris, si libet, appelletur hic piscis: cuius iconem, qualis Straubichij in Danubio captus est, Geryon Seilerus summus & celeberrimus Augustanæ reip. medicus ad me dedit. Pictura in linteo satis magno expressa colorem ubiq; ferè cœruleum ostendebat, uenter candidior ad roseum inclinabat. Spinæ in dorso, & stellæ (quæ spinis delapsis relictæ uidẽtur) pallidi coloris erant. puncta etiam passim uel è pallido albicantis, uel fusci Indiciue coloris. Cognatus hic fuerit quẽ in eodem flumine Tück appellari diximus paulo ante, ab Vngaris Tock. Idem quoq; aut similis uideri potest Zucca Caffæ, cuius in ichthyocolla meminit Bellonius, z. pro t. posito. Alius puto, sed similis est, quem ijdem Vngari Schuureg, quidam Germanicè Zürich (ab Oxyrhyncho, ut conijcio, deprauato nomine) uocitant, aliqui recentiores Latino nomine ad uernaculum formato Scurionem per Sc. non per St. de quo nonnihil etiam in Siluro diximus. Quidam mihi retulit Tick piscem in Danubio infra Viennam circa Pestum & Budam capi: mole corporis ad XXV. (sedecim unciarum) libras: cute uaria undiquaq;, & stellata similiter, ut in hîc exhibita à nobis icone, sed rostro differre, quod longius & gracilius sit, anserino ferè simile. cætera Husoni similem esse piscem, sed minorem, ideoq; ab imperitis Husonem paruum esse putari. Hic an sit Galeus Rhodius, quærendum. *Galeus Rhod.*

Attilus piscis Pado peculiaris, cartilagineus: Sturioni cognatus, Antacæorum uel Oxyrynchorum generis: & anadromus, ut conijcio, sicut & reliqui Antacæi.


Attilus quum ad certam magnitudinem excreuit, squamas hispidas abijcit: quas per quinque uersus dispositas gerit, in summa scilicet dorsi spina, ex utroq; latere geminatas, & sibi quasi parallelas: extremus uersus pinnas attingit. Contrà Sturio semper hispidas squamas suas tota ætate retinet, Cælius Calcagninus.

ITAL. Adello, Adeno, Adena, Adano, Ladano, Attina.

Misit ad me olim etiam Ant. Musa Brasauolus Ferrariẽsis medicus nobilissimus Attili effigiem, quæ cum hac Rondel. pulchrè conuenit: nisi quod spinosos illos dorsi clypeos plures, latiores, & contiguos habet.



GERM. F. Ein grosse art der Hausen oder Stören/wirt allein in Italia im̃ Pado gefunden.



GALEVS Rhodius, γαλεὸς ῥόδιος. Ego (inquit Rondeletius) hunc Galeum Rhodium, siue Vulpem Rhodiam esse existimo: quem Archestratus eundem esse cum Acipensere credebat, non sine ratione in hanc opinionem inductus. est enim piscis iste Acipenseri siue Sturioni persimilis, non solùm corporis specie et partibus, sed etiam gustu ac sapore, dempta unica differentia, quam non nisi ij percipient, qui exquisito gustatu fuerint. hac non animaduersa, facilè Galeus Rhodius cum Sturione confundetur, quod Archestrato euenit: cuius sententiam refellit Athenæus. Acipenser enim (inquit) paruus est, & porrectiore rostro, & figura triangulari magis quàm ille. Et paulò pòst: Archestratus de Rhodio Galeo loquẽs, amicis patrio more consulens, ait: Galeum in Rhodo, quem Vulpem uocant, si tibi uendere noluerint, uel mortis periculo rape. Nominant illum Syracusani κύνα πίονα, id est, Canem pinguem, Hæc ille. Conueniunt autem hęc omnia nostris piscibus, Sturioni inquã, & illi quem hîc exhibemus. is enim Sturionem totius corporis figura, tergi ossibus acutis & clypeorum modo efformatis, alijs item in lateribus dispositis, pinnis, cauda, ore in supina parte sito, omnino refert. &, quemadmodum Sturiones, relicto mari amnes subit. Reperitur enim in Pado & in Rhodano, & pro Sturione uendit: à quo tamen distinguit ab exercitatis, capite crassiore, & rostro breuiore obtusioreq́; tum gustu. resipit enim ferinũ quid, quod de Sturione dici non potest, carneq́; est duriore: à quo sapore Galei & Vulpis nomen habet. Galei enim & in eorum genere Vulpes, ferini sunt saporis & ingrati. Si tamen in dulci aqua diu natauerit, in cibis haud aspernandus est. Hæc Rondeletius. ὁ πίων κύων, nominatur etiam ab Epicharmo. ¶ Antacęis cognatus est, uide mox in Italicis nominibus.

ITALICE Cops à nonnullis uocatur: quo nomine figura expressum hunc piscem misit ad me doctissimus medicus Antonius Musa Brasauolus. Alij nominis affinitate decepti Copso appellant. est enim id nomen alterius piscis, (*illius quem Germani Husonem, Bononienses Copso uocitant: alij Itali Colpesce,*) Rondeletius. Apparet quidem Cops nomen per syncopen factum esse à Colpesce: hoc uerò à colla et pisce compositum. Colla enim siue glutinum ichthyocolla dictum, ex diuersis eiusdem generis piscibus fit, quos Antacæos generis nomine omnes appellârim, ut in Husone dictum est. quanquam etiam ex alijs quibusdam fieri aut solet aut potest.

GALL. In Rhodano captus pro Sturione uenditur, sicut dictum est.

GERM. Ein art des Stören/wirt in Italia gefangen in dem Po/vnd in Francreych in dem Rottẽ: dem Stör so gantz ähnlich/das er darfür verkaufft wirdt/hat ein kürtzeren kümpferen schnabel/ ein dickeren kopf: vñ wilteler starck.

FINIS ORDINIS I. TOMI II. DE PISCIbus fluuiatilibus.

DE

ORDO II. TOMI II. DE RELIQVIS DVLCIVM AQVARVM ALVMNIS ANIMALIBVS: CVIVS HAE SVNT PARTES.

I. De piscibus Lacustribus.

II. De animalibus Crustaceis.

III. De Testaceis.

IIII. De Insectis.

V. De Amphibijs tum quæ pedibus nituntur, uiuiparis, ouiparisq́: tum quæ ijs carent.

D. M. S.

SIGISMVNDO LIBERO BARONI IN HERBERSTAIN, NEYPERG, ET GVTTENHAG, VIRTVtis ac meritorum ergò immunitate donato.

P. P.

ITALA me primo tellus sub flore iuuentæ
Aurata patriæ donatum torque remisit.
Maximus Aemilius Cæsar, uirtute fideq́,
Fortè mea adductus, Patrum me protinus Aulæ
Consilio adscripsit. requies hinc nulla laborum
Facta mihi: magnis de rebus iussa peregi.
Fœderibus iunxi reges: pacisq́, tuendæ
Accendi studio, latè quà Rhenus inundat
Danubiusq́, pater, uagus Albis, & Istula, quaq́,
Dura Borysthenides colit impiger arua colonus,
Et gelido manat Tanais de fonte niuosus:
Rha leni placidas quaq́, agmine lambit arenas
Nauigijs penetrans lustraui cæca Rubonis
Crononisq́, fluenta, & inhospita Tesqua peragrans
Legatus mandata tuli, Regumq́, superbas
Accessi sedes: gemino subiecta Trioni
Balthea tranaui freta, magni Regia nostræ
Danorum domini lætata salutis honore.
Quîs gestis rebus me Cimbrica Chersonnesus
Excipit, & patriæ reddit, charisq́, propinquis.
Post ubi mortalis defuncto munere uitæ
Carolus acer auo successerat, hunc quoq́, dulcis
Impulsus patriæ precibus, de more salutans
Indomitos adij populos, & ditia regna
Hesperiæ. Reducem dein Ferdinandus ab Aulæ
Consilijs statuit, latè quo regna tenente
Arctoos iterum Reges Populosq́, reuisi.
Hinc mihi pro meritis serisq́, nepotibus auctum
Libertate decus, quod nulla aboleuerit ætas.
At postquàm inuasit Solymannus mœnia Budæ,
Accensum furijs, uim perniciemq́, minantem
Pannoniæ, Orator compressi, diraq́, retro
A nostris suasi iugulis auertere tela.
His nunc defunctus curis post fata quiete
Sopitus placida, iusti dum buccina somnum
Iudicis excutiat, dormiscam. Viue uiator,
Exemploq́, meo patriæ seruire memento.

Ioh. Rosinus.

MAGNIFICO ET ILLVSTRI VIRO D. SIGISMVNDO LIBERO BARONI IN HERBERSTAIN, NEYPERG, ET GVTTENHAG, VT GENERE ita uirtutibus & doctrina nobilissimo, Conradus Gesnerus Tigurinus S. D.



VVM his diebus, nobilissime heros, admirandi cuiusdam Ceti effigiem, & Sulaci (ut Mosci Tartariq; appellant, ego ex veterum Græcorum lectione Colon) caput cum suis cornibus probe depictum, ab amplitudine tua accepissem, me præstantiæ tuæ (quod iandudum optabam) non prorsus ignotum esse, nõ parum mihi gratulabar, atq; ex animo gaudebam. Nam libros etiam meos, animalium historiæ præsertim, in cognitionem tuam venisse: eosq; non indignos tibi visos, quibus aliquod ornamentum ex rebus tuis (quas non dubito multas ac raras te possidere) accederet, eosq; iudicio tuo non penitus displicere, hoc argumento facilè mihi persuadebam. Et cùm commodùm sub prælo essent nostræ Aquatilium animantium Eicones, cum diuersarum gentium nomenclaturis, iam vsque ad Lacustrium piscium ordinem typis impressæ, (cui Testata etiam & Crustata, Insectaq; dulcium aquarum animalia, deniq; Amphibia subiunxi,) mox eam partem sub illustri nomine tuo, tãquam optimi doctissimiq; patroni, in manus hominum prodire, par esse iudicaui. Quanuis enim prolixius et luculẽtius aliquod animi grati testimoniũ, quæ tua in omni virtutum & doctrinæ genere excellentia est, tibi deberi intelligerem, ad id verò præstandum longiori tempore opus esse, omnia interim vitæ momenta nobis incerta & innumeris mutationibus obnoxia fluctuare, præsentis ac extemporalis gratitudinis qualemcũq; declarationem non iniucundam magnificentiæ tuæ futuram arbitratus sum. In eodem quidem genere quo beneficentiam tuam expertus essem, gratiam referri, non improbatum abs te iri spero. Animalium enim historia te oblectari, cum ex ijs quas misisti picturis, tum Vri & Bisontis (quorum effigies iussu tuo pulcherrimè typis excusas (L. V. Vuolfgangus Lazius olim ad me misit) conijciebam. Hanc opinionem mihi augebant Commentarij tui rerum Moscouiticarũ, quibus maximã laudem & admirationem tui apud omnes eruditos homines excitasti, ac nominis immortalitatẽ tibi comparasti. in ijs enim vt de Vro et Bisonte, ita alijs quibusdã raris animalibus quandoq; verba facis. Itaq; maiori fiducia hanc tantillam huius Operis partem amplitudini tuæ dedicaui: quam ut ab homine tui nominis et honoris apprime studioso profectam benigna fronte accipias, & si quid ampliùs ad quãcunq; Animalium historiæ partẽ illustrandã cõferre potes, quod non dubito, maturè cõferas, etiam atq; etiã oro & obtestor. Inter cætera autem rem summopere gratam, & huic in tuum nomen inscriptæ parti conuenientem mihi præstiteris, si nomina piscium lacustrium, qui apud vos & in Pannonia reperiuntur, diligenter mihi tanquam in tabula consignari curaueris, idq; vernaculis tum Germanicis tum Vngaricis aut etiã Sclauonicis nominibus è regione positis, ubi id fieri poterit. In pulcherrima quidem illa Pannoniæ chorographia, quam excellentißimus Lazius edidit, lacus præcipuos inuenio duos, vnum in vicinia Austriæ Ferteu, quem Germani dicunt Newsidlersee, *& versus Styriam Balaton, Germanis* Platsee. *In horum singulis quinam piscium uiuant, scire aueo: vt aliquando Additionibus aut Emendationibus ad nostros de animalibus libros, aliquid ex tua libertate ornamenti accedat. Spero etiam si quid circa fluuiatiles pisces, Danubij præsertim, in scriptis meis desiderâris, liberè ac libenter præstantiam tuam me admonituram, ac si quid addi poterit, communicaturam liberaliter. Vale doctißime heros, & grauißimo patrocinio tuo me dignare. Tiguri Heluetiorum, anno Virginei partus M. D. LX. decimo Kalend. Iunij.*


DE

DE PISCIBVS LACVSTRIBVS IN GENERE.

De Lacuum alumnis piscibus Rondeletius priore loco quã de fluuiatilibus agere uoluit. Cũ enim (inquit) à mari marinisq; stagnis discesseris, lacus & amplitudine & latitudine cæteras aquas superant, & ex his riui plurimi, sæpius etiam fluuij exoriuntur, uel eos præterfluunt, (*perfluunt fortè dicere uoluit, pro transeunt & permeant.*) Nos contra fluuiatiles lacustribus prẹposuimus: quoniam cum piscium alij fluentibus amnium aquis proprij sint, ut Thymallus, Trutta: alij stagnantibus lacuum, ut Albulæ nobis dictæ: alij communes, ut Cyprini, Lucij: ij qui Lacubus proprij sint, paucissimi inueniuntur: plures qui fluuijs: plurimi fortè qui communes, prẹsertim si anadromos propriè dictis fluuiatilibus non adnumeres, ut qui inter ipsos & marinos ambigant. Deinde riuos ac fluuios ex lacubus oriri non dixerim, nisi paucissimis fortè locis id cõtingat: sed contrá. nam in Heluetijs cum plurimi altissimiq; montes sint, & amnes plurimi per ualles decurrant, permulti etiam lacus, dilatata & stagnante fluminum aqua, passim uisuntur: quorum alij longitudine, alij latitudine, alij profunditate alios superant: sunt enim qui ad centum aut ducentos passus profundi celebrantur aliquibus sui partibus. Verùm hi omnes ferè non riuos aut fluuios efficiunt, sed ab eis ceu corriuati efficiuntur. ¶ Sunt autem (inquit idem Rondeletius) lacuum perpetuẹ et perennes aquæ, stagnorum non item. nam hyeme collectæ, uel plurimùm auctæ, æstate siccantur. Lacus ferè omnes piscium optimorum tam sunt feraces, ut in mediterraneis marini fluuiatilesq; non desiderentur: ueluti in Italia, Germania, Allobrogibus. Quorum aliqui sunt lacubus quibusdam proprij & peculiares: qui in nullis alijs aut lacubus, aut stagnis aut paludibus aut fluuijs reperiuntur, ut qui Carpio in lacu Benaco dicitur. In Arethusa genus esse piscium, quod transcurrentis Tigris non miscetur alueo, testis est Plinius: sicuti nec ex Tigri pisces in lacum transnatant. Alij sunt lacubus cum cæteris aquis communes. De proprijs dicemus, & communibus non omnibus quidem, sed de nonnullis duntaxat. Cæteros uiris doctis & lacuum magnorum accolis pertractandos relinquo. Hæc Rondeletius. Nos lacustrium piscium ordini eos tantùm adscribere uoluimus, qui lacubus proprij sunt, et in magnis solùm lacubus reperiũtur. Minorum enim lacuũ pisces omnes communes sunt. nam lacubus proprij in gurgitibus ferè solùm degunt, hoc est, profundissimis locis: (minorum uerò lacuum tanta profunditas non est:) quamobrem pelagijs rectè comparantur tum loci tum alimenti ex eis ratione: quoniam in alta & pura aqua degunt, riparijs, ut illi litoralibus, salubriores. ripæ enim lacuum impuriores plerunq;, palustres & limosæ sunt.

Lacubus igitur proprij sunt, quorum historia deinceps sequetur. Communium alij semper aut simpliciter communes dici possunt, quãuis non in eodem tractu. nam in lacu nostro Cyprini tum propriè dicti tum lati, & Percæ, Tincæ, Lucij, Plestyẹ, Rutiliq; uiuunt, in Limago fluuio nulli istorum: cum in Rheno Basileæ statim alibiq; omnes isti capiãtur. Bramæ (uel Prasmi) in his tantùm fluuijs reperiuntur, qui tardè fluunt, turbidaq; sunt & crassiore aqua, (qualis est Araris, & multi in Gallia Belgica,) nec in ijs ad eam unquam magnitudinem accrescunt, ad quam in lacubus & stagnis, Rondeletio teste. Alij diuersis temporibus, modò in fluuijs, modò in lacubus degunt. nam Leucisci illi quos Laugele nostri uocant, in lacu nostro hyemare solent, cũ per æstatem tam in lacu quàm in fluuio reperiantur: in fluuio quidem paulò maiores. Similiter qui Hasele nominantur, (Capitoni fl. Ausonij similes, sed minores,) autumno ascendunt è flumine in lacus partem profundam: & Martio mense rursus descendunt, ut in flumine uel riuis pariant. Differunt autem oculorum colore à lacustribus qui in fluuijs sunt. Truttæ lacustres contrà sub autumnum è lacubus in flumina parituræ ascendunt. Fluuij omnes opinor quo propiores mari sunt, & tranquilliores minusq; puri, eò magis piscium genera quædam in eis reperiuntur quæ nostri lacubus propria esse putant: exceptis ijs quæ in profundis tantùm lacubus agitant: quorum multis hoc commune est, ut in dorsi parte posteriore pinnulam paruam & adiposam, Salmonum instar, habeant: sicut Albularum genera, & Vmbræ Vmblæûe, Trutta & Carpio Benaci. Illorum qui è mari amnes subeunt, nullum in lacubus cõsistere puto: sed etiam si intrauerint, ut Salmones, altiùs semper eniti, perpetuo ascensu: excepto Siluro: qui in lacubus manet, augetur, & parit. Sed in Verbano quoq; Clupeam è mari aduenam piscem capi audio: de quo inter fluuiatiles anadromos diximus.

Tinca, Lucius, Squalus ac Barbus in multis lacubus reperiuntur: aliqui in paucis duntaxat, ut qui Albo dicitur uulgò ab Italis, in Thrasymeno & alijs fortè paucis, Saluiano teste. Albularum, ut nos uocamus, genera, in maioribus solùm & frigidioribus lacubus degunt, ut nostro, Lemano, Acronio, & ijs in quos Athesis illabitur: & Allobrogum lacubus Burgetij & Aequebeletij: & Sarmatiæ quodam lacu, ut audio: in Italiæ lacubus nullæ. At in tepidioribus, Chalcidum uel Sardinarum genera Thrissis cognata reperiuntur, quibus carent frigidiores: ut Celerini Allobrogibus dicti: Agoni in Lario, Verbano, & Benaco, tribus Italiæ lacubus: Liparides (ut Bellonius nominat) in Conio uel Pisciaco Macedoniæ lacu. Sarachi, qui Agonis ijdem existimantur, in lacubus Epiri. Hi omnes asperam in uentre, ut Harengi, lineam habent. Sunt qui eadem nomina cũ fluuiatilibus habeant, specie uerò differant, ut Mustelæ quas Trisias uel Botatrisias Itali uocant: Truttæ, Astaci, Cotti. ¶ Sunt & Conchæ quædam maiusculæ lacubus ac stagnis peculiares: item Cochleæ, Strombi, & Vmbilici parui, &c.



LAVARETVS hic piscis à Rondeletio uocatur, Gallicum uocabulū imitato, id quidē à munditie & candore factum ait, quòd nunquam sordidus sit, sed bene ablutus. Nos Latinius fortè Lautum, cum propter hoc ipsum, tum quòd in mēsarum lautitijs celebratur, appellabimus. Lacuum Allobrogum (inquit) proprius est, ut Burgetij, & Aequebeletij. nec ullus est qui in Italia, Germania, Gallia, aut alibi uspiam uiderit. Bellonius tum ex prædictis lacubus, tum etiam Lemano Lugdunum aduehi scribit. Ego Lauaretum ac similes ei lacustres pisces, uno generali nomine Albulæ complecti uolui: quod ita fingere libuit, quoniam ferè omnes huius generis species & squamis candidi, & carne alba sunt: quanquam nostri priuatim speciem unam Albelen uocant, & aliam Wyßfisch, &c. Ex his Albularum formis diuersis, unam esse Lauaretum Allobrogum non dubito: præsertim nobilem illam quæ Constantię Adelfisch appellatur, & apud nos ein Wyßfisch od' Wysser Blawling. Piscis idē nondū adultus Constātię ein Sandgangfisch, nostris ein Blitzling nominatur. Cum Lauareto quidem hic piscis conuenit candore, & nobilitate, in genere Albularum: & descriptione tota à Rondeletio posita: nisi quod fel eius iecori deesse non puto: hoc enim Lauareto suo Rondeletius negat: Bellonius uerò hepar album ei attribuens, unius tantùm lobi, in eius dextro latere fellis uesiculam adsutam esse scribit. Genus hoc totum an Cephalos aut Leuciscos lacustres appellare possimus, considerandum. Lauaretum priuatim Albulam nobilem uel Albulam candidam appello. Vide plura mox in Albula cœrulea.

ALBVLA cœrulea, F. Bezola Rondeletio, nomine Sabaudis usitato. Bisula Bellonio, qui Lauareto proximè posito eam comparat. Mihi quidem species duæ unius generis proximi uidentur. Lege præcedentia proximè.

GALLICE. Bizole uel Bissole Sabaudis in Lemano.

GERMANICE. Species hæc Albularum (fortè & genus totum) alicubi nimis communi nomine Bratfisch dicitur, ab eo quòd ad cibum ferè assari soleat. alibi meliùs Felcken/ Felchen/ (quidā nuper Latinè Falcones temere nominauit:) & à subcæruleo colore Blawfelcken/ Blawling/ (quanquā nonnulli etiam Leucisci fl. secundam speciē sic uocitāt.) itē Balhenen/ Baal/ Albock/ Renchen. Albularum cuiuscunq; generis pisciculi parui adhuc, à nostris nūcupatur Migling: à Dunensibus in agro Bernensium Büchfisch: alibi Stüben: ad Lucernensem lacum cum digitales iam sunt, Nachtfisch: deinde post annum, Edelspitzling/ postea Edelfisch: deinde ein halbgewachsne Balhen, postremo ein Balhen. Constantię uerò ad Acronium lacum primo anno dicuntur Seelen, (alij leuciscos fl. secundi generis adhuc pusillos sic uocant:) Lindauiæ Mydelfisch. secundo Stüben, tertio Baalen/ Balhen uel Gangfisch/ uel Wattfisch, (in ueteribus quibusdam instrumentis & scriptis publicis Latinè sed indoctè conscriptis, Vadipisces nūcupantur.) Quarto Renchen, Lindauiæ. Quinto Halbfisch, ibidem. Postremo gantze Felchen uel Blawling. Rursus nomen Gangfisch commune est ad tres species. quidam enim dicuntur Constantiæ Sandgangfisch, ijdemq; adulti Albulæ nobiles, Adelfelchen. alij Grüngangfisch, ex quibus Albulæ cœruleæ fiunt, Blawfelchen. Alij Wyßgangfisch, id est, Albulæ candidę quæ nomen nō immutant: neq; ad aliarum magnitudinem accedunt, cum longissimus ex eis dodrantem parum excedat. Cœrulei nostri quo tempore Percarum fœturam ceu pascua sua secuti è superiori lacus parte descendunt, circa initium Maij, Weydfisch dicūtur, hoc est, Pascales pisces: Randecker uerò nominant piscatores quidam illos, qui oblongi & graciles sunt.

Audio Albulas nobiles in Acronio lacu minùs profundè, propiusq; ripam agere quàm cœruleas, & reti inclusas ubi se senserint, ad aquæ superficiem tendere: cœruleas contrà, deorsum. Nostras uerò cœruleas, tanquam specie diuersas, nobilibus magnitudine & natura similes, in superficiem quoq; similiter ferri, &c. Ita in diuersis lacubus diuersæ, & quibusdam fortè peculiares huius generis species sunt.


Bizole generale nomen est circa Lemanum lacum: & species comprehendit Blanchets, Pallaes, Ferra, Bondalle: fortè & Groen de ue, id est, Rostrum uituli. hunc enim piscem similem esse aiunt Bizolæ, nisi quòd rostro differt, quod nescio quomodo uitulinum repræsentet.


Aiunt

Aiunt præterea quoddam Bizolarum genus in Lemano Grauenze dictum, à cæteris dignosci quadam asperitate cutis utrinq; proximè dorsi spinam: Nouembri et Decembri maximè capi cum in signibus lactibus, idq; in sinibus humilioribus, id est, non altis, quos sinus isti uocant bennas.

Aliud etiam in eodem lacu Bizolarum genus uulgò Bondalle nominant. hæc ab alijs Bizolis (ut Io. Ribittus me docuit) hoc differt, quod & pinguior est, & crassiore gutture, adeò ut gutturosam uocent Bondallam, idq; præcipuè Augusto mense.

Hunc piscem nostri uocant ein Butz: Constantienses Kirchlin uel Kilchen: & paruos in eo genere Kilchenstüb, quos tamen maiores esse aiunt Hegelis nostris, qui in toto Albularum genere minimi sunt.






ALIA species Albulæ lacustris, magnitudine cubitali, ut scribit Rondeletius. Farra (inquit) uel Ferra, uel Pala ab accolis Lemani dicitur: carne candida & suaui, quæ Lauaretorũ Truttarumq; carni non cedit. Effigies quidem eius à Lauareti effigie, ut Rondeletius ambas exhibuit, nihil differre uidetur. Amicus quidam noster in Catalogo Lemani piscium, Palã & Ferram species Bizolæ diuersas facit: & Ferram longissimè à ripa capi scribit.


GERMANICE. Ein grosse art der Felchen/oder der Wyßfischen / oder Wyssen Blawlingen.

ALBVLA parua, quæ à noſtris ſimpliciter Albula uocatur: à Sabaudis ad Lemanum Blanchet, ni fallor. Non ſolùm autem paruitate à cęteris Albulis differt, ſed ſui generis piſcis eſt: quemadmodum & Albula minima à nobis dicta.

GERMANICE. Albele, in Tigurino lacu & Gryphio uicino. Nondum adulta, ut Bezola quoq;, (& alij huius proximi generis piſces,) communi nomine uulgò apud nos Migling uocatur. Simillimi (ſi nõ ijdem) his uidentur piſces qui in lacu ad Conſtantiam Wyßgangfiſch, id eſt, Albulæ candidæ uocantur.

Icon hæc Albulæ minimæ bene facta eſt, niſi quòd pinnula parua in extremo dorſo deſideratur.





ALBVLA minima, in lacu Tigurino frequens.

GERMANICE Hägele uel Hägling. Friburgi Heluetiorum (ut audio) Pfärren: quod nomen ad Sabaudicum Ferra, diuerſæ tamen in hoc genere ſpeciei nomen, accedit.

Truttæ lacuſtris imago proxima pagina ſequetur.


TRVTTARVM fluuiatilium ſimul & lacuſtrium differentias expoſui ſuprà Ordinis I. Parte quarta. hîc Truttæ lacuſtris illius quam Truttam Salmonatam in Burgundia uocant, quòd & magnitudine et colore carnis Salmonem proximè referat, effigiem damus. Piſcis eſt magni precij, pinguis & lautus: nec niſi in magnis lacubus capitur. ſub autumnum in flumina aſcẽdit, ut pariat, & roſtro tum incuruato, ſicut Salmones, nomen quoq; mutat apud Germanos.

GALL.


GALL. Troutte Salmonate Burgundis.

GERM. Ein Seeförine. Sub autumnũ ut dixi, incuruato rostro, uocatur ein Ynlăck Anchorago Casśiodori fortaśsis. Lege superiùs in Salmone.

Carpio Benaci.



Trutta lacustris, de qua præcedente pagina leges.




CARPIO Benaci. Grecè circũscribo τρώκτου λιμναίου εἶδος: id est, Truttæ lacustris species, est enim figura, partiũ numero, et carnis substãtia Truttis similis hic piscis, Benaco lacui peculiaris. Est aũt (ne quis similitudine nominis fallatur) piscis hic toto genere diuersus à Cyprino, quem uulgò Carpam uel Carpionem nominant.

Carpio Benaci, & si propè adeò ad Truttæ accedat similitudinem, ut proximæ species censeri debeant, ab ea tamẽ euidentibus internoscitur notis. prominentiori enim rostro, maioribus oculis, candidiori ac turgidiori uẽtre, ac subnigriori dorso est, &c. Saluianus.

ITALICE. Ferunt olim hunc piscem in Italia Pione appellatum: deinde cũ quidam, cui cariùs piscis hic uenditus fuerat, facetè dixisse se car pione emisse, inde uocari cœptum pro Pione, Carpione.

GERMANICE uocari poterit, ein Gardtförine: uel per circunscriptionem ein Seeförinen art im Gardtsee.

Vmblæ minoris icones duæ, ut à diuersis pictoribus non eodem tempore nobis delineatæ sculptæq; sunt. In utraq; hoc peccatum est, quòd dentes non exprimuntur.






VMBLA uel Vmbra lacustris minor. Vmbla uulgò dictus piscis in Lemano lacu, à quibusdam literatis uulgi appellationem sequentibus Vmbilicus uocatur. Sed Vmbla fortè dicta est, quasi Vmbra. habere enim eum aliquam similitudinem cum Vmbra fluuiatili puto, (Bellonius scribit Vmblæ fl. iconem idcirco se non apposuisse, quòd ad Vmblam proximè accedat:) & utrunq; Truttarum generi cognatum esse. à Truttis tamen propriè dictis differunt mollitie & substantia carnis: & quòd lapillos in cerebro habent: quodq; maculis seu punctis carent: fortè & alijs notis, si quis accuratè obseruet. Vmbla alia maior est, eaq; duplex: alia minor, quam hîc proponimus. Omnes lacustres sunt, & in magnis tantùm lacubus inueniuntur: in nostro Tigurino minor tantùm: in alijs quibusdã minor simul & maioris species una, ut in lacu Tuginorum, quẽ Aegeresee nominant, & Lucernano. in alijs fortè, omnes tres, (minor, maior, & maxima,) quod tamen nondum constat mihi. in Lemano maiorem & maximam reperiri testis est Rondeletius: in quo minor (puto) non reperitur. Omnes (ni fallor) dentatæ sunt, tum maxillis, tum etiam lingua: nisi in ea spinas quàm dentes dicere malis. Omnibus (ut puto) color aliqua ex parte rubicundus, unde & nomina Germanica eis obuenerunt. Rondeletius maiores tantùm describit, quas Vmblas uel Salmones Lemani nominat. ego ad Truttarum genus magis quàm Salmonum, eas accedere arbitror. Vt carne molliori & tenera omnes sunt, aptiq; inueterari: ita etiam omnes natura imbeciles, & extra aquam statim intereunt. Vmblis (præsertim minori nostræ) cognatus uidetur Eperlanus Oceani piscis, figura, magnitudine, colore, pinnis, dentibus, mollitie & suauitate carnis, lapillis in cerebro, &c.

Salmones Lemani.

GALL. Sabaudis circa Bielam dicitur Rouson, à colore ut conijcio.

GERM. A nostris alijsq; Heluetijs, **Rötele**: circa Bielam (seu lacum Bipennatium) **Rottele**. nostri alium piscem **Rottele** uel **Rottene** uocant: quem nos Rutilum appellauimus. In lacu Bauariæ **Pitzling** dictus, non alius quàm Vmbra minor fl. nostra mihi uidetur.




SALMO Lemani lacus, ut Rondeletius uocat: ego Vmblam (uel Vmbram) lacustrem maiorem potiùs dixerim. Ore est magno (inquit) non solùm in maxillis dentibus armato, sed etiam sex magnis in lingua: corporis specie Truttis uel Salmonibus similis, &c. aliquando duos cubitos longus Lugdunum aduehitur. Vide superiùs in Vmbra lacustri minore.

GALL. Sabaudis ad Lemanum, Vmble: circa Bipennatium lacum Routte, nomine à Germanis sumpto.

GERM. Heluetijs **Roote**, circa Bielam **Rott**. In Lucernano lacu brachij ferè longitudine excrescit, magis albicat quàm minor, debilis & infirmus piscis. nam si uel parum lædatur, mox ueluti moribundus supernatat.


SALMO Lemani alter, ut Rondeletius uocat: ego Vmblam Vmbramûe lacustrem maximam nominare malim. Lege superiùs in Vmbla lacustri minore.

GALL.



GALL. Lemani lacus accolæ appellant Vmble Cheualier, (id est, Vmbram equestrem,) fortasse ob magnitudinem, prestantiam & robur.

GERMANICE circunloquor ein andere Rooten art/die grösten Rooten. In lacubus nostris reperiri non puto.




CYPRINVS clauatus, à Rondeletio dictus. A Mediolanensibus (inquit) Pigus uocatur piscis, Græcis ueteribus (ut arbitror) incognitus: quamobrem nomine Græco, atq; etiam Latino uacat: etiamsi Plinius huius mentionem fecerit, sed absq; ullo proprio nomine. Duo lacus (inquit) Italiæ in radicibus alpium: Larius & Verbanus appellantur: in quibus pisces omnibus annis Vergiliarum ortu existunt, squamis conspicui, crebris atq; præacutis, clauorum caligarium effigie: nec amplius quàm circa eum mensem uisuntur. Vulgi ergo appellationem sequentes, Pigum nominare possumus: uel, quia ex Cyprinorum est genere, à clauis, qui è medijs squamis existunt, Cyprinum clauatum uel aculeatum rectè uocabimus, ut hoc maximè discrimine à cæteris distinguatur. Hæc ille. Ego Pigum appellatum conijcio, quòd clauis siue aculeis suis pungat, quasi Picum. nam et aui Pico, rostro pungenti, inde nomen esse factum arbitror. Tolosani rostrum uocabant beccum: & nostri uerba becken & bicken pro tundere & pungere, ut aues rostro solent, usurpant. Albertus hos pisces Vergiliades uocat: quoniam, ut scripsit Plinius, Vergiliarum ortu apparent. ¶ Scardua, & Incobia ex Pigis, & Plota, Salena, Benedictus Iouius de piscibus Larij. ¶ De Cyprinis alijs diuersis suprà inter fluuiatiles diximus.

ITAL. Circa Verbanum Pic à uulgo nuncupatur. alijs Pigo uel Picquo: uel etiam Picho, ut Saluianus scribit.

GERM. F. Ein Thornbrachsmen oder Steinbrachsmen/oder Steinkarpfen art auß dẽ Kumersee/oder auß dem langen see.

Albi piscis iconem elegantẽ Saluianus exhibuit: nos omisimus, quòd Capitoni fl. persimilis sit: Albus tamen paulò longior est, proportione latitudinis suæ: rostro acutiore, oculis maioribus: ac dorso magis repando, quod repente ac plurimum à capite extuberat: pinnis subnigris, squamis amplioribus: magnitudine eâdem.

PISCIS hic lacustris (inquit Saluianus) Albo in ITALIA uulgò dicitur, id est, Albus: non est tamen Alburnus Ausonij, qui piscis fluuiatilis est. Eius quidem antiquorum Græcorum Latinorumúe neminem, mentionem fecisse scimus. Albus hîc quanuis Squalo (*Capitoni fl. nostro simpliciter dicto*) persimilis est, ab eo tamen euidentibus quibusdam notis facilè internosci potest, &c. In lacubus tantùm reperitur, ut Trasymeno & alijs non multis.



AGONVS, ut Rondeletius & Bellonius uocant: Latino nomine ad uulgare Italicũ facto: uel ut alij, Aquo. Mollis aquo dēptis uiuere nescit aquis, Benedictus Iouius (Benedicto Pauloq; Iouijs Aco uocatur, Saluianus.) In lacubus quibusdam Italiæ capitur: Chalcis Aristotelis, ut Rondeletio uidetur: quanquam Oppianus & Athenæus marinã suam Chalcidē faciunt. ¶ Chalcidem piscem lacustrem esse puto, qui in Allobrogum lacubus satis frequenter capitur, Lugdunumq; defertur, & Celerin nuncupatur, ob maximam similitudinem quam habet cum pisciculis paruis, Thrissis similibus, quibus abundat Oceanum mare, Celerinos Galli uocant. Eandem esse puto quæ in Italia Sardanella uocatur à maxima cum Sardinis similitudine: cuiusmodi etiam fert Larius lacus, quæ à Mediolanensibus Agonus nominatur, Rondeletius. Celerinos duos Dalechampius medicus Lugduno ad me misit: longos, digitos decem: latos uerò, duos uel paulo plus: oculis magnis, squamis mediocribus, linea sub uẽtre aspera sicuti Thrissa & alij quidã: in Burgeto lacu, ut uocant, captos, marinis figura & gustu omnino similes, nisi quòd aquæ marinę sapor, aquę lacustris dulcedine nõnihil elutus esse uidet. ¶ Hic piscis (inquit Saluianus) ad Alausæ, atq; uulgaris Italorum Sardæ (quam Græci Trichian & Trichiáda appellant) proximè adeò accedit similitudinem, ut ab eis nulla ferè alia nota, quàm magnitudine differre uideatur. illa enim minor, hac uerò maior est. quare cũ Athenæo authore, Chalcis, Thrissa & Trichias, similes existant: Acones (sicuti & Sardonos & Harengos uulgo dictos) Chalcidum generi attribuimus.

ITALICE. Accone, Aquone: & alibi fortè Sardanella. Vide in præcedentibus. Agonos Romæ nomen mutare audio, postquam salsi sunt, & uocari Sardenas uel Sardellas: aut fortè, ut alij proferunt, Salenas. Vide in Sardina mar. Ordine I.


GERMANICVM nomen non habeo, nec in ullo Germaniæ lacu hos pisces capi existimo. Appellari possunt, Welsche Agunen/Agunen auß dem Kumersee. nam qui in Constãtiensi lacu quem Rhenus efficit, Agunen uocantur, pisces diuersi sunt, à nostris Laugelen dicti, secunda (ut reor) Leucisci species Rondeletio. ¶ Ein kleine Häring art/mit einem rauchen strich am bauch. Plura lege mox cum Chalcide altera: & suprà in Harengo, Ordine I. Marinorum.



CHALCIS altera Rondeletij. Epirotæ (& Græci) eundem cum superiore piscẽ Sarachum appellant, quem in lacubus suis capiunt. Huius generis quidam sunt minores, Sardinis uel Thrissis paruis tam affines, ut uix internoscas, sicut pictura demonstrat. Alij ad magnarum Thrissarum magnitudinem accedunt, Rondeletius & Bellonius.

Sunt ex Græcis qui Sarachos uulgò Stauridas uocent.

GERM. Ein andere oder frömbde Agunen oder Häringen art in süssen sehen.



LIPARIS lacustris Bellonij. Est in Macedonia (inquit) lacus, quem uulgus Conium uel Limnũ Pischiac nuncupare solent: in quo Liparides affatim capiuntur: quæ toto habitu Sardinam referrẽt, nisi uentrem magis in latitudinem distentum haberent. His meritò à pinguedine nomen est inditum, quòd uel leuiori ignis calori appositi pisciculi, toti ferè in pinguedinem resoluantur. Lineam sub uentre asperam ac transuersam habent, &c. De hac nimirum Rondeletius sentit, cum scribit: Audio ab his qui nunc Græciam incolunt, Alosam quandam Λιπαρὴν (meliùs Λιπαρίδα) uocari. Linea ei in uentre aspera est, sicut Chalcidi, Thrissæ, etiã alijs quibusdam. De alia Liparide inter marinos diximus, Ordine I.

GERM. F. Ein art der Alsen/oder Häringen/oder Agunen/ wirt in Macedonia in einem sehe gefangen/überauß feißt/ mit einem rauchen strich am bauch wie die anderen yetzgenañten fisch.

PISCIS quidã incognitus, qualis proponit̃ in Tabula Oceani Europæi ab Olao Magno edita, in lacu albo cognomine: qui maximus remotissimusq; ad Septentrionem est, & partim ad Moscouitas, partim ad Suecos uel eis subditas gentes pertinere uidetur. nec aliud additur ab Olao, nisi in eo lacu, (qui cum à mari undique sit remotus, aqua dulci plenus uidetur,) piscium auiumq; species innumeras reperiri.



DE Mustela lacustri, quam uulgò Trisiam uocant, dictum est superiùs inter fluuiatiles, Ordinis I. Parte IIII. in qua LVCIOPERCAM quoq; exhibui, hoc est, Nagmaul uulgò dictum, qui in Bauariæ lacu Ambronis dicto capitur: quoniam in Danubio quoq; capi uidetur, quanquam alio nomine uulgari Schill.


SVNT lacus dulcium aquarum in montanis Lapponiæ, CCCC. miliarium Italicorum longitudine, latitudine uerò C. & ampliùs: in quibus tanta est Luciorum (quanuis & aliorum piscium) copia, ut non solùm alendis hominibus per quatuor amplissima Septentrionalia regna sufficiant, sed etiam latiùs, sale soleq; siccati nauigijs, uelut lignorum magnæ strues in amplam Germaniam uendendi exportentur. Itidem de lacubus Finlandiæ censendum erit, Olaus Magnus.

ANIMALIVM IN DVLCIBVS AQVIS ORDINIS II. PARS II.

DE CRVSTACEIS.

QVAE crusta integuntur animalia in mari multa uariaq; sunt: in dulcibus uerò aquis duo genera tantùm, nobis cognita.

Astacus fl. talis apud Heluetios & Germanos est, maior scilicet, & simpliciter dictus Krebs / *uel* Edelkrebs. *eo enim minor est, & colore diuersus qui Saxatilis cognominatur,* Steinkrebs. *Rondeletij uerò Astacus fl. nostro latior ac breuior uidetur: & caudæ quoque figura differre.*



ASTACVS fluuiatilis: non, ut pleriq; hactenus putarũt, Cancer fluuiatilis. Cancris enim corpus rotundum est, teste Aristotele, sine cauda: uel cauda corpori applicata, non extẽsa. Astacus corpore longo est, Locustis simili, quod capite et collo tabellis distincto constet, Rondeletius.

GRAECI hodie uulgo Caranis uel Caranidia dicitur, à Caride (id est, Squilla) nomine detorto, Bellonius. Matthiolus Senensis Gammarides à Galeno uocari putat, mutuato cum Romam uenisset à Latinis id uocabulum, quòd eo carerent Græci. At Rondeletius καμμαρίδας à Galeno nominatas à Cammaris Squillarũ generis nihil differre putat. ¶ Sunt qui apud ueteres Cammarum dictum rentur: nos Cammarum, maximum duntaxat esse, Squillarum generis, ostendimus.


ITAL. Romæ Gammarella & Gambarus: circa Padum Cammaro ſeu Gammaro, eſt autem in Pado rotundiore & magis crenato quàm in Sequana noſtra corpore, Bellonius.

GALLICE Eſcreuiſſe.

GERM. Krebs. Flandricè Kreuits.

ANGLICE Creuis/Creuiſe/Crauyſshe.

ILLYRICE Kak.



CANCER fluuiatilis. Καρκίνος ποτάμιος.

Cancro fl. carent Galli & Germani: & non ſine errore Aſtacos fl. in Cancrorum uicē uſurpant. Reperitur frequens in Sicilia, Italia, Hetruria, Creta, Nilo, Cilicia. Symeon Sethi fluuiatilem Pagurum uocat, & Galenus Euporiſton 3.

ITAL. Grancio, Granzo. ¶ Granchio Venetijs: & ubi cruſtam exuerit, à corporis mollitie uulgò uocatur Mollecca. è quorum genere ſunt etiam quæ appellantur Macinette, Matthiolus.

GERMANICE dici poteſt ein Krab/Krabbe/Süßwaſſerkrabb. nam Angli Cancrum mar. propriè dictum uocant Crabbe: quem nos differentiæ cauſa uocabimus ein Meerkrabbe. Aſtacos uero, Krebs: & ex ijs marinos, Meerkrebs.

ANIMALIVM IN DVLCIBVS AQVIS ORDINIS II. PARS III.

DE TESTACEIS.

Cochleæ fl. à Rondeletio exhibitæ.


COCHLEAE paruæ: quales flumina & lacus generant, quarum teſta longiuſcula in acutum deſinit, Stromborum modo. Reperiuntur quidem in ripis lacuum noſtrorum Cochleæ perexiguæ: quarum aliæ latiores ſunt, aliæ oblongiores acutioresqꝫ, illas, Vmbilicos lacuſtres: has uerò, Strombos appellaris. Sed Strombi lacuum noſtrorum cornicula non protendunt: foramina quædam in eis tanquam oculi apparent. Pars circa os & uentriculum ruboris aliquid & ſanguinis habet.

GERM. Waſſerſchneckle.

CONCHAE Scoticę margaritiferæ. Inter plurima apud nos Concharum genera, (inquit Hector Boethius Scotus,) quædā paruæ, ac uulgari uſu recentes palato ſuauiſsimæ ſunt, non nullæ maiores, eaqꝫ forma & quantitate, qua ſunt quæ purpuram habent: ſed his illius nihil ineſt, ſaporis tamen ſunt etiam homini delicato haud ſpernendi. At eæ quæ torno faſtigiatas à capite teſtas habent, maculisqꝫ aſperſas, longo interuallo reliquas (ut etiam fœtum ſileam) ſuperāt. Quippe adeò nonnullis in locis ſunt delicatę, ut nō immeritò apud ueteres gulę primatum obtinuerint, & uiduarum uulgò cupediæ ſint dictæ: quanquam in quibuſdam fluminibus, idqúe præſertim Dea Donaqꝫ eſui ineptæ iudicantur. Hæ magno apud nos numero repertæ, limpidiſsimis amnib. ac nul-

ac nullo unquam limo turbidis, qua profundiſsimi ſunt, agere gaudent, in eisq; ſolis Margaritas concipiunt, &c. Sunt etiam eiuſdem ferè generis Conchæ in oris Hiſpanicis, quarum teſtas qui peregre à diuo Iacobo redeunt, adferunt, ſed haud fœcundæ, propterea quòd aqua ſalſa uiuant. Nam & circunquaque in litoribus Scotici maris ingens natat, ſed ſterilis multitudo. Hæc ille.


MUSCULUS aquæ dulcis, reperitur autem maximè in aqua ſtagnante, ferè nunquam in rapidis fluminibus.
GALL. Moule.
GERM. ein Muſchel auß ſüſſen waſſern.




CONCHAE longæ ſpecies in dulcibus aquis: cuius teſtam altera parte eius interna expreſſam hîc exhibemus, alterā nō uidi, ſed binas ſimiles eſſe puto, & ginglymo articulari. Superfi-



cies externa ſcabra eſt: qua adempta interior læuis candicat margaritiferæ conchæ inſtar. Bellonius cum teſtam apud me uidiſſet, Pinnam ſi. uocandam putabat, quòd & erecta ſtet, & margaritas contineat.
GERM. Ein Langmuſcheln iñ ſüſſen waſſern/ſoll Perle halten.





COCHLEA terreſtris: Limax à limo, authore Feſto. Κοχλ῀Ꙩ ἢ κοχλίας χερσαῖ῀Ꙩ. Λεῖμαξ, animal ſimile Cochleæ, Heſychius.

A Græcis hodie uulgò κοχλίος uel σάλιγγας nominatur. Quanquam autem aquaticum non est hoc animal, quoniam tamẽ pleræq; omnes Testaceorum differẽtię aquatiles sunt, à maiore suorum congenerum numero, separare nolui: sicut & Cochleam nudam, quæ proximè sequitur.

ITAL. Lumaca, Lumacha, Limaca: & apud Tuscos, Chiocciola: Venetis Bubalo uel Boualo.

HISPAN. Concha uel Caracól.


GALL. Limasson, Escarcot. ¶ Prouincialibus & Hispanis Scaragol uel Cagarolo, Rondel.

GERM. Ein Schneck/Schnegg/Schnegel. Flandris Slecke.

ANGLICE. A Snayle.

ILLYRICE. Hlemyzd, uel Hlemayzd.

In Liguriæ alpibus pomatiæ, (πωματίαι,) id est, operculares cognominatæ cochleæ, à Dioscoride inter optimas & stomacho utiles numerantur. De ijsdem sentire Plinius uidetur, cum scribit: Est & aliud genus minùs uulgare, adhærente operculo eiusdem testæ se operiens, obrutæ semper terra hæ: & circa maritimas tantum alpes quondam effossæ, cœpêre iam erui & in Veliterno. Matthiolus Senensis pomatias cochleas, uulgares nostras maiores, quæ præcipuè in cibum ueniunt, nominauit, nec ego dissenserim.



COCHLEA nuda maior, quæ ruffo plerunq; colore est, quandoq; nigro. Cur autem hoc loco exhibeatur, lege quæ scripsi proximè cum Cochlea terrestri.

GRAECE σέμιλος uel λεῖψαξ dicitur. sic enim lego apud Hesychium: σέμιλοι, κοχλίαι, οἱ ἄνευ κελύφους, οὓς ἔνιοι λείψακας. Recentior quidam etiam Sesilum (σέσιλον) Cochleam nudam interpretatur, ueterum (quod sciam) nemo.

ITAL. Lumacho, Limaga, Limagot.

GERMANI quidam hoc genus appellant Wägschnecken/ut Carinthij.

Sunt etiam paruæ quædam nudæ, ut quæ gregatim folia sectantur, & hortos infestant, cinerei aut fusci coloris. Et hæ quidem semper nudæ sunt, quod sciam: Ariones uerò Aeliano memoratæ, non semper.

ANIMALIVM IN DVLCIBVS AQVIS ORDINIS II. PARS IIII.

DE INSECTIS.

Nimis crassa hæc figura est: quæ uix setæ equinæ crassitiẽ excedere debuerat.



VERMIS aquaticus, quẽ recentiores aliqui Setam aut Vitulum aquaticum nominant. Hic etsi exanguis Insectorúmne generis sit, dubitari potest, quoniam pellis una continua ei est, nec ita ut Lumbrici mouetur.

Vituli quidem nomen unde factum sit ei nescio: nisi ab eo fortè quòd à uitulis per ætatem incautioribus, nonnunquam in aqua bibatur, magno etiam uitæ periculo. Alij Setam aptiùs uocarunt, siue à simplici & tenuissima corporis oblongi figura, siue quòd è seta equina in aquis putrefacta nasci existimetur. Caput ei nullum esse uidetur: serpit etiam & natat in utranq; partem: unde Amphisbænam aquaticam dixeris, uel à pili setæue similitudine, Trichiam, à recto Trichias. *Amphisbæna aquat. Trichias.*

Fortè (inquit Albertus) è pilis nascitur equorum. hi enim in aqua stãte positi uitam & spiritum accipiunt, & mouentur, sicut multoties experti sumus. Haustus hic uermis ab homine cũ cruciatu, languore (& tabe) uitam aufert: contactu alioqui innoxius. Sic ille. Ego in puro etiam & frigido fonte hunc uermem inuenisse memini: & aliâs in horto super folio quodam. Eosdem & in mari degere putarim. Sunt enim in mari (inquit Rondeletius) uermes huiusmodi, ut nulla alia pictura, quàm linea una continua exprimi possint. nam adeò indiscretas partes externas & internas habent, ut pili tantùm crassiores siue carnosi esse uideãtur: quos animalia esse neges, nisi motu cieri agitariq; conspexeris. ¶ Ololygon, ὀλολυγών, ut Theon Scholiastes Arati scribit, animal est palustre, simplex, indistinctum, oblongum: terræ intestino simile, sed multò gracilius: frigiditate gaudens: ignoratum Aristoteli, qui ololygóna uocat tantùm maris Ranę, fœminã ad coitum allicientis, uo- *Ololygon.*

tis uocem. Sed ololygón pro uoce Ranæ, per onomatopœiam factum est nomen. pro animali uerò palustri, quod iam diximus, fortè παρὰ τὴν ὀλιγότητα, ut ὀλολυγὼν ineptè, alterius nominis inuitante similitudine, pro ὀλιγὼν dicta sit, hoc est, Minutula.

GERM. Wasserkalb, id est, Vitulus aquaticus.

Icon hæc Hirudinis maioris & uariæ est.



HIRVDO, Græcè βδέλλα, ἀπὸ τοῦ βδάλλειν, id est, à sugendo: quemadmodū à Latinis quibusdam Sanguisuga, Rondeletius. Prisci quidem Hirudinem semper dixère, posteriores Sanguisugam quoque. De Hirudine marina dictum est suprá.

ITAL. La Sanguisuca, Sanguetola, Magnata.

GALLICE Sansue.

GERMANICE Aegle, duabus syllabis, Aegel. Inferiores Germani, ut Flandri, Lake, uel Lyckelake uocant.

ANGLICE Horsse leche/uel Horselich/quòd medeatur equorū cruribus admota. nā Horse eisdem Equus est. alij uocant Lowch leache/Blud sucker.

POLONICE Pijauuka.

Phryganium nudum. *Idem sua theca inclusum.*





PHRYGANIVM Bellonij, uermiculus fluuiatilis & marinus. Phryganij quidē nomen quod semel usurpauit Plinius, quodnam esset id animal ignorare se professus, an rectè aquatico huic uermiculo tribuerit Bellonius, iam non disceptabo. ipse quidem sic appellare uoluit: quòd (ut ipse loquitur) phrygana, id est, fremia, cremia, siue festucas, suæ thecæ, filo tanquam araneæ ab eius ore dependente, agglutinans atq; alligans circunponat. Senos (*imò ternos*) utrinq; pedes habet, quibus in aquis etiam rapidissimis incedit, animal tenue, oblongum, paruæ Erucæ simile, quod auidissimè appetunt Truttæ. eodem sua theca exempto, pisces inescantur.

GALLI uocant Charree.

GERMANI Kerderle, uel Kärder: quo nomine omnem quoq; piscium escam uocare solent: et genus unum eorum quod lapidibus infernè adhæret, Steinbyssen, quasi Dacolithos. Et aliud ab his diuersum genus, quod in fundo lacus nostri nec lapidibus hærens, nec thecis inclusum inuenitur, Rückle, quasi Eruculas: alij Querclen & Wasserleüß, id est, Pediculos aquaticos.

Bellonius Tineas aquaticas, de quibus mox dicemus, Pediculos aquaticos posse uocari tait.

LIBELLAM fl. libuit appellare hoc insectum, à similitudine quæ illi est cum fabrili instrumento, & cum Libella marina. Hæc bestiola parua est admodum, T. literæ figurā referens, Rondeletius. Videtur autem uermibus illis aquaticis, quos Phrygania Bellonius uocauit, cognata.



GERM. F. Ein sunderliche art der Kerdern: ein Wag. kärderle/ein Wägle.

Tineæ aquaticæ, quanquam uulgaris animalculi, iconem in præsentia non habuimus.

LIMVS aquarum uitium est, si tamen idem amnis Anguillis scateat, salubritatis indicium habetur: sicuti frigoris, Tineas in fōte gigni, Plinius. Hermolaus Lampetras uocat fontanas Tineas. ego uerò has Plinij Tineas esse puto, quas nostri Gytzen appellāt, alibi Gypsen/Stabysen/Meschen uel Mäschen/& Wasserschaben: ex quib. postremū Tineas aquaticas significat. Reperiunt in fontib. nō quibusuis, sed bonis & frigidis dūtaxat, presertim Martio mēse. Sunt aūt uermi *Tineæ.*

culi perparui: et quoniã cõglobari conuoluiq; tanq; in arcũ solent, minores etiã apparẽt, ut fallãt ali quando bibẽtes. Colore albicant. Pedibus nitunť plurimis cõtiguis, per totius ferè corporis alueũ, si bene memini ab ore etiam ueluti pedes prominent: ut Multipedes uel Aselli aquatici nominari mereantur: aut etiam Pediculi, ut Bellonio placet. Pedes molliores sunt, quàm ut extra aquam ingredi queant: nisi fortè non mollities in causa est, sed pedum contiguorum multitudo, quos nisi in aqua non facilè diducunt. In aqua mouentur & currunt corpore non recto & æquali, sed in alterum latus inclinato. Retrorsum quoq; incedunt, si bene memini. Cauda oblonga in aculeum desinit. Oculi sunt perexilia puncta alba, cum centro nigro longè minutissimo. Cum potu hausti periculum creant, ut aliqui putant, etiam uitæ. Ventrem ijs qui biberint inflari audio. Iidem sunt uermes Gallicè dicti Scrophulæ aquaticæ (uulgò Agroueles, uel Escrouelles:) hæ si aliquando cũ aqua ab imprudentibus hauriantur, scrophulas (siue strumas chœradésue) ulceratas & exedentes nullo tumore, in gutturis cute, procedente etiam aures uersus interdum malo, & fauces aliquando penetrante, oriri putant. hinc & uermibus ipsis nomen impositum. Hoc scrophularum genus à regibus Gallorum & Anglorum solo contactu curari aiunt.

Scrophulæ aquat.

CANTHARIS uel Pygolampis (etsi noctu lucere non puto) aquatica. Tales in paludibus & fossis circa lacum nostrum per superficiẽ aquæ motu irrequieto huc illuc circa eũdem ferè semper locum mira celeritate se traijciunt: nec in summo tantùm sed etiam profundiùs feruntur. Magnitudine & forma cimices referunt. Crurcula sena habent subruffa. Vaginæ è nigro uirides, præsertim ad Solem, & splendentes, alas tegũt, sed non totas: ad caudam enim alarum extremitas prominet, quæ cum in aqua celeriter feruntur, ut solent, mirabili candore splendoreq; conspicua argentum uiuum quodammodo refert. unde & Pygolampides aquaticas si quis appellet, nomen ipsorum naturæ conueniens posuerit. In acrem si prorepserint, uolare etiam possunt.



GERM. F. Wasserkäferlin/Glyßling.

CICADA fluuiatilis.

Cernuntur in riuulis bestiolæ Cicadis terrenis persimiles, quas ob id Cicadas fluuiatiles nomino, Rondeletius.

GERMANI Cicadæ terrestris nomen non habent: fingi autem potest ein Baumgryllen: & Cicadæ aquaticæ, ein Wassergryllen.



SQVILLA fluuiatilis Rondeletij. Insectũ hoc (inquit) tenui crusta integitur. Cauda in duo lõga et tenuia ueluti fila desinit. cũ Squillis marinis magna ei figuræ affinitas. quare non uideo quo aptiore nomine donetur, quàm Squillæ fl. Sic ille. Sed fortè Gryllus fl. commodiùs nominabitur.

GERM. F. ein Wassermuheime.



ANIMALIVM IN DVLCIBVS AQVIS ORDINIS II. PARS V.

DE AMPHIBIIS,

ET PRIMVM DE QVADRVPEDIB. VIVIPARIS AMPHIBIIS.

ANIMALIVM Amphibiorum alia uiuipara, alia ouipara sunt. Viuipara, ut Castor, Lutra, Hippopotamus. Castorem quidem & Lutram, aliasq; paucas, inter Quadrupedes etiam exhibui, nec repetijssem hîc, nisi tam paucus eorum numerus fuisset. Ouiparorũ alia pedibus gradiuntur, ut Crocodilus, Lacerti, Testudines, Ranę: alia sine pedibus serpũt, ut Hydri. Aues palmipedes, ut anates, mergos, laros, &c. piscibus aut aliter in aqua uictitantes, in terra uerò parientes, & in aere uolantes, unde meritò amphibiæ dicuntur: & fidipedum quęque amphibias, ut Ardeolas &c. quoniam permultæ sunt, inter Auium icones, in suis classibus propositæ, repetere hoc loco noluimus.

FIBER, Castor. Κάστωρ. Canis Ponticus. Kiranides Castorem alio nomine Canem fluuiatilem nuncupat: alij potiùs Lutræ hoc nomen attribuunt. & æquiùs quidem. quandoquidem Lutra pisces inuadit: Castor non item. Plura uide cum Iconibus Quadrupedum.

ITAL. Biuaro.

GALL. Bifre, Bieure.

GERM.

GERM. Biber.
ANGLICE Beuer: quãquam in Anglia reperiri negant.

Icon hæc Fibri, Rondeletij est, nos aliam in Libro Quadrupedum dedimus.

Lutra.



LVTRA, uel Lytra, uel etiam Lutris, ut Gaza uertit. Aristotelis ἐνυδρὶς, ἐνυδρίδος, oxytonum fœmininum. Herodoto ἔνυδρις, ἐνύδριος, paroxytonum fœmininum. Aelianus de animalibus 14.21. κύνας ποταμίους, id est Canes fluuiatiles nominat. Seruius quidem Castorem, Canem põticum uocat. Plura leges cum Iconibus quadrupedum. *Canis. fl.*


ITAL. Lodra, Lodria, Lontra. GERMANICE Otter.
GALLICE Loutre, Leure.



MVS aquatilis quadrupes Bellonij. Magna est ei (inquit) cum Rattis, hoc est, maioribus nostris muribus similitudo: hoc dempto tamen, quòd fœminæ tres excernendis excrementis (urina, fæcibus, fœtu) meatus extrorsum distinctos præ se ferant. Maximos amnes natando traijcit. herbam depascitur. si quando à consueto sibi loco recesserit, ijsdem frugibus uescitur quibus & cæteri mures. Ad Nilum & Strymonem sub noctem sereno tempore deambulantes, Mures huiusmodi permultos ex aqua in ripam concedere, & aquatiles plantas erodere, atq; audito strepitu rursus in aquas demergi multoties conspeximus. Hæc ille. Aquatilium Murium Aristoteles in Mirabilibus meminit: & Theophrastus citante Plinio. Scio in mari etiam pisces quosdam Mures dici: & Murem aquatilem, pro Testudine quoq; accipi: sed Theophrastus disertè Mures terrestres in Lusis Arcadiæ quodam fonte degere tradit. In Scatebra Casinate fluuio frigido, ut in Arcadiæ Stymphali, enascuntur aquatiles Musculi, Plinius. Audio & circa Treuerim reperiri. ¶ Aquaticos mures multos uidimus ad stagna Ligurum Taurinorum. Fœmellę tria sub cauda sunt foramina, à uesica, ab aluo, à matrice, Scaliger. GALL. Rat d'au.

ITAL. Sorgo morgange: id est, Mus mergus.
GERM. Ein Wassermauß/ oder Wasser ratz. ANGL. Watterratte.

Hippopotamus ex Colosso, qui Nilum Aegyptium Romæ in Vaticano refert.




Hippopotamus numismatis Adriani. Facies est Adriani imperatoris. Sphingi innititur sinistra: dextra tenet Cornu copiæ: circa basim Crocodilus & Hippopotamus. in quibusdam etiã Ibides adduntur. Figura tota Nilũ repræsentat.



HIPPOPOTAMVS nomen Græcum est, ἱπποπόταμος: quod tamen Latini etiam pleriq; omnes usurpant. Herodotus duabus dictionibus ἵππον ποτάμιον, hoc est, Equum fluuiatilem, dixit.


xit. Obscurus de naturis rerum scriptor Equonilum, Albertus diuisis dictionibus Equum Nili, & Equum fluminis. ITALI (inquit Bellonius) præsertim qui Constantinopoli degunt, Bo marin, id est, Bouem marinum (*quanuis in mari non degat*) nominant. TVRCAE & GRAECI, utriq; uocabulis suæ linguæ Porcū marinum. Etenim uetus Hippopotami nomen prorsus ubiq; hodie obliteratum est, & ne in Cairo quidem in Aegypto cognitū amplius. Verum aūt Hippopotamum se exhibuisse idem confirmat ex antiquis Aegyptiorum et Romanorum statuis, & priscis imperatorum Romanorum numismatis: in quibus Hippopotami tam exactè repræsentantur, in porphyrite, ære, auro, argento: ut eundem esse quem uiuū Constantinopoli uidi (inquit) nihil omnino dubitationis mihi relinquatur. ¶ Hippopotami historiam (inquit Scaliger) ex nauigationum Commentarijs, quæ cum ueterum ac recentiorum fide conferri queat, adscribā. Hippopotamo Gambræ ꝓuinciæ magnitudo Vaccæ, pedes bifidi, crura breuia. Dentes utrinq; singuli, ex inferiore mandibula surrecto flexu, sesquipede maiores, candore splendoreq; ebori pares: eo præstantiores, quòd ut ebur nunq̃ pallescunt amisso candore. Materiam quoq; firmiorem tradūt. Aethiopicis, Aegyptijs, Africanis, Asini proceritas. De corij duritia alibi à nobis dictum est. Constat è Lusitanorū nauigationibus, pedestris lanceæ perferre ictū sine noxa. Illud controuersiæ præ se fert speciē. Aiunt quidam pilo carere. In Hispanicis libris inuenio & nigros et balios. Et Plin. pilū dat. Legimus in ijsdē narrationibus, deprehēsos in terra duos paucorū Lusitanorū euasisse tela. Mox in mare cū sese recepissent Hippopotami, uirosq; nauigiū cōscendisse cōspicati essent, facto impetu nō solū aggressos audacissimè, sed etiā mordicus latera nauiculę corripuisse. Neq; ictib. deterritos abscessisse, sed maleficij desperatione. In alia nauigatione, remigantiū lembū dorso subuertere conatos, ut præda uescerent. In Aethiopia Troglodytica uocant, Gomar. Huic orationis fluxui nuper scopulus obiectus est ab ijs, qui cicurē Byzantij sese spectasse dicūt. Lōgè nanq; aliā pingunt speciē. Esse corpore suillo, pedib. digitatis, cauda suilla aut testudinea. Pedes quoq; ad Testudinē potiùs referunt. Capite uastissimo. Hiatu tā laxo, ut planè sit illud, quod Aristot. de quibusdā feris, καρχαρόδοντες. Sine ulla iuba. Vt si uelint dedita opera destruere Aristot. historiā, non meliùs possint: qui Hippopotamo inter cætera os ascripsit paruū. Quomodo his simul & Herodoto Plinioq; credemus? quorū alterū in Aegypto, ubi diu fuit, Hippopotamum uidisse credere par est. alter in publicis ludis Romæ spectare potuit. Tum ij neq; Nauigationibus assentiri queunt, de pedū ratione: neq; sibi ipsis, qui in alio libro suillos pedes attribuūt. De exertis quoq; dentibus apud hosce, nihil audias. obtusos enim ꝓdunt. Hæc omnia Scaliger. Io. Leo Africanus nostro seculo de Hippopotamo sic scripsit: Niger ac Nilus flumina hisce beluis referta sunt: quæ forma Equū, magnitudine Asinū, depiles tamen, repræsentant. In aquis perinde ac in terra degūt, noctu saltē in terrā enatantes. Cymbis insidiantur, quæ mercibus onustæ secūdo Nigro ferunt, quas dorsi frequētibus gyris agitatas demergunt. De Boue aūt marino, qui fortè Hippopotamus Bellonij est, sic: Durissima pelle circūdatur Bos marinus terrestri omnino similis: cæterū statura inferior Vitulū semestrē refert. Reperitur in fluminibus Nilo ac Nigro, & à piscatoribus captus diu extra aquā uiuus permanet. Vidi in Alcairo catena publicè collo deductum, quem ad Asnam Nili ciuitatē quadringentis passuum millibus ab Alcairo dissitam captum asserebant. GERM. dici poterit: ein Egiptisch Wasserroſſz/ein Wasserochß oder Wasserschweyn in Egipten.

SYMBOLVM hoc Pierius Valerianus his uerbis interpretat̃. Celebratissima est species illa quæ uisebatur olim Hermopoli: ea scilicet pictura, ut Hippopotamus esset, supra quem sculptus erat Accipiter cū Serpente dimicans. Cuius argumēti significatū id esse tradunt Aegyptiarū literarum periti, ut Typhonē ab Osiride ui domitū, cum de principatu certamen conseruissent, intelligendū autument: per fluuialem equum Typhonē ab Osiride ui domitum, per anguē principatum interpretantes: (*per Accipitrem uerò uim & principatū: quo ille uiolenter sibi quæsito, sæpe per improbitatē tum ipse turbari tū alios perturbare sua sponte uoluerit, Plutarchus in lib. De Iside & Osiride:*) atq; ita improbitatē potiores sibi partes asserere conantē, uirtuti demū cedere subinnuāt. Eâdem de causa cū sacra faceret eo die, quo Isidis aduentus è Phœnicia celebrat̃, fluuialē equum religatū libis incessere per ludibriū cōsueuerant. Non dissimulârim hic Aureoli tyranni tumulū ad pontē Aureolum Insubriæ superesse, à Claudio Cæsare sex elegorū uersuum epitaphio nobilitatum, in cuius conditorij parte prima Hippopotamus sit incisus, quē Serpens cauda mordicus comprehensa cōplectitur. Id puto significare, tyrannidem tandē temporis spacio domitā, &c. Hæc ille in Hieroglyphicis, sub lemmate, Improbitas edomita. Porrò pedésne & ungulæ Hippopotami in hoc Pierij symbolo meliùs expressi sint, an in ijs quas Bellonius exhibuit iconibus, oculatus tantùm testis aliquis probè dijudicarit.



Qui nouum orbem obiuerunt, in flumine Gambra nuncupato, testantur piscem procreari Vituli marini speciem similitudinemq; gerentem, præter caput, quod equinum existit: amphibium: eàdem qua bos fœmina corporis uastitate: sed cruribus longè gracilioribus, bisulcis pedibus: dentibus duobus ad latera eminentibus, qui magnitudine ad duos palmos (*dodrantes, Gillius*) accedãt, instar Apri armatum. Nec alibi quàm hac in regione huiusmodi animal inuenitur, Aloysius Cadamustus Nauigationis ad terras ignotas Capite 44.

Dentes Hippopotami Bellonius equinis comparat: eosdemq; ualidos, oblongos & obtusos esse dicit. unde in mentem mihi uenit dens nescio cuius animalis, quem nuper amicus meus Christianus Hospinianus, uir eruditus, in torrente quodam (ni fallor) agri Tigurini à se inuentum mihi donauit, &c. formam & magnitudinem hîc delineaui.



DE QVADRVPEDIBVS OVIPARIS.

Quadrupedes ouiparæ omnes utraq; crura (anteriora et posteriora) antrorsum flectunt, nisi quòd parum ad latera declinant, Aristoteles Historiæ 2.1. hoc in Chamæleonte & alijs quibusdam pictores nostri non obseruarunt.



CROCODILVS, Κροκόδειλος, Νειλοκροκόδειλος, Δρυδείτης.

ITAL. Crocodilo.

GALL. Crocodile.

GERMANICE Crocodyl/oder Krokodill.

Crocodilus Africę quorũdam fluminum, presertim Nili incola est bestia. ¶ In India quoque multi sunt, Germanicè dicti Allegarden/ ut scribit Hamburgensis quidã in historia Nauigationis suæ. atqui Allegarde nomen Germanicum non est, sed factum (ut conijcio) ab Hispanico Lagárto, quod Lacertũ significat.

Palladius quoq; Crocodilum, Lacertam, quasi generis uocabulo nominat.

Crocodili Aegyptij Chãpsæ (χάμψαι) uocãtur. Iones appellauere Crocodilos, illi generi Crocodilorum (*Lacertorum quorundam*) quod apud eos in sepibus gignitur, quantum ad corporis speciem, cõparantes, Herodotus. ¶ HEBRAICA & ARABICA Crocodili nomina legimus hæc: Zab, Hazab, Thab, Tenchea, Tisma, Altensa, Temsa. ¶ In Arsinoitica præfectura mirè colitur Crocodilus: et est sacer apud eos in lacu quodam seorsum nutritus, & sacerdotibus mãsuetus, & Suchus uocatur, Strabo. Vox quidẽ Suchus accedit ad Scincus, quod nomen est Crocodili terrestris minoris.

Crocodili terr. icon sequente pagina exhibetur.


CROCODILVS terrestris quinam sit reuera, nemo hodie docuit. Ego genus illud Lacerti (cuius pellem ex America allatam doctissimus Ioannes Ferrerius Pedemontanus ad me misit) esse arbitror: qui etiam à Io. Leone Africano Descriptionis Africæ libr. 9. Dub Arabicè nominari uidetur. Vide infrà in Cordy.

Caput ad similitudinem nostri seu uiridis Lacerti factum est, reliquum corpus ad exuuium.




Cordylo Rondeletij. Quoniam autem Scincum quoq; aliqui Crocodilum terrestrem uocarunt; hunc maiorem, illum minorem, discriminis gratia cognominabimus. ¶ Mitto ad te (inquit Io. Ferrerius) pellem Lacerti, quam ad me attulit ex Bresilla regione ultra Tropicum Capricorni Gul. Henrison Scotus: qui illuc cum domino Nicolao Villagagnonio equite Rhodio ante biennium nauigauit, & nuper ad nos rediit. Pellis ipsa ferè ad unam ulnam Gallicam longa est, sed capite caret. Huiusmodi Lacertis illic uescũtur promiscuè omnes. Et, ut refert meus Scotus, carnes illæ nõ minùs sunt gratæ palato, quàm apud nos Testudines nostræ habentur. Sic ille. Pellis ad me missa quatuor dodrantes cum tribus digitis longa est: lata digitos decem. Crus anterius, longum digitos quinq;: posterius, octo. In anteriore digiti quini, situm & fissuram digitorum hominis referentes. in posteriori erant distorti, ut fit in sceletis, sed uidebantur totidem: tres medij æqualis ferè originis: ex quibus interior, breuior: exterior, oblongus erat. duo extremi, inferiores origine, de quorum situ nihil afferere possum propter corij luxationem. Cauda lõgissima in summam tenuitatem abit, interuallis candidis & fuscis distincta. Corpus totum φολιδωτὸν est, multis, paruis, splendidis & læuibus squamis obtectum: quæ in medio uentre maiores & candidæ sunt. Digiti pedum ungues q;, omnino gallinaceos referunt. Alicubi legisse me puto, animal esse amphibium. Dub animal (inquit Io. Leo Africanus) in desertis agens, forma Stellionem refert, aliquanto tamen densius, longitudine brachium, latitudine quatuor digitos explet. Aquam non potat, & si quis aquam in os infundat, euestigio moritur. Oua excludit ad modum Testudinis, atq; ueneno caret. Ab Arabibus in desertis capiuntur. Quin & ego à me comprehensum iugulaui, parum tamen emittit sanguinis. Assatus pelle detracta comeditur saporem, ac gustum Ranunculæ exprimens. Lacertã uelocitate repræsentat, & si inter uenandum, in specum subterraneum cauda foris remanente pellatur, nullis uiribus extrahi potest: uerùm ligonibus dilatato foramine à uenatoribus capitur. Triduo mactatus dum igni apponitur, non secus mouetur ac si recens necatus foret.

SCINCI iconem & historiam in libro De Quadrupedibus ouiparis dedimus.



CORDYLVS Rondeletij. Κορδύλος. Bellonio Crocodili genus terrestre est, haud ita procerum: Aegypto (inquit) & Arabiæ peculiare, reliquis animalibus infensum. Lacertam prouectiorem ac maximam esse dixeris: à qua tamen præter duritiem ac cutis firmitudinem hoc distat, quòd caput crurumq; articulos atq; adeò pedum digitos squamosos gerat. A Nilotico Crocodilo hoc differt, quòd caudam habeat in clauæ modum tuberculis elatioribus asperã, qua corpora, quibus insultat, atrocissimè diuerberare creditur. Hæc Bellonius. Aliqui hodie ficto nomine Caudiuerberam nominant. ¶ Rondeletius Crocodilum terrestrem hoc animal non esse ostendit: putat autem Cordylum Aristotelis esse: cui soli Aristoteles branchias & pedes tribuit. Bellonij icon, quam & Rondeletius posuit, branchias repræsentare uidetur, in Caudiuerbera (quã Græcè Vræo *Caudiuerbera.* *Vræomastix.*

maſtigem dixeris,) non probè, ut credo: nam in deſcriptione earum non meminit, ut neq; doctiſsimus Thomas Eraſtus noſter, qui cõtrectatum à ſe ſceleton mihi deſcripſit. Hoc nimirum impoſuit Rondeletio, ut Cordylum eſſe conijceret. Sed neq; Salamandra aquatica, Cordylus eſt, ut Bellonius putauit. ¶ Caudiuerbera quam uidi (inquit Thomas Eraſtus) Crocodilo ſimilis erat, ſed decuplo ferè minor. Lacertæ ſpeciem putant. Maxillam inferiorem mouet: Ore & capite Teſtudini ſimilis. collo breui, inferiore parte media inflato, &c. Cauda rotunda, in circulos diuiſa miro quodã modo. Squamæ in ea duriſsimæ ſunt, uidenturq; oſſeæ, quadrangulæ ferè & planæ, niſi quòd cauę ſunt leuiter, ut caudam efficiant rotundam: ita una alij coniuncta eſt, ut tegulæ, &c. ſicuti in rudi hac pictura apparet.




Io. Leo Africanus libr. 9. Deſcriptionis Africæ, Dub Lacertum deſcribit, lõgitudine brachij, latitudine quatuor digitorum, &c. qui aſſatus pelle detracta comedatur, &c. capi in deſertis, ueneno carere. Is nimirum Crocodilus terreſtris fuerit. Et mox, Huic ſimile eſt (inquit) animal Gual, ſed paulò grandius: quod in capite pariter & cauda uenenũ gerit. quibus partibus præciſis Arabes eo ueſci ſolent. Deforme & tetri coloris eſt: quam ob cauſam eius carnẽ guſtare ſemper inhorrui. Sic ille. Quærendum autem an Guaral ſit Caudiuerbera noſtra: & eadem Aeliani Phattages, φαττάγης: de qua ille ſic prodidit: Apud Indos naſcitur beſtia, Crocodilo terreno ſimilis, magnitudine Melitenſis catelli: cuius pellis adeò aſpera denſaq; cortice eſt (φολίδα Græcè nominat) ut detracta ei limæ uſum præbeat, & uel æs diſſecet, ac ferrum exedat. Indi Phattagen uocant.

Crocodilus terreſtris. *Phattages.* *Cordylus.*

Verum quidem Cordylum amphibium hactenus nemo oſtendit. unde ſuſpicor peregrinũ eſſe animal: & fortè idem quod apud Babylonios uel Indos reperiri tradũt authores, amphibium animalculum abſq; nomine: quod pinnulis ceu pedibus (quos nimirum aliqui ſimpliciter pedes, ꝓpter formæ aut uſus ſimilitudinem uocarunt) graditur: & quanuis branchias habeat, cibi tamẽ gratia in ſiccum egreditur, cauda ſubinde mobili: capite Ranæ marinæ ſimile, reliquo corpore Gobijs. E fluuijs in terrã exiens ſaltat, & in aquã redit ſicuti Rana. Quare cõpoſito ex piſce & Rana nomine, Piſciranam aliquis accommodato eius naturæ uocabulo appellârit. branchias enim & poſteriora ut piſcis habet: caput, naturam amphibiam, & ſaltum, ut Rana: fortè & caudam Ranę imperfectæ (quam Gyrinum uocant) non diſsimilem. ¶ Cordylus uocatur etiam Scordylus, & Scordyle. Cæterùm Cordyle, uel Cordula, partus eſt Thunnorum.

GERMANICE circunloquemur: **ein Arabiſche art der Heydoxen/dem irrdiſchen Kokodrill nit vngleych / hat ſchüppen auff dem kopf / in den gelencken der ſchenckeln / vñ auff den zechen der füſſen/ꝛc. Ein Stertrürer/** id eſt, Caudiuerbera. **Wonet allein auff dem land/ als ich acht/ iſt doch hie har geſtelt/darumb das es etlich für ein waſſerthier gehalten.**

DE TESTVDINE IN GENERE, DEQVE MARINIS TESTVDINIbus, diximus ſuprà in fine Ordinis XII. Marinorum, qui eſt de Cetis: de terreſtri uerò inter Quadrupedes ouiparas terreſtres.



TESTVDINEM Lutariam (inquit Rondeletius) Ariſtoteles ab ea quæ in dulci aqua uiuit, non ſeiunxit: quam Murem aquatilem conuertit Gaza: quæ dicitur ab Ariſtotele Μῦς, uel fortaſſe ἐμύς. Hæc quam hic exhibemus, in paluſtribus & limoſis aquis, foſsiſq; urbium & caſtellorũ


mœnia

mœnia ambientibus, uiuit. Testudinum (inquit Plinius) est tertium genus, in cœno & paludibus uiuentium. Latitudo his in dorso pectori similis, nec conuexo incurua calyce, ingrata uisu. ἐμὺς, ζῶον ἐν λίμνῃ καὶ ἐν πηγῇ γινόμενον: οἱ δὲ, χελώνην τὴν ἔχουσαν οὐράν. Similis est terrestri, nisi quòd cauda ei longior est, perinde ac in Muribus: à qua Muris aquatilis nomen accepisse crediderim. Testa colore est nigro: aliquot particulis ueluti tabellis pectinatim iunctis constat. Pro arbitrio pedes, caudam, caput, modò exerit, modò recondit. Partes internas easdem habet, quas marina, renes quoque & uesicam Rondeletio: quas tamen partes Lutariæ suæ Plinius negat.

GALL. Tortugue d'aigue à nostris uocatur, id est, Testudo aquatilis, Bellonius.


GERM. Ein Schiltkrott in süssem stillem wasser/als ettlichen gräben vmb die stett vnd schlösser: in pfützen vnd kleinen sehen.

LAT. Rana. ITAL. Rana.
GALL. Grenouille. GERM. Frösch/Frosch/ Hoptzger.



Mirambellum oppidum est Santonicę præturæ. In eius agro tantum pluit Ranarum, ut cumulatim totæ uiæ tegerentur: oppidani neque domo efferre pedem, neque ubi uestigium ponerent, haberent, Scaliger Exercit. de subtilitate 323. ubi pluuiarum insolitarum, ut Ranarum, terrę, lapidum, ferri, materiam proximam non è terra hauriri, sed in ipsis nubibus statim oriri, contra Cardanum disputat. Falsò (inquit) lapidis pluuiam creas tu ex puluere hausto à nubibus, atque in lapidem condensato. & Ranarum ouis in aerem sublatis ranunculas excludi scribis, quibus pluat. quod æquè uanum est. Quippe deductis ex hiatu nouo rupium limpidissimis aquis: ut postridie non gyrinos, sed perfectas ibi Ranas uidimus, in lapidea fossa, quæ ante uillam erat, nullis pridie ouis apparentibus: sic in aere licet eidem Naturæ non ex ouis generare. ¶ Plura de Ranis simpliciter dictis, leges infrà in Diuisione Ranarum ad numerum 7.

RANARVM DIVISIO.



Diuisionis explicatio, secundum numeros.

1. Calamitæ sunt uirides, paruæ, quæ & arbores scandunt: quanquã Plinius uidetur distinguere, cum aliâs, tũ quòd Calamitas mutas & perniciosas facit: arboreas uerò, uocales, nec meminit earum ueneni. Ego inter diuersas Ranarũ picturas habeo missam ab Argentinensi pictore subuiridem quandam paruam, non ita pulchro colore ut Calamites est, sed subobscuro: quæ si non ad Calamitas, fortè ad temporarias referri debet.

2. Bufones propriè dicti similes sunt palustribus & uenenatis Ranis, sed maiores, &c. quare iconem eorum à se omissam Rondeletius scribit. qui tamen non simpliciter terrestre hoc genus facit, sed amphibium ex Plinio: Ranæ rubetæ (inquit) in terra & humore est uita. & Aetio, qui eas ex palustribus terrestres fieri tradit. Quærendum an potiùs non una Rubetæ species, eademque ambigua sit, sed duæ diuersæ: quarum una semper terrestris, altera semper palustris sit. Possunt tamen aliquæ per æstatem, dum aquę suppetunt, ac tepor sinit, in aquis agere: deinde autumno & hyeme in terra se occultare: quod aquaticæ omnes faciunt, præter temporarias opinor.

3. Rubetæ quæ sub terra uel stercore inueniuntur, (inquit Rondelet.) Ranis similes sunt: rostro acutiore, cruribus breuioribus: cute tota tuberosa, maculis multis cinereis notatæ, oculis multùm prominentibus & uirescentibus, &c. Hæc ille. Hæ minores sunt Bufonibus: & Rubetę terrestres minores uocari possunt. Inferiùs in numero 5. genus aliud ei cognatum describemus.

4. Rubeta gibbosa, cum Quadrupedibus ouiparis à nobis descripta est.

5. Cornibus exasperari Rubetarum dorsum, quod Plinius scribit, hactenus non uidi. Gibbosæ tamen Ranæ à nobis dictæ, ossa in dorso cornuum ferè instar eminent. Alia ratione recentiores quidam parum Latini scriptores, Ranam quandam cornutam uocant, à sono uocis, quo cornu seu tubam imitetur quodammodo. In Gallijs est Bufonis genus quod cornutum dicitur, à uoce. Verno tempore prodeunt, & uocem instar tubarum binæ inuicem emittunt. coloris cinerei fusci, (tetri,) in uentre uerò crocei. per totam quoq; Germaniam altissimè clamāt: & falsum est extra Galliam mutas esse. In paludibus putridis degunt, Albertus & author de naturis rerum. Has puto minores Rubetas (uel Ranas uenenatas) palustres esse, de quibus mox (ad numerū 9.) dicam.

Reperiuntur & terrestres argutissima uoce, quam tubæ aut campanæ instar audiri ex longinquo aiunt. satis frequentes circa nobilem Tigurini agri arcem Kyburgam: raræ aut nullæ in uicinis regionibus. Hæ duplo ferè minores sunt cōmuni Rubeta, cæterò similes. Vna mihi allata, (deprehensa sub trunco, ubi se abdiderat, ut lateret per hyemem: Septembris initio,) tergo erat lurido, aspero, uentre ex fusco albicante, oculis aureolis, (sed aureo colore per medium diuiso:) clunibus cruribusq;, sed pręcipuè digitis posterioribus, pilosis. Eas non in aquosis, sed aridis locis degere audio: uere uocem suam emittere & æstate. cum uesperi clamant, noctem sequentem sine pruina futuram certò sperari: autumno & hyeme non audiri. Genus hoc cognatum existimo Rubetæ terr. minori, de qua diximus numero 3. sicut & fossilibus Rubetis, de quibus nunc dicetur.

6. Rubeta fossilis uel saxatilis appelletur, de qua Georg. Agricola sic scribit: Rana uenenata quam metallici nostri ex ignis colore qui insidet ei πυρίφρυνον, (Feüwrkrott/) nominant, in saxis perpetuò quasi condita & sepulta iacet. Altiùs intra terram gignitur: & reperitur modò in uenis, fibris, saxorum commissuris cum hæ excauantur: modo in saxis ita solidis, ut nulla foramina quæ uideri possint, appareant, cum cuneis diuiduntur. In lucem elata primò turget ac inflatur: mox de uita decedit

7. Fluuiatiles, Ranæ (βάτραχοι) simpliciter dictæ, degunt in aqua pura, fluuijs, fontibus, riuulis: suntq; edules. Hæ paruæ & informes adhuc nigricāt. Grandiorum aliæ uirides sunt, alię nigricant, aliæ flauescunt, Rondeletius. Inueniuntur autem in paludibus quoq; & stagnantibus aquis. Aquaticæ illæ quæ præ cæteris in cibum admittuntur, uirides sunt, nigris passim aspersæ maculis. Sunt & subliuidæ atq; subcinereæ quædam aquaticæ; quæ partim uocales & edules sunt, partim mutæ, & non eduntur, ut Georg. Agricola scribit.

8. Palustres Ranæ, uenenatæ cognominandæ: ut ab innoxijs, quæ & ipsę in paludibus reperiuntur, discernantur, βάτραχοι ἕλειοι Græcis medicis: Aristoteli fortè πηλματιαῖοι βάτραχοι, Gaza Ranas lutarias uertit. Has Dioscorides Rubetis siue Phrynis coniunxit, tum ob corporis figuram nō dissimilem, (magnitudine quidem inferiores sunt:) tum ob uim æquè perniciosam, Rondeletius: ex cuius libro figuram quoq; eius mutuati ponemus.

9. Proximè dictis minores sunt, quæ à nostris Güllenkröttle, id est, lacunales Rubetulæ dicuntur: & Möüle, inde puto quòd dorsi uentrisq; coloribus Salamandras aquaticas (quas indocti Scincos putant) repræsentent. Hæ semper sunt paruæ: & uiuunt in lacunis & aquis corruptis, sicuti de cornutis suis Albertus scribit, cuius uerba proximè recitaui, (nec puto has ab illis differre:) uentre pallido siue citrino, punctis quibusdam discolore: & suo quodam sono uocis utuntur. Has Aristoteles in Problemat. Ranas paruas Rubetis similes appellat, (μικροὺς βατράχους φρυνοειδεῖς,) quarum multitudo annum morbosum futurum significet: quanquam has Rondeletius διϊπετεῖς facit.

10. Latent hybernis mensibus in terra Ranæ omnes, exceptis temporarijs istis minimis, (Germani uocant Reynfröschlin,) quę latent in cœno, & reptant in uijs ac ripis. Hę enim quia non ex semine genitali, sed ex puluere æstiuis imbribus madefacto oriri uidentur, diu in uita esse non possunt, Georg Agricola. Fortè autem temporarię æstiuæq; Ranæ, non unius generis sunt, sed tū ex fluuiatilium genere, tum Rubetarum, præsertim minorum palustrium: aut saltem utrisq; similes. Lege etiam superiùs ad numerum 1. huius diuisionis.

11. Διϊπετεῖς, quasi à Ioue, id est, cœlo cum pluuia demissæ. De his leges etiam suprà, Scaligeri uerba, quæ cum Rana fluuiatili recitauimus. Plinius quidem Ranas diopetes (alij dryophytes legunt) cum Calamite alicubi confundit. Rondeletius φρυνοειδεῖς et διοπετεῖς easdem putat: ego Phrynoides in ipsa terra ex eius putredine generari dixerim: διϊπετεῖς (*sic enim malim per ι. in antepenultima, quàm per ο.*) uerò in aere & nubibus gigni, utrasq; automatas.

Aquatilium Ranarum icones hoc in libro posuimus: terrestrium uerò, in libro De quadrupedibus ouiparis, ut Rubetæ minoris, & Gibbosæ, & Calamitæ.


RANAE

RANAE fœtus caudatus, Græcis Gyrinus, Nicandro Gerynus. Ranarum aquaticarum (tum uiridium, tum illarum quæ subliuidæ sunt) fœtus (*nati scilicet recens ex ouis*) sunt primò carnes paruæ, rotundæ, nigræ: dein oculis tantùm et cauda insignes: quas Nicander quia caudam mouent, μολουρίδας: Aratus, quia rotundæ, γυρίνους: alij Græci βατραχίδας, quasi dicas ranunculos, nominant. quorum postea figurantur pedes, priores ex pectore: in posteriores finditur cauda, Geor. Agricola. Ab his factum est prouerbium, Rana gyrina sapientior. Ranę quidem cum tribuatur loquacitas (inquit Erasmus) quæ stoliditatis solet esse comes, minimum mentis inesse oportet gyrinis, quos uix deprehendas animal esse, nisi mouerentur. Plato in Theæteto de quodam: Nos illum (inquit) propter sapiẽtiam tanquam deum admirabamur: at ille nihilo magis antecellebat prudentia quàm Rana gyrina.



GERMANICE Rosszkopf/Kaulkrott/Kulpoge.


RANA palustris uenenata, uel Bufo aquatilis. In palustribus locis & putri fœtidoq́ limo oppletis nascitur, Rubeta siue Phryno terrestri minor. Venenum eius mala symptomataq́ eadem sequuntur, quæ Rubetæ, ut tradunt medici. Vide suprà in Diuisione Ranarum ad numerum 8.



GALLICE Crapau d'eau.

GERM. Ein Wasserkrott / wonet in lachen/ pfützen/vnd faulen wasseren/den irrdischen krottẽ änlich/ aber kleiner.

LACERTVS aquatilis, Salamandra aquatica, Lacerta palustris uel lutaria. Qui Cordylum Aristotelis existimant, falluntur. Medici & Pharmacopolę imperiti, pro Scincis eos supponũt, pro remedio uenenum. Vidi hîc impudentes Pharmacarios (inquit Scaliger) ante aduentum nostrum ex Cordulo oleum pro Scorpionum oleo parasse.






ITALI quidam Salamandram hanc bestiolam uocãt, similiter ut terrestrem: alij Marasandolam, transpositis nimirũ literis, & forma diminutiua: nisi quis à Marasso (sic Viperam uocant) deductum hoc nomen malit, Bergomi Cercalinam; circa Vincentiam Salamandram uel Tarantulam.

GALLI. Tac, Tassot.

GERMANI Wassermolle.



HYDRVS, id est, Serpens palustris aut fluuiatilis Rondeletij. ὕδρος. Gaza Natricem conuertit. Vocatur & Chersydrus, quoniam in aqua & in terra degit: & Enhydris Plinio. Enhydris (inquit) uocatur à Græcis coluber in aquis uiuẽs. Aristoteli uero Enhydris (ἐνυδρὶς) est Lutris uel Lutra quadrupes. Qui primùm Hydrus est serpens, postquam aquas reliquerit in terra Chersy

Natrix.
Enhydris.
Chersydrus.

drus fit. Hydra fœmina est Hydri. Aelianus Hydras in Corcyra procreari dixit, serpẽtes uel affla tu uenenosas: qui Chelydri uel Dryini uidentur. Boa serpens est aquatilis, quam Græci Hydron uocant, à qua icti obturgescunt, Festus. Hydrum Gaza è Theophrasto Colubrũ uertit nimis com muni uocabulo. Angues aquarum sunt, serpentes terrarum, dracones templorum, Seruius in 2. Aeneidos. sed authores hæc omnia multò communiùs accipiunt. ¶ Hydra (inquit Io. Leo Afri canus) serpens est curtus, cauda tenui, & circa collum gracilis. in Libyæ desertis agit. Virus habet perniciosissimum: neq; aliud morsui remedium ferunt, quàm eam membri partem excindere, pri usquam uirus in reliqua membra penetret.


Boa.

ITALICE Marasso de aqua.

GERMAN. Georgius Agricola Boam facit domesticam & uernaculam Natricẽ: & Germa nicè interpretatur, ein Vnke. Hydrum uerò Chersydrum & Natricem, ein Nater/ alij Wasser-nater/ Wasserschlang/ grawe Wasserschlangẽ. Eliotæ ANGLO Chelydrus est a Sea snay-le, hoc est, Marinus serpens. Non probo. Meliùs Watter ader.

POLONICE Vuodny uuaz, id est, aquatilis serpens.

¶ Reperiuntur apud nos Hydri etiam in calidis thermarum aquis.



HYDRI Chersydriue (ni fallor) genus aliud, quod torquatum cognominauimus. Serpẽtis hoc genus satis frequens apud nos in terra est: sed in aquis etiam reperiri audio, & apparere interdum per lacum à felibus denominatum nostris, ueloci natatione traijcere. Colore ferè cinereo est, & ad magnam longitudinẽ peruenit, crassitie minori quàm nigri (uernaculi scilicet, Orophię, Myagri) nostræ regionis serpentes. Nota eius insignis, in collo macula cãdicans è pallido, torquis instar, non tamen absoluẽs circulum. inter utrasq; maculas in summo ceruicis angustum est interstitium, duarum fortè squamularum, ubi maculæ utrinq; tanquam trianguli forma in acutum desinunt. Maculæ nigræ splendidæ utrinq; singulæ post torquem sunt, &c. Has Natrices torquatas aliqui nostratium Natern: alij Hecknatern, id est, Natrices mordentes & uenenum infligentes uocant: inferiores Germani, præsertim Flandri Schnacken. Iidem uaccarum ubera (ut ueteres de Bois scribunt) ab his serpentibus sugi aiunt, & postridie sequi sanguinem. Eosdem aliquando in dormientium ora irrepere fertur: & homines illos, quos subierint, suauiter canere. elici autem serpentes, si supra lactis feruidi uaporem hiantes se contineant. Non morsu tantùm, sed astrictione etiam partium quas inuaserint, nocere audio: degere fermè in pratis & locis umbrosis: interdũ in aquis. uocem edere satis sonoram, similem rubetarum quarundam uoci, sed magis continuam & suauiorem.

Iconem require in pagina sequente.

HYDRA monstrosa. Hydrã septicipitem esse (inquit Nic. Erythræus) tam uerum est, quàm Castorem & Pollucem ortos ouo, Plutonem in inferno regnare, natos è serpentum dentibus armis instructos homines, &c. Hæc autem admonuimus propter nonnullos usq; adeò rerum imperitos homines, qui proximis diebus Venetijs Hydram septem capitibus terribilẽ, ad poetarum exemplum summo artificio fictam, spectantes horruerunt, etiam de tam terrifico mõstro naturam ipsam uehementer accusantes, Hæc ille. Videtur autem de fictitio illo monstro sentire, cuius hîc figuram damus, qualis in charta quadam typis impressa & euulgata est. Inscriptio erat hæc: Anno à Christo incarnato M. D. XXX. mense Ianuario serpens monstrosus, cuius typum imago hæc cum magnitudine, tum colore refert, è Turquia ad Venetos perlatus: deinde Francorum regi datus, sexq; millibus ducatorum æstimatus est. Additur & interpretatio authoris innominati, tanquam hoc portentum aliquid rebus Turcicis minetur. Sed diuinator hic primùm résne uera an

Ein sibenköpfige schlang.



ra an ficta esset, quærere debebat. Mihi cum Erythræo planè commentum artis uidetur. Auriculę, lingua, nasus, facies, toto genere à serpentium natura discrepant. quòd si figmenti author, rerum naturæ (quæ in ipsis etiam monstris plerunq; non undiquaq; degenerat) nō imperitus fuisset, multò artificiosiùs potuisset imponere spectatoribus.

GERM. Ein Wasserschlang mit vij. köpfen/soll auß der Türckey gen Venedig gebracht seyn worden/ vnnd da offenlich gezeyget/ im jar M. D. XXX. Aber es beduncktdie verstendigen d' natur/kein natürlicher/sunder ein erdichter körpel seyn.


FINIS AQVATILIVM ANIMANTIVM ICONVM AC NOMINVM.

ADDENDA QVAEDAM SVIS LOCIS OMISSA, QVIBVS ETIAM PAVCVLA QVAEDAM EMENDANDA INTERSERVNTVR.

Numerus prior paginam, posterior uersum denotat.
A. addendum. L. legendum.

12.26. post hæc uerba, inter saxatiles censeantur. A. Mnesitheus apud Athenæũ Scorpios quoque saxatiles facit: nõ rectè. Philotimus enim eos duræ carnis esse scribit, quod approbat Galenus, (saxatiles uerò duræ carnis non sunt,) & in saxatilium penuria eos substituit. Sed plura de Scorpiis dicemus infrà Ordine V.

In eadem pag. 12. post uersum 31. apponenda fuerat Scari lati uel oniæ Rondeletij icon hæc.




24.24. A. Sacrum quidem piscem grammaticorum alij Anthiam interpretati sunt: alij Callichthyn, alij Callionymum, alij Ellopem, &c. inde nimirum factum est, ut imperitiores aliqui, etiam ex Græcis grammaticis, (ut apud Athenæum libro VII. apparet,) omnia hæc nomina Anthiæ attribuerint. Nos Aristoteli, Oppiano, Dorioni, qui authores de piscibus ex professo scribentes, illos omnes inter se distinguũt, potiùs quàm grammaticis, tot homonymias nobis introducentibus, fidem habebimus. Plura leges infrà in Stromatei specie altera. 28.51. post Saluianus A. Percam quidem fluuiatilem sui generis esse constat, nec subire è mari: quanuis nomen idem habeat cum marina propter aliquam similitudinem. 31.8. ad finem Ordinis II. Marinorum A. VARIATA Io. Caij, cum non maior sit Alburno, quanuis saxatilis, Ordine I. reposita est. Pag. 35. Lemma Hirundinis Rondeletij, sic est legendum. *Hirundo Rondeletij: eam Miluus à Bellonio pictus pro piùs refert, quàm Hirundo ab ipso exhibita. Miluus autem Rondeletij diuersus est. Bellonius quidem Mugilem alatum pro Hirundine accepit.* 36.61. post Lendole, notato commate, A. ut scribit Bellonius: & conueniunt quidem hæc nomina Hirundini ueræ, hoc est, Rondeletij: quãuis à uulgò (quod secutus est Bellonius) Mugili alato tribuantur. 38.32. post hæc uerba, Callionymum uocari scribit, nota geminum, & A. qua de re sententiam nostram superiùs in Anthia requires. 40.41. A. nihil certè uerisimilitudinis hæc effigies habet. 41.53. post, Bellonius. A. Chromis, Pagrus, Erythrinus, Hepatus, Orphus, Anthias, Dentex, Synagris, similes sunt, Gillius ex Athenæo. Huic similitudini adiunxerim Characem, Synodontem, Coracinum, Scarum, &c. 42.2. A. Vide mox in Germanicis. Et mox uersu 3. A. Bramæ mar. nomen ad quosnam pisces extendatur, aut extendi posſit, à Gallis, Germanis & Anglis, proximè retro in Gallicis Auratæ nominibus dictum est.

46.59. post, confuderunt. A. De Phagri quidem similitudine cum Dentice, & quòd aliqui ętate tantùm differre putent, ita ut iunior dicatur Phagrus, &c. leges mox in Synagride. 57.45. A. Mys quidem fortè dictus fuerit, quòd mordeat instar Mûris. nam & Mus, licet paruus, morsu tamen se defendit contra hominem: aut quòd dentes fortè murinis similes habeat. 60.22. pro Callichthye l. Callichthyn. 75.58. A. ¶ Hippurus Oceani, siue idem huic, siue cognatus piscis, describetur à nobis in fine Ordinis VIII. Anarrhichæ nomine.

Pag. 76. Asello Rondeletij subiungi debet icon hæc, *quam sequenti pagina, cum sua inscriptione, requires.*

82.20.

Aselli primi siue Merlucij iconem hanc Venetijs nactus sum, ubi Mollo nominatur.



81.20.pro, Caput I. Os.

Pag. 87. ad finem Ordinis quinti addenda erat piscis hic sequentis cum sua descriptione icon.

Andreas Theuetus Descriptionis Americæ capite 67. quod de Insula Muriũ inscripsit. Iuxta hanc insulam (inquit) & totius Americę oram inuenitur piscis quidam rapax, & Syluestribus (hominibus illic degentibus) terribilis, Leonis aut Lupi famelici instar. Houperou sua lingua nominant. Deuorat is alios pisces, uno tantùm excepto, qui paruo Cyprino æqualis, assiduus illi comes est, siue occulta quadam naturæ consensione: siue quoniam cum eo tutus securusq; degat, ut nihil ab alijs piscibus ei sit metuendum. Huperus ille hominem quoq; in mari piscantem (solent autem illi nudi piscari) si consequatur, demersum strangulat, aut saltem corporis partem quancunq; dente cõtigerit, laniatam aufert. Ab eo Syluestres in cibo abstinent: si quando tamen uiuum comprehenderint, quod faciunt aliquando se ulciscendi causa, sagittis confodiunt. Hæc ille de Hupero, cuius formam non exprimit, ego ex Canum genere esse diuinârim. Et mox de alio eiusdem regionis pisce, cuius effigiem quoq; ex libro eius mu-

Huperus homicida.



tuati hîc addimus. Et cum aliquandiu adhuc (inquit) ijs in locis moraremur, inter alios pisces peregrinos, quorum nullus apud nos reperitur, duos uidi ualde monstrosos, à quorum gutture barbæ instar tanquam gemina caprę ubera dependebant: reliqui uerò corporis speciem adiuncta hîc pictura repręsentat. Hucusq; Theuetus: nos ab ea quam ei tribuit forma Aegomastum uel Mastopogonem nominare hunc piscem poterimus.

Aegomastus. Mastopogon

Pag. 93. pro uersu 42. & duobus sequentibus delendis: ita l. Est in litoribus Noruagicis (inquit Olaus magnus in Historia regionum Septentrionalium: ex quarum Chorographia seu Tabula per eundem authorem edita, iconem quoq; adiunximus) uermis glauci (al' flaui) coloris, longitudine XL. cubitorum, & ampliùs, uix spissitudinem infantis brachij habẽs, is lineę modo, ita ut eius progressus difficulter percipi queat, per mare se trãsmittit, nemini noxius, nisi humanis manibus pressus: unde contactu tenerrimæ cutis eius tangentes digiti intumescunt. Vexatus & detentus à cancris, tortuosum cursum euadendi gratia attẽtat: sed frustra. Cancer enim brachijs suis, quasi den


ticulatis forcipibus, tum etiam pedibus, ita eum stringit, ut nō secus ac nauis anchora demissa, firmetur. Hunc uermem sæpius uidi, ab eius tactu nautarum informatione abstinens.

Pag. 94. pro primis tribus uersibus delendis, sic 𝔩. Qui naualibus exercitijs (inquit idē Olaus) in litoribus Noruegiæ uel mercaturæ uel piscaturæ operam nauant, concordi testimonio stupendam sanè rem asserunt: Serpentem uidelicet uastæ molis, ducentorum pedum & ampliùs longitudine, ac uiginti pedum spissitudine, in rupibus & cauernis ad oras maris Bergensium uersari: qui uitulos, agnos, porcos uoraturus, ab antris, solùm lucido noctis tempore per æstatem exit: uel polypos, *(sic uocat astacos,)* locustas & genera marinorum cancrorum ut deglutiat, maria trāsmittit. A collo deinceps dependentes pilos cubitalis longitudinis habet, squamasq; acutas, atro colore, & flammeos oculos rutilantes. Hic nauigia infestat, hominesq;, se in sublime instar columnæ erigens rapit, ac deuorat: neq; id sine portentoso spectaculo regni, instante mutatione euenire solet: nempe cum principes fato cōcessuri sunt, uel in exilium turbandi, aut bellicus tumultus e uestigio imminet. Hæc ille in Historia. In Tabulæ explicatione hæc etiam ab eo adduntur. Nauim ab hoc Serpente inuolui aiunt tantam, &c. Ibidem uersu 6. Lege: Figuram, qualis in Tabula ab eo edita pingitur, in fine præcedentis paginæ posui. Et mox A. Est & alius (inquit idem Olaus) miræ magnitudinis Serpens, in insula 𝔐oos dicta, diœcesis Hammerensis: qui ut cometa Orbi reliquo, sic is regno Noruegiæ mutationem portendit, prout uisus est anno M. (D.) XXII. altè super aquas se extollens, atq; in modum sphæræ se conuoluens. Existimatus est hic serpens, coniectura collecta ex longinquo uisu, quinquaginta fuisse cubitorum: quem expulsio regis Christierni, atq; grauis prælatorum persecutio sequuta est: imò excidium patriæ demonstrauit. Et rursus: Nigri coloris serpentes partim aquas, partim terras inhabitant, partim tubera in paludib. existentia, (Gothicè 𝔗uuar dicta,) partim rupes petrosas aquis contiguas. Hi serpentes de genere aquaticorum sunt, atq; noxij existunt. 117. 41. l. ouipara. 143. 3. post Scazone, A. (quo nomine Cottum fl. alij nuncupant.) Pag. 154. ad finem A. Quanquam autem fluuiatilis & Nilo peculiaris hic piscis existimatur, marinis adnumeraui, eò quòd in fluuijs nullos alios ei cognatos reperiamus, in mari uerò aliquot, ut sequuntur. 160. 54. A. Quæ pulmonibus spirant, squamas non habent, Rondeletius. Pag. 164. addendæ erant Phocæ icones duæ: quę hîc subijciuntur, utraq; à Rondeletio exhibitæ, & ad uiuum diligenter expressæ: una (A.) Phocæ mediterranei maris, altera (B.) Phocę Oceani. De Phocis plura leges apud Olaum magnum.

A.




B.



168. 51. A. Hunc cetum (inquit Olaus Magnus) à nobili quodam Anglo uerè descriptum, litora Noruegiana inter Bergensium ac Nidrosensium oras, cōtinuum ferè domesticumq; hospitem habent.

Ad finem pag. 172. Hoc in loco reponendus est Cetus, quem illustris uir D. Sigismundus Liber Baro

ber Baro ſcitè depictum mihi donauit: ipſe uerò ab egregio uiro Matthia Hofero, ex Oppido Tyben unà cum deſcriptione eius acceperat. Illic à uulgo Balęna exiſtimatur.



Nuper (inquit Hoferus) Kalend. Iunij, (die ſabbati noctu) anni Domini M. D. LV. prope Piranum oppidum, in ualle Siciolenſi, ſinu Tergeſtẽſi Adriatici maris, deprehenſus eſt piſcis uiuus in uado hærens, ita ut propter aquam moli ſuę non ſatis profundã, (quanuis ad quatuor paſſus profunditas erat) natare non poſſet. Itaq; occiſus bombardis, haſtis, uncis, & alijs inſtrumentis, ad prędictum Venetæ ditionis oppidum cum plurimis nauibus in aqua deductus, & in litus protractus eſt. Pellis eius ſine ſquamis erat, alutæ elaboratæ ſimilis, colore plumbi. ipſe lõgus paſſus quatuordecim: craſſus uerò per corporis medij ambitũ, paſſus octo. Mandibula inferior, lõga pedes XIIII. dentibus quadraginta quatuor inſtructa: quorum ſinguli longitudine & craſsitudine æquabant maximas pyramides ligneas illas, quibus in Pyramidum ludo (globo ligneo prouoluto ſternẽdis) utuntur: Hi omnes appendebant centum libras, (XVI. *unciarum nimirum.*) Superior uerò mandibula uacua & ſine dentib. inferioris dentes claudẽdos in ſe recipiebat. Cauda lata pedes tredecim, & iuxta proportionem ſatis craſſa, cum appendicibus quibuſdam clypei inſtar rotundis. Oculi paulò minores ferè equinis, aſpectu obſcuro. Caput longum tres paſſus. Rictus latus paſſum unum, et ſimiliter lingua. Pinna etiam *(eo loco quo branchiæ in piſcibus eſſe ſolent)* eiuſdem longitudinis. Membrũ genitale, longum pedes quatuor. Teſticuli magnitudinis pilæ triginta librarum. In ſummo capite foramen dodrantis longitudine, ſed inflexum inſtar nouæ Lunæ: quo aquã eiaculabatur, ita ut mediocrem nauem proximam, repletam demergeret. Incolarum aliqui ſimiles piſces priùs etiam ſibi uiſos aiebant, & nominabant Balænam: *(alia eſt Rondeletij Balæna barbata, &c.)* ætate non excedere triennium, ac multò maiores fieri. Ex huius ceti ſolo capite, extractæ ſunt igne adipis amphoræ (Emer) centum. continet autem amphora libras centum. Amphorarum quælibet uendita eſt aureis Rhenenſibus quatuor cum dimidio. Vſus eius eſt ad lucernas, & fortè etiam alia quædam. nam partium adeò tenuium eſt, ut per uitreum etiam uas penetret. *(Videtur hoc fidem ſuperare, epiſtolæ pars hoc in loco attrita erat, & in uocabulo uitri, litera deerat: aliter quidem legere non potui.)* Canis, qui fortè ſuperuenerat, cum abunde hunc adipem ingeſsiſſet, ſtatim per corpus & cutim undiq; eundẽ reddidit, tanquam ſudorem: & paulò pòſt eo in loco perijt. Adipis huius color refert Maluaticum (ut uulgò nominant) uinum uetus & clarum. Huius piſcis, generoſe domine, coſtã ad te mitto, unam ex minoribus & capiti proximis, è qua ad Solem ſuſpenſa circiter tres librę adipis extillarunt. Sic ille. Ego coſtam quoq; illam depictam ab illuſtri Barone accepi, dodrantibus quatuor longiorem aliquanto: quanquam rectè menſurari non poteſt, cum in ſemicirculũ ferè inflexa ſit: & ſimul dentem, ſimiliter ferè inflexum, mucrone hebete, digitos octo longum, tres latum.

170.40.A. Phyſeter (inquit Olaus Magnus) ducẽnum cubitorũ eſt, terribilis bellua. in perniciem enim nauigantium, plerunq; ultra nauium antennas ſe extollit, hauſtosq; fiſtulis fluctus ſupracaput collectos ita eructat, ut nimboſa alluuie plerũq; naues fortiſsimas deprimat, aut maximo piculo nauigãtes exponat. Os magnũ & amplũ habet, circulare, ueluti Muræna, *(Lampreda,)* quo eſcã uel aquã ſugit, ponderecq; ſuo in prorã uel puppim iniecto & impreſſo, nauim deprimit & ſubmergit. quãdoq; etiam dorſo uel cauda nauim, ut minuſculum aliquod uas, crudeliter euertit. Spiſſum & nigrum corium habet toto corpore, pinnas longas in forma latorum pedum: ac caudam bifurcatam latitudine XV. uel XX. pedum: qua circunuentas nauium partes uehementiùs ſtringit. Occurritur ei tuba militari, cuius aſperum acutumq; ſonum ferre nõ poteſt: & maximis uaſis ſeu dolijs eiectis, curſum beluæ impediẽtibus, uel pro luſu ei obiectis: aut ualidis bombardis, quarum ſono magis, quàm ferreo uel ſaxeo globo terretur. globus quidem uel aqua uel pinguedine obſtante, uim perdit: uel leuiter tantùm uulnerat uaſtiſsimum corpus immenſa pinguedine inſtar ualli munitum. In Noruegiano quidem litore frequentiùs uel uetera uel noua cernuntur monſtra, propter inſcrutabilem aquarum profunditatem. Hæc ille in Hiſtoria gentium Septentrionalium: ubi pro Phyſetere non caput illud ueluti equinum pingit, ſicut in Tabula, ſed Cetum quendam dentatum, (quem in Tabula ſimpliciter Balænam eſſe dixerat,) cum in deſcriptione dentes ei negare

uideatur. nam ſi eſcam uel aquam ſugit, quorſum ei dentes? quanquam & Lampreda tale os cùm habeat, dentibus non caret. exertos ſaltem dentes habere nõ poteſt quod ſugit. Germanicè dici poterit à ſugendo, Ein Saugwal mit einem runden maul wie ein Lampred.

Pag. 178. ante Roſmari iconem ponenda fuerat pictura, qua Olaus Magnus Balænam cũ adiuncta Orca eam impugnante repræſentauit: quam exhibuimus in magno uolumine noſtro de aquatilibus, in Balænæ hiſtoria, pag. 137. ſed nullo detrimento omiſſa eſt, ut hîc quoq; cum ad manum non eſſet: quoniam pleriſq; eius picturis nulla fides.

Pag. 178. Addenda eſt Roſmari ceti icon hæc cum ſua inſcriptione, quæ non rectè illic contextus de hoc ceto principium occupat.

Roſmarus.



Tum iconi ſubijcies uerba hæc: Noruagicũ litus (inquit Olaus) uerſus loca ad Septentrionem magis uergentia, maximos piſces Elephanti magnitudine habet: qui Morſi ſeu Roſmari uocãtur, forſitan ab aſperitate mordendi ſic appellati. quia ſi quẽ hominem in maris litore uiderint, apprehendereq; poſsint, in eum celerrimè inſiliunt, ac dente lacerant, ut in momento interimant. Caput habent Bouis inſtar: & pellem hirſutam, *(quare ab Alberto Magno Ceti hirſuti uocantur.)* cuius pili, culmi frumentacei craſsitudine, latè diffluunt. Dentibus ſeſe ad rupium cacumina uſq; tanquã per ſcalas eleuant, ut rorulento dulcis aquę gramine ueſcantur, ſeſeq; uolutando mari uicisſim exponãt, niſi interea ſomno profundiſsimo oppreſsi, pendendo in rupibus dormierint, *(& reliqua ſimiliter ut ex Hectoris Boethij ſcriptis recitauimus.)* Expetitur autem maximè propter dentes, qui precioſi ſunt apud Scythas, Moſchos ſcilicet, & Ruthenos ac Tartaros (uti ebur apud Indos) ob duritiem, candorem & grauitatem. Hæc ille. Iconi poſitæ in eadem pagina. 178. adſcribendum, *Eiuſdem Roſmari icon alia, qualis Argentinæ in Curia uiſitur, expreſſa in panno: ad uiuum quidem, quod ad caput, cum ad Leonem X. mitteretur è Scandinauia, reliquo uerò corpore ex coniectura aut narratione appicto. Hoc dubitari poteſt, meliúsne dentes bini exerti deorſum uergentes pingantur, à ſuperiori mandibula orti, ut in hac pictura, qui ſitus etiam ad reptationem per rupes hanc beluam iuuare poteſt: an ab inferiore maxilla orti ſurſum ſpectare debeant, ſicut Olaus & author chorographicæ tabulæ Moſcouiæ pinxerunt.* 179.35. poſt, confundat, A. Accedit præterea ad Hippopotamum feritate & uictu. nam & homines in litore ſubitò aggreditur, dentibusq; lacerat: & in ſiccum pabuli gratia exit: & quòd dentes eius ebori comparantur. tales enim eſſe Hippopotami Gambræ fluminis in Nouo orbe dentes Scaliger ex Nauigationum libris repetit. fortè & nomen ipſum Roſmari, Equum marinum ſignificat: (Roſs enim Germanis Equus eſt: Mare etiam Anglis Equum ſignificat, unde Mareſcalci nomẽ, &c. Appellemus igitur Hippopotamum Oceani, ſi libet. nam & in mari Hippopotamum reperiri, recentiores quidam innuũt. putauerim autem circa fluminum oſtia frequentiùs reperiri. Et ut pleraq; in Oceano maiora fiunt animalia, ſic hanc quoq; belluam, in eo maiorem quàm in fluminibus uiuere, ueriſimile eſt. Roſmarum quidem Equo uel maximo maiorem eſſe quidã ſcribit. Sed Hippopotami nomen, quoniã ex Equo & fluuio compoſitum, eidẽ marino & Oceani incolæ, non bene conueniet. quare uel Elephantũ, uel Bouem, uel Equum, uel Aprum marinum potiùs nuncupare par erit. cum ſingulis enim iſtorum aliquid commune habere uidetur.

Equi quidem marini, ſicut & Bouis ſeu Vaccæ tanquam diuerſorum à Roſmaro animaliũ idem Olaus meminit. Equus mar. (inquit) inter Britanniam & Noruegiam ſæpius uidetur, caput habens equinum, & hinnitum emittẽs: pedes autem fiſſos cum ungulis ad ſimilitudinem Vaccę, tam in mari quã in terra paſtũ quærens. Raro capitur, licet ad magnitudinẽ Bouis deueniat. Caudam deniq;, ut piſcis bifurcatam habet. Sic ille. ego talem eſſe caudam in quadrupede ulla quanuis aquatica, uix crediderim.

GERMAN. Roſmare/oder Rußor/ Roſtinger/ Morß bey den Moſcouiten genañt.

GALL. Rohart, ni fallor, alicubi à Bellonio uocatur, nomine paucis cognito, præterquam artificibus

tificibus

tificibus illis qui opera ex ebore, dentibus & ossibus parant.

179.57.A. Animal hoc (inquit idem Olaus in historia regionum Septentrionalium) in Oceano Anglico captum, omnibus sui partibus portentosum fuit. Habuit enim porcinum caput, quartam Lunæ partem in occipite, quatuor pedes Draconis, duos oculos ab utroq; latere in lumbis, tertium in uentre ad umbilicum inclinantem: atq; in posterioribus caudam bifurcatam instar usitati piscis. Antuerpiam aduectum coram omnibus diuenditum est. Pag. 180. dedimus ex Tabula Olai monstrum quoddam cornutum, quod pluribus ab eo describitur in Historia regionum Septentr. In mari Noruegico (inquit) inusitati nominis (licet reputentur de genere Cetorum) pisces sunt, horribilis formæ, capitibus quadratis: undiq; spinosis & acutis ac longis cornibus circundatis, instar radicis arboris extirpatæ. decem aut duodecim cubitorum longitudine, colore nigerrimo, prægrandibus oculis, quorum ambitus octo uel decem cubitos excedit. pupilla uerò unius cubiti, rubrum & flammeum colorem referens, qui à longe in tenebrosis temporibus inter undas, ueluti ignis accensus, piscantibus apparet. pilos, ut anserinas pinnas, spissos & longos habet in modum dependẽtis barbæ. reliquum uerò corpus ad magnitudinem capitis (quod quadratum est) ualde pusillum, cum ultra XIIII. uel XV. cubitos in longitudine minimè habeat. Vna harũ beluarum plures naues & grandes, fortissimis nautis refertas, facillimè subuertit & mergit. Huic admirandæ nouitati idoneum testimonium perhibet longa ac clarissima epistola Erici Falchendorff archiepiscopi Nidrosiensis ecclesię (quę totius regni Noruegiæ metropolis est) Leoni X. circa annum Salutis 1520. transmissa: cui epistolæ annexum erat alterius cuiusdam mõstri (*Rosmari scilicet, de quo diximus*) horrendum caput, sale conditum.

Pag. 181. Adde ijs quæ scripta sunt de Vacca mar.

Vacca marina (inquit Olaus in Historia) monstrum est magnum, robustum, iracundum & iniuriosum. ædens partum sibi similem, non supra geminos, plerunq; unum: quem plurimùm diligens, solicitè secum ducit, quocunq; tandem per mare se transmittit, aut in terra gressus dirigit. decem mensibus uterum fert. demum hoc animal aliquando CXXX. annis uixisse, per caudæ ipsius amputationem probatum est.

Pag. eâdem ad finem Iconum ex Olai Magni tabula, addatur hæc quoq;.



Olaus Magnus in Tabula sua, quam literis distinxit, in B.b. belluam hãc marinam sine nomine pingit: eamq; ingentem esse scribit, & dentibus truculentis excelsisq;. Nos à dentium figura situq; Aprum nominauimus, sed cetaceum, ut à pisce eiusdem nominis discerneretur.

Ibidem subiunge hæc. Multiplex est genus cetorum, quidam enim hirsuti, & hi quatuor iugerum magnitudine: (iugerum uerò habet in longitudine pedes CCXL. in latitudine CXX.) quidam planæ pellis, hiq; sunt minores, atq; in occidentali ac septentrionali Oceano capiuntur. Quidam rictum oris habent dentatum, ac longissimum, uidelicet longitudinis XII. uel XIIII. pedum: ac dentes sex, uel octo, uel duodecim pedum. Duo tamen dentes canini cæteris sunt lõgiores, subtus sicut cornu, ad modum dentium apri uel elephantis. Hoc autem genus ceti habet os aptum ad manducandum: oculos adeò amplos, ut ambitus uniuscuiusq; XV. homines sedẽtes admittat, imò XX. uel ampliùs, secundum belluæ quantitatem. Cornua præterea longitudinis sex uel septem pedum, CCL. super quemlibet oculum habet, cornea duritie, ad rigidam uel placidam, anteriorẽ uel posteriorem motionem & uentilationem. Hæc simul cohærent ad oculorum protectionem tem-

pore tempestuoso, aut cum alia eum inuaserit bellua inimica. Neq; mirum quod tot cornua, licet satis molesta, habeat, cum inter oculos in fronte spatium sit XV. uel XX. aut amplius pedũ &c. Plura quæ ad uniuersum Cetaceum genus pertinent, qui uoluerit, ex Olai historia petat.

186.1.post, Plinius, distingue, & A. ut diximus. 188.27. dele hæc uerba, quę habent loco sanguinis. 192.52. ab eo l. ab Aristotele. Pag. 245. ad *Buccinum Rondeletij* adscribe: Cancelli in Buccino effigiem requires suprà, pag. 209. 291.43. Scazón, A. (alicubi in Italia Galeum acanthiam uocant Scazonem.) 322.24. in faucibus A. (an fauces etiam forinsecus dici possunt, ut nõ opus sit in os eius admitti?) Pag. 313. post uersum 2. subiunge: SALMARINVS circa Tridentum uocatur piscis rarus & paucis in locis capi solitus, Truttarum generis, ut equidem conijcio: cuius iconem pulcherrimam Saluianus dedit. nos in magno nostro De aquatilibus uolumine inter Truttas Saluiani uerbis eũ descripsimus. 357.27. sic leges. Legi in Theutonico libro Hessi cuiusdam ex nouo Orbe reuersi, Lacertos istos in terra & aqua reperiri, edulesq; esse. Ibid. 35. A. Similis uidetur Higoana Lacertus Indicus, cuius Scaliger mentionem facit. conuenit longitudo, & quòd editur, & corium nigrum maculis (candicantibus) distinctum. Dorsum serratum congruere nõ puto; nam pellis ad me missa, extensa erat. Caput non uidi. 79.6. pro in l. inter.

ACCESSIO DE GERMANICIS QVIBVSDAM NOMINIBVS PISCIVM, PRAESERTIM QVORVM IN PRAECEDENTIBVS MENTIO facta non est, ordine literarum.

CL. V. LEVINO LEMNIO, MEDICO ZIRIZAEO, Conradus Gesnerus S. D.

NONDVM excidit è memoria mea, ornatissime Lemni, illud humanitatis tuæ officium, quo non ita pridem ex Italia reuertẽs me antehac ignotum domi meæ salutare, & doctissimis sermonibus tuis oblectare uoluisti. Nuper etiam cum Liber tuus De occultis Naturæ miraculis, omnijuga eruditione refertus, & Antuerpiæ typis excusus, ad nos delatus esset, plurimùm eo auidissimè perlegendo tum fructus tum uoluptatis percepisse mihi uideor. Inter cætera uerò cum etiam Germanica quędam Aquatilium animantiũ nomina inuenissem, uel noua mihi, uel commodiùs, quàm hactenus didicissem, interpretata: uisum est refricandæ tibi memoriæ nostri causa, hanc Accessiunculam tui nominis inscriptione ornare. Rogo autem te, uir præstantissime, primùm ut Librum hunc totum succisiuis horis euoluere digneris: & ubicunq; aliquid inciderit, de quo admonendus tibi uidear, annotare, idq; quàm liberrimè: deinde imprimis circa Germanica & patrię tuæ ac uicinis usitata nomina, interpretationes meas castigare, augere, minuere, & quoquo modo illustrare uelis. Si quæ uerò nomina uestræ gentis sunt, quæ Latinè aut Græcè efferre nequeas, ea seorsum ut mihi cõscribas, sicut ego in hac Accessiuncula facere aliqua ex parte incœpi, & aliqua descriptione breuissima declares: Cumq; primùm licuerit, de ijs omnibus libellum aut epistolam ad me mittas. Hac in re quantumcunq; mihi præstiteris, gaudebo, eroq; gratus. Scio autem eam esse eruditionẽ tuã ac diligentiã in omnium rerum naturaliũ cognitione, ut sęculũ nostrum perpaucos tibi pares habeat. Iuuato igitur suauissime mi Lemni et me in difficillimo hoc copiosissimoq; argumento nimis diu iam laborantem: & studiosis harum rerum innumeris hominibus, omniq; posteritati aliqua doctrinæ tuæ luce affulgeto: id quod tibi nõ difficile est, qui ab adolescentia harum rerum fueris studiosus: & in patria Oceano propinqua degas: ubi ut diutissimè fœlicissimeq; tibi tuisq; & amicis uiuas, Deum O. M. rogo. Vale Tiguri. Nonis Iunij. Anno salutis M. D. LX.

Germanica aquatilium animantium nomina, unà cum Anglicis insertis, ordine alphabeti recensui & interpretatus sum quàm plurima (in eo libro in quo etiam Ouidij Halieuticum emendatum & scholijs illustratũ dedi: & Aquatilium nomina Latina iuxta Plinium enumeraui:) hîc quidem illorum nihil, aut pauca & obscuriora tantùm repetij, eo consilio ut boni & eruditi aliqui uiri hæc legentes, de quibusdam dubijs incertisq; mihi adhuc certiorem me facerent.

Angelin Germanis & Sabaudis, piscis magnitudine Harengæ, rarissimè capitur in lacu Bielensi, totus albus instar niuis.

Alec Alberto magno piscis est in mari Flandriæ & Germaniæ Raijs cognatus, uernaculo nomine sic dictus, &c. ego tale nomen hactenus non audiui. Olaus Magnus repetit uerba Alberti de hoc pisce, quem alatum cognominat (alas autem pro pinnis dicit:) nec aliud addit, nec authorem

rem citat, qua in re ignorantiam suam arguit, cum passim multa similiter ex Alberti libris recitet, quæ eiusmodi sunt, ut ipsi etiam Alberto incognita & temere ex indoctis quibusdam scriptoribus repetita esse uideantur. itaq; falsa ueris permiscens, & aliena (quæ tanquam sua recitat) suis, ueritatis cæterorum gratiam corrumpit Olaus.

Bergerfisck. Celeberrimum (inquit Olaus Magnus) totius Noruegiæ emporiũ est, quod **Bergen** uocant. à quo etiam pisciũ (Asellorũ) genus **Bergerfisck** appellat, meliùs quàm **Stockfisch** à fuste uel baculo, ut mollius ad coquendum fiat pluries fustigatum. Huius genus unum longius Asellum uocant: cuius uentres in bicubitales ligulas instar funium abscissos, & aere desiccatos, quasi longè delicatiores cibos, Aquilonares eligere & uendere solent, **Roedscher** dictos. Similiter & extremas caudas eorum piscium in magnis uasis ad quæstum, siue delicatam escam reseruant, quas **Spore** Germani uocant.

Baes/ Süch Seebaes.

Bloßfisch esse audio piscem, uulgò in Marchia dictum, quem Baltazar Trochus Sillaginem nescio qua ratione appellet.

Bolch inferioribus Germanis ex Asellorum genere, fortè hoc nomen à figura & magnitudine tulerit, tanquã instar longiusculæ trabis (quã nostri **Balch** appellant) aut trabeculæ excrescat.

Cabbeliau dictus uulgò, Asellus simpliciter est Leuino Lemnio, & lapillos in capite non habet sicut Callarias.

Cent, piscis quidam Danubij. ante annos aliquot Ratisbonæ captum unũ, Cæsari Augustam missum aiunt.

Clieuwe inferioribus Germanis, idem aut cognatus uidetur pisci quem Angli **Lump** appellitant, eruditi quidam Orbem.

Cormontein, in Bielensi apud Heluetios lacu, Sabaudicũ fortè potiùs quàm Germanicum uocabulum fuerit, Albulæ (ut nos uocamus) maiori similis, & nimirum cognatus.

Sanneltgryn nescio quis in Rheno piscis Coloniæ uocatur.

Dorst piscis est notus in Liuonia, partim Sturioni, partim Siluro similis. alij **Durst** scribunt, nomine forsan à magnitudine facto. nam **Dursen** Germani nominant gigantes. Alij **Dorsch** piscem in Asellorum genere censent: sunt qui Ranam piscatricem ita nominent, simili capitis magnitudine fortè decepti. Vide inferiùs in T.

Elenbot inferioribus Germanis uocatus, Rhombi species oblongior uidetur.

Elft in Rheno uocatur Coloniæ & alibi, uarijs coloribus insignis piscis, Alausæ similis, aut ipsa potiùs Alausa. in Catalogo quidem pisciũ Rheni, quem Cronenburgius præclarus medicus Colonia ad me dedit, aliud Alausæ nomen non inuenio, quam tamen in Rheno capi certũ est. Eundem piscem in diuersis locis nominari puto, **Erfle/ Dorff/ Würffling/ Nörffling.**

Elschouwe. Vitale quiddam inesse uidetur Spongijs & Vrticis marinis, quas nostri **Elschouwe** uocant: quarum innumeræ æstate in Oceano fluitant, exemptæq; mari diffluunt, ac diutiùs manibus contrectatæ liquescunt, ut tradit Leuinus Lemnius lib. 1. de occultis naturæ miraculis. in margine quidem adscribebatur Alga maris: sed Vrtica Algæ nomine appellari non debet.

Eßken audio piscem esse apud inferiores Germanos, qui certo anni tempore stellas quasdam in capite habeat ueluti lepram.

Geeruis uel **Gerfisch** apud inferiores Germanos est Acus, rostro oblongo, denticulato: alio nomine **See-reiger**, id est, Ardea marina uocatur: Alberto Aniger, tanquam Latino uocabulo.

Goldfisch, qui & **Kutt** Argẽtinæ dicitur, piscis Percę similis, minor, rotundior. At in Marchia Alausam sic nominant, quæ illic latior capitur: in Albi uerò longior, (diuersa nimirum species,) ita ut longitudo eius quintupla sit ad latitudinem, & alio nomine **Zige** uel **Zieg** appellatur.

Grossen à Germanis maritimis dictus, piscis Sauro similis est, & hamum fertur ore emittere.

Haeyfisch (**Hay** Brabantis) in Germanico mari Galeorum generis est, albicãtis per latera et uentrem coloris, in dorso nigrior, punctis fuscis aspersus, ut ostendit pictura, quam doctissimus Echtius ad me misit. Idem uidetur de quo Olaus Magnus: Hominem natantem (inquit) in aquis salsis, piscis de genere Canicularum marinarum, (*Galeus canis scilicet, quem Caniculam minorem uel Plinij Rondeletius nominat,*) Boloma Italicè, & **Haafisck** Noruagicè dictus, adeò auidè turmatimq; ex insidijs adoritur, ut non tantùm morsu, sed pondere etiam in profundum demergat, deuoretq; teneriora membra, nares uidelicet, digitos & genitalia: donec superueniat Raia, ceu iniuriarum uindex, quæ impetu quodam succurrens grassatores abigit, & hominẽ ut enatet pro uiribus urget: eumq; custodit, donec spiritu extincto, post aliquot dies, cũ mare naturaliter se purgat, sursum feratur. Cernitur hoc miserabile spectaculum in Noruagicis oris, quando lauandi gratia homines, exotici uidelicet nautæ, periculorum & insidiarum ignari, è nauibus in undas exiliunt. Latitant enim Caniculæ istæ sub nauibus in anchoris manentibus, uelut Aquatici Arietes. Cutis earũ asperitate sua, ligna & ossa expolit, sicuti & Raiarum.

Haffguffe in Oceano magis refert fructum quàm piscem, nimirum ut Cucumis & Vua Plinij. Ego uocis huius Germanicæ aut Saxonicæ, etymologiam non assequor, ut & multorum aliorum, quibus maritimi Germani utuntur, plurimùm à nobis diuersa dialecto, uocabulorum. Vnde

fit ut Latina uel Græca quorundam aut indicare uetera, aut noua fingere nomina, non possim.

Hagen audio pisciculum esse similem illi quem Spirling appellant.

Harder, uel Herder, est Mugil piscis, uel Mugilis species, squamis satis magnis tectus, & lineis à capite uersus caudam aliquot, instar Thymalli, distinctus. Vide inferiùs Molenaer.

Hautinck, Acus Aristotelis, Antuerpiæ piscis longè alius Hautin uocatur.

Hille dictus piscis cetaceus in Oceano iuxta Pomeraniam captus est, nostra memoria: cuius imago illic in templo uisitur cum hoc epigrammate: Hilla uocor piscis, ad flumina fertilis Hildę Indigenis captus præda stupenda fui. Ne dubita, quisquis picturam uideris istam. Sic caput & dorsum, sic mihi cauda fuit.

Hirseitt nescio qui piscis uocatur in Marchia Brandenburgensi.

Huyghe, Squatina inferioribus Germanis.

Knackfisch, totus pelle & ossib. constat, quare abijcit, tanquã cibo inutilis, in litus, ubi corrugatur. Huiusmodi sunt Typhle marina Bellonij uel Acus Aristotelis, Hippocampus, & similes.

Lake Gothicè uocatur piscis in fluuijs & lacubus degens, breuior Anguilla, sed magno uentre. hic profunda petit, præterquam hyeme, quando sub glacie (ut suprà dictum est,) malleo stupefactus capitur, Olaus. Nos hunc Mustelã uocauimus, &c. Nostri uocant Trüsch, alij aliter. Lyckelake Flandris Hirudo est.

Makreel dictus piscis, capitur in litoribus Noruegiæ, præcipuè in scopulis Asloensibus, maxima copia: qui probè salitus, optimus est: sine sale, pessimus, Olaus. ego hunc nõ aliũ ꝙ Scõbrum esse dixerim, cuius simile nomen etiã Galli habent & Angli. alij scribunt Macrell, Macrill, Maccarell. hic piscis quoniam mare non relinquit, aliũ esse apparet qui Coloniæ in Rheno Makrill nocatur, à nonnullis Bratfisch.

Meercors/uel Seecors, piscis quidam apud inferiores Germanos, Anguillæ similis, &c. idem fortè quem Lake Gothis appellari nunc diximus.

Molenaer, uel Mullenaer Flandris dictus, non Mullus est ut quidam putant, sed Mugilum generis, ut ex pictura à Io. Echtio missa facilè cõijcio. Galli & Angli Mullet nocitant: Harderẽ superiùs dicto cognatus.

Muris caudam Flandri lingua sua Pastinacam uocant, Rondeletius. ego non aliud Germanis inferioribus de hoc pisce usitatũ nomen hactenus cognoui, quàm Peilstert, quod sagittę caudam significat.

Muroica apud nos dicitur piscis, cuius ossa *(noctu)* lucent, Albertus. uidetur autem nomẽ esse corruptum. alibi Muruca ab eo nominatur Sturioni similis.

Murte, pisciculus quidam uilis, magnitudine Harengi in Noruegia.

Mutterlosichen, piscis quidam in lacu Suerinensi.

Orwangen & Vrwängle uocantur à Germanis branchiæ piscium: ab alijs Ryben.

Palen Congrum esse inferioribus Germanis, an rectè quidam mihi retulerit, dubito.

Peilstert. Quære in Muris cauda.

Pen. Quære in Spirinch.

Pergolici à Christophoro Encelio (qui Germanica piscium nomina ad Latinas terminationes deflectere solet) inter pisces numerantur.

Persich in Austria audio piscem esse diuersum à Perca, dodrantalem ferè, palmi latitudine in medio: squamis uix apparentibus, aculeis tota cuti abundare: Viennæ & Posonij notum: nõ è Danubio, sed aliunde Viennam inferri.

Petermanche, (alijs Pieters uisch, uel Torpor,) Araneus piscis est, ut facilè conijcio ex Icone quam Io. Echtius misit.

Pladyß, & Plaetkens, Passerum species duæ. nostri Platyßle scribunt.

Porpel. Thrissam siue Clupeam piscem, quem Romani Lacciam uocant, nuper in Prussia circa mare recens (ut uocant) eo in loco, ubi in sinum Balthicum (seu Codanum iuxta Celtem) se exonerat, (circa castra Balge & Lokstede, ad ducem Prussię pertinentia,) maximo numero captũ esse, compertum habetur. Nam horum piscium quos Pruteni Porpel appellant (nomen antea incognitum) piscator quidam duodecim millia & sexcentos, mense Maio intra quatuordecim dies (præter alios pisces, quorum etiam haud parua copia erat) cepit, Olaus Magnus.

Postken est Scorpius piscis, inferioribus Germanis: ut ex pictura à Io. Echtio missa, conijcio.

Posck apud Frisios, Centriscus Theophrasti est, ni fallor: Pungitius Alberti. at qui Pösch Coloniæ uocatur, alibi Porces, Kutt/Kaulbersich, Percæ fl. similis, minor, Porcus Nili mihi uidet.

Poste piscis quidam, Flandris à uelocitate sic dictus.

Purpontin Germani quidam, ut audio, proferunt nomen factum ab Anglico Purpose uel Porpose (quasi Porcum piscem dicas) quo Phocænam & Delphinum significant.

Ryben. Süch Orwangen.

Rosenmucken sunt in Prussiæ stagnantibus aquis, ut lacubus uel piscinis profundis, Cyprinis latis cognati, quadruplo ferè maiores & præpingues. assi cum aromatibus ad principes & locupletes uiros mittuntur. Quære Trossuli.

Raff.

Raff. Ex uentre Rhomborum (apud Noruegos) fiunt ligulæ cubitales, uel bicubitales, sed latiores alijs, ualde pingues: quas incolæ uocant Raff; eisq; pro pane & obsonio utuntur. Conuenit is cibus robustis hominibus, non delicatis: ferè eius saporis, cuius est semen pisciũ induratum, quod Bottargi uocant Itali, sed longè pinguior. Capitibus horum piscium loco lignorum pro cibis coquendis Noruegi utuntur, Olaus. Ego segmẽta illa seu ligulas Raff, fieri audiui ex pisce Quep uel Heligbutt dicto: unde eundem quoq; Rhombum esse conijcimus.

Roedscher. Vide suprà in Bergerfisch. Sunt autem uẽtres Asellorum, hoc est, exteriores uentris partes resectæ & salsæ. alij scribunt Rotser. ea caro aliquanto mollior & suauior est.

Rotfisch uel Redfisch, in Noruegia dictus piscis marinus, uidet Erythrinus aut Pagrus esse.

Rodtbart/uel Roobaert ut Frisij proferunt, piscis est Lyriformis: & diuersis fortè speciebus id nomen attribuitur.

Rub Frisijs, Phoca.

Sandling Frisijs orientalibus dictus, Citharus Galeni fortè fuerit.

Sarckens, si probè memini, pisces quidam apud Belgas uocantur.

Sardeyn ab inferioribus Germanis uocatur piscis marinus, Sardina nimirum uel Chalcis.

Schwamfisch. Quære Swamfisch. nam inferiores Germani ferè S. scribunt ubi nos Sch.

Scheluis Belgæ indigetant Callarias (Asellorum generis) à scabra cute ac squamata, ut tradit Leuinus Lemnius: qui etiam lapillos in eorum capite gigni scribit. Sed hoc considerandum est diligentiùs. ego Schellfisch esse puto Asellorum Rondeletij speciem tertiam; Callariam uerò alterius generis, &c.

Scherren, species quædam Passerum Belgis.

Schmeltz. Vide Smelte.

Schnepelfischge in Albi pisciculus est candidus, non ultra digitum longus, Zertæ uulgò dictæ pisci, ferè similis. Is mihi uidetur omnino Phoxinus squamosus minor Rondeletij, nisi colore forsan aliquid differat.

See (uel Zee, ut alij scribunt) Belgis est mare: nobis Meer mare significat: See uerò lacum. hinc composita sunt nomina, Seebaes, Lupus marinus, ni fallor: quem Angli simpliciter Base appellant. additur autem ei fortè maris uocabulum ad differentiã eius qui fluuios subit. Seekrabbe, Cancer marinus est: Seecreeft Astacus mar. Seehaenken, Gallum marinum sonat, piscem Lyram uel ei cognatum. Seehont, id est, Canis marinus, Phocam significat. See reiger, id est, Ardea marina. Acus est, rostro longo & denticulato. Seeschum, Hollandis, os Sepiæ. Seetasche, uulua Raiarum, quæ specie peræ in litoribus eiecta reperitur. Leuinus Lemnius Lupum piscem marinum interpretatur Zeewolf, siue ad uerbum, ut suspicor: siue recepto aliquib. Germanis de hoc pisce uocabulo. ¶ Est quando Seel pro See scribunt in compositis dictionibus, ut Seelhund pro Phoca, & Seelslecke pro Cochlea marina; sed hoc posterius (puto) Anglicum est.

Shork piscis quidam pedum quinq;, magno uentre.

Skate Anglis Squatinam significat, ut conijcio. Squatina, inquit Albertus, piscis mar. est, quem Germani Catulum maris uocant, &c. Leuinus Lemnius Sepiam interpretatur Felem marinam.

Sijk Gothice dicuntur pisces quidam. Hi (inquit Olaus) sicut & Lupi *(Lucij)* Mugiles, Prasmi & Borbochæ, siccari solent apud Septentrionales, maxima copia, et ut strues lignorum componi. Et rursus: Quidam pisces malleis è robusto ligno factis, ante decoctionẽ fustigantur: quidam etiam Sole saleq; siccati, crudi tunduntur ac manducantur: quos Sijk uulgò uocant. suntq; genere duplici, præsertim in mari Bothnico, in quod influunt maxima flumina ex altissimis montibus Noruegianis. Fumati pisces non infimam sortiuntur æstimationem, ut Salmones, Prasmi, Sijk, Halec, Murænæ, Mugiles & Boctes. Et mox: Sunt & Boctes ac Orches pisces fumigati, qui in esum genti Septentrionali cedunt. Et alibi: In Harengorum genere fœminæ uulgi æstimatione cariùs emuntur: quia oua eorum uentrem satiant dum stato tempore à piscibus abstinendum est: quod & similiter aliorum piscium oua, ut Salmonum, & quos Gothi Stick uocant, faciunt. Sic ille. Ego eundem piscem ab alijs Germanis Stint/ Stinckeling & Stinckfisch uocari puto. Hi infumati adferuntur ex Liuonia, ouisq; multis & pinguibus abundant. Sijk quidem nomen uel à siccitate factum est: sunt enim pisces exiccari soliti. uel à Stinck per syncopen: quod nomen fœtorem significat: quoniam & recens capti hi pisces, & aliquandiu seruati, fœtere uidentur. Vide mox in Spiring.

Smelte Anglis & Belgis est pisciculus (alij Schmeltz magis Germanicè proferunt, à pinguedine nimirum) delicatissimus, quem Galli Eperlanum uocant, à colore splẽdido perlæ, id est, margaritæ. aliqui Violam à gratissimo eius odore posse uocari censent. Aqua partim marina, partim fluuiatili gaudet. Figura (à Bellonio exhibita) & descriptio eius planè mihi referre uidetur Vmbram (siue Vmblam) lacustrem nostram minorem. Doctissimus Turnerus Smeltam Gobionũ generis facit. Sed alium quoq; piscem apud Belgas Smelte dici conijcio ex pictura, quã à clarissimo medico Io. Echtio accepi; corpore paruo, oblongo, angusto; pinna nulla, (fortè quòd pi-

ctor omiserit:) rostro longiusculo, acuminato, ita ut maxilla superior aliquanto breuior sit.

Spiring/Spierinck/Spirling, si Apua aut Apuis cognatus est piscis, ut Turnerus putat, miror eum dentatum esse. idem piscis Sijck Gothicè dicitur, de quo suprà scripsi. Audio esse dodrantalem, candidissimum, longum, angustum, nullo uentre foris apparente, nihil cibi in eo reperiri: spinam dorsi Anguillis similiter habere, simplicem, nullis adnatis, gregatim degere. Huic similem esse per omnia Pen (fortè ab Apua corrupto nomine) dictum Hollandis.

Spore. Vide Bergerfisch.

Spritzen apud Vallesios nostros, Phoxini læues, ni fallor: dicti quòd propter lubricitatē manu retineri, quin elidantur, uix queant.

Sprott circa Insulam Rheni piscis est, à Spiringo diuersus, cum apud Anglos Sprote idem sit qui Spiringus.

Squame dictus piscis è Dacia *(fortè Dania)* adfertur: is post æquinoctiū autumnale demum parit, ut scribit Albertus Magnus. sed alius est Swamfisch, de quo Olaus Magnus: Monstrum *(Cete ferè monstra nominat)* Noruagico idiomate Swamfisch dictum, rotunda est forma, præ cunctis marinis beluis gulosum. Stomachum distinctum non habet, ut ferunt: & omnis cibus in corporis eius crassitudinem uertitur, ut nihil aliud uideri possit quàm una massa pinguedinis adunata. Dilatatur & extenditur: cumq; ampliùs extendi nequit, pisces per os facilè eijcit, quoniā, ut cæteri pisces, collo caret. Os eius continuatum est uentri. Adeò crassum est, ut urgente periculo carnem, pinguedinem & pellem suam, sicut Hericius, super caput reduplicet; & contrahendo se caput abscondat: non sine sui detrimento. nam inimicas bestias timens, fame urgente se non aperit, sed esu carnium suarum sustentatur, cum aliquam sui partem consumi, quàm à beluis prorsus deuorari malit. Sic ille. ex uerbis quidem eius cetúsne an piscis sit, non satis intelligitur. ponit etiam iconem, sed quæ mihi suspecta sit, ut & aliæ pleræq; ab eo exhibitæ.

Stinck. Vide Sijck.

Stockfisch. Lege Bergerfisch.

Storme Frisiorum, Scorpius piscis esse uidetur.

Streckfisch uel Strackfisch, nescio qui piscis, Gedani seruatur in aere ut durescat.

Terbot apud Belgas Rhombus quidam est. hoc nomine pictum roseo colore à Io. Echtio accepi. alij Tharbutt/uel Tarbut proferunt.

Torpor. Quære in Petermanche.

Torsck uulgò dicti pisces, ut & Arengæ, Anguillæ, Prasmi, saliri, uento siccari, aut fumo macerari solent. sic autem (Torsck) Gothicè uocantur: qui ab Italis & Hispanis Marlucz. deferūtur autem Romam usq; per Hispanos & Lusitanos. Vide Dorst suprà.

Trossuli apud Borussos capiuntur, partim in lacubus, partim in æstuante mari, Erasmus Stella. ego hoc nomē è Germanico aliquo factū conijcio. Idē fortè sunt Rosenmucken superiùs dicti.

Vckelangen piscis quidam circa ostium Tangræ nominantur à Christophoro Salueldensi.

Vint Belgis est Alausa: quo nomine etiam Albertus Magnus utitur.

Vore piscis apud Belgas, paruus, squamosus, uarius, unde & nomen ei factum puto, latiusculus, pinnis rubris: candido, luteo & subuiridi colore distinctus, ut ex pictura ab amico accepta apparet. Idem opinor Variatæ pisci, quem Ordine 1. Marinorum pinximus, &c. à Trutta quam nostri Fore nominant, longè diuersus.

Wecke apud nos piscis est uētre magno, & stomacho uilloso omni genere uillorum, Albert.

Wittim uel Wytling, Asellus primus est.

Willocks Belgis Cochleæ quædā marinę sunt, colore russo: quarū foramina operculo tegūt.

¶ Gedani piscis est, cuius dissecti etiam frusta mouentur & tremunt: carne ut Welß, id est, Silurus. fortè Anarrhichas noster, qui ad Siluri naturam accedere uidetur.

¶ Piscium uariæ figuræ (inquit Olaus) per Aquilonaria litora inueniuntur: quorum nulla apud ueteres mentio reperitur: Vt pisciculus palmā longitudine non excedens, leporina facie, ac spiculis in dorso: quibus quoslibet etiam magnos pisces solo aspectu terret, & in fugam conuertit. *(Hic fortè è genere Lyriformium est.)* Item pisces aculeati dorsi, instar serræ, qui asperis illis aculeis ac pinnis acutis, antrorsum (dum nocere intendunt) admotis, omnes offendunt: & hi duo tanquam aquarum & piscium latrones, ubi capiuntur, ut inutiles ob spinas & aculeos, & carnem insipidam abijciuntur. Sunt & pisces cornu in capite gerentes antrorsum, sicuti rostratæ uel Liburnicæ naues, in uentre ora habentes, macilenti & insipidi ob corporis macritudinem, quam incurrunt alios pisces persequendo. Hæc ille.

Patauij prope ædem diui Antonij, apud hęredem Monscolari cuiusdam (quem Antiquitatum studiosum fuisse aiunt) audio seruari Equi marini caput planè simile equino: quod an Hippopotami sit, quærendum est. Item rostrum ceu Ciconiæ adiuncto corpore piscis quasi uesica, è mari Adriatico, sine nomine. Varinus Camers Porcum (πόρκον) aquaticum animal, &c. describit, utris similitudine, in Danubio, quadrupes, &c.

FINIS.

EBRAICE.

ליהוה הארץ ומלואה:
אורה יהוה בכל-לבי
אספרה כל-נפלאותיך
זמרו בכור שמו׳
שימו בכור תהלתו:

GRAECE.

Δόξα ΘΕΩι τεύξαντι τὸ πᾶν, καὶ πάντα κινοῦντι
Πατρὶ μεγασθενεῖ, τοῦ περ γένος ἐσμέν: ἴδ᾽ αὐτοῦ
Ἔργα θεωροῦμεν πάνυ θέσκελα πολλὰ καὶ ἐσθλά,
Οὐράνια, χθόνια, καὶ ἐν ἠέρι, ἠδὲ θαλάσσῃ.

LATINE.

Omnia qui fecit, mouet & conseruat, alitque,
Sit soli semper gloria, laus & honor.
Omnibus in rebus, tellus, aqua, pontus & æther
Quas claudunt, uis est insita clara DEI.
Omnia sunt hominem propter ceu condita finem.
Finis homo est homini: præcipuus, DEVS est.

ITALICE.


Rende Lettore ogni honore e gloria
A sol IDDIO, che tutto 'l hà fatto,
E mouendo 'l nodrisce, e serua in atto,
Tal, che stupisce ogniun di merauiglia.

GALLICE.

Au seul grand DIEV, qui tout a faict, conserue,
Meut, & nourrit cé, qu' est en l' uniuers,
En terre, en l'eau, en l'aer, feu, cieulx diuers,
Gloire a iamais, los, honeur qu' on reserue.

GERMANICE.

Fürchtend den allmächtigen/
Eerend den allwüssenden/
Liebend den allgütigen
Herren GOTT/ vnd vatter
Aller dingen/ schöpfer/
Beweger vnd erhalter.



B. IIII

wesentli

